


BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II
204
20 F
5
ROMA

R. P. ALOYSII

NOVARINI

CLERICI REGVLARIS

ADAGIA

SANCTORVM PATRVM,

SCRIPTORVMQVE

ECCLESIASTICORVM.

ADAGIA
EX
SANCTORVM PATRVM,
ECCLESIASTICORVMQVE SCRIPTORVM
MONVMENTIS PROMPTA,

QVÆ EXPLICANTVR, ET ILLVSTRANTVR,
insertis, ut res exigebat, VITIIS *euellendis,* VIRTVTIBVS
implantandis,

EXCVRSIBVS ETHOLOGICIS.

EADEMQVE OPERA PASSIM IN TOTO OPERE NONNVLLA
diuinarum litterarum, externorúmque auctorum loca suâ luce vestiuntur,
& priscorum RITVVM recensione, variis OBSERVATIONIBVS,
sacræ & prophanæ eruditionis opes augentur.

Studio, & labore R.P.D. ALOYSII NOVARINI *Veronensis,*
Clerici Regularis.

Opus nouissimè prodit, necessariis percommodisque, Rerum præcipuarum, Rituum, Locorum
sacræ Scripturæ, Adagiorum, & Excursuum Indicibus insignitum.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.
M. DC. XXXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



SANCTISSIMIS

Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio Magno, Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Alexandrino, cæterísque Ecclesiæ Patribus, Ecclesiasticísque scriptoribus, quorum nomina hîc inseruntur, súntque in libro vitæ scripta,

Volumen hoc in obsequium offerebat ALOYSIVS NOVARINVS *Clericus Regularis.*



ORI, vsu iam recepto, morem gero; librum luci daturus, nomina eligo, nomen libro factura, scilicet iis opus sacro, ex quorum operibus natum opus est, à vestris voluminibus ad vos venio, Ecclesiæ sanctæ lumina, & quæ à vobis sumpsi, vobis reddo; Adagia, quibus vos vsi, vobis in cultum, in obsequium offero; aliò flecti vix poteram, aliò non debebam; vestrûm est accipere, quod vestrum: vestris vbique diuitiis paupertatem meam ditaui, inserui meis operibus vestras gemmas, mea volumina sententiis vestris inoculaui, vt dignitatem, splendorem, ac pondus mea verba vestris proxima, & vestris innixa nanciscerentur; in animi grati signum opus istuc vobis dico; leue munus ab ea parte, quod meum, non leue ab eâ, quod vestrum, éxque vestris operibus depromptum; pannosam dictis vestris vestem exhibui, cùm sententias meas vestris addidi; at verba, quæ ab ore, calamísque vestris prodiere, non indigent alienis exornari, cùm aliena potiùs exornent, & solo, vt ita dicam, contactu vestis cuiuslibet vilitatem in purpuram transmutent. Agnoscite hîc quod vestrum, quod vestrum est accipite, & mea vestris insuta, addita vestris, à quibus nobilitatem mutuantur, ac quandam sanctitatem; mea corticem referunt, vestra medullam, vtrumque vobis sistimus, vtrumque offerimus. Ignoscite si vestra volumina eâ puritate non versaui, quâ merebantur; date mihi, vt hoc possim, & meritis vestris consequar, quod vestris operibus impendam; vtinam per vos eam sanctitatem à vestris monumentis ebibam, vt me ea assiduè peruolutasse non scriptione tantùm tester, sed & vitâ, mores loquantur, quàm familiaris non libris tantùm vestris fuerim, sed & moribus; vtinam in meis operibus legi, probæ vitæ monita possint, quæ ego in vestris voluminibus legi. Sisto in hoc voto, méque cum hoc volumine vobis omnibus offero, vos quoque me Deo meo offerte, cuius visio vos beat, & beabit æternùm.

LECTORI MEO.



ISTE, LECTOR, *siste; ante librum lege prius quod libro præmittitur; è re tuâ est, & è re meâ meam tibi mentem in huius operis molitione statim aperiri, ne aliud à me quæras, quàm exhibere voluerim, aut aliter, vel certè plura, quàm cogitauerim; Patrum, & Ecclesiasticorum auctorum monumenta non defunctoriè volui, ex iisque ea libaui, quæ vsui mihi essent illis voluminibus condendis, quæ aut edita iam sunt, aut edentur; hoc dum præsto, eadem operâ etiam Adagia, quæ mihi obuia, colligere pergo, absque eo, quod putarem, integrum ex illis volumen strui posse; sed dum Adagijs Adagia adderem, numerus adeò creuit, vt si explicarentur, & illustrarentur, formari integrum volumen posset; igitur iniecta est mihi statim mens, vtile futurum, si operi manum admouerem.*

Admoui, vt vides; vnum hoc volumen in gustum nunc exhibeo, alia daturus si mihi & vires, & vitam vitæ Auctor dederit. In opibus litterarijs opus hoc deerat; deerat in tanta librorum copia iste liber. nam prouerbia sacra ex sacris litteris desumpta, & illustrata, à boni auctoris calamo iam habemus, habemus prophana, ex prophanis auctoribus ferè collecta; qui solùm ea, quæ in sanctorum Patrum voluminibus Ecclesiasticorúmque Scriptorum operibus leguntur, collegerit, & illustrauerit, nullus hucusque fuit, qui id tentauerit; huic me operi accinxi, quod, vt puto, gratiam & à sacris, & à prophanis lectoribus inibit, cùm vtrisque vtile sit futurum.

Breuiter, & cursim adagia explico, & illustro, à prophanis ferè abstineo, contentus sacris. multa ab æterno solo collecta ad nostrum aduehere potuissem, sed nolui, quà ne adagia ipsa obruerem, non illustrarem, quà ne dum nimis lacrymosas illustrationes vndecunque conquiro, & formulis adagialibus intersero, multorum aliorum operum editione, quæ iam in promptu, aditum præcluderem, & ab omni culpa immunia volumina obscuro carceri adijcerem. Denique vt statim constaret, me sacra ex sanctis Patribus collecta hic exhibere voluisse, non prophana, éxque prophanis ruderibus desumpta.

Si prouerbialis aliqua formula à pluribus Patribus fuerit vsurpata, religio nobis non fuit omnium verba referre, præsertim si aliter res eadem ab vno efferatur, quàm ab alio, cùm vnius dictum alteri lucem afferre possit, & alterius sententia alterius mentem confirmare; rarò id tamen fit, vt etiam ab hoc capite diluceat, me dum adagia colligerem, de hoc adagiorum volumine condendo non cogitasse.

Adagijs excursus ethologicos adieci, consultò id feci; nam cùm in more mihi sit positum, vbique proba monita informandis moribus spargere, nolui hæc adagijs ipsis immiscere, ne longis, licèt vtilibus narrationibus adagia obuoluerem, non illustrarem; excursus igitur probæ vitæ instituendæ, euellendísque vitijs tanquam adagiorum, parerga post adagia posui, vt facile sit lectori, illis prætermissis, hæc percurrere, aut his relictis, illos delibare. non omnia adagia excursibus exornaui, sed pauca, ea scilicet, quæ ferè opportunam materiam afferebant, aut ferebant oblatam; plura vbique indicaui, quàm dixi, & plura aduehi posse monstraui, quàm aduexerim; non est meum in vllo labore ea omnia exhibere, quæ possent, aliísque similia præstandi aditum præcludere; scriptione prouocare ad scriptionem alios cupio, non à scriptione scriptorem deterrere.

In sanctorum virorum laudes non semel excurro, quia id suo veluti iure illorum facta in adagijs ipsis mentio exigebat, quod eo libentiùs feci, quia ægrè alibi, quæ de Sanctorum laudibus

collegeram,

collegeram, opportunè exhibere potuissem, & aptè alibi collocare; qua res fecit, vt alicubi prolixior fuerim, quàm fors nudum adagium exigeret, quod boni consulet bonus lector, cùm sciat strictam esse etiam copiosam laudationem, qua illorum sanctitas effertur, qui omni sunt laude maiores.

Cùmque præcipuè nostri instituti sit sacras litteras illustrare, hîc quoque non penitus obliti huius instituti loca aliqua aut noua luce vestimus, aut noua explicatui donamus, arrepta ex adagio aliquo occasione, quod lectori, vt inutile non erit, sic non erit ingratum.

Inter adagia, quæ hîc afferuntur, si aliqua alicui ab adagiorum censu expungenda videantur, expungat; adagia colligo, & illustro, pro adagijs ipsis non pugno, non altercor, adagialem saliuam qui in aliquo non senserit, decurrat statim ad ista, in quibus degustet hanc saliuam. Interim si noster iste labor docto lectori probabitur, hoc adagia alia, quæ iam parauimus, à nobis exeutiet, quæ aut alijs voluminibus passim inserentur, aut in aliud volumen huic par reijcientur.

Sermo hîc minimè cultus, sed vt sponte fluebat, fors vtilior erit, quia non adeò elaboratus, aut pumice expolitus; rerum potior nobis cura fuit, quàm verborum; nemo verba rebus præferat, verborúmque nitorem rationi; nam eadem ratione posset & corpus animæ præferre, & percelli his tuam erui verbis posset: Si qua illis dicendi copia est, neglectis rerum causis rationis animam spernunr, & verborum corpora diligunt; *alia nos mente incedimus, dilectionémque istam diligere non possumus, nec probare.* Claud.Mamert.lib.1. de stat. anim.c.1.

Operis huius editionem, cur id negem? hiatus plurimi, plurimi errores obsederunt; vicinius operarum lapsibus opus fuit, quo longius operis auctor à prælo absfuit sub quo opus est cusum; alia quoque volumina, quæ iam edita vitia plurima infecerunt, quia eorum editioni defuit obstetricia auctoris manus, quæ illa elueret, & abraderet; à curis secundis puriores prodibunt, si prodibunt; interim errores agnoscenti ignoscat Lector, suâque peritia ea menda emendet, quæ labores nostros infecerunt.

Profectus tui causa, nos his, alijsque discriminibus exposuimus, tantisque laboribus nos in hac breuia coniecimus; tuum erit preces pro nobis rependere, quas hîc postulo, & illis Theodoreti verbis rem obsigno, quibus Lectores suos alloquens aiebat. Lectotem suscepimus lectoribus, vt arbittor, aut inutilem; quamobrem qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, rogatos volumus, vt nobis pro laboribus nostris orationes, ac preces impertiant suas. *hanc vicem auctorum laboribus lectores illi haud rependunt, qui exhibitos labores facilè carpunt, facilè damnant, & dextera, vt dicitur, manu obiectos, sinistra capiunt.* Theodor. epist. in Cantic. Cantic.

APPRO

APPROBATIO.

NOs infrà signati Doctores Almæ Facultatis Parisiensis fidem facimus adamussim examinasse *Adagia ex sanctorum Patrum Ecclesiasticorúmque Scriptorum monumentis prompta, quæ explicantur, & illustrantur, insertis, vt res exigebat,* VITIIS *euellendis,* VIRTVTIBVS *implantandis, Auctore R. P. D.* ALOYSIO NOVARINO *Veronensi, Clerico Regulari*, in quibus non nisi sufficientem fide & laude dignam doctrinam vidimus. In quorum testimonium subsignauimus. Lugduni die trigesima Augusti, anno Domini 1636.

Fr. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

Fr. BERNARDINVS MOLLIASSON, Ord. Minor.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

LVDOVICVS XIII. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari Priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum fines, intra nouem annos, à die finitæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendum curet, & vænalem habeat librum qui inscribitur, *Adagia ex sanctorum Patrum, Ecclesiasticorúmque Scriptorum monumentis prompta, quæ explicantur, & illustrantur, insertis, vt res exigebat,* VITIIS *euellendis,* VIRTVTIBVS *implantandis, Auctore R. P. D.* ALOYSIO NOVARINO *Veronensi, Clerico Regulari*, præter LAVRENTIVM DVRAND, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibuit insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LAVRENTII DVRAND. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis contra delinquentes expressis, vti latiùs patet in litteris datis Rojæ 28. Septembris 1636.

Ex mandato Regis

Signatum.

RENOVARD.

Peracta est hæc impressio die 15. Decembris 1636.

INDEX



INDEX ADAGIORVM EO ORDINE, QVO EXPLICANTVR, ET EXCVRSVVM, QVO EXHIBENTVR.

†

Index Adagiorum,

Index Adagiorum,

Charybdis

& Excursuum.

INDEX



INDEX ADAGIORVM, QVÆ HOC VOLVMINE EXPLICANTVR,

Alphabeti ordine ſeruato.

A

Anchoras

Index Adagiorum alphabeticus.

B

C

Index Adagiorum alphabeticus.

Deus

E

F

G

H

I

Index Adagiorum alphabeticus.

L

Index Adagiorum alphabeticus.

M

Monachum

Index Adagiorum alphabeticus.

Pluuia

Index Adagiorum alphabeticus.

Q

R

S

Samariam

Index Adagiorum alphabeticus.

Super

Index Adagiorum alphabeticus.

Index Adagiorum alphabeticus.

Z



INDEX



INDEX EXCVRSVVM, ADAGIORVM OMISSA RECENSIONE, ORDINE ALPHABETI SERVATO.



A

B

C

D

E

F

††† Genua

Index Excursuum alphabeticus.

G

H

I

L

M

N

O

P

Religio

Index Excurſuum alphabeticus.

R

S

T

V





INDEX VOCVM QVARVNDAM HEBRAICARVM, QVARVM VIS ET PROPRIETAS IN HOC

Adagiorum volumine traditur, & expenditur.

INDEX



INDEX QVARVNDAM VOCVM GRÆCARVM, QVARVM NOTIO, ATQVE VSVS IN HOC

Sacrorum Adagiorum volumine explicatur.

††† i

PRISCI QVIDAM RITVS QVORVM IN HOC ADAGIORVM VOLVMINE MENTIO FIT.

47. Phari





INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC ADAGIORVM VOLVMINE, AVT NOVA explicatione donantur, & illuſtrantur, aut ad mores informandos expenduntur.

Productus numerus eſt marginalis.

Vetus Teſtamentum.

Ex Geneſi.

Ex Exodo.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex libro Iosue.

Ex libro Ruth.

Ex libro I. Regum.

Ex libro III. Regum.

Ex libro IV. Regum.

Ex libro Esdræ.

Ex libro Iob.

Ex Psalmis.

Perdes

Et

Ex Ieremiâ.

Ex Threnis Ieremiæ.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Oseâ.

††††



ADAGIA



ADAGIA
EX SANCTIS PATRIBVS,
Ecclesiasticisque Scriptoribus prompta, explicata & illustrata

A

R.P. ALOYSIO NOVARINO VERONENSI, CLERICO REGVLARI.

ADAGIVM I.
Saulus conuersus est in Paulum.



1. QVOTIES quis desperata fere salute ad bonam frugem reuertitur, & a perdita vita ad sanctissimam transit, & è furenti Leone fit agnus mãsuetus, hæc sententia parœmialiter vsurpabitur: cui locum fecit mirabilis Pauli Apostoli conuersio, de quo ita scribit sanctus Bernardus sermone 1. in eius conuers. *Conuersus*, inquit, *est hodie Paulus, imò* SAVLVS CONVERSVS EST IN PAVLVM. *Hodie conuersus est Paulus, hodie desiit esse Saulus, hodie factus est humilis, & mitis corde*; & cap. 5. ad milites Templi, *Faciat*, inquit, *de hoste militem, qui de* SAVLO, *quondam persequutore, fecit* PAVLVM *prædicatorem*; & epist. 8. *Si de Saulo factus repentè Paulus, repentè Vas electionis, repentè Doctor gentium in exemplum adducitur. Poterit igitur prouerbialiter ad quamcunque subitam mutationem in melius hæc sententia porrigi.* Petrus Blesensis epist. 24. *In eo*, inquit, *quòd Saulum reperit, Paulum* INVENIET. Luculentiùs rem eandem Auctor idem versat tract. de conuersione sancti Pauli, expendens illa illius verba: *Domine, quid me vis facere?* Sic enim ille scribit: *Ad vocem diuinæ animaduersionis in persecutione humiliatur elatio, decrudescit in Saulo feritas, & effrenata rabies mansuescit in gratiam; succiditur Oleaster, vt oliua fructifera plantetur in domo Domini, lupus mutatur in ouem, rhamnus in vitem, herodius in columbam, sicarius in Apostolum, blasphemus in sanctum,* SAVLVS IN PAVLVM. Pergit: *Qui cùm esset vas blasphemiæ, contumeliæ, & iræ; factus est Vas honoris, vas electionis, & gratiæ.* De hac eadem mutatione, & conuersione luquens S. Chrysost. hom. 6. in epist. 2. ad Timotheum, ait: *Vas erat fictile* PAVLVS, *sed euasit in aureum: vas fuit aureum Iudas, sed in fictile conuersus est; sunt igitur fictilia, immunda, luxuriosus, nepos, auarus, fictiles erunt*; & hom. 12. in Actus Apost. *Prodeat in medium Paulus, totius orbis terrarum sapientissimus orator, qui ex lupo factus est agnus, & vepribus racemus, ex zizaniis frumentum, & inimico amicus, & Hebræis firmus, ac stabilis permanens. Qui apud illos Saulus spirans necem, cadem, apud nos autẽ Paulus Iesu Christi vocatus Apostolus, ex blasphemo Theologus, ex persecutore Euangely prædicator, ex pirata gubernator, ex proditore miles.*

De hac Sauli in Paulum conuersione ita loquitur sanctus Augustinus in Psal. 44. ad illud: *Populi sub te cadent*; ait enim: *Blasphemabat Saulus Christum, erectus erat, supplicabat Christo, cecidit, prostratus est. Occisus est inimicus Christi, vt viuat discipulus Christi. De cœlo emissa est sagitta, corde percussus est* SAVLVS, *nondum* PAVLVS, *adhuc Saulus, adhuc erectus, nondum prostratus, accepit sagittam, cecidit in corde. Non enim quo prostratus est in faciem, ibi cecidit in corde, sed vbi ait, Domine quid me vis facere? Modò ibas ad Christianos alligandos, & perducendos ad pœnam, & modò dicis Christo, Quid me iubes facere? O sagittam acutam potentissimam, qua accepta cecidit Saulus, vt esset Paulus. Vt ille, ita & populi, gentes attendite, videt subditas Christo. Ergo populi sub te cadent.*

De Saulo, & postea Paulo ita scribit sanctus 2.
Augustinus serm. 29. ex 40. qui nouissimè prodierunt: *Iste igitur (fratres) iste Vas electionis, primò Saulus à Saule; recordamini enim, qui nostis literas Dei, quid erat Saul, Rex pessimus, persecutor serui Dei Dauid, & ipse, si meministis, de tribu Beniamin. Inde iste Saul ducto secum tramite sæuiendi, sed in sæuitia non permansurus. Postea, si Saul à Saule, Paulus vnde?* SAVLVS *à Rege sæuo cùm superbus, cùm sæuiens, cùm cædes anhelans.* PAVLVS *autem vnde? Paulus, quia modicus: Paulus humilitatis nomen est. Paulus*

postquam adductus ad Magistrum, qui ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, inde Paulus. Vsum Latinæ locutionis aduertite, quia paulum modicum dicitur. (Paulo pòst videbo te, paulum hic expecta) idest, post modicum videbo te, modicum hic expecta. In modico isto erat magnus, in minimo grandis habitabat. Et tanto minus à se magnum excludebat, quanto magis minor erat. Hactenus ille serm. 38. idem sanctus Pater ita loquitur: *Ille Doctor gentium, Vas electionis, ex* SAVLO PAVLVS, *ex elato minimus, ex prædone Pastor, ex lupo ovies.* Prudentius quoque huc spectans in Enchiridio, ita cecinit.

Heic lupus, antè rapax, vestitur vellere molli
SAVLVS, *qui fuerat, fit adempto lumine Paulus!*
Mox recipit visum, fit Apostolus, ac populorum
Doctor, & ore potens corvos mutare columbis.

Et beatus Alcuinus in poëmatis, num. 4.

SAVLVS, *qui sanctas mulctauit carcere turbas,*
Credulus efficitur mutato nomine PAVLVS.

Alij etiam Patres, Ecclesiasticique scriptores vtuntur hac formula, quæ si ad miram cuiuscunque conuersionem flectatur, prouerbialem saliuam sapiet. Theobaldus apud Surium in vita sacti Guilelmi Eremitæ cap. 11. de accessu eius ad Eugenium Papam ita loquitur; *Interim Guilelmus audiens Dominum Apostolicum in Gallias aduentasse, gauisus est valde, & se capiens præ gaudio, ignorabat adhuc voluntatem Dei fuisse, vt sibi occurreret quem quærebat. Accessit itaque* PAVLVS FACTVS EX SAVLO, *vt videret Petrum non iam in se, sed in suo vicario. Intrauit vir obediens ad Simonem Petrum, sed non, vt fieri assolet, per Simonem Magum. Nihil pauper Christi ostiariis dedit, qui in terris ex omnibus nihil possedit.* Poterit eadem ratione ad pares par formula porrigi, cùm repudiatis malæ vitæ moribus melior mēs ebibitur, amātur meliora, meliora quærūtur.

ADAGIVM II.

Num Saulus inter Apostolos?

3. IN Veteri Testamēto Saul exuens se suis vestimentis, & coram Samuele prophetans, adeo adstantes hac re commouit, vt stupor, & indignatio quædam, hæc ab illorum ore elicuerit: Num & Saul inter Prophetas? quæ formula in prouerbium abire cœpit iactari in eos solitum, qui indignè aliquod munus exercerent. Cassiodorus de schematibus, & tropis: *Hoc,* NVM ET SAVL INTER PROPHETAS? *tunc vtimur, cum indoctum quemque, vel aliud quid artis, quam non didicit, vsurpare viderimus.* Et ante illum sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. *Adeò*, inquit, *vt iuxta veterem parœmiam Saul quoque inter Prophetas sit*, vbi scholiastes Elias: *In prouerbium hoc abiit, in eos adhiberi solitum, qui indignè aut docendi munus, aut aliud quoddam imperium suscipere non verentur.* Idem sanctus Gregorius orat. 7. *Quid de Saule existimamus, num & vnctus est, atque etiam prophetauit, idque adeò præter omniū opinionem, vt ex illo miraculo prouerbium hoc fluxerit, quod nunc quoque referri, atq; audiri solet,* NVM ET SAVL INTER PROPHETAS? Cùm igitur præter omnium opinionem illud munus obit, cui ineptissimus alioquin putabatur, vsurpari hoc prouerbium solebat.

Ex Nouo autem Testamento istuc ferè ad illius formā colligitur: *Num & Saulus inter Apostolos?* cui locum subita, & præter hominum expectationem, Sauli in Paulum conuersio, & persecutoris in defensorem, mira mutatio locum fecit. Hinc quoties quis prioris vitæ moribus repudiatis, in virū euadit, & vitiorum mancipio eximius virtutum cultor fit, & inopinata alicuius hominis improbissimi conuersione omnium admirationem vertit in stuporem, inclamari Adagij formula poterit: *Num & Saulus inter Apostolos?* vt quod actum in Saulo est, eleganter etiam ad alios, peritéque flectatur; præiuit sanctus Gregorius Magnus, qui lib. 4. expositionis in lib. primo Regum cap. vltimo ita rem versat. *Hoc prouerbium etiam electis adscribi potest: non enim minor admiratio habita est de B. Paulo Apostolo, quando auditum est ab Ecclesia: quia ille euangelizaret, qui Ecclesiam minando, & cædendo expugnare solebat, nunc prædicando defenderet. Tunc quidem ij, qui audiebant, dicere poterant:* NVM SAVL INTER APOSTOLOS? *Nunquid ille Iesum prædicat, qui Iesum persequi solebat? sed hoc iam in electorum prouerbium versum est. Prouerbiū quidē est quando in eo quod dicitur, aliud occultatur. Conuersio autē beati Pauli Apostoli facta est prouerbium peccatoris.* Saulus inter Apostolos spem etiam proclamatis peccatoribus inicit, vt veniam scelerum suorum si resipiscant adeò non desperent, vt etiam eximia quoque consequi Dei gratia non diffidant.

ADAGIVM III.

Venit Saulus ad Ananiam.

CVm sæuiret in fideles Saulus, in Christianos insano quodā furore debaccharetur, è cœlo increpatur, sternitur, meliorē statim ebibit mentē, alius euasit, cúmque diceret: *Domine, quid me vis facere?* iussus est tanquam lupus ad ouem, (sed non ampliùs lupus) ire ad Ananiā, vt ab ipso erudiretur, (vt Actuum Apostolorū historia narrat.) Res si ad alios flectatur, prouerbij formam induet: tunc igitur Saulus ad Ananiam venire dicetur, cùm qui nullis parcens, in omnes sæuiens, omnes sternere cupit, omnes deiicere ipse tandem mutatus, cuilibet se subdit, collum cuiusque iugo subiicit, & omnibus humilis factus, humiliter obsequitur. 4.
Talis fuit Guilhelmus Comes iniustis cædibus infamis, improbissimis vir moribus, Dei hominúmque leges paruipendens, qui melius tandem sapiens meliori adspirans vitæ ad sanctum Bernardum instituendus erudiendúsque accessit; de illo ita loquitur Theobaldus Episcopus in eius vita; VENIT SAVLVS AD ANANIAM, *receptus ab ipso est*, tantúmque eius monitis, & exemplis profecit, vt sanctus euaserit, qui hostis prius fuerat sanctitatis. Hæc quæ superius explicamimus Adagia, aurem nobis peruellunt, vt in Pauli Apostoli laudē, commendationémq; paululum excurramus; noluimus quippe ea Adagiis commiscere, quæ eorum parerga sunt, sed ad rē iam calamū flectamus.

EXCVRSVS I.

Pauli Apostoli laus, & commendatio.

Dignis *stricta laudatio* sufficit.

Paulus diuinæ bonitatis *speculum*, Mundi *lilium*, Ecclesiæ *rosa*.

Ecclesiæ *organum*, *cicada* Ecclesiarum *columna*, *lucerna*; cœlestis *Iurisperitus*.

Paulus Martyrum *forma*, dæmonum *formido*, Virtutum *fons*, Verus *Athleta* Christi.

Promus condus diuinorum mysteriorum.

Pauli *cor*, cor Christi, Spiritus sancti *tabula*, *volumen* charitatis.

Paulus

Paulus credentium *pronubus*, pudicitiæ *præco*.

Integro iustorum choro *collatus Paulus*.

Ex vno Paulo omnium virtutum *flores*.

Quæ in hominibus, *& in* Angelis *laude digna, omnia in vnum Paulum confluxerunt*.

Paulus alter Michaël.

Paulus Christi fimbria, *qua tacta sanitatem affert*.

5. Apostoli merita ad Apostoli commendationem calamum trahunt; vrget reuerentia, quam illi debemus, possunt istuc adagiales formulæ, quas explicauimus. Laudabo Paulum, omni laude maiorem; non indiget ille nostra laude, in nostram cedet omne vtilitatem: laudatur ipse, vt eius imitatione nos reddamur laudabiles. Latus hic mihi sese campus offert, in huius Apostoli laudes excurrendi; nisi quod argumenti vbertas breuitatis scribentem admonet. B. Ennodij sententia hîc optimè cadit; qui lib. 8. epist. 38. ait, *sufficit dignis stricta laudatio*. Ne igitur in limine nimis cstluam fatigérque ipse, atque delasser, fatigémque atque delassem laudum recensione lectorem meum, multa consultò supprimam, paucula tantùm indicabo, potius quàm dicam; ne videar voluisse laudibus Apostoli merita exæquare; sed iam calamus eò flectat, quò illum Paulo addicta mens vocat.

Dignis stricta laudatio sufficit.
B. Ennod.

B. Pauli encomia ex SS. PP.
Theodor.

In Apostolo efferendo sancti Patres maximè laborarunt; Theodoretus in 1. ad Tim. 1. *Bonitatis diuinæ* SPECVLVM eum indigetat. *Mundi* LILIVM, *& Ecclesiæ pulcherrima* ROSA. Dicitur Paulus ab Adriano Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, *Cicada & Ecclesiæ* ORGANVM, à Beato Chrysostomo hom. de virtute, *Cœli ciuis, Ecclesiarum* COLVMNA, *Angelus terrestris, cœlestis homo*. Idem appellatur hom. 1. in eius laudibus. *Clarissima, & iucundissima Ecclesiæ* LVCERNA vocatur à S. Ephræmo Syro in suo Testamēto. *Iurisperitus cœlestis*, à B. Ruperto lib. 2. in Gen. c. 20. Multis eūdē titulis, iisque honorificis donat S. Augustinus serm. 1. de Apost. Petro, & Paulo; ait quippe inter alia: *Paulus dum vrget gladiis Sanctos, fidei suscipit iugum, & Magister factus est gentium* FORMA MARTYRVM, FORMIDO DAEMONVM, *indultor criminum*, fónsque VIRTVTVM; irrigat hic fons Ecclesiam vniuersam melius, quàm fons, qui Paradisum irrigabat. *Verùm Athletam Christi* vocat eundem, idem sanctus Pater lib. 14. de Ciu. cap. 9. *Sensuum, ac mysteriorum Christi promum condum* eum nominat sanctus Isidorus Pelusiota; nam lib. 2. epist. 124. ita de illo scribit: *Quandoquidem Paulus, Vas, inquam, illud electionis, ille Christi sensuum promus condus, qui terra, ac mare composuit*; & lib. 3. epist. 335. clamat, *Hoc Vas illud electionis, ille diuinorum mysteriorum velut* PROMVS CONDVS, ille prædicationis Antistes. Sanctus Bernardus sermone citato, *Ecclesiæ oculum* Paulum appellat, sicut, & Petrum: *Isti sunt*, inquit, *præclari Martyres, Martyrum Duces duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorum*. Sanctus Chrysostomus, *cor Christi*, cor Pauli dicit, *Spiritus sancti tabulam volumen charitatis*; quod deducit ex illis Apostoli verbis: *viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus*, ad Galat. 2. v. 20. sic igitur expendens hæc verba ait B. Chrysostomus hom. 32. in epist. ad Romanos: *Viuo enim*, inquit, *iam non ego, viuit verò in me Christus. Cor itaque Christi erat, cor Pauli, tabulaque Spiritus sancti, atque charitatis volumen*; Hom. 22. ad Populum, *receptaculum Spiritus sancti*, eidem dicitur, *Orator pietatis, credentium pronubus, nostri omnium sagena*.

Adri. Pap. — Chrysost. — S. Ephrem. — S. Augustin. — S. Isid. Pelus. — Gal. 2. 20.

6. Pudicitiæ præco, dictus Paulus est; sic enim eum vocat Petrus Blesensis epist. 55. *Ex quo Præco pudicitiæ Paulus consilium de Virginitate dedit, impleuerunt nuptiæ terram, & pudicitia paradisum.*

Pet. Blesens.

Integro iustorum choro vnum Paulum opponit sanctus Chrysost. homil. 8. de Pauli laudibus; sic enim ille scribit: *Cui te, ô Beate Paule, iustorum Veteris Testamenti, vel Noui audeā comparare? Omnium quippe virtutum quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo condidisti. Denique etiamsi totum contra te aliquis sigillatim, iustorum appendat* CHORVM, *inueniet* TRVTINAM *virtutum ponderibus à tua parte depressam.* Vides quanti apud hunc Patrem ponderis vnus Paulus sit.

Integro iustorū choro collatus Paulus.
S. Chrysost.

Ex vno Paulo omnium virtutum flores colligendos subdit idem Sanctus his verbis: *Opulentissimum*, inquit, *hunc thesaurum in nostris auidè pectoribus recondamus. Hauriamus certatim virtutes, ex abundante isto bonæ voluntatis fonte manantes, & cupiditate maxima feracissimæ huius arboris poma rapiamus, variisque floribus, ac fructibus plenum Apostolicarum virtutum pratum metentes; sumamus è Paulo fulgentem rosam castitatis, eligamus fidei florem marcescere, decerpamus ex eo vberrimos patientiæ fructus, & virtutem omnium colligamus.*

Ex vno Paulo omniū virtutum flores.
S. Chrysost.

7. Ab hominibus ad Angelos transitum facit B. Chrysostomus, audétque illis Paulum comparare, vt in vnum Paulum confluxerint, quæcunque in hominibus, & Angelis laude digna repetiuntur. Dabo hîc sancti Patris verba, sic enim ille scribit hom. 1. in eius laudibus: *Quæ autem lingua inuenietur laudibus eius æqualis, cùm omnia, quæ sunt in hominibus, bona, vna anima possideat, & ea cuncta plenè, atque cumulatè, quæ non solùm hominum sunt, sed, quod amplius est, Angelorum?* Poterant paucis plura de Paulo dici? hom. 8. *alterum Michaelem vocat*, hæc eius verba: *Paulus alter* MICHAEL, *qui Christianorum Dux sortitus est*; nostrùm est, ducem hunc nostrum sequi, ac quantum nobis licet, imitari. Laudemus Paulum, vt Pauli imitatione laude fiamus digni; oremus Deum vt Apostoli huius virtute sanitati, quam peccando amittimus, resurgendo restituamur.

Paulus alter Michael.
S. Chrysost.

Legimus mulierem sanguinis fluxu laborantem Christi fimbriam tetigisse, ac sanitati restitutam, Matth. 9. quem nam hæc fimbria, quæ vestis ima pars est, significabat? an Apostolum Paulum, qui se omnium postremum, vltimúmque dixit, & si spectèmus tempus quò in Apostolorum censum positus est, etiam fuit; per istam ergo fimbriam virtutis suæ virtutem in nos Deus transfundit, animas sanitati restituit; succurrit sanctus Augustinus in Psalm. 44. *Audi Paulum illam* MINIMAM FIMBRIAM *de vestimento, quod tetigit mulier in fluxu sanguinis & sanata est. Audi illum dicentem, Christi bonus odor sumus*; & serm. 29. ex 40. qui nouissimè prodierunt: *Audi ergo Paulum; Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum; prorsus ego sum minimus Apostolorū; & alio loco: Ego sum nouissimus Apostolorum; & minimus, & nouissimus*, TANQVAM FIMBRIA *de vestimento Domini; quid tam exiguum, quid tam nouissimum, quàm fimbria; hæc tamen tacta mulier à fluxu sanguinis liberata est.* Nos quoque piæ illius mulieris exempla spiritalem hanc Domini fimbriam spiritaliter, & indipiscendæ salutis desiderio tacti tangamus, vt per ipsam ad nos Dei virtus, ac misericordia transfundatur.

Paulus Christi fimbria quæ tacta sanitatem affert.
S. Augustin.

EXCVRSVS II.

Pauli conuersio conuersionis exemplum omnibus est.

Lapsos Paulus erigit *dum erigitur.*
Mira Sauli in Paulum mutatio *vnde.*
Conuersus Paulus conuersionis exemplum *factus est.*
Paulus conuersionis magister.
Pauli conuersio *spem veniæ consequendæ inhalat.*
Pauli conuersio malorum medicina.
Erectus Paulus eos erigit, *qui ceciderant.*
Qui cum Paulo cecidit, *cum Saulo* resurgat.
Fiduciæ Spiritum *Pauli conuersio omnibus ingenerat.*
Pauli obedientia *imitanda.*

8\. *Lapsos Paulus erigit dū erigitur.* S.Maxim.

LApsos Paulus erigit, dum erigitur, peccatores recreat, dum redit ad Deum, in quem falsa religione ductus sęuierat; de hac Saulis in Paulum mutatione ita loquitur sanctus Maximus homil. 1. in natali Petri, & Pauli: *Quid*, inquit, *de gloriosissimo referam* PAVLO, *in quo Dominus fidem nominis sui, dum ipsam fidem persequeretur, eligit? qui dum velut acerrimus persecutor, Christianam vastat Ecclesiam, inimico adhuc eius in pectore amicum sibi cor Christus inuenit: dumque temporalia capit ad supplicia Christianos, ipse perpetuam captus ad gratiam, factus est subitò pastor ex lupo, ex prædone custos, ex hoste defensor. Vnde patuit, nec Paulum maligna mentis proposito plebem Dominicam persequutum, nec Christum latuisse quem elegerat in Paulo.* O vtinam & in nobis inueniat, quod eligat in nobis; qui sequutus in malo Saulum est, sequatur & Paulum in bono.

Mira Sauli in Paulum mutatio. S. Ambr.

Sauli in Paulum mutationem ita versat sanctus Ambrosius serm. 32. PAVLVS APOSTOLVS *priusquam præceptis spiritualibus lauaretur, erat blasphemus, persequutor, & Saulus: at vbi pluuia lauacri cœlestis super eum influxit, necatur blasphemus, necatur persequutor, necatur &* SAVLVS; *viuificatur Apostolus, viuificatur iustus, viuificatur &* PAVLVS. *Vsque adeò autem mortificauit veterem cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomen.*

9\. *Conuersus Paulus conuersionis exēplum factus est.* S. Greg.

Conuersus est Paulus, vt qui peccauit haberet quem imitaretur, conuersio eius conuersionis exemplum est; digna sunt, quæ hîc sistantur sancti Gregorij verba, qui lib. 4. expositionis lib. 1. Regum cap. vlt. ita scribit: *Audiat ergo vnusquisque peccator* BEATI PAVLI CONVERSIONEM, *& non desperet de criminum multitudine. Saulus enim spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, vbique electos affligebat, lapidantium protomartyrem Stephanum vestimenta seruabat, & velut omnium manibus lapidabat, qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat. sed qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conuersus, caput effectus est nationum: quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum. Dum ergo tam magnum peccatorem conuersum, tam sublimi dignitate à Domino honoratum conspicimus, peccatorum nostrorum inuenire nos posse remissionem præsumamus.* PROVERBIVM ERGO NOSTRVM, *id est, quòd ad euangelizandum persequutor assumitur, quod hoc mysterium continet: quia conuersus peccator, non solùm sperare à Domino veniam, sed quòd viriliter certando pertingere valeat ad coronam.* Spectet Paulum, qui peccauit, & eius vestigia premat, nam conuersionis magister, & exemplar effectus est; scitè sanctus Bernardus serm. 1. in conuersione sancti Pauli, vbi ait: *Conuersus Paulus* CONVERSIONIS MINISTER *factus est vniuerso mundo, & multos quidem olim in carne adhuc, sed non iam secundum carnem ambulans prædicationis officio conuertit ad Deum, nunc quoque in ipso felicius viuens, & apud ipsum ne adhuc quidem cessans, ab hominum conuersione, dico autem exemplo, oratione, doctrina.* Exemplo peccatores omnes ad pœnitentiam vocat, oratione iuuat, instruit doctrina. Pergit sanctus Pater. *Propterea denique conuersionis eius memoria frequentatur, quid & ipsa quoque memorantibus vtilis inueniatur; in hac enim memoria & peccator spem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiam, & qui iam pœnitet,* PERFECTÆ CONVERSIONIS ACCIPIT FORMAM; vt ab vno Paulo discere pœnitens possit quicquid pœnitentiæ perfectæ necessarium est. Addit mellifluus Doctor; *Quis desperet vltrà pro magnitudine cuiuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subitò factum Vas electionis? quis dicat iniquitatis pondere pressus, assurgere iam ad meliora studia non valet, quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum dirum toto pectore virus efflabat persequutor crudelissimus in fidelissimum repentè mutatus est prædicatorem?* Saulus spem perditis quibusque conuersio ista Pauli ingenerat, tantum qui Pauli exemplum peccans sequutus est, sequatur & resipiscentis resipiscens.

Paulus conuersionis magister.

Hæc Pauli conuersio spem veniæ consequendæ inhalare omnibus debet, & indipiscendæ sanitatis fiduciam vel desperatis ingenerare; scitè sanctus Augustinus serm. 9. de verbis Apostoli: *Si Saulus*, inquit, *sanatus est, ego quare despero? si à tanto* MEDICO *tam* DESPERATVS *æger sanatus est, ego vulneribus meis illas manus non optabo? ad illas manus non festinabo? Vt hoc dicerent homines, ideò factus est Saulus de persequutore Apostolus: quia cùm venit medicus, volens sibi famam comparare, infirmum quærit aliquem desperatum, & ipsum sanat: & si pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Ita & Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saulo, vt omnes deinceps nossent eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se.* 10.

Pauli conuersio spem veniæ consequendæ inhalat. S. Aug.

In vno Saulo, quem in Paulum conuertit, & ad sanctissimæ vitæ culmen ab iniquissima Deus euexit præsens remedium & præsentibus, & futuris malis tamquam optimus medicus constituit; quod scitè expendebat Theodoretus in 1. ad Tim. 1. *Quemadmodum*, inquit, MEDICVS *cùm in vna domo multi simul ægrotant, & omnes de salute desperant, si vnum pessimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectissimam sanitatem adduxerit, facit vt alij omnes bono sint animo, & fiduciam concipiant: ita Dominus Christus animarum medicus, cùm factus esset homo pro salute peccatorum, Saulum Ecclesiæ persequutorem iniquissimum, non solùm à prioribus liberauit maculis; sed maximis etiam donis cumulauit, & exornauit.*

Pauli conuersio malorum medicina. Theod.

Conuersus est Paulus, emendauit quod fecit, vt esset qui non fuerat; erectus est vt eos erigeret, qui cum ipso ceciderant; scitè sanctus Augustinus in Psalm. 100. *Quia terruit malos Apostolus in hoc testimonio quod commemoraui, audi vbi spem dat bonis de iudicio, seipsum ponit, & ducit, & ostendit, & ipse in se tempus misericordiæ, quia nisi & ipse conueniret tempus misericordiæ,* 11.

Erectus Paulus eos erigit, qui ceciderant. S. Aug.

qua

qualem illum inueniret in iudicio? Blasphemum, persequutorem, iniuriosum. sic enim dicit, & commendat tempus misericordiæ, in quo modò sumus. Qui priùs fui, inquit, *blasphemus, & persequutor, & iniuriosus, sed misericordiam consequutus sum: sed fortè ipse solus consequutus est misericordiam? Audi quomodo nos erigat; Vt in me,* inquit, *ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Quid est, vt in me ostenderet omnem longanimitatem? Vt vnusquisque peccator, & sceleratus videret, quia Paulus accepit veniam, & non de se desperaret. Ecce ostendit se, erexit & alios.*

Qui cū Saulo cecidit, cum Saulo resurgat.
S. Fulg.

Pauli exemplo resurgere debet qui cecidit; scitè sanctus Fulgétius serm. de sancto Stephano: *Quisquis malus est, cum Paulo prosternatur in malo, vt cum eo erigatur in bono: quoniam & ille cecidit malus, & surrexit bonus. Prostratus est iniquus, & erectus iustus: cecidit sæuissimus persequutor, & surrexit veridicus Prædicator. Cadens lumen corporis impius perdidit, surgens autem, lumen cordis iustificatus accepit. Coniunctus est itaque Stephano, factus ouis ex lupo.*

12.
Fiducia Spiritum Pauli conuersio omnibus ingenerat.
S. Bern.

Fiduciæ spiritum hæc Sauli conuersio in Paulum iis omnibus ingenerat, qui Saulum moribus referunt; vocatur Saulus, & fit Paulus. nemo desperet, sequatur conuersum ad Deum Paulum, qui Saulum sequutus est à Deo auersum. Audiendus hîc sanctus Bernardus serm. 1. de conuers. sancti Pauli. *Quis desperet,* inquit, *vltrà pro magnitudine cuiuslibet criminis? Quandoquidem Saulum audit adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini subitò factum vas electionis. Quis dicat iniquitatis pondere pressus, assurgere iam ad studia meliora non valeo? Quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat, persequutor crudelissimus, in fidelissimum repentè mutatus est Prædicatorem. Magnificè in hac* VNA CONVERSIONE *& misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. O verè inæstimabilis diuinæ dignatio pietatis.*

13.
Pauli obedientia imitanda.

Paolum imitemur, si Pauli cultores audire volumus, & amatores dicamus cum ipso, *Domine quid me vis facere?* Verè multum facit, qui facit istuc; multum facit qui nihil facere vult, nisi quod Deus velit. Cæcus in Euangelio audiuit à Domino, *Quid vis vt faciam tibi?* Luc. 18. Verè cæcus dum respoodit Domino, *Domine vt videam*; vidisset meliùs, si dixisset, Domine in me fiat quod tu vis, ego faciam, quod tu me facere iubes. Cæcus fuit, quia non intremuit, audiens Domini voluntatem suæ committi, non suam Domino. Aodiendus hîc

S. Bern.

sanctus Bernardus, qui serm. 1. de conuersione sancti Pauli ita rem ad nostram mentem, quin ad nostrum profectum expendebat. *Hæc,* inquit, *fratres perfectæ conuersationis est forma: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Domine quid me vis facere? O verbum breue! sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quàm pauci in hac perfecta inueniuntur obedientiæ forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere? & illud Samuelis: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quam noui Apostoli* IMITATORES. *Quid vis, ait Dominus ad cæcum, vt faciam tibi? Quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio? Siccine Dominus quærit, vt serui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, qui non considerauit, non expauit, non exclamauit. Absit hoc, Domine: tu magis dic, Quid me facere velis: sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri, & fieri voluntatem.* Nihil poterat in obediétiæ, quæ Pauli mentem occupauit, commendationem elegantius dici, tantùm nos Deo obsequentes Paulus habeat Deo obsecutus.

EXCVRSVS III.

Ex conuerso Saulo in Paulum discimus nullius desperandam esse salutem.

Nullius desperanda *est salus, salubria cuique monita admonenda.*

Nemo de se debere desperare agricolarum exemplo *probatur.*

Transitus *à malitia ad virtutē vt calceatus.*

Sanctos non suscipit *pœnitentia, sed* facit.

In agro Dominico mali qui zizania *sunt in* triticum *conuerti possunt.*

Lapsis manum *Deus vt porrigat.*

Qui ad nihilum *peccando redactus erat, ad Deum conuertatur, vt sit aliquid.*

Dei sponsa peccatoribus *exornatur, dum esse desinunt.*

Qui peccauit, *ad Deum reuertatur.*

NVllios licèt perditissimi desperanda est salus, obrutus multis, & magnis sceleribus aliquis sit, peccata peccatis inędificauerit, ne desperet, mutari adhuc potest, & in virum alterum supera gratia adiutus transire. Fallitur qui vbi quis peccauerit, exscindendum statim censent, tanquam surgere ampliùs non possit, & ad priorem gratiæ vitorem redire; qui capit, fundet pro eo ad Deum preces, arguet, increpabit, salutaria adiicet monita; hoc sibi volebat sanctus Gregorios Nyssenus hom. in eos, qui alios acerbiùs iudicant, ait enim: *Noli esse tam facilis ad amputandum, & exscindendum, tu, qui Dominum, ne id faciat, debes obsecrare, neque tam celeriter* DESPERANDVM *existima. Diligentiam adhibito: reprehensionibus circumfodito: cohortationibus foueto, tanquam simo: documentorum, quasi aquarum copia irrigato: præceptis vt vallo communito.* 14.

Nullius desperanda est salus, salubria cuique monita admonenda.
S. Greg Nyss.

Nemo de se desperet, & licèt ceciderit, ab spe resurgendi. non tamen excidat; sanctus Basilius, qoi *fax Ecclesiæ Catholicæ, & sol insignus veritatis,* dicitur à Simone Metaphraste in circunc. Dom. rem istam nobis agricolarum exemplo confirmat; non patior hîc eius verba desiderari; sic autem ille rem versat hom. 5. in Exaëmeron. *Quædam naturalia vitia* AGRICOLARVM DILIGENTIA *curata esse nouimus, velut, malos punicas acidas, & amygdalas amariores: quæ cùm perforato ad radicem trunco, cuneum piceum pinguem per mediam medullam adactum susceperint, tunc succi malignitatem in vtilitatem transmutant. Nemo igitur in vitiis degens de* SEIPSO DESPARAT, *gnarus quòd agricultura quidem plantarum qualitates transmutat.* Transmutabit & spiritualis plantarum spiritualium. Proponitur nobis in exemplum Paulus, in cuius cordis medullam pro cunco piceo adactus Dei timor est, Dei amor, Dei gratia est, vt statim omni peccati amaritie reiecta, innocentiæ, & sanctitatis dulcedine sit perfusus.

Nemo de se debere desperare agricolarum exemplo probatur.
S. Basil.

Mutationem in melius florum, ac liliorum nomine recte Dauid commendauit Psal. 44. is titulus præfigitur: *Pro his qui commutabuntur*; Symmachus habet, *ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν pro floribus*, Aquila, *ἐπὶ τοῖς κρίνοις pro liliis*; harum lectionum nexu illa muta- 15.

Transitus à malitia ad virtutem vt calceatus.
Psal. 44.

 tio,

tio, conuersióque probatur, quæ liliorum candorem exprimit, niueámque innocentiam. Præclarè

Varia lect. S.Greg Nys.

sanctus Gregorius Nyssenus tract.2. cap.4. in Psalmos, vbi ad nostram mentem ita philosophatur: *Magis porrò innotescat nobis disciplina de* MVTATIONE, *si audiamus alios interpretes, quorum ille quidem pro floribus, alius pro liliis vertit, loco eius quod est, Pro his, qui commutabuntur. tunc enim flos prodit, cùm hyems in ver mutatur, quod significat transitionem à malitia ad vitam ex virtute actam. At lily affectus monet, ad quid oporteat mutationem fieri: eum enim, qui mutatione splendidus effectus est, liquet ex atro, & tenebricoso ad niueam formam transmutatum esse.* Candidus vt lilium erit, qui atris depositis moribus pœnitentiam iniens Pauli exemplum sequutus ad vitæ sanctitatem aspirabit.

Sanctos non suscipit pœnitentia, sed facit. Isai.35.

Euangelicus Propheta Isaias ad pœnitentiam nos inuitans aiebat cap.35. *Hæc via sancta vocabitur, quia non transibit pollutus per eam*; sistit hic criminibus obrutus, & arceri se putabit, quia criminum sordibus maculatur; animum si sapiat, non despondeat, sancta est pœnitentiæ via, Sanctósque non suscipit, sed facit, non transit per eã pollutus, licèt pollutus sit, qui eam init, sordes ab illo transeunt, quia ille per illam transit, disparent maculæ, delentur crimina vbi peccator per pœnitẽtię viam ierit. Rem eleganter explicat Guarricus Abbas ser. 5. de aduentu Domini, cuius verba licèt pluscula nefas duxi supprimere; sic autem ille loquitur: *Et hac via sancta vocabitur, quia nimium sanctificatio est peccatorum perditorúmque salus. Quanta verò virtute ac reuerentia sanctitatis præmineat, inde probat Propheta, quia non transibit*, inquit, *pollutus per eam. O mi Esaia! ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Imò potiùs omnes huc veniant, hac incedant: immundis enim præcipuè Christus hanc viam statuit, qui venit quærere, & saluum facere quod perierat in viis sæculi. Quid igitur? transibit pollutus per viam sanctam? Absit. Venias quantumlibet pollutus per eam: non tamen transibit pollutus per eam,* QVIA CVM TRANSIERIT, IAM POLLVTVS NON ERIT. *Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim* ABLVIT *admissum, quia diluit omne commissum tanquam verè Baptismus alter pœnitentium.* Pollutus Paulus erat, multorúmque criminum colluuie sordescebat, per hanc viam incedit, & purus euasit, euasit mundus.

Guarricus.

16. De nullius salute dum viuit penitus desperandum est; hinc paterfamilias noluit à seruis zizania colligi, quia nondum messis tempus aduenerat; Vis, inquiunt, *imus, & colligimus ea? & ait, non*, Matth.13. 29. quia scilicet zizania in frumentum commutari in agro Dominico possunt; præclarè sanctus Augustinus lib. quæst. in Matth. q.12. *Serui dicunt, Vis imus, & colligimus ea? quibus veritas ipsa respondet, Non; ita hominem constitutum esse in hac vita, vt certus esse possit qualisquisque futurus sit postea, cuius in præsentia cernit errorem: vel quid etiam error eius conferat ad prouentum bonorum: non esse tales auferendos de hac vita, ne cùm malos conatur interficere,* BONOS INTERFICIAT, QVOD FORTE FVTVRI SVNT: *aut bonis obsit, quibus & inuiti fortè vtiles sunt: sed tunc opportunè fieri, cùm iam in fine non restat vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occasione, atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus, sed ab Angelis fieri. Inde est quod respondet paterfamilias, Non, ne fortè colligentes zizania eradicetis simul & triticum: sed in tempore messis dicam messoribus*, &c. *Atque hoc modo eos patientissimos, ac tranquillissimos reddidit. Quæri autem potest, quod ait, Alligate fasciculos ad comburendum: cur non vnum fascem, aut non vnum aceruum zizaniorum fieri dixit? nisi fortè propter varietatem hæreticorum, & non solùm à tritico, verùm etiam à se ipsis discrepantium, ipsa vniuscuiusque hæreseos propria conuenticula, in quibus singulatim sua communione diui sunt, nomine fasciculorũ designauit; vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à Catholica communione segregati suas proprias quasi Ecclesias habere cœperint: vt combustio earum sit in fine sæculi, modò alligatio fasciculorũ; sed si ita esset, non iam multi resipiscendo, & in Catholicam remanendo ab errore descīscerent. Quapropter & alligatio fasciculorum in fine futura est, vt non confusè, sed pro modo peruersitatis suæ vniuscuiusque erroris pertinacia puniatur.* Alia ratio aliorum agrorum est, zizania in illis triticum non cõuertuntur, non lolium in frumentum fit istuc in agro Dominico; ac proinde licèt malus aliquis hodie sit, cras mutari in virum alium potest, & insigni sanctitate paulo pòst insigniri.

In agro Dominico mali qui zizania sunt in triticum conuerti possunt. Matth. 13. 29. S. Aug.

Conuerti nos ad Deum Deus amat, lapsis manum porrigit, vt erigantur. huc flecti & illa Iacobi visio potest, qua scalam vidit cœlum acumine pertingentem, ascendentes Angelos, ac descendentes, & Dominum innixum scalæ, Gen.28. flexit prior sanctus Hieronymus, cuius hæc sunt verba epist. 10. *Per scalam Angeli ascendunt, & descendunt, cui Dominus innititur lapsis porrigens manum, & fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans.* 17.

Lapsis manum Deus vt porrigit. S. Hier.

Qui peccando in nihilum redactus erat, ad Deum conuertatur vt sit aliquid; præclarè sanctus Augustinus in Psal.70. *Vt sit*, inquit, *homo aliquid*, CONVERTAT *se ad illum, à quo creatus est: recedendo enim frigescit, accedendo feruescit, à quo enim habet vt sit apud illum, habet vt bene sit; ergo qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat.*

Qui ad nihilum peccãdo redactus erat, ad Deũ conuertatur, vt sit aliquid. S. August.

Sit sceleribus inquinata alicuius vita, obsitus omnium criminum generibus aliquis sit, spes salutis illius ponenda non est, quia ipse ponere malos mores potest, in Ecclesiæ Matris decus, & ornamentum, & non è sponsâ, è cubilibus Leonum, de montibus pardorum coronanda vocatur? Audi inclamantem sponsum: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum*, Cant.4. 8. Quid Leonum cubilia ad coronam, quid ad diademata pardorum montes, quid feris ad ornatum sponsæ? multum, quia vitæ mutatione illi quos horrebat sponsa, sponsæ postea placent, quia illis ornatur, redimitur; flectendus hîc Gilleb. Abbas, qui serm.29. in Cant. hæc habet, expendens hæc verba: *Cùm in subiectis mutatur morum barbaries, cùm de cubilibus, & impudicitiis, ad florida, & honesta transferuntur cubilia, & in hortos aromatum ad cubilia in quibus compunctio est cordis, non pugna cogitationum, sed cùm aufertur maculosæ varietatis velamen, & nuda succedit simplicitas, moribus ministerio suo in* MELIVS COMMVTATIS, *coronari sponsa satis aptè accipitur, benè quidem de talibus coronatur, cùm iam* VERTVNTVR IN ORNATVM, *quorum antea mores horrebat.*

Dei sponsa peccatoribus exornatur dum esse desinunt. Cant. 4. 8. Gilleb.

Peccauerat filius prodigus adolescens à patre abiens, & omnium libidinum generibus se immergens; vbi de reuersione cogitauit, patris sui pietatem expertus est; dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum*, Luc. 15. 18. nec dixit tantùm, sed re ipsa reuersus est; cùm à prauâ vitâ abeundum est, verbis opera adiicienda; videtur nolle ad Deum reuerti, qui diu differt. Paulus vocatus à Christo non distulit, respondit statim, totúmque se diuinæ 18.

Qui peccauit, ad Deum reuertatur. Luc.15.18.

volunta

voluntati committit; sed audiamus, quî adolescentis prodigi reuersionem in nostri salutem verset sanctus Chrysost. hom. 10. in epist. ad Romanos. *Posteaquam dixit, Reuertar ad patrem meum: verbum hoc, illi* BONA OMNIA ATTVLIT, *seu potiùs non verbum simpliciter, sed opus verba additum. Vbi primùm enim dixit, Reuertar, reuersus quidem est, & totum illud iter rediens confecit. Sic & ipsi nos faciamus.* Præiuit in exemplum Paulus: statim Christi vocibus obtemperauit, nec dixit tantùm, *Domine, quid me vis facere?* sed etiam fecit; morámque omnem amoliens, quod Iesus imperauit exequutus est.

S. Chrys.

EXCVRSVS IV.

Pauli Apostolatus quàm sublimis.

Annorum iacturam *labore, meritísque Paulus suppleuit.*

Iustitiæ pennis alatus *Paulus in cœlum euolat.*

Etiam in cælo Pauli Apostolatus consecratus.

Apostolatûs amplitudine *cæteros Apostolos Paulus superauit.*

In cœlum pascendus *rapiebatur Paulus, vt alios pasceret.*

In cœlum raptus, & iam in gehennam *decidisset Paulus alienæ salutis causâ.*

Apostoli munus, quotidie pro aliis mori.

Pauli patrocinium suis *quàm salutare.*

19. *Annorum iacturam labore, meritísque Paulus suppleuit.*

SAulus inter Apostolos est, in Apostolorum numero recensitus, & licèt post alios hoc fuerit insignitus honore, non post alios tamen fuit, meritis tamen præiuit, qui tempore præiuerant, laboris instantia annorum suppleuit iacturam; in Dei militiâ non annorum tantùm habetur ratio, habetur operum, & feruoris in operando. Accersenda hîc sunt sancti Hieronymi verba, qui epist. 13. (quæ est ad Paulinum) hæc habet ad hanc mentem: *Noli fidem pensare* TEMPORIBVS: *ne me idcirco meliorem putes quòd* PRIOR *in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus, & Vas electionis, de persecutore mutatus, nouissimus in* ORDINE, *primus in* MERITIS *est; quia extremus, licèt plus omnibus laborauit.* Serò quis ad Dei se obsequium transtulerit, elapsos, & amissos annos redimat labore, sedulitate.

S. Hier.

Iustitiæ pennis elatus Paulus, in cœlum euolat.

Aliunde quoque insignem laudem Pauli Apostolatus nâciscitur, quòd scilicet in cœlum raptus in cœlo quodammodo sit in Apostolum consecratus; euolauit in cœlum Paulus, illuc iustitia sanctitásque eum euexit. *Audisti Paulum,* inquit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 17. *iustitia pennis elatum tertium in cœlum euolasse*; tutò euolat, qui vtitur hisce pennis; in cœlum rapitur, vt non in terris tantùm, sed etiam in cœlis actam eius consecrationem disceremus; docuit istuc sanctus Maximus hom. 1. in natali BB. Petri, & Pauli, vbi hæc in Pauli laudem habet: *Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutum vltra humana merita tertium raptus ad cœlum, cœlestia secretò cognouit, vt Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prædicaret: aut quis ei impunè vltra non credat, qui de Sacramentis Dominicis, non solùm audita loquitur, sed & visa testatur? Quanta hoc fratres Dei nostri actum est gratia, vt qui de cœlestibus in Apostolatum vocatus est, Apostolatus eius* CONSECRARETVR IN COELO.

S. Basil.

Etiam in cœlo Pauli Apostolatus consecratur.

Idem.

20. *In cœlum pascendus rapiebatur Paulus, vt alios pasceret.*

Hunc Pauli in cœlum raptum egregiè expendebat Guarricus Abbas serm. 2. in natiuit. S. Io. Baptistæ ad illa verba: *Nunc viuimus, si vos statis in Domino*, 1. Thess. 3. 8. Sic igitur, pius, & doctus Abbas loco producto scribit: *Nũc viuimus, (inquit,) si vos statis in Domino; quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona, nónne vos ante Deum? Ideo sæpius ei aspirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura Spiritus sancti, cuius vi rapiebatur ad interna pascua: aliquando Paradisi, aliquando tertij cœli, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, (inquit,) Deus scit. Dignum, quippe erat, vt* QVI FIDELITER PASCEBAT, FIDELITER PASCERETVR, *vt qui foris gaudebat in bonis Dominicæ familiæ, in gaudium Domini sui iuberetur intrare, atque repleretur in bonis domûs Dei, non solùm istius visibilis, pro qua sudabat, sed etiam illius inuisibilis, ad quem spirabat.*

Guarricus Abb.

Apostolatûs amplitudine cæteros Apostolos Paulus superauit.

Etiam Apostolatûs amplitudine cæteros videtur Apostolos Paulus superare; hinc enim est, quòd nulla Paulo cathedra assignatur, prouincia nulla, nullum regnum, regio terræ nulla; vt nimirum omnibus eum præsidere sciremus, in omnes habere ius ad instar Christi; succinit sanctus Petrus Damianus opusc. 31. cap. vltimo, in hæc verba: *Vnum in B. Paulo videtur egregium, quia cùm omnes Apostoli distributis terrarum regionibus proprias obtineant cathedras, ipse dum nullam specialiter teneat, videtur aliquatenus communiter omnibus præcedere*; & (nonnullis interiectis) addit, *Hæc est igitur causa cur Paulus nullam specialiter cathedram teneat, quia si audemus summis minora conferre, ad* INSTAR CHRISTI, *saluo cæterorum Apostolorum iure, videtur* OMNIBVS ECCLESIIS *præsidere.*

S. Petr. Dam.

21. *In cœlum raptus etiam in gehennam decidisset Paulus alienæ salutis causâ.*

Verè magnus Pauli Apostolatus; sed maior amor erat, qui eius viscera corripiebat, magna charitas, qua in omnes homines, ad quos Apostolus missus, afficiebatur, hinc licèt ad cœlum raptus, in gehennam tamen lubens decidisset, si id hominum saluti necessarium; id quod his verbis expendebat sanctus Chrysostomus hom. 15. in epist. ad Romanos, vbi de Paulo scribens, ait: *Ille quidem ob Christi amorem, vel in gehennam decidere libens admitteret: paratúsque è vel à Cœlorum regno excidere, si vtrumque hoc proponatur; nos autem, ne præsentes quidem vitam despicimus. Dignine igitur sumus vel illius calceamentis, qui eo vsque distamus ab illius animi præstantiâ.*

S. Chrysost.

Apostoli munus quotidie pro aliis mori.

Apostoli munus verè exercuit, quia semper pro illis paratus erat vitam effundere, quorum erat Apostolus constitutus; parum illi fuit semel re ipsa mori; voto millies quotidie moriebatur, adeò, vt illius vita fuerit continua mortis expectatio; certè illa illius verba 1. Cor. 15. *Quotidie morior,* ad hanc mentem exponebat S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 399. dum ait: *Hoc omnino dixit Apostolus, quod ad id paratus esset; nam, qui ad aliquid paratus est, etsi re ipsa id non sufferat, expectatione tamen,* ANIMIQVE PROMPTITVDINE *id suffert:* verè viuebat Paulus, quia & ob Christi gloriam, & ob hominum salutem quotidie moriebatur, paratus quotidie mori.

1. Cor. 15.

S. Isid. Pelus.

22. *Pauli patrocinium suis quàm salutare.*

Nos felices sub tanti Apostoli ducatu, vmbrâ, patrocinio, non facilè nos reiiciet Christus, sed suauiter, blandéque excipiet si cum Paulo, Paulíque patrocinio Christum adeamus; ostensum istuc olim in vmbrâ Gen. 42. Filij Iacob famе coacti in Ægyptum se contulerunt, relicto apud Patrem Beniamino; quid tum? Vbi Iosephum adorassent,

Gen. 42.

rassent, cósque esse fratres suos agnouisset, *quasi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos, Vnde venistis?* nec res hîc sistit, exploratores eos vocat, vnum eorum vinculis perstringit. Quid hîc illi? ad Patrem redeunt, rursúmque Iosepho se sistunt, sed secum adducto Beniamino, tunc leniter, clementérque eos alloquitur, eos tractat Ioseph Gen.43. Vnde istuc? an à Beniamini præsentiâ & aspectu? Quòd si in Beniamino Pauli vmbram, figurámque notemus, facilè colligitur, quid apud cœli, terræque Regem, Principémque Pauli patrocinium possit. Religio esset hîc sancti Ambrosij verba desiderari, qui ad hanc mentem ita scribit lib. de Iosepho cap.9. *Vidit autem illos Ioseph, & Beniamin fratrem suum ex eadem matre. Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando* CVM PAVLI VENIVNT TYPO, *& loquitur illis mitia, atque mansueta, vt pariter cibum sumant. Suprà autem, quia sine Beniamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab his se auertebat, vt scriptum est: & loquebatur his dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo agnoscebantur.* PAVLI *igitur* MERITO PROFECERVNT, *quem Dominus Iesus tanquam iuniorem fratrem, ex eadem matre generatum ampliùs cæteris fratribus diligebat.* Ignoscet nobis Christus, si pro nobis intercedat Paulus; quid enim ab ipso sperare non possumus, si sola illius vmbra tantum valuit? Proficiet quisque si Paulo se comitem præbeat, comitem Paulum habeat, imitetur Paulum. — S. Ambr.

EXCVRSVS V.

Pauli doctrina commendatur; prædicatur Pauli prædicatio.

E cœlo *Pauli doctrina*, *Pauli prædicatio.*
Pauli oculus *diuinus.*
In cœlo Paulus eruditus.
Dei sapientia sinu suo Paulum excepit.
Scientiæ clauem *à Christo Paulus accepit.*
Paulus Ecclesiæ magister.
Christus per Paulum *alios erudit.*
Spiritus sanctus *Paulo vsus est* vt fistulâ, *eius linguâ* vt organo.
Indeficiens fons *in Pauli ore.*
Sol *Pauli lingua*, sol *Paulus.*
Paulus Ecclesiæ nasus, *per quem* respirat, *& diuina* odoratur.
Pauli Epistolæ, *quàm orbi vtiles.*
Pauli prædicatio *erroribus extirpandis.*
Adulator est, qui Sanctos honorat, nec imitatur.

23. *E cœlo Pauli doctrina, Pauli prædicatio.* PRæstat, quia hîc sumus de Paoli quoque doctrinâ aliquid asserere, quam vitâ animauit, & sanctitate: vt hinc quoque huius Apostoli dignitas eluceat, quídque illi debeamus, etiam ob scientiæ titulum appareat; hac quippe orbem erudioit, & superâ luce perfudit; certè è cœlo Christus alloquutus est Paulum, vt prædicationem illius cœlestem esse futuram indicaretur; huc spectabat etiam sanctus Isidorus Pelusiota (S. Isid. Pelus.) lib. 1. epist.409. dum ait: *Natura præstantiora, & diuina documenta Dominus Paulo tradens, è cœlo eum alloquitur, vt* PRÆDICATIONEM *eam, quam ipsius fidei commissurus erat,* COELESTEM *esse demonstraret.*

Paulum ob visûs perspicacitatem, & acumen diuinum oculum appellatum obseruo; hoc eum titulo donat Elias in orat. 1. sancti Greg. Nazianzeni, vbi de illo loquens, ait: *Nec otiose* O DIVINVS ILLE OCVLVS *Crucis figuram contemplatus est.* — *Pauli oculus diuinus.* S. Greg Naz.

Apostoli huius doctrinam, atque sapientiam sic efferebat sanctus Bernardus serm. 1. in die Apostolorum Petri, & Pauli; *sapientiam, & medullam sacrorum sensuum, non à primo, vel secundo, sed à* TERTIO COELO *largiter asportauit*; & sanctus Maximus hom.2. de Petro, & Paulo; *Quid*, inquit, *hoc Doctore perfectius, qui in* COELO DIDICIT, *quod in terris doceret?* — *In cœlo Paulus eruditus.* S. Bern. S. Max.

24. Rhinoceroti Paulum comparat sanctus Gregorius, quem sapientia Dei sinu suo excepit, & supera scientia perfudit; hæc eius verba lib. 31. moral. cap.10. *Virgo rhinoceroti sinum suum aperuit cùm Saulo* INCORRVPTA DEI SAPIENTIA *Incarnationis suæ Mysterium de cœlo loquendo patefecit; & fortitudinem suam rhinoceros perdidit, quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat, amisit.* Superæ sapientiæ sinu haud excipitur, nisi detumescat; superbam odit hæc virgo mentem; fastum, tumorémque abhorret. — *Dei sapientia sinu suo Paulum excepit.* S. Greg.

Scientię clauem à Christo accepisse Paulum affirmat in hæc verba sanctus Ambrosius serm. 66. CLAVEM *quodammodo à Christo* SCIENTIAE *&* PAVLVS *accepit. Clauis enim dicenda est, quâ ad fidem peccatorum corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palàm rationali manifestatione producitur.* Clauis, inquam, est quæ ad *conscientiam, ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mystery salutaris includit.* Clauem à Christo accepit, vt quidquid Paulus docuit, Christi in Paulo loquentis fuerit. Scitè sanctus Hieronymus lib. 1. contra Ioninianum cap. 4. *Respondit*, inquit, *Doctor gentium, &* MAGISTER ECCLESIAE, *quidquid autem statuerit hic, Christi in eo loquentis legem putemus.* — *Scientiæ clauem à Christo Paulus accepit.* S. Ambr. *Paulus Ecclesiæ Magister.* S. Hier.

Christus Paulum erudiuit, & per ipsum, velut per auream fistulam alios, & præsertim Lucam, à quo nobis tot Sacramenta exhibita; scitè sanctus Petrus Damianus sermone 53. (qui est de sancto Luca Euangelista,) *De cœlo*, inquit, *Christus in Paulum gestorum suorum sacramenta profudit, eadémque per Paulum in Lucam, velut* AVREA FISTVLA *mediante transfudit.* Debemus ergo & Paulo quidquid nobis Lucas exhibuit. — *Christus per Paulum alios erudit.* S. Petr. Dam.

25. Spiritus quoque sanctus Paulo, velut fistula vsus est, Paulíque linguâ veluti organo, quo nobis, quæ nobis vtilia communicauit. Adest sanctus Chrysostomus, qui aureum os in Pauli laudem mouens, ita loquebatur, serm. de Ascensione Domini; *Os Pauli, os gratiæ, os veritatis, plectrum vitæ, quod quouis clangore tubæ, vehementiùs resonat, & quacumque harmoniâ consonantius est? Organum, inquam, Christi, ac* FISTVLAM SPIRITVS *sancti. Quæ enim visa sunt Spiritui sancto, Paulus* ORGANO LINGVAE *suæ publicauit. Vnde & arbitror Dauid Prophetam sub personâ Pauli dicere: Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* — *Spiritus sanctus Paulo vsus est vt fistula, eius lingua vt organo.* S. Chrysost. Psal. 44. 2.

In ore Pauli magnum, & indeficientem fontem latêre, qui indesinenter diuinæ sapientiæ fluenta ad nos mittat, indicabat sanctus Bernardus serm. 10. in Cant. his verbis: *Non sum ego adeò profundi sensûs, neque adeò perspicacis ingeny, vt noui quippiam ex me adinuenire possim; sed est fons magnus, &* INDEFICIENS OS PAVLI, *quod patet ad nos. De ipso haurio mihi etiam nunc in* — *Indeficiens fons in Pauli ore.* S. Bern.

ostensio

ostensione vberum sponsæ, sicut & frequenter soleo.

Sol Pauli lingua, sol Paulus. S. Chrysost.

Fontem dixit os Pauli: fuit etiam sol. Pauli linguam si quis Soli comparauerit nõ oberrabit. Præiuit sanctus Chrysostomus Procœmio in epist. illius; ait enim de illo scribens: *Huius lingua supra ipsum etiam solem illuxit*; vniuersum orbem suæ linguæ radiis illustrauit, errorúmque tenebras expulit; ab aureo itidem ore istuc est hom. 8. de laudibus sancti Pauli Apostoli: SOL QVIDAM EST HOMINIBVS PAVLVS, *qui totum prorsus orbem fulgentibus lingua sua radiis illuminauit, quique vniuersas circumeundo gentes cursum omnino Solis imitatus est.*

26. *Paulus Ecclesiæ nasus, per quem respirat, & diuina odoratur.* Cant. 7. 4. Philo Carpath.

Quòd Ecclesia diuinorum mysteriorum cognitione recreetur, & arcana latentia suboderetur, à Paulo post Christum habet, vt iure ab hac sanctæ Ecclesiæ nasus dicatur, sub illis verbis tectus, quibus Sponsæ dictum est in amoris Cantico cap. 7. n. 4. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Hinc illud apud Philonem Carpathium ad hæc verba: *Sunt*, inquit, *qui per nasum sponsæ sanctissimum Apostolum Paulum tropicè significari velint, quippe qui sanctæ Ecclesiæ aliquando dederit, vt in vtriusque Testamenti obseruatione* RESPIRARE *posset, & altiùs* ODORARI *diuina eorum Mysteria, atque arcana postquam à crudelissimâ illâ Discipulorum cæde destitit, quam auebat.*

Pauli Epistolæ quàm Orbi vtiles. S. Chrysost.

Porrò quàm eximiam vtilitatem Pauli Epistolæ mundo pepererint, & parituræ semper sint, Noëticæ arcæ illas dum comparat, quin & præfert sanctus Chrysostomus, ita euincit orat. 5. de dicto illo, *Sufficit tibi gratia mea*; hæc aurei oris verba: LITTERAE *ipsius* VICTRICES ORBIS *sunt, & arca illius Noë. Quemadmodum enim Noe tabulis compactis arcam effecit, sic etiam Paulus literis perscriptis arcam intelligibilem ædificauit. Atque hæc quidem illa longè præstantior fuit.* Illa siquidem *bruta animantia, & rationis expertia capiebat, & fouebat; hæc verò bruta, capit illa quidem, sed etiam transformat; verbi gratia: intrauit in arcam lupus, & inde exiit lupus: in Pauli literas lupus incidit, & ouis exiit. Magus perlegit, & conuersus, atque emendatus est.* Consul easdem *legit, & melior inde euasit.* Noë, & arcæ Noëticæ post Deum mundus debet, quòd totus non perierit; iustiùs hoc debent Pauli Epistolis omnes fideles, omnes ille erigit, ne criminum vndis sepeliantur.

27. *Pauli prædicatio erroribus extirpandis.* S. Chrysost.

Non litteris tantùm nobis profuit Pauli doctrina, profuit & prædicatione, per quam fugata fuère vitia, & ceræ instar ad ignis præsentiam colliquefacta errorum, quos idololatriæ impietas inuexerat, multitudo. Rem egregiè versat sanctus Chrysostomus, quem in Pauli commendationem sumimus, Pauli commendatorem aduocauimus; sic ille scribit hom. 4. in Acta Apostolorum: *Tunc prædicatione fulgente, & vbique Euangelium disseminante* PAVLO *fugabatur* ERROR, *veritásque remeabat: fauilla verò, fumúsque templorum, & cymbala omnia, & tympana, & ebrietates, & comessationes, & stupra, & adulteria, & alia dicta fœda, quæ in Sacris suis celebrare consueuerant, defecerunt, atque corrupta sunt, instar ceræ ignis vapore percussit & palearum vice, quæ subitò concremantur incendio.*

Adulator est, qui Sanctos honorat, nec imitatur.

Nostrum est eum honorare, qui tantum nobis scriptione profuit, & quod magis est, vita, & moribus. Ritè Paulum honorabit imitator Pauli. Nuda Sanctorum laus quandam adulationis speciem habet. Qui Sanctos laudant, nec imitantur, Sanctorum adulatores indigetat sanctus Augustinus serm. 30. ex 40. nouis: *Honorare*, inquit, *& non imitari, nihil est aliud quàm mendaciter* ADVLARI. Adulator audies, non cultor, qui honoras Sanctos, nec eorum sanctitatem æmularis. (S. Aug.)

EXCVRSVS VI.

Quædam alia de Paulo, ad Pauli laudem commendationémque.

Res mira de Pauli catenis *abradendis.*
Festus, & Felix, *nec infestus, nec infelix Paulo.*
Paulus tanquam Dei purpura *durè tractatus.*
Quàm iucundum spectaculum *Paulum catenis vinctum videre.*
Ob tribulationes gloriatur Apostolus.
Paulus terra, lacte, & melle fluens.
Fidelium orationem audiens Deus, *lupum conuertit in agnum.*
Christianorum genitor *est effectus, qui erat occisor.*
Suorum memor *Saulus sui* obliuiscitur.
Ex corde suos amabat *Paulus.*
Pauli corpus *ferè spiritale.*
Pauli exemplo *corpus castigandum.*
Christofilus *Paulus dictus.*
Vrna litterata, *qua.*
Vas electionis *Paulus.*
Ex Paulo, vt ex vase & sanus *escam sumit, &* infirmus *medicinam.*
Deus *Pauli admirator.*
Semper ad malora *Paulus aspirabat.*
Suorum peccatorum Paulus memor.

PRomiscua, & varia, quæ de Paulo adnotaueram, hîc desiderari nolui, ne dum prætermittuntur, pereant, à quo longiùs abesse debeo, quò propiùs hæc, quæ dicturus, Pauli laudem tangunt, & tangi cultus eius amore potest, qui illa auribus suis committet. 28.

Res mira de Pauli catenis abradendis.

De catenis, quas suo collo, suis manibus consecrauit Paulus Apostolus, dignum est quòd hîc inseratur quod obseruatum nobis est, nimirum lima obteri consueuisse, vt quod ex illis abradebatur fidelium pietati id postulantium famularetur; sed illud mirum, aliquibus petentibus citò, faciléque ramenta excidisse, quibusdam vix, aut ne vix quidem potuisse quidpiam elimari. Rem his verbis indicat sanctus Gregorius Papa lib. 3. epist. 20. *Quia serenissime Domine tam religiosum desiderium esse vacuum non debet de catenis, quas ipse sanctus Paulus Apostolus in collo, & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere curabo, si tamen hanc tollere limando præualuero: quia cùm frequenter ex catenis eiusdem multi venientes benedictionem petant, vt parum quid ex limaturâ accipiant, assistit Sacerdos cum limâ, & aliquibus petentibus ita concitè* ALIQVID DE CATENIS IPSIS EXCVTITVR, *vt mora nulla sit. Quibusdam verò petentibus* DIV PER CATENAS IPSAS DVCITVR LIMA, ET TAMEN, VT ALIQVID EXINDE EXEAT NON OBTINETVR. (S. Greg. PP.)

De Paulo, qui ante Festum stetit, stetit ante Felicem, festiuè ita lusit Poëta,

Infestus tibi Paule fuit sanctissime Festus;
Infelix Felix & tibi Paule fuit.

Sed

Festus, & Felix nec infestus, nec infelix Paulo.

Sed verè non fuit cùm tribulationum materiam illi porrigeret, atque adeò coronarum, vt Felix verè felix Paulo extiterit, minimèque infestus Festus.

29.

Paulus tanquam Dei purpura diuinè tractatus.
S. Isid. Pelus.

Tanquam Dei purpuram futurum rigidè à Deo tractatum Paulum, triduana statim cæcitate correptum obseruabat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 246. dum ait: *Quemadmodum lanæ ad excipiendam* PVRPVRAE *tincturam ob vestimenti excellentiam, rigidè admodum priùs astringuntur: eodem modo ille ingenti animi magnitudine præditus* PAVLVS, *à Iudaicâ vecordiâ præcisus triduanâ cæcitate priùs astrictus est, vt qui Dei purpura effectus sit, omnésque homines, vt idem fiant, cohortetur.* Qui ergo aduersitatibus premitur, hoc se Pauli exemplo recreet, subleuétque.

Quàm iucundum spectaculum Paulum catenis vinctum videre.
S. Chrys.

Quàm iucundum spectaculum fuerit Paulum catenis vinctum è carcere exeuntem videre, è Beati Chrysostomi mente audire licet, qui hom. 9. in epist. ad Ephes. ita sentiebat: *Non videtis Reges, & Consules currus gestari, & aurum gestare, & satellites omnia habentes aurea, aureas lanceas, aureos clypeos, equos aureis ornatos ephippiis? Quantum est hoc spectaculum illo iucundius?* mallem semel videre PAVLVM è carcere exeuntem cum vinctis, quàm millies illos deductos *cum illâ satellitum stipantium cateruâ.* Etiam ipse Paulus in his se gloriaturum dixit, quæ infirmitatis suæ essent, non quæ virtutis; imò quia infirmitatis, ideò & virtutis.

Ob tribulationes gloriatur Apostolus.

Vides ne, inquit idem sanctus Pater, in cap. 12. epist. 2. ad Corinth. *quemadmodum non ob miracula, sed ob* TRIBVLATIONES *suas gloriatur.*

2. Cor. 12. 9.
S. Chrys.

30.

Paulus terra lacte, & melle fluens.

Summæ felicitatis gloriæ Iudaico populo fuerit in promissam terram, quæ lacte, & melle fluebat, introduci, nobis melior terra, vtiliórque exhibita, nimirum Paulus Apostolus, de cuius ceruice fluxisse dicitur lactis vnda pro sanguine; vt vel hinc disceremus datam nobis terram, quæ lacte flueret, & terræ Iudæis promissæ præferretur. Audiendus hìc sanctus Ambrosius, qui sermone 68. huc spectans ait, de Paulo loquens, *Hæc est planè illa terra repromissionis, quam Patribus nostris Deus promisit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel;* non enim de hac terrâ loquutus est, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutúmque permiscet; sed de illâ terrâ Pauli, &c. Quæ enim Pauli Epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem.

S. Ambr.

Fidelium orationem audiens Deum lupum conuertit in agnum.
Franco Abb.

Sæuiebat in Christi gregem Saulus, in fideles lupus debacchabatur; quid Pastor? Apparet è cœlo, vt lupum deterreret, & agnum redderet; amor in suos à sæuientis rabie Christus tueretur, fecit & suorum oratio, qua diuinam contra tantam sæuitiem opem implorabant. quod tetigit Franco Abbas tom. 12. de Gratiâ, in hæc verba: *Factum est Saulo appropinquante Damasco, &* PVSILLO GREGE CHRISTI DE COELO INVOCANTE *auxilium, aduersarium lucis circumdaret lux cœlestis.*

Christianorum genitor est effectus, qui erat occisor.

Qui in Ecclesiam sæuiebat, Ecclesiæ factus est custos, qui fidelium sanguinem cupiebat effundere, effudit tandem pro fidelibus suum. Et qui Christianorum occisor erat, Christianorum omnium parens, & genitor euasit, vt totum orbem, velut vtero clauderet, & parturiret. Scitè sanctus Chrysostomus hom. 10. de pœnitentiâ, hæc Pauli verba expendens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*; ita scribit: *Quidnam alio illo beatius fuit, qui tales filios parere potuit, qui in se Christum haberent? quid verò fœcundius eo,* qui ORBEM PROGENVIT TOTVM? *Quid eo fortius, qui editos, & adultos abortiuos posset denuo concipere, ac formare?*

S. Chrys.

31.

Suorum memor Paulus sui obliuiscitur.
2. Cor. 5.
S. Bern.

Produnt Pauli charitatem illa Pauli verba, *Siue*, inquit, *mente excedimus Deo, siue sobrij sumus, vobis*, 2. Cor. 5. Dei meminit, & aliorum, oblitus sui. *Quid ergo tibi?* ait sanctus Bernardus serm. de sancto Benedicto, *Ego, inquit, factus sum tanquam vas perditum*; bene se ipsum perdit, qui nihil pro se facit, suíque obliuiscitur, vt diuinæ gloriæ seruiat, & proximorum vtilitati.

Ex corde suos amabat Paulus.
2. Cor. 6.

Ex corde suos amabat Paulus, non ore dumtaxat amorem ostendebat: huius amoris testes sunt & illa huius Apostoli verba, 2. Cor. 6. 11. *Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*, parù est Apostoli os Corinthiis patuisse, etiam cor dilatabatur amoris feruore, quod sic explicabat sanctus Chrysostomus hom. 13. in hanc epist. *Quemadmodum id, quod calorem affert, dilatare solet: ita etiam charitatis munus est dilatare. Calida quippe ac feruens est virtus. Hæc os quoque Pauli operiebat, & pectus exporrigebat. Neque enim ore tantum ac labiis amo, inquit: verùm etiam* COR IPSVM *in amore consonat.*

S. Chrys.

Pauli corpus ferè spiritale.
1. Cor. 9. 27.
Isid. Clar.

Ita carnem suam domabat Paulus vt carneus esse non videretur, ita premebat suum corpus ac si suum non esset, nec esset corpus; certè spiritales quasdam qualitates induisse videbatur. Isidorus Clarius in cap. 9. epist. 1. ad Corinthios expendens illa Pauli verba, *Castigo corpus meum*; hæc habet. *Præcipuus ad omnia rectè facta apparatus efficere, vt corpus legi spiritus obtemperet. Castigabat Paulus corpus quod magis* SPIRITALE *erat, quàm nostræ ipsorum animæ, cui ergo post Paulum non id faciendum est:* quis contra suam carnem non strenuè depugnet, cùm strenuus Christi miles Paulus, & tot victoriarum indeptione nobilis id præstiterit? verè sibi non parcit, qui sibi nimium parcit, amicus sui est, qui hostis sui, hostis verò erit, qui nimis amicus.

Pauli exemplo corpus castigandum.

32.

Christophilus Paulus dictus.
Trithem.

Christophilus tanquam maximus præcipuúsque Christi amator amicúsque Paulus dictus est, sic eum circumscribit Trithemius lib. 1. epist. 11. dum ait: *Virgo sicut sacer ille declamauit* CHRISTOPHILVS *cogitat, quæ Domini sunt*; & epist. 12. *Nos* CHRISTOPHILI *mores, & vitam sequamur, qui nos victum, & amictum habentes monet esse contentos.* Et epist. 18. *Doctissimus præceptor noster* CHRISTOPHILVS *contra auaritiam nos volens esse munitos*; dicit, *Radix omnium malorum est cupiditas*, & epist. 23. de hac vanâ *scientiâ mundi sanctus* CHRISTOPHILVS *dicit in quadam epistola, Si quis existimat se scire aliquid.* Alibi quoque hoc titulo Apostolum notat. Hoc eodem titulo Græcâ formâ vtitur idem Auctor, nam epist. 28. lib. 2. ait: *Hinc sanctus pulchrè* χριστόφιλος Paulus, & 34. Sancto dicente χριστόφιλῳ.

Vrna litterata.
Plaut.

Vas fuit Paulus, in quo quidquid terrâ cœlóque eximium, & excellens continebatur. Olim vasa sacra litteris notata, vt proderent statim, cuius essent. Plautus in Rudente de vrnâ Veneris,

Hæc litterata est, ab se cantat cuia sit.

Vas electionis Paulus.
Act. 9. 15.

Abrade inanium Deorum cultum, veri Dei vas Paulus est, & *Vas electionis* dictus ab eo est, vt Iesu nomen circumferat: *Vas*, (inquit Christus) *electionis est mihi iste, vt portet nomen meum*, Act. 9. 15.

33.

Ex Paulo vt ex vase & sanus escam sumit, & infirmus medicinam.
S. Bern.

Vas est, quod non medicinam tantùm continet, sed & cibum, vt scilicet hinc & sanus hauriat, quo nutriatur, & infirmus, quo sanitati restituatur. Pulchrè sanctus Bernardus sermone 1. in die Apost. Petri, & Pauli: *Vas*, inquit, *dignum, &*

cælesti

cælestibus ferculis repletum, de quo, & SANVS ESCAM, *&* INFIRMVS ACCIPIAT MEDICINAM; vt iure dixerit Apostolus se omnibus omnia factum.

Deus Pauli admirator. S. Chrysost.

Porrò in his verbis, *Vas electionis est mihi iste,* quandam Dei admirationem obseruauit laudabilis Pauli laudator Beatus Chrysostomus, qui hom. 18. in epist. ad Romanos ita scribit. *Astra cùm fierent, admirabantur Angeli. Hunc verò* DEVS IPSE AOMIRATVS EST, *dicens: Vas electionis iste mihi est. Cœlum istud sæpenumero nubes obtegit: Pauli verò mentem nulla obnubilauit tentatio.* Quem igitur in stuporē non rapiat Pauli virtus, Pauli sanctitas?

Semper ad maiora Paulus aspirabat. S. Bern.

Magnus euasit Paulus, sed in hoc præcipuè eximium se prodidit, quòd suam magnitudinem paruipendens ad maiora semper anhelaret, vt melior semper fieret. quod expendit elegantissimè sanctus Bernardus epist. 92. in hæc verba: *Esto quòd possis nimium fortassis esse iustus, possis & nimis sapiens: sed planè bonus vltra modum esse non potes, & quidem lego: Noli esse nimium iustus. Lego: non plus sapere, quàm oportet sapere. Nunquid autem, aut ne sis nimium bonus: aut non plus bonus, quàm oportet? Nemo esse bonus plusquam oportet potest. Bonus erat iam* PAVLVS: *& tamen nequaquam contentus libenter se ad ea, quæ ante se sunt, extendebat, posteriora obliuiscens, &* SEIPSO SEMPER MELIOR EFFICI STVDENS. *Solus Deus melius se ipso, idcircò non vult, quia non valet.*

34. *Suorum peccatorū Paulus memor.* 1. Tim. 1. 15.

Præteritorum obliuiscebatur Paulus, non quidem peccatorum, sed operum; nam peccata, quæ ille commiserat, eius menti assiduè obuersabantur, quod ex eius verbis colligitur; nam ad Tim. 1. cap. 1. v. 15. ait: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Primum se putabat non tempore, sed malignitate, vt loquitur sanctus Augustinus; sed, *cur ego sum*, non potiùs *fui*? Quia sua crimina altius menti inscripserat, quàm vt facilè ab eius memoriâ possent deleri. Opportunè rem versat sanctus Chrysostomus hom. in natalem Domini tom. 6. vbi ad hanc mentem ita scribit: *Quoniam Christus venit in mundum ad saluandos peccatores, quorum primus ego sum. Non fui, sed sum dixit eorum, quæ fecisset; atque admisisset præsentem semper se habere memoriam significans.* Nec à nobis excidere debet, quòd cecidcrimus. firmior stat, nec facilè cadit, qui se recolit cecidisse.

S. Chrys.

ADAGIVM III.

Ex Simone Petrus.

S. August.

VT Saulus in Paulum conuersus est, sic & Simon Petrus euasit; sicut igitur illius mutatio iuit in prouerbium, sic ire & istius potest; vtrumque inter se pariat sanctus Augustinus ser. 25. de Sanctis; ait enim: *Qui fecit ex Saulo Paulum, ipse* FECIT EX SIMONE PETRVM. *Mutauit persecutorem, mutauit & peccatorem*; quotiescumque quis ab humili statu ad sublimem, excelsúmque vocatur, tunc vsurpari hoc dictum quadam prouerbij specie poterit, quod festiuiùs euadet, quò longiùs flectetur; vtemúrque cùm suadere alicui voluerimus, generis humilitatem non officere, quin ad magna ascendere quisque possit; elaudit sanctus Pater ad hanc mentem. *Quis iam desperet de humilitate generis. nam Beatissimum* PETRVM PISCATOREM *modò genibus prouolutis, adorat gentium multitudo.*

ADAGIVM IV.

Feruor Petri.

IGneus vbique Petrus, feruidus, vt feruor eius abire in prouerbium potuerit; hinc illud Nicolai Notarij sancti Bernardi epist. 16: *Quis,* inquit, *dabit mihi gladium Phinees,* FERVOREM PETRI? *aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?* Dicturus Petrus, quæ Spiritu sancto docente intus audierat cæteris silentibus, primus sententiam suam tulit, de subrogando, & substituendo alio Apostolo in scéleratissimi Iudæ locū; *exurgénsque in medio fratrum*, sententiam suam liberè, exsertéque tulit timore omnī excusso, Act. 1. quod expendens sanctus Chrysostomus hom. 3. in Acta, huius Apostoli feruorem notans, ait: *Vide* FERVOREM, *quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem, quàm in hoc choro Princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui*, quod & alibi præstitit, vbique feruoris sui manifesta exhibens indicia.

Produnt Petri feruorem, & Petri verba: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*, Matth. 26. 32. suæ infirmitatis præfert se cæteris; ac si apertiùs diceret, inquit sanctus Chrysostomus tom. 6. serm. de negat. Petri. *Quid ais Domine: omnes scandalum propter te patiemur, & cum omnibus me quoque annumerasti? siccine mea constantia confidis? etiámne ego te negabo, qui in mari inambulaui? nónne ego te omnium primus agnoui, & exclamaui, Tu es Christus filius Dei viui; ego ne igitur te negabo Princeps Apostolorum, columna Ecclesiæ? quamobrem & mihi ipsi præsidens vociferor, Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor*; fidit nimium sibi Petrus, & eo infirmior fuit, quo firmiorem se credebat; imbecillis omnis fortitudo est si humanis viribus nitatur. Humiliùs de se Petrus sensisset, minus fœdè lapsus fuisset. Recordari debuerat se ita super aquas ambulasse, vt mergi etiā cœpisset, sepelissent eum vndæ, nisi auxiliatricem Christus porrexisset; ibi minus Christo fidit, hic nimium fidit sibi. Audiens à magistro se negaturum magistrū, à statim enixè postulare debebat ne permitteret Christus eum labi; huc spectabat idem sanctus Pater eodem loco; *Non obsecras Petre, vt confirmeris, sed promittis fore, vt non concutiaris? Nónne hic ipse* FERVOR TVVS *multo te deteriorem effecit*, melior fuisses si firmæ sponsionis loco orationē fudisses.

ADAGIVM V.

Paulus apparet in vultu, Petrus in Spiritu.

SIngularis alicuius viri sanctitas, modestia, ardor, & perfectio hac adagiali figurâ exprimi poterit, qua vtitur Eucherius de sancto Maximo Episcopo loquens, dum infit: PAVLVS APPAREBAT IN VVLTV, PETRVS IN SPIRITV; quod ad alios etiam suppsris perfectionis viros traduci poterit, qui ab omni parte sanctitatem spirent, Petrum, & Paulum scitâ, & vtriusque laudibus plenâ comparatione, ita efferebat Venantius Fortunatus lib. 3. carm. quam hîc duxi implantandam.

Cœlorum porta lata duo lumina mundi:
Ore tonat Paulus, fulgurat arte Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic meritis, celsior ille gradu.

Corda

Corda per hunc hominem rescecantur, & astra per illū:
Quos docet ille stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cœlis hic dogmate, clauibus alter:
Est via, cui Paulus, ianua fida Petrus,
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres vrbs, caput orbis habet.

Portò quia superiùs de Pauli laudibus aliqua diximus, hîc Petrum præterire integrum nobis minimè est; in illius itaque encomium calamum parumper excurrere sinemus.

EXCVRSVS VII.

Petri magnitudo, & excellentia.

Quid ἰδεῖν, quid ἱστορῆσαι.
Vel Paulo magnus Petrus fuit.
Pauli modestia, *&* reuerentia in Petrum.
Sancti viri adeundi, vt aliquam vtilitatem consequamur.
Petrus illi petræ *comparatus, ex qua in deserto* aquæ *sitienti populo fluxerunt.*
Petrus fidei, pietatisque signifer.
Sancti Petri *laudes* ex sanctis Patribus.
Petrus humani generis columna, omnium capitum caput.
Petrus caput sanctitatis, *Apostolorum* coryphæus, & vertex, *Ecclesiæ* propugnaculum, fidei portus.
Petrus Ecclesiæ fundamentum, & columna, fidei custos, Apostolicus auceps, æternæ vitæ clauiger.
Petrus piscator sanctitatis hamo omnes inuitans.
Petrus fidei petra, clauis ad regnum, confessor primus filij Dei, amator Domini.
Petrus Ecclesiæ sol, & luminare maius.
Petri lingua cœlorum lingua & clauis.
Fidei frumentum *Petrum* esse vnde colligatur.
Petri in Christum amor.
Petri vmbra quantæ virtutis.
Petri magnitudo *vel ex eius infirmitate colligenda.*
Petri lapsus vt nobis profuerit.
Latro in cruce *Petrus*, *Petrus* in domo Caiphæ *latro.*
Fidelior post lapsum *Petrus.*
Nutans *cæteros* fidei sanctitatem *fundauit.*
Petrum erexerunt Petri lachrymæ.
Lubens Petrus *timorem iis ingenerat*, qui in se confidunt.
Pœnitentiæ exemplar *omnibus factus Petrus.*
Petri amor *in Christum.*

35. *Quid ἰδεῖν, quid ἱστορῆσαι.* Gal. 1. 18.

MAior omni laude Petrus est, parum est nobis magnum esse, fuit etiam magnis; fuit in primis Paulo, cuius hæc sunt verba: *Veni Ierosolymam videre Petrum*, ad Galat. 1. 18. suum pondus inest *videndi* verbo, plus continet, quàm videatur, neque enim nudum conspectum rei obuiæ importat, sed visionem, quæ admirationem magnam tanquam de re magnâ inuoluat; nam in Græco fonte non est ἰδεῖν, quod *nudam visionem significat*, *sed* ἱστορῆσαι, *quod maius aliquid notat*, déque rebus maximis dici solet; talis Paolo Petrus extitit. Voluit istuc sanctus Chrysostomus in cap. 1. epist. ad Gal. vbi premens hæc verba, ait, *Vt viderem Petrum ascendi*, non dixit ἰδεῖν, idest, vt CERNEREM *Petrum*, sed ἱστορῆσαι, idest, *vt viderem.* quomodo loqui solent, qui magnas, ac splendidas vrbes inuisunt cognoscendi gratiâ. Adeò iudicabat operę pretium, multóque studio dignum tantummodo VIDERE VIRVM. Plura in Dei seruis latet, quæ animaduersione sunt digna, quàm quod extimè corporeis oculis videri possit, quod vt in omnibus verum est, maximè verum in eo fuit, qui fuit maximus.

Vel Paulo magnus Petrus fuit. Chrysost.

Pauli humilitas hîc quoque elucet, qui raptus in tertium cœlum, qui tot victoriis potitus, in tot certaminibus, videre tamen Petrum honoris causâ, & reuerentię studuit, id quod expēdebat OEcumenius in cap. 1. ad Galat. ait enim: *Considera animi* MODESTIAM; *post tot tātaque certamina abiit, vt videret Petrum tanquam maiorem, vt autem maneret causâ honoris, quem Petro deferebat, actum est*; inter alia certamina hoc quoque locandum, fastum omnem Apostolorum, tumorémque superasse, vt se Petro tanquam maiori demitteret. Monemur hinc, nobis quoque Sanctos adeundos, non honoris tantùm causâ deferēdi, sed vtilitatis recipiēdæ; sic Theuphylactus ad hæc verba: *Perinde*, inquit, *ac nos abimus ad sanctos viros, sed nos potiùs vtilitatis causâ, ille verò solius honoris gratiâ*; sed ad Petrum reuertamur.

Pauli modestia, & reuerentia in Petrum. OEcumenius.
Sancti viri adeundi, vt aliquam vtilitatem consequamur. Theoph.

Petra erat Petrus, & illi non patianda tantùm, sed & præferenda, ex qua aquæ in deserto populi siti extinguendæ effluxerunt. Scitè sanctus Maximus hom. 1. in natali BB. Petri, & Pauli; sic enim ille scribit: *Sicut in deserto Dominico sitienti populo aqua* FLVXIT E PETRA; *ita vniuerso mundo perfidiæ ariditate lassato de* ORE PETRI FONS *salutiferæ confessionis emersit.*

Petrus illi petræ comparatus, ex qua in deserto aqua sitienti populo fluxerunt. S. Max.

36. Petrum fidei, pietatisque signiferum, & generis humani columnam indigitat sanctus Augustinus, serm. 124. de tempore, vbi eius casum clementiæ ei vestem addidisse affirmans, ita scribit: *Quemadmodum exigua culpa permittitur subiacere tantus Apostolus, vt emendatus elationis vitio, atque correctus integro vestiatur moderationis, & clementiæ indumento. Iam enim eruditus es, & doctus in Petro: quemadmodum cùm Dominus tui causâ patitur circumscribi delicto, quemadmodum illum fidei*, PIETATISQVE SIGNIFERVM, *& generis humani* COLVMNAM *permiserit metu dominante quassari.*

Petrus fidei pietatisque signifer. S. Augustin.

Sanctum Petrum sanctus Theodorus Studita epist. ad Leonem, *omnium capitum caput vocat.* Sanctus Ambrosius serm. 66. *Caput sanctitatis.* S. Epiph. lib. 2. *Discipulorum Principem, & Apostolici sodalitij coryphæum.* Sanctus Chrysostomus hom. in Petrum Apostolum, & Eliam, *Apostolorum verticem, Ecclesiæ columnam, & propugnaculum, fidei portum* eum indigitat. *Ecclesiæ columnam, Ecclesiæ fundamentum.* Petrum appellat sanctus Gregor. Nazianzenus. S. Petro Chrysologo serm. 107. *fidei custos* dicitur, *& Apostolicus* AVCEPS, *qui animas viuentium per aëra volantes calamo diuini sermonis attingit, & Apostolicus Piscator*, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas HAMO SANCTITATIS inuitat, ipse serit in populos præcepta iustitiæ. Clemens epist. 1. ad sanctum Iacobum; *Primitias electionis Apostolorum*, Petrum appellat; *æternæ vitæ Clauigerum*; Nicolaus Papa epist. ad Mediol. *Fidei petra*, audit à sancto Ioanne Damasceno in histor. Barlaam cap. 11. *Columna ad sustentaculum, lapis ad fundamentum, clauis ad regnum*, à sancto Augustino serm. 5.

Sancti Petri laudes ex sanctis Patribus. S. Theod. Stud. S. Ambr. S. Epiph. S. Chrysost. S. Greg. Naz. S. Petr. Chrysolog. S. Clem. Nicol. PP. S. Io. Dam. S. August.

S. Isid. Vgo. Vict.

serm. 5. in festo sanctorum Petri, & Pauli. *Confessor primus Filij Dei, amator Domini*, sancto Isidoto lib. de vitâ, & motte. *Sanctæ* ECCLESIÆ *sol, & luminare maius*, Vgone Victorino serm. 64.

Petri lingua cælorum lingua, & clauis. S. Max. S. Petr. Dam.

37. Petri linguam *cælorum clauem* indigitat sanctus Maximus hom. 1. in natali Petri, & Pauli, ait enim, LINGVA COELI LINGVA EST PETRI; & sanctus Petrus Damianus serm. 63. de eodem loquens, ait, *Tacet Petrus, tacet cæli clauicularius, tacet lingua, quæ* CLAVIS FACTA COELORVM *cælum simul, & terram ligat, & soluit.*

Fidei firmamentum Petrum esse vnde colligatur. Act. 2. S. Ambr.

Fidei firmamentum sanctum Petrum appellat sanctus Ambrosius, quem titulum etiam hinc colligit, quòd claudum erexit, atque sanauit Act. 2. vt indicio esset, eum in populis fidei fundamenta positurum, vt in homine ea membra sanauerat, quæ cæterorum bases, ac fundamenta sint; sed præstat hic sancti huius Patris verba audire, qui serm. 68. ita loquitur: *Si enim Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè primus* PEDES SANAT; *vt sicut in Ecclesia* FIDES FIRMAMENTVM *continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, primùm in Christiano pedes curat, vt iam non trepidus nec imbecilles possit supra petram Ecclesiæ, sed robustus, & fortis incedere.*

Petri in Christum amor. S. Max.

Amorem, quo in Christum ardebat Petrus, tunc prodidit cùm ad Christum super aquas iuit. Id expendens sanctus Maximus hom. 4. de Apostolo Petro, ait: *Ambulauit in mari Petrus magis* DILECTIONE, *quàm pedibus: non enim aliquid pedum vestigium poneret; videbat autem vbi figeret* VESTIGIVM CARITATIS. *In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare; non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia; & dum* CHRISTVM RESPICIT, *non respicit* ELEMENTVM.

Petri vmbra quanto virtutis. S. Chrys.

38. De Pauli vestibus Petri vmbra illarum, istiúsque virtute loquens sanctus Chrysostomus hom. 7. in epist. 2. ad Corinth. sic efferebat vtrumque: *Paulum cogita, cuius vestes vim edebant: Petrum, cuius ipsæ quoque* VMBRÆ VIRIBVS POLLEBANT, *neque enim nisi Regia imaginem gestassent, & incomparabilis quidam fulgor ex ipsis effulsisset, tot eorum vestes atque vmbra miracula edidissent. Regis quippe vestes latronibus etiam terrori sunt.*

Petri magnitudo, vel ex eius infirmitate colligenda. S. Max.

Adeò magnus fuit Petrus, vt ne par Christo putaretur, quædam humanæ infirmitatis signa fuerint permittenda; sic super aquas gradiens timuit, & cœpit mergi, ne tanto miraculo æquaret se Christo, & superbiæ occasionem aliquam arriperet. Quod expendebat sanctus Max. hom. 2. in natali eius, & Pauli; ait enim: *Quid Petri sublimius fide, qui gradiente Domino super aquas, humanæ conditionis oblitus, viam sibi in fluctibus dari & poposcit, & meruit, tantaque mentis eius confidentia fuit, vt crederet se posse per fidem, quod sciebat homini impossibile per naturam? nam quia postea mergebatur, vt mihi videtur, necessarium fuit, ne tanti sublimitate miraculi in perniciem fortè sui* ÆQVATA CHRISTO *carnis fragilitas superbiret.*

Petri lapsus, vt nobis profuerit. S. Max.

Ceciderit Petrus, nihil obfuit nobis, profuit, quia eum pœnituit peccasse; scitè sanctus Max. hom. 3. de pœnitentiâ Petri: *Ecce nihil nobis Apostolus nocuit, quòd negauit, &* PLVRIMVM PROFVIT, *quòd emendauit*; lapsus nos rectè monuit ne laberemur, pœnitens lapsos ad pœnitentiam prouocauit.

Latro in cruce Petrus, Petrus in domo Caiphæ latro. Drogo.

Latro in cruce Petrus dictus est, Petrus verò ipse in domo Caiphæ latro, Drogo de Sacramento Dominicæ passionis ita sanctum lattonem alloquitur: *Tu fugientibus discipulis, & Petro negante, socius & comes passionis eius fieri gauisus es; Tu* PETRVS *in cruce fuisti, &* PETRVS *in domo Caiphæ* LATRO.

Fideliter post lapsum Petrus. S. Ambr. *Nutans caeteros fidei fluctuatione fundauit.*

39. Infirmus cecidit, sed erectus firmamentum omnibus factus est, ne caderent. Sancti Ambrosij ser. 47. hæc sunt verba, hæc mens: *Petrus* FIDELIOR *factus est postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quam amisit. Tanquam bonus enim Pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse in interrogationis tentatione nutauerat, cæteros* FIDEI STABILITATEM *fundaret.*

Petrum erexerunt Petri lachryma. S. Hier.

Erexerunt Petrum Petri lachrymæ, vt qui tam fœdè ceciderat, lachrymis erigeretur. De illis ita scribit sanctus Hieronymus epist. 39. (quæ est ad Virgines Hermonenses) *Petrum ter negantem amaræ in suum locum restituêre lachrymæ.*

Labens Petrus timorem iis ingenerat, qui in se confidunt. Franco Abb.

Labens Petrus timorem iis ingenerat, qui de se confidunt, erectus spem inijcit; ne quis desperet. Franco Abbas serm. 12. de gratiâ Dei ita scribit: *In Petri momentaneo lapsu pius Pastor gregi suo piè consuluit, vt* HVMANA PRÆSVMPTIO LABENTE PETRO TREPIDET, *& imbecillitas prolapsa resurgente Petro non desperet.*

Pœnitentiæ exemplar omnibus factus Petrus. S. Io. Dam.

Pœnitens Petrus pœnitentis exemplum omnibus factus est, vt non minus auctoritatem suam super cęteros constitutus, in omnes porrigat, quàm pœnitentiæ viam lapsis ostendat. *Quemadmodum*, inquit sanctus Ioannes Damascenus in hist. de Balaam cap. 11. *totius orbis magister institutus fuerat, ita etiam* POENITENTIÆ EXEMPLAR *effectus est.* Igitur qui peccantem Petrum sequutus est, sequatur & pœnitentem.

Petri amor in Christum. Ioan. 21. S. Aug.

40. Amauit Petrus Christum, & se à Petro amari, à Petro audire Christus voluit, cùm illum ter de amore interrogauit, non de timore, Ioan. 21. nam qui timore tantum corripitur, facile cadit, amor à lapsu nos auocat. Rem egregiè expendebat sanctus Augustinus in Psal. 90. *Qui ad vocem ancillæ ter negauit, accepto Spiritu sancto inter flagella Principum confessus est quem negauerat. Non mirum, quia Dominus ipsum trinum timorem trino amore dissoluit. Resurgens enim à mortuis, ait Petro, Petre amas me? Non dixit* TIMES ME. *Nam si adhuc timeres, offenderet ad lapidem pedem suum. Amas me, inquit? & ille, Amo, sufficiebat semel. Fortè mihi sufficeret, qui cor non video: quanto magis sufficeret Domino, qui videbat quibus medullis viscerum suorum dicebat Petrus, Amo? Non sufficit Domino respondere semel: interrogauit iterum, & ille respondet, Amo. Interrogauit tertiò, & iam tædio affectus Petrus, quasi dubitaret Dominus noster de amore ipsius, Domine tu, inquit, scis omnia, tu scis quia amo te. Sed Dominus cum illo sic egit & tamquam diceret, Ter me negasti timendo, ter me confitere amando. Isto amore, & ista charitate repleuit discipulos suos.* O nos tantus amor corripiat, vt amoris victimæ facti amori viuamus, viuamus amore amori immorientes.

EXCVRSVS VIII.

De Petro, Petri lapsu, & erectione quædam in lectoris profectum offeruntur.

Christum respiciens *Petrus super aquas ambulans non timebat.*

Petrum super mare ambulantem imitatur qui inimicis ignoscit.

B *Tunc*

Tunc maximè timendum *cùm virtutibus, & miraculis super nos eleuamur.*

Infidelitatis *pondus quàm graue.*

Amor *in Christum Christi confessione à Petro elicuit.*

Esse cum Christo *cupiebat Petrus, nolebat ab eius tabernaculo separari.*

Negaturus Christum Christi gloriam vidit Petrus, *vt illius memoria citiùs conuerteretur.*

Sæpiùs Petrus cecidisset, *nisi terminum Christum statuisset.*

Labi *permittitur Petrus, vt labentibus ignosceret.*

Labentes Apostolorum coryphai labentibus *ignoscunt.*

Quàm ardenter Petrus peccatorum salutem *quæreret.*

Pauli labores *in animarum profectum.*

Propter seruum percussum *permissus est cadere Petrus.*

Ad pœnitentiam *prouocauit Petrum Christus, suarum pœnarum oblitus.*

Petrus primus peccans *ad sepulchram primus currit.*

Lachrymis *cur suum crimen Petrus expiauerit, non* verbis.

Cœli ostiarius *factus, qui ad ancillæ ostiariæ vocem cecidit.*

Maior potestas *Petro collata, quàm Angelis.*

Christi *familiaris haud est, qui non est* Petri.

Quod serpens Adamo, *hoc* Petro *Iudas fuit.*

Malorum consortium *bonis quàm noxium.*

Citius Petro *subuenitur quàm* Adamo, *quia iste latere voluit, non ille.*

Petrus obediens *Adamo inobedienti oppositus.*

41\. *Christum respiciens Petrus super aquas ambulans non timebat.* Matth. 14. S. Ambr.

ALia promiscuè de Petro in Petri laudem, in nostram vtilitatem afferenda sunt; ideo nobis vtilis Petri vita fuit, vt fuerit & corpus ipse, vt de eo etiam hîc aliqua præter alibi dicta sint dicenda.

De Petro legimus super aquas ambulasse, Matth. 14. Ita ne fluctibus se credidit, nec expauit. potius in Iesum, quàm in aquarum vertices coniiciebat oculos, hinc factum vt Christi visu firmatus vndis se committeret; quàm vtilis Iesus præsentia, & aspectus est. Sanctus Ambrosius serm. 47. qui est de fide Petri Apostoli, in hæc verba: *Ambulauit in mari Petrus, magis dilectione quàm pedibus. Non enim videbat, vbi pedum vestigium poneret; videbat autem, vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus* CONSIDERAT DOMINVM, *&* AMORE EIVS DVCTVS *descendit in mare; non cogitat labentes, non fluenta currentia, & dum* CHRISTVM RESPICIT, NON RESPICIT ELEMENTVM. Nihil adeò magnum plerumque discriminis, quod aggredi quis non posset Christi aspectu, Deique sui præsentia animatus; cùm timere cœpit, cœpit mergi, fixit obtutus in fluctus, à Christo suo auertit.

Petrum super mare ambulantem imitatur qui inimicis ignoscit.

Firmo per mare vestigio incedit Petrus, grande miraculum, imitatur qui inimicis ignoscit iniuriarum oblitus, tantùm qui feliciter ambulat super vndas, caueat ne timens, pauénsque mergatur. Scitè rem versat sanctus Augustinus in Psal. 54. *Ille calcat* FLVCTVS *huius sæculi, qui* DILIGIT INIMICOS; *Christus in mari ambulat intrepidus, cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio, qui pendens in cruce dicebat, Pater ignosce illis; & Petrus voluit ambulare, & ambulabat gratia iubentis, non viribus suis; sed cùm videret ventum validum, timuit. A quo vento valido? à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* Manum extendit Christus, nec mergitur Petrus; hic quoque iubet: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*; quis ergo timeat fluctus calcare? pauere inimicis, & infestentibus mala bona non solùm capere, sed etiam exhibere?

S. August.

42\. *Tunc maximè timendum cum virtutibus, & miraculis super nos eleuamur.* S. Pasch.

Ambulat super mare Petrus, & timet, nimirum *tunc maximè pertimescendum est, cùm virtutibus, & miraculis supra nos* ALEVAMVR; ait sanctus Paschasius lib. 7. in Matth. nimirum quoties hominibus admirationi sumus, tunc præcipuè timor inuadere nos debet.

Infidelitatis pondus quàm graue. S. Hier.

Antequam dubitaret Petrus, leuis super aquas ambulabat, dubitans mergebatur. tam graue infidelitatis pondus est; sancti Hieronymi hæc sunt verba in cap. 2. Nahum: *Petrus qui antè leuis pendulo gressu calcabat vndas,* INFIDELITATE AGGRAVATVS *vorabatur à fluctibus*; quibus nisi Christi manibus subleuaretur, sepultus esset.

Amor in Christum Christi confessionem à Petro elicuit. Matth. 16.

Prædicauit Christus Petrum, extulit, laudauit, quia dixerat: *Tu es Christus filius Dei viui*, Matth. 16. v. 16. addit Christus: *Beatus es Simon Bariona*; beatus Petrus dicitur, quia Christum Dei viui filium confessus est; sed numquid non hoc etiam Dæmon præstitit? præstitit, sed timore compulsus, non amore. hinc illud sancti Augustini hom. 10. ex 50. *Domine, hoc tibi dixerunt & Dæmones; quare illi non sunt beati? Quare? quia Dæmones hoc dixerunt* TIMORE, *Petrus* AMORE, tanti est à Dei amore opus proficisci.

S. Aug.

43\. *Esse cum Christo cupiebat Petrus, nolebat ab eius tabernaculo separari.* Matth. 17.

A Petri in Christum suum amore prodiere & illa verba: *Faciamus hic tria tabernacula*, Matth. 17. cùm sex essent in monte, sex quoque tabernacula erigenda videbantur, vt vnicuique suum tribueretur; cur tria tantùm fieri curat? an illius gloriæ magnitudine captus oblitus statim sui est? fallor, non obliuiscitur, tribus discipulis tria tabernacula construi studet, vt tamen ipse vellet in magistri suo tabernaculo eius, nam amor ab illo quem amabat diuelli non sinebat; *Putauit*, inquit hic Beatus Dionysius Carthusianus, *in illis tribus tabernaculis se, & duos discipulos recipi posse, sic tamen vt* IPSE ESSET IN TABERNACVLO SVI MAGISTRI *carissimi*, à quo nolebat separari Petrus.

B. Pet. Carth.

Negaturus Christum Christi gloriam vidit Petrus, vt illius memoria citiùs conuerteretur. S. Greg.

Non casu accidit, vt casurus Petrus ad montem duceretur, & visione illa quodammodo bearetur; Christi sui gloriam vidit, vt permissus negare magistrum, huius visionis memoria citiùs surgeret, & oculi quos in Christum transfiguratum coniecerat, vberiùs lachrymas funderet. Præclarè sanctus Gregorius lib. 4. moral. cap. 7. *Petrus prius in montem ducitur, priùs charitatem transfigurationis Dominicæ contemplatur, & tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur, vt per tentationem factus sibi ex infirmitate conscius ad illud* FLENDO, *&* AMANDO *recurreret, quod vidisset, & cùm eum timoris vnda in peccati pelagus raperet, esset prioris dulcedinis anchora, quæ retineret*; gloriæ nimirum consideratio, & à peccato auocat, ne quis in illuc labatur, quòd si lapsus fuerit, vrget vt resipiscat.

Petro

Sæpius Petrus cecidisset, nisi terminum Christum statuisset. Match. 26. 34. S. Max.

44. Petro Christum negaturo dixit Christus; *Ter me negabis*, Matth. 26. 34. Latet hîc singularis Christi misericordia, qui ita discipuli lapsum permittit, vt numerum lapsuum coercuerit; *Ter*, inquit, *me negabis*; cur non pluries? sæpiùs Christum negasset Petrus, nisi Christi virtute adiutus fuisset, vbi enim semel quis in crimen est lapsus, facile crimina criminibus addit, & peccata peccatis cumulat. Hinc illud sancti Maximi hom. 2. de latrone. *Toties*, inquit, *Petrus lapsus est, quoties ne laberetur admonitus, & nisi modum quendam tertiò denegandi ei Dominus statuisset, forsitan* SÆPIUS *interrogatus, sæpiùs abnegasset.*

Labi permittitur Petrus, vt labentibus ignosceret. S. Chrys.

Labi permittitur Petrus vt labentibus ignosceret; cadit, *quòd populorum multitudo illi credenda erat, ne seuerus, & a venia propriis fratribus impartienda alienus esset*, ait sanctus Chrysostomus hom. in SS. Petrum, & Eliam; si innocens fuisset, nimium in nocentes sæuiisset.

Labentes Apostolorum coryphæi labentibus ignoscunt. S.Petr.Dam.

Quàm ardenter Petrus peccatorum salutem quæreret. Idem.

Pauli labores in animarum profectum. Idem.

Alitem, & misericordem Petrum habemus, habemus Paulum, vtrumque laborantes videmus, & per orbem in animarum salutem volitantes, nimirum hoc ipso sunt magis de aliorum salute solliciti, quo fœdiùs ipsi ceciderunt. Sanctus Petrus Damianus serm. 27. de sanctis Apostolis Petro, & Paulo ita rem expendit: *Quid est, quòd sic* LABUNTUR, *qui præficiuntur Ecclesiæ? sapientia suauiter disponens omnia, hæc ideo fecit vt in se ipsis prædicti Principes discerent, qualiter* ALIIS MISERERI *deberent*. Pergit Petri misericordiam explicare. *Hæc, misericordia facit Petrum ab Hierusalem in Antiochiam currere, ab Antiochia venire Romam, prædicare verbum Dei, subuenire peccatoribus, peccatis parcere, misericordiam superexaltare iudicio.* Et de Paulo statim subdit: *Aspice & Paulum quàm dulcioris misericordiæ cumulata benignitas totam Apostoli mentem vera compassione succenderat; quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Hoc affectu nauigat mare, currit in Hierusalem, lapidatur, verberatur, affligitur; vide, currit ad Ephesios, Corinthios quærit, circuit Colossenses, Philippenses visitat, reuertitur ad Romanos, misericordiam spargit, vbique diffundit pietatem, & cælestium semina gaudiorum*; eóque velocior Paulus ibat, quo se quondam cecidisse altiùs cogitabat.

Propter seruū percusū permissus est cadere Petrus. Cæsarius.

45. Cecidit Petrus, magistrum negauit; cur istuc Deus permisit? præcipuè, quia nimis sibi fidebat Petrus, sed & quia nimis in Pontificis seruum sæuiit, cui auriculam amputauit, de vulnere ad lapsum it, & percutiens cadit; ita Cæsarius sancti Gregorij Nazianzeni frater dialogo 4. vbi ait: *Permisit Petrum cadere Dominus propter* PERCUSSUM *Pontificis seruum, & amputatam eius aurem*; tantum vel iustæ vindictæ signum nocuit Petro; quàm grauis eos pœna manet, qui contra ius, & fas se vindicant, & leui iniuria perculsi immaniter in inferentes sæuiunt?

Ad pœnitentiam prouocauit Petrū Christus, suarum pœnarum oblitus. S. Ansel.

Cecidit, sed resipuit, ad Christum statim rediit, quem priùs negauerat, post lapsum ad pœnitentiam currit. Non negauit Petro auxilium suum Christus à Petro negatus; quin magis discipuli solicitus, quàm sui, pœnarum, mortisque sibi impendentium animo ad discipulum qui ceciderat, cucurrit, eúmque ad pœnitentiam inuitauit. Pulchrè sanctus Anselmus in cap. 16. Matth. *Iesus*, inquit, *enim inter pontificale concilium solo tenebatur* CORPORE, *animum trepidantis discipuli foris positi ad* POENITENTIAM *prouocauit*; magis eum discipuli lapsus cruciabat, quàm sibi latæ contumeliæ, illata sibi tormenta, & inferenda; in quo veri pastoris, & de suæ ouis salute solliciti exemplum habes.

Petrus primus peccans ad sepulchrū primus currit. Ioan. 20. S. Chrysost.

Cadit Petrus, & qui primus erat Apostolorum, primus negat eum, à quo electus erat in Apostolum. *Verùm*, inquit sanctus Chrysostomus orat. in Apost. *qui primus* NEGAVERAT, *ad sepulchrum* CUCURRIT *primus*, & licèt etiam discipulus dilectus cucurrerit, introiuit tamen primus in sepulchrum Petrus; quo exemplo monemur ad Christum celeriùs ei currendum, qui fœdiùs cecidit; & plerumque ita fit, vt præteriti lapsus alas addant resipiscenti, tardior futuro nisi cecidisset; qui errantem Petrum sequutus est, sequatur & pœnitentis Petri cursum.

Lachrymis suum crimen Petrus expiauerit, non verbis. S. Max.

46. Peccauit Petrus, sed lachrymis sui criminis maculas expiauit; fleuit, sed tacuit, fors vt ab Adami errore se subduceret, neque vt ille ceciderat, sicut ille crimen suum excusaret si loqueretur; fleuit ne posset excusare, quod perpetrauerat. Scitè sanctus Maximus hom. 3. de pœnitentia Petri: *Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari, vt quod defendi non potest, ablui potest; non se suæ* LINGUÆ *credidit, qua Christum negauerat*; tacuit ne lingua crimen defenderet, aut minueret.

Cœli ostiarius factus qui ad ancillæ ostiariæ vocem cecidit. Philipp.

Ad ostiariæ vocem cecidit Petrus, humani generis columna, & tamen cœli ostiarius fit, exhibentur & cœlorum claues, adeò non impediuit hoc munus ostiariæ, vt etiam ipsius occasione hunc titulum sit indeptus Petrus; datæ sunt quippe ei claues, *ne ei improperetur, quod negauerit ad vocem* OSTIARIÆ, ait Philip. de Greu. in Psal. 11. serm. 5.

Maior potestas Petro collata, quàm Angelis. S.Petr.Dam.

Christi familiaris haud est, qui non est Petri. Idem.

47. Quod Petrus ligat, hoc ligat Christus; quod Petrus soluit, soluit Christus in hoc maiore dignitate donatus, quàm donati Angeli fuerint; rem grauiter expendit sanctus Petrus Damianus serm. 26. qui est de sancto Petro Apostolo, ait quippe: *Licet assistant Angeli Præsidentis imperium expectantes, & administratoris spiritus assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi, atque soluendi possidet potestatem. Adest Petrus, & ad eius arbitrium orbis vniuersitas soluitur, & ligatur; & præcedit* PETRI SENTENTIA *sententiam Redemptoris, quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso id attestante; Quodcumque, inquit, ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. O quàm potens dignitas, quàm digna potentiâ? Iudicat Petrus, & Petri iudicia confirmat Omnipotens; & est in manu Petri manus Altissimi;* SOLUSQUE ILLE EFFICITUR FAMILIARIS CHRISTI, QUI PETRI FAMILIARITATEM HABUERIT, atque adeò à Christi familiaritate excluditur, qui Petri non est familiaris, qui in Ecclesia Romana veréque Catholica Petrum odit, & in Petro Ecclesiam. Claudit sanctus Pater: *Quid est, quòd Angelorum, & hominum agminibus exclusis, solus Petrus in consortium diuinæ maiestatis, & cum Domino residet præsidente? Dulce colloquium, sancta conuersatio, concilium speciale Petri, & Dei, vbi secretorum indifferentia mortalem hominem Deo copulat*, &c.

Quod serpens Adamo, hoc Petro Iudas fuit. S.Maxim.

48. Ad lachrymas iuit statim Petrus, non quæsiuit latebras, vt ob id citius Petrus surrexerit quàm Adamus, quia hic se abscondit, hic foras prodiit, & lachrymas fudit. Sanctus Maximus serm. de pœnitentia Petri, sic cadentem Petrum cum Adamo cadente conferebat: *Fideles non nisi per mulierem oppugnare Diabolus consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hic Petrum vincit per ostiariam, fuit enim, sicut legimus, in Paradiso deliciarum Diabolus; nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Iudæorum; ibi imminebat satanas serpens, hîc Iudas coluber perurgebat.*

Malorum consortium benis quàm noxium. Idem.

Dicetes Iudæ exemplum ad lapsum traxisse Petrum, & Iuda magistrum prodente Petrum eundem negauisse; tantum vnius mali consortium cæteris nocet, licèt magni, ac fortes videantur. Pergit sanctus Pater: *Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit. Transgrediens vterque præceptum pari modo delinquunt; gustat ille, quod non licet, loquitur iste, quod non decet, & tamen facilior negatio Petri, quàm Adæ præuaricatio; citius enim Apostolo, quàm protoplasto subuenitur. Hunc enim Deus ad vesperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem Adam reus facti nudus erubuit; Petrus conscius delicti correctus ingemuit; ille tamquam deprehensus festinat ad latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad lachrymas: velut* LATENTI *enim & celanti à diuinitate Adæ dicitur: Adam vbi es?* nimirum curatur difficilius, qui vulnus tegit medico retegendum.

Citius Petro subuenitur quàm Adamo, quia iste latere voluit, non ille. Idem.

Denique Petrum Adamo sic pariebat, imò sic opponebat sanctus Paschasius Rathbertus lib. 3. in Matthæum, *quia primus homo inobediens fuit in Paradiso, consequens erat, vt prius Simon, quod est* OBEDIENS, *rursus iter sumeret in regressum.* Qui Simonem Petrum dignè vult colere, sit ipse Simon, obediés sit, obedientiá colat; consortes regni cum illo erimus, si fuerimus virtutum illius imitatores.

Petrus obediens Adamo inobedienti oppositus. S. Pasch.

ADAGIVM VI.

Leonem iugulare tentans, firmiter apprehende.

49. PRouerbiale monitum sancti Ephræmi Syri adhortat ad pietatem, vbi ait: *Si, dilectissime,* LEONEM *iugulare sentes, firmiter apprehende, ne fortè tibi confringat ossa instar vasis testacei.* Fortes nisi probe firmitérque comprehendantur, magis efferuntur, & magis sæuiunt irritati.

ADAGIVM VII.

In prætoriis Leones, in castris Lepores.

QVi in re secundâ fortes, in tuto locati magni animi, in dubiâ verò fugaces, & in periculosâ timidi, aptè hoc prouerbio percelli poterunt, cuius meminit Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *Cùm sint,* inquit, *in prætoriis* LEONES, *in castris* LEPORES.

ADAGIVM VIII.

Magna expectanti ridiculum producere murem.

VBi magna expectantur, & vilia fictiliaque exhibentur, locus prouerbio erit; hinc & illud ex prophanis,

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Sed præstat hîc Beati Bernardi verba proferre, qui epistola 153. hoc sensu hanc sententiam extulit: *Nimirum proinde quantum id curiosius velle te sentio, tanto, crede mihi, scrupulosius acquiesco. Cur hoc? Ne* MAGNA *videlicet* EXPECTANTI RIDICVLVM PRODVCAM MVREM. *Hoc vereor, & hæc causa cunctationis meæ. Et quid mirum si vereor dare, quod edere verecundor.*

ADAGIVM IX.

Tithoni, & Arganthonij senecta.

PRouerbium in eos cõuenit, qui diu viuunt, 50.
ætatémque circumferunt multis annis, non onustam modò, sed, vt ita dicam, detritam. Scitè sanctus Basilius homilia de legendis libris Gentilium, *Ego,* inquit, *etsi Tithoni* SENECTAM, *&* ARGANTHONII, *ac Mathusalem illius, qui mille annos triginta minus vixisse dicitur; denique si tempus omne ab initio, quo cœperunt homines, computes, sane vt pueri sententiam ridebo ad prolixum illud, vt nulli senio obnoxium sæculum respiciens, cuius nec finem est vllum mente deprehendere, non magis, quàm immortalis animæ mortem cognoscere, ad cuius possessionem admonemur comparandum esse viaticum, ac omnem lapidem, secundùm prouerbium, mouendum, vnde aliqua nobis vtilitas ad hoc consequendum prouentura sit.*

Bona illa senectus, quam morum, bonorúmque operum candor insignit, vt sicut in senis capite capilli candidi fiunt, sic in iusto opera à peccati nigredine sint immunia; festiuè de hac re philosophatur sanctus Augustinus in Psal. 91. ad illud, *& senectus mea in misericordia vberi,* seu, vt ille legit, *pingui*; sic autem loquitur sanctus Doctor: *Quid dixi, senectus mea? Nouissima mea. Quomodo in ætatibus nostris nouissima* SENECTVS *est, sic totum hoc quod modò patitur Christi corpus in laboribus, in ærumnis, in vigiliis, in fame, in siti, in scandalis, in iniquitatibus, in pressuris, iuuentus ipsius est* SENECTVS *ipsius, idest, nouissima ipsius, in lætitia erunt. & intendat charitas vestra, quia dixi senectutem, ne putetis & mortem: homo enim in carne ideo senescit vt moriatur. Senecta Ecclesiæ candida eris rectè factis, morte autem non corrumpetur. Quod est caput senis, hoc erunt opera nostra. Videtis quemadmodum canescat caput, & inalbescat, quantumcumque senectus accedit. Qui bene senescit, ordine suo quæris illi aliquando in capite capillum nigrum, & non inuenies: sic cùm fuerit vita nostra talis, vt quæratur nigritudo peccatorum, & non inueniatur, senectus sua iuuenilis est, senectus ista viridis est, semper virebit.*

ADAGIVM X.

Thomas noster.

ELectetur ad eum, qui non facilè quidpiam 51.
credit, nisi rem ipse videat, imò & cõtrectet; huc illud Tertulliani lib. de animâ cap. 50. *Videat,* inquit, *illos* MEVS THOMAS, *audiat, contrectet, & credat.* Alludit ad Thomam Apostolum, cuius priùs fuêre illa verba: *Nisi videro in manibus fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*; & postea credens exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus,* Ioann. 20. priorem infidelitatem fide amore animatá abstergens, & oblitterans.

Aberat ab Apostolorum cœtu Thomas, vt ab hac causa Christum videre non meruerit; frustrà est, qui quærit diuerticula, & sponsi præsentiam boni quærit; huc enim rem flectebat sanctus Bernardus serm. 6. de Ascensione; *Falleris,* inquit, *Thoma sancte, falleris si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus, non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent, in medio stat, idest, disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur. Vsquequò miser diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas.*

Tho

Thomam quî cum laude referre possimus, ducet sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 42. vbi ait: *Quòd si* THOMAE INSTAR *à cœtu discipulorum, quibus apparuit Christus, absueris, posteàque videris, ne rei fidem abroges: quod si id tibi fidem non facit, narrantibus saltem crede: si ne his quidem, at certè clauorum impressionibus fidem habe.* Quæ verba sic illustrat Nicetas eius scholiastes: *Quisquis*, inquit, *in fidei doctrina dubitat, Thomas est, ac eodem modo Didymus, qui ægrè adducitur, vt virtutis, & scientiæ ipsi insita, ac per admissum peccatum mortuæ resurrectionem fore credat. Discipuli autem sunt, qui certa fide sibi persuadent Christum, hoc est, emortuam priùs virtutem, per diuinam potentiam in ipsis reuixisse: quique vt Christi discipuli loco, sic ipsi concordia, sententiæque firmitate, & constantia coniuncti sunt, ad quos etiam Christi gratia immineat. Si igitur tibi contigerit, vt ab eorum cœtu absueris, hoc est, per te minus credas, saltem his, qui huiusmodi resurrectionis periculum fecerunt, ac rem ita se habere confirmant, fidem arroga. sine his quidem, at certè veterum peccatorum memoria in mente citra passionem impressa tibi fidem faciat. Passionis autem expers memoria nihil est aliud, quàm præteritarum rerum absque voluptate, & mœrore impressio, nullas habens vulnerum perforationes, propter eam, quæ postea secuta est, tranquillissimam animi constitutionem, quam qui non senserit, ne alij quidem crediderit, quemadmodum* THOMÆ *accidit. Memoria itaque peccatorum vestigium, atque impressio est: claui autem ipsa peccata prolabentes homines transfigentia. Quocirca eam vim habueris, vt ea sine vllo animi affectu, memoria recolere queas, tum demum tibi huiusmodi virtutem resurrexisse persuasum habe.*

ADAGIVM XI.

Ex mari, aut ex magno flumine aquæ cyathum haurire.

52. CVm innumera de argumento aliquo aut dicenda, aut scribenda offeruntur, & omnibus ferè prætermissis paucissima tantùm verbo, aut scriptione exhibentur, tunc opportunè sententiam hanc quadam prouerbij figurâ vsurpabimus. Hanc adhibuit sanctus Petrus Damianus serm. 37. de sancto Ruffino, dum ait: *Ipsa quoque miracula enumerãdo persequi cuncta negligimus, sed velut* EX MAGNO QVODAM FLVMINE CYATHVM HAVRIENTES *trahimus.* Præterea ex mare cyathum haurire, illi quoque dicuntur, qui cùm ingentibus opibus obruantur, exiguum quid, atque pusillum indigentibus præbent; quos premit sanctus Chrysostomus hom. 37. ad Populum Antiochenum, ait enim: *Quid vtilitatis, cùm tantum abundans dederis, quantum si quis* EX MARI CYATHVM HAVSERIT, *& neque generosum viduæ mulieris animum imitatus sis?*

ADAGIVM XII.

Cynica vana gloria.

53. HAc laborare prouerbialiter dicentur, qui ea commoda spernentes, quibus alij vtuntur, inanis gloriæ studio correpti id præstant; hinc illud Clementis Alexandrini lib. 2. pædag. cap. 9. *Rursus*, inquit, *est* VANAE GLORIAE CYNICAE *ad dormiendum, quemadmodum Diomedes se exercere agrestisque bonis constrarat tergora cultus, nisi fortè cogat casus aliquis.* Plerumque ita fit, vt à communi viuendi consuetudine se aliqui subducant, non virtutis amore, sed auræ gratia captandæ.

ADAGIVM XIII.

Ad cursum flumina prouocare.

LOcus prouerbio erit si ad id aliquis prouocerut, quò spontè currit: hinc illud Ennodij lib. 1. epistola 2. *Hac*, inquit, *fiducia prouocassem* AD CVRSVM FLVMINA. *Faustum meum ad facundiam, vt redundantis sit opere eò quempiam prouocare, ad quam propensissimus sit.* 54.

ADAGIVM XIV.

Mosis Tabulæ.

Πλάκας μωσίας, id est, *Mosis tabulas*, prouerbiali figura dixit sanctus Gregorius Nazianzenus in funebri oration. sancti Athanas. pro re inuiolabili, & sacrosanctæ augustæque reuerentiæ plena, vbi ait Athanasij tantam fuisse existimationem, vt legis loco haberetur, quidquid vlli visum esset, rursus execrabile, quod ille respuisset, ἐν πλάκαις μωσίαις αὐτοῖς τὰ ἐκείνου δόγματα; *quòd ipsius decreta populi essent* ABACI MOSIS. Quidquid ergo magnâ religione obseruamus, eximiâ reuerentiâ colimus, id à nobis *pro Mosaicis tabulis* duci dictum.

ADAGIVM XV.

Concedere vnciam, & totam libram auferre.

QVadrat in eos omnes, qui exilia, & minima concedunt, vt totum deinde auferant; vt si 55. quis minimum quid pecuniæ alteri donet, aut remittat, totum ab illo suscepturus; sic & hæretici aliquid veritatis admittunt vt totum auferant; hoc sensu videtur extulisse sanctus Optatus Mileuitanus lib. 2. dum ait: *Vos vt* CONCEDATIS VNCIAM, TOTAM LIBRAM AVFERRE CONAMINI.

ADAGIVM XVI.

Tanquam ex oraculo promptum aliquid dicere.

CVm quis aliquid vt ab omni dubio alienum pronunciat, & dignum cui vt certissimo plena fides adhibeatur, tũc huic prouerbio locus erit; nam oracula & breuitate, & veritate insignia insignitaque habebantur. Arnobius lib. 1. aduersùs gentes ita loquitur: *Quoniam comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, insanire, bacchari, & velut quiddam* PROMPTVM EX ORACVLO DICERE; cui simile est illud sancti Augustini, vt etiam Heraldus animaduertit, qui lib. 2. de Ciu. Dei cap. 22. de hoc Ennij versu;

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Hæc habet, *quem quidem ille versum vel breuitate, vel veritate, tanquam* EX ORACVLO *mihi quodam esse effitus videtur.* ad paria dicta formula par traducetur.

ADAGIVM XVII.

In vetere viâ nouam semitam quærere.

56. VTemur hoc prouerbio cùm versamur quidem illud, quod nec nouum, nec ab aliorum aut calamis, aut operâ intactum, & illibatum, sed nouam in eius tentatione rationem inimus, vt alia ab aliis incedamus viâ, & in trito argumento nouo itinere pergamus; hoc sensu hoc prouerbium extulit sanctus Hieronymus epist. 11. quæ est ad Ageruchiam viduam, ait enim: IN VETERE VIA NOVAM SEMITAM QVÆRIMVS, *& in antiquâ, detritáque materiâ rudem artis excogitamus elegantiam, vt nec eadem sint, & eadem sint vnum iter, & perueniendi, quo cupias, multa compendia.*

Salutem suam quærens nouas non instituat vias, nouas sibi semitas non paret, nec illius vestigio temeratas, per tritas eat, & alterius pede calcatas, vt securior pergat. Legimus in vna Iacobi scala Angelos descendisse, & ascendisse, non plures diuersæ scalæ adhibentur, vna sufficit, per eam nempè viam, qua quis est lapsus, per eam surgat, & ascendat, & qui superbia descenderat, ascendat humilitate. Acute huc flexit sanctus Bernardus tract. de gradibus humilitatis; *Per vnam,* inquit, *scalam ascendentes Angelos, & descendentes Iacob apparuerunt; quorsum spectant hac? vt videlicet si ad veritatem redire cupis, non necesse sit viam quærere nouam, quam non nosti, sed notam, qua descendisti, quatenus reciprocis gressibus tua ipse vestigia sequens per eosdem gradus humilitatis ascendas, per quos superbiendo descenderas.* Lapsus viam docet, qua à lapsu erigamur.

ADAGIVM XVIII.

Ex tumulis montes facere, ex culice elephantem.

57. QVi exigua quæque verbis adeò efferunt, vt grandia appareant, & parua ad ingentem magnitudinem exaggerando euehunt, hi *ex tumulis montem facere* dicentur, & *ex culice elephantem;* hinc illud Beati Thomæ à Villanoua conc. 4. de Adu. *In hac,* inquit, *schola homines edocti sunt, vt discerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parua, exigua attollere, ex* TVMVLIS MONTES FACERE, *ex* CVLICIBVS ELEPHANTOS; in eos vniuersè, qui res nimium putidéque exaggerat, prouerbialis hæc formula quadrabit.

ADAGIVM XIX.

Columbæ serpentem miscere.

QVi prudentiam simplicitate ornat, & simplicitatem prudentia munit, is columbæ serpentem miscere prouerbialiter dicetur. Scitè Clemens Alexandrinus lib. 7. stromatum: μίξας τῷ ἀκεραίῳ τὸν ὄφιν, τελείως ἅμα, καὶ εὐσυνειδήτως βιοῖ: *Qui* COLVMBAE SERPENTEM MISCET, *simul perfectè viuit, & cum bonâ conscientiâ.* & Stobæus serm. 3. *Qui serpentis prudentiam in malis columbinæ simplicitati circa bona miscuerit, is neque prudentiam sinet malignam fieri, neque simplicitatem stolidam.* Sanctus Hieronymus hanc columbæ, & serpentis mixtionem ita versat epist. 13. quæ est ad Paulinum: *Habetò simplicitatem* COLVMBAE, *nec cuiquam machineris dolos, &* SERPENTIS ASTVTIAM *ne aliorum supplanteris insidiis.* Sola simplicitas haud tuta est, ni serpentis astutiâ muniatur, dolosa astutia sola est, si columbæ simplicitate destituatur.

ADAGIVM XX.

Difficile est asinum confricantem auertere.

CVm significare voluerimus ægrè aliquem posse ab aliqua re diuellere, cui lubens hæ- 58.
reat, vti hoc adagio poterimus; nam vulgo adagij vice fuisse olim iactatum euincunt hæc B. Simeonis Metaphrasti verba, qui in vita sancti Theodosij Cœnob. ita loquitur: *Difficile enim est, (vt est in prouerbio)* ASINVM CONFRICANTEM AVERTERE, quod porrigi ad eos poterit, qui passione aliqua, affectuque ita corripiuntur, vt vix, aut ne vix quidem auocari ab illa, ab illo possint.

ADAGIVM XXI.

Sui ipsius corruptor.

QVi sibi causa mali est, suam ipsius culpam suâ malitiâ nutrit, & fouet, & à suâ prauitate mouetur, vt delinquat, aut in culpâ perseueret, is prouerbiali quodam schemate suimet ipsius corruptor audiet. Meminit huius prouerbij sanctus Basilius in libro Regularum fusiùs disputatarum interrogat. 28. in hæc verba: *Qui ita animo affectus sit, vt ad exequenda Domini mandata cunctabundus accedat, & lentescens eius primò simul misericordiam capere reliqui omnes debent, veluti membra grauiter affecti, ipseque priuatis admonitionibus Antistes operam dare, vt morbum ab eo illud depellat. Permanentem autem in obstinatione, neque ipsum se ipsum emendantem acriùs coram cunctis fratribus redarguere, eique medicinam summâ cum lenitate, & verborum exhortatione adhibere. Porro is si postquam admonitus sæpiùs fuerit, nihilominus tamen inuerecundè in vitio perseuerare, neque subeundis alacriter laboribus segnitiem suam emendare contendere, animaduersus sit, hunc perinde, vt* IPSVM SVIMET IPSIVS CORRVPTOREM *(vt est in prouerbio) non sine quidem multis lachrymis, lamentationibúsque, vt membrum tamen penitùs vitiatum, inutileque Medicorum more à reliquo corpore præcidere conuenit.*

ADAGIVM XXII.

Angelus Satanæ.

PLerumque, quod per se ipsum efficere Dæmon nequit, per alios exequi studet, ar- 59.
matque contra homines. Qui igitur tanquam

satanæ

ſatanæ ſerui,ſatanæ obſequuntur, eius partibus fauent, io iuſtos innocentéſque ſæuiunt, hi Angeli ſatanæ dici poterunt: hoc ſenſu extulir ſanctus Chryſoſtomus Pauli verba explicans; quibus ſe dixit ab Angelo ſatanæ colaphizatum, 2. Cor. 2. *Per* ANGELVM SATANÆ, inquit ibi ſanctus Pater, *Alexandrum Ærarium, Hymenaiúmque Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ auerſabantur, cum ipſo contendebant, bellum gerebant, cædebant, rapiabat, intelligit quod videlicet ea quæ ſatanæ erant, perpetrarent*; & orat. 5. idem ſanctus Pater eodem reſpiciens, aiebat: *Datus eſt mihi ſtimulus Angelus ſatan. Noli Diabolum intelligere, ſed eos, qui Diaboli ſtudia, & facta æmulantur: Græcos, Iudæos, malos genios, qualis fuit genius Alexander ille Faber ærarius, de quo Paulus: multa mihi mala oſtendit. Ille quidem certè* ANGELVS ERAT SATANAE: *nam eadem faciebat. Tales erant illi, qui in carcerem illum coniecerant, qui ipſum flagellabant. Ergo homines angelos ſatanæ, qui illius adminiſtri ſunt, qui Euangelij doctrinam extirpant, qui eius prædicationem impediunt, qui ipſum flagellant, qui profligant accipe*; & vniuerſe impius quilibet, & inſigniter malignus qui in bonos ſæuiat, Diaboli partes tueatur, diaboli miniſter in Dei ſeruis torquẽdis, & eruciandis ſit, ſatanæ Angelus audiet, quo titulo hæretica lue infecti gaudent.

ADAGIVM XXIII.

Rami tui umbras montium tranſcendunt.

ABiit formula hæc in pronerbium, de eo qui magnus celebriſque paſſim habeatur. Berengarius Scholaſticus in Apologetica ita loquitur: *Caput tuum nubes tangebat, & iuxta vulgare prouerbium*, RAMI TVI VMBRAS MONTIVM TRANSCENDEBANT; quod iactati in quemlibet poteſt, qui in peritiam, aut ſanctitatẽ plurimi ab omnibus fiat, & ſuper cæteros famâ euehatur.

ADAGIVM XXIV.

Dominari nequit, qui priùs alicui ſeruitutem præbere denegat.

60. NImirũ imperiũ in aliũ rectè exercet, qui priùs ſe ſubdiderit imperio. Hoc prouerbiũ refert auctor operis de 12. abuſionibus ſæculi, quod S. Cypriano ab aliquibus tribuitur; nam cap. 5. ita loquitur (quiſquis ille eſt;) *Qualiter in ſenectute aliis miniſterium imperabit, qui in adoleſcentiâ ſe ſenioribus obedientem præbere contemnit? Vnde & in prouerbio apud veteres habetur, quòd dominari nequeat*, QVI PRIVS ALICVI SERVITVTEM PRAEBERE DENEGAT. ſcilicet ægrè aliis imperat, qui à ſe ipſo non didicit, quales eſſe ſuperiores debeat, dum ſuperiores habuit, quibus paruerit.

ADAGIVM XXV.

Vulpes ceraſa non curat.

CVm quiſpiam id quod conſequi non poteſt, vituperat, & damnat, aptè prouerbium iſtuc vſurpabitur, à fabulâ natum de vulpe, quæ ceraſa ſe non curare dixit, quia obtinere non potuit; frequens hoc apud noſtros prouerbium eſt, cuius meminit & Petrus Abaëlardus epiſt. 4. dum ait: *Myſtica quadam de vulpe fabula in prouerbium à vulgo eſt aſſumpta. Vulpes, inquiunt, conſpectis in arbore ceraſis repere in eam cœpit, vt ſe inde reficeret, quò cùm peruenire non poſſet, & relapſa decideret, irata dixit:* NON CVRO CERASA: *peſſimus eſt eorum guſtus; ſic & quidam huius honoris Doctores, cùm Dialecticarum rationum virtutem attingere non poſſint, ita eam execrantes vt cuncta eius dogmata putent ſophiſmata & deceptiones, potius quam rationes arbitrentur.* Noſtri eleganti Italiſmo ſic efferunt hoc prouerbium: *La volpe non vuol cireggie, ma però guarda in sù.*

ADAGIVM XXVI.

Vtriſque manibus aliquid verſare.

ESt diligenter perfectéque, non extimè, ac perfunctoriè aliquid euoluere, aut expendere, aut tractare. Prouerbialem autem formulam hanc eſſe innuit ſanctus Chryſoſtomus hom. 51. in Geneſim, vbi Paulum ſua crimina cogitantem effert in hunc modum: *Audi Doctorem orbis, animam illam, quæ in cœlo verſata fuit, quomodo poſt tot præclara opera, poſt tantum de cœlo teſtimonium*: Vas enim, inquit, electionis eſt mihi hic) *nõ obliuiſcitur ſuorum delictorum, ſed vtriuſque manibus* (VT AIVNT) EA VERSAT, *& neque eorum memoriam obliterari patitur, de quibus certiſſimus erat, quòd per Baptiſmum fuerant dimiſſa: ſed clamat, & dicit, Minimus ſum Apoſtolorum, & non ſum dignus, vt vocer Apoſtolus. Et poſtea vt excellentem eius diſcamus humilitatem, addit, eo quòd perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Quid ais ô Paule? Dominus per miſericordiam ſuam deleuit, & ignouit omnia peccata tua, & tu adhuc ſubinde verſas & memoras? Etiam. ſcio enim, dicit, & non ignoro quòd eà Dominus meus dimiſerit, ſed dum mecum conſidero quæ fecerim, & video diuinæ miſericordiæ pelagus, bene diſco, quòd gratiâ & miſericordiâ Dei ſum, quod *ſum*, quod ad alia quælibet porrigi haud alienè poterit, quæ diligentiſſimè verſantur.

ADAGIVM XXVII.

Ex arido ligno ſuccum exprimere geſtiunt.

IN eos torquebitur, qui aliquid elicere ab 61.
aliquo quærunt, quo caret, aut carere debet, vt ſi quis à paupere opes exculpere vellet, ab imperito doctrinam poſtularet, Sanctus Petrus Damianus in eos iactauit, qui in habitu Monachi, qui mortificationem, (& eſt comes) aſperitatem fouet, mollitiem quærunt, & delectationem; ſic ille ſcribit ſerm. 73. *Enimuerò, qui Monachico habitu carnis delectationem quærunt*, EX ARIDO LIGNO SVCCVM EXPRIMERE *geſtiunt*, ex qua nimirum mollitie, & remiſſione viuendi pleriſque contigit, vt cùm multa ſciant, ſe neſciant.

ADAGIVM XXVIII.

Achilles.

DE forti, ſtrenuo, bellicoſo. Apud Romanos Q. Cotius propter fortitudinem cognomi-

natus est Achilles, vt auctor est Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Plautus in Mil. *Hiccine Achilles est*; & eadem comœd. *Age en* ACHILLES, *fiat quod te oro*; ex nostris sanctus Gregorius Nazianzenus in epist. ad Eudox. Rhetor. *ἀλλ' Ἀχιλλεῦ δάμασον θυμὸν μέγαν.* idest, *at, ô* MI ACHILLES, *ingentem iracundiam doma.*

ADAGIVM XXIX.

Extensis brachiis stantes carpere auras.

62. QVadrat in eos, qui magnum laborem subeunt nulli rei profuturum, operam omnem ludũt, frustrà fatigantur. Beatus Laurentius Iustinianus de disciplinâ Monasticæ cõuersationis cap. 34. in eum torquet, qui discretione catens, in cæterarum virtutum indeptione insudat: *Discretionis*, inquit, *virtute carens, qui talis est, nudato homini similis est, qui* EXTENSIS BRACHIIS STANTES CVPIT CARPERE AVRAS.

ADAGIVM XXX.

Excaldatus aquam timet.

TRitum vulgi sermone prouerbium, cui locus erit, cùm quis aliquâ calamitate, aliquâ pœna pressus, aliquo damno perculsus, postea etiam ibi timet periculum, vbi timendi nulla occasio est. Petrus Abbas Cellensis lib. 5. epist. 7. *Est*, inquit, *prouerbii*: EXCALDATVS AQVAM TIMET; *frigidam scilicet*; hinc ille Italismus; *Cane scotato fossia su l'aqua fredda.*

ADAGIVM XXXI.

Facere de necessitate virtutem.

63. FRequens vulgò prouerbium, vsurpari solitum, vbi quæ necessariò patienda, aut præstanda, voluntatis ascensu flectuntur ad virtutem, & ad meritum. Sanctus Petrus Chrysologus serm. 42. pœnitentiam in vitæ extremo, cùm quis vix potest peccare, hac sententia suadet, ait quippe: *De peccato vel tunc pœniteat, quando sentit iam se non posse peccare, & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus*: FACIAT DE NECESSITATE VIRTVTEM, *moriatur innocens, qui totus vixit in crimine.* S. Hieronymus epist. 10. quæ est ad Furiam; *Arripe, quæso, occasionem, & fac de necessitate virtutem.* lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum: *Quin potius*, inquit, *habeo gratias, quòd* FACIO DE NECESSITATE VIRTVTEM; VVilhelmus Malmesburiẽsis lib. 1. sic extulit: *Illius terræ homines inuenerunt sibi* EX NECESSITATE VIRTVTEM; S. Bernardus serm. 42. in Cant. ad eos, qui vtilitatem suam intus agnoscũt, flectit, monens, vt voluntatem adiiciant, sic enim fiet virtus, quæ nuda est necessitas; hæc eius verba: *Si iam apud te ipsum humiliatus es, necessariâ illâ humilitate, quam scrutans corda, & renes veritas sensibus ingerit animæ vigilantis, adhibe voluntatem, &* FAC DE NECESSITATE VIRTVTEM, *quoniam nulla est virtus sine commendatione voluntatis; sic autem fiet istud, si nolis alter apparere foris, quàm te inuenis intus.* Pergit, & huc vocat Salomonis sententiam duplex

pondus damnantis, & reiicientis. Prouerbiorum cap. 20. *Pondus*, inquit, *& pondus abominatio est apud Deum; quid enim? tu te depretiaris in secreto, apud te ipsum veritatis trutinâ ponderatus, & foris alterius pretio mentiens maiori te pondere vendis nobis, quàm ab ipsa accepisti?*

ADAGIVM XXXII.

In tractatibus cochleæ.

OMninò in rebus perficiendis tarditas & morositas hac prouerbiali cõparatione traducetur, qua vsus & Sidonius Apollinaris lib. 5. ep. 7. vbi ait, IN TRACTATIBVS COCHLEÆ, *in contractibus trapezitæ*; & lib. 8. ep. 12. Cochlearum tarditate, quæ cùm domum secum deferant, cunctantissimè se mouent, tardum cuiuspiam aduentum premit; *Quid mussitas?* inquit, *quid moraris? Ipse tuum mihi videntur aduentum* REPTILES COCHLEÆ *cum domibus natiuis anteceßisse.*

ADAGIVM XXXIII.

Sub Leonis pelle vulpem occultare.

QVi apertam vim astutiæ, & fraudi nectit, quique animum subdolum minis, & furori iungit, is sub Leonis pelle vulpem dicetur occultare; quo sensu Lysander dictitabat eùm leonina pellis nihil proficeret; tum demum vulpinam assuendam. Sanctus Gregor. carm. aduersùs falsos Episcopos huc spectans, aiebat:

Non hic magnanimi contectus pelle LEONIS
VVLPINVM *occultat pectore* SERVITIVM.

Quibus verbis eos vellicat, & notat, qui ad sublime dignitatis culmen euecti, subdolo se animo in seruitutem hominibus addicebant: lucrum inde sperantes vel captantes auram popularem, vt notabat etiam scholiastes.

ADAGIVM XXXIV.

Lucernam accendere orto iam sole.

IN fatuum, stupidúmque torquetur, qui aliquid tunc præparare intentat, cùm minimè necessarium est. Sanctus Ephrem Syrus de pœnitentiâ; *Nullus*, inquit, *sic est fatuus, ac stupidus, vt* LVCERNAM ACCENDAT AD CERNENDAM LVCEM, ORTO IAM SOLE. 64.

ADAGIVM XXXV.

Tanquam alter Sampson aurarum sæcularium molam voluo.

IActabitur hoc prouerbium in eos, qui sæculi vertiginibus voluuntur, vt quod de se humiliter dixit S. Petrus Damianus epist. 9. verè eis conueniat, qui mundi molas voluunt; hæc sancti Patris verba: *Ego ego, proh dolor! tanquam* ALTER SAMPSON *septiformis Spiritus sancti dona quasi septem crines amisisse me defleo, & effossis oculis, non frontis, sed cordis* AVRARVM SÆCVLARIVM MOLAM VOLVO. Res ab Sampsonis historiâ desumpta est, quę in libro Iudicũ habetur.

ADA

ADAGIVM XXXVI.

Vel dextrum mihi oculum excusserim, quem norim me habere infensum.

Ritum olim, & frequens hoc prouerbium, quod hoc sensu producebatur, cùm quis nulli se parciturum significabat, si iniuriâ aliquâ afficeretur ab eo. Refert,& reiicit sanctus Chrysostomus serm. cui hic titulus, *Diligamus omnes, etiam persequentes*; ait quippe: *Neque nostrûm quispiam dictum illud vulgatum, & frigidum vsurpet, quo dici solet, Amore prosequar me colentem; & illud* VEL DEXTRVM MIHI OCVLVM EXCVSSERIM, QVEM NORIM ME HABERE INFENSVM. Dæmonum dicta sunt hæc, publicanóque potius, vel Gentili diffidére digna; istuc idem habet hom. 27. in epistolâ ad Romanos dum ait: *Neque frigidum illud,& imbecillum animi verbum proferat: Si me dilexerit diligam.* SI ME DEXTER QVOQVE NON DILEXERIT OCVLVS, EFFODIAM ILLVM. Satanica sunt ista, publicanorúmque & Græcorum pusillanimitati conuenientia.

ADAGIVM XXXVII.

Cui non placet ministrare Domino vni, seruiet multis.

65. Ita sæpe accidit, vt qui ab vnius se Domini seruitute eximit, promiscuè plurimis cogatur seruire. Si res ad illum flectatur, qui verus omnium Dominus est, verissimum istuc esse deprehendetur, qui enim suaue Christi iugum reiicit, innumeris collum submittit, quæ omni suauitate sunt destituta, laborémque & onus, ea fetentibus afferunt. Sanctus Ephræmus Syrus de timore, ita loquitur: CVI NON PLACET MINISTRARE DOMINO VNI, SERVIET MVLTIS, *& qui non vult subesse præfecto vni, subiicietur multis per diuersa loca.*

ADAGIVM· XXXVIII.

Quid faciunt agni si titubant arietes.

Hoc est, si fortiores consternuntur, stare imbecilliores poterunt? si aliorum duces labuntur, non labentur, qui ducuntur? si aliorum Doctores errant, non errabunt discipuli, qui docentur? Sanctus Augustinus sermone 54. ex iis, qui nouissimè sunt editi, de Apostolis loquens, ait: *Dominus noster Iesus Christus etiam in discipulis redarguit incredulitatem, sicut modò Euangelium cùm legeretur audiuimus. Cùm enim dixissent, Nos quare eum non potuimus eiicere? respondit: propter incredulitatem vestram. Si Apostoli increduli, quis fidelis?* QVID FACIVNT AGNI SI TITVBANT ARIETES? quod porrigi ad eos omnes poterit, qui aliorum duces sunt, ac magistri. Pergit statim sanctus Pater: *Nec tamen eos misericordia Domini despexit incredulos, sed arguit, nutriuit, perfecit, coronauit.*

ADAGIVM XXXIX.

Dulcedine cum melle contendere, lenitate cum apro, candore cum lilio, claritate cum sole.

Eo spectant hæ omnes comparationes, & prouerbialiter vsurpari possunt, quoties cum perfectissimo in aliquo genere aliquis contendere conatur. Audiendus hic sanctus Bernardus, qui serm. 83. in Cant. de sponsâ loquens, ait: *Quid ergo? peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur desiderium suspirantis amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo* CVRRERE CVM GIGANTE, DVLCEDINE CVM MELLE CONTENDERE, LEVITATE CVM APRO, CANDORE CVM LILIO, CLARITATE CVM SOLE? *non.* 66.

ADAGIVM XL.

In solem iaculari.

Inaniter laborantis stultitia, ac temeritas hoc prouerbio traducetur; huc facit illud sancti Chrysostomi in Psalm. 1. *Quemadmodum, qui* IN SOLEM IACVLATVR, *& in cœlum iacit lapides, rem vanam, & inanem aggreditur.* Porrigi & ad eos poterit, qui temerè in viros magnos conuicia iaciunt, eósque calumniantur, qui cæteris scientiâ, aut etiam sanctitate prælucent.

ADAGIVM XLI.

Super glaciem scribere, & ad solem ponere.

Inutilem laborem signat hæc sententia, parum duraturam scriptionem, & infirmo nexam fundamento; quæ in illam quadrabit, quæ à fidei soliditate aliena est. Scitè rem versat sanctus Paschasius Radbertus in Prologo lib. de corpore, & sanguine Domini, dum ait: *Neque vt frequenter tibi obieceram* SVPER GLACIEM SCRIBENS AD SOLEM POSVI, *sed in soliditate fidei, & charitate Christi interiùs solidante semina vita saui,* super glaciem hæretica lue infesti scribunt, & ad solem ponunt; statim quippè liquescunt, & fluunt quæ scripserint, vbi in publicum produxerint, quod exararunt.

ADAGIVM XLII.

Ad cæteros talpa, caprearum in me oculos possidetis.

Hoc est, in alios cæcutitis, in me, in meaque lyncei estis; ita loquitur sanctus Hieronymus epist. 65. quæ est ad Pammachium, & Oceanum; vbi suos calumniatores perstringens, ait: *Ad cæteros* TALPÆ, CAPREARVM *in me* OCVLOS *possidetis.* Acutissimi visûs caprea; nullius talpa est. 67.

EXCVRSVS IX.

Curiosè aliena haud ſcrutanda.

Odio curioſi *habentur.*
Plerique obuium aliena conſiderare.
Non temerè *aliena facta iudicanda.*
Res mira de curioſo aliorum calumniatore.
Aliena peccata *occultanda*, non traducenda.
A noxiâ curioſitate *vt Deus nos auocet.*
A ſuperfluo labore *nos Deus eximit.*

Odio curioſi habentur. Syneſ.

ALiena ſcrutari qui amant, non amantur, ſed odio habentur; hinc illud Syneſij de prouidentiâ in calce: *Eos oderunt homines, qui* CVRIOSE NIMIS PERSCRVTANDIS *ſeſe rebus immiſcent.* in quod tamen vitium facile plerique incurrunt; nam, vt ait ſanctus Baſilius, hom. *εἰς τὸ πρόσεχε σεαυτῷ.* *Facilius eſt vnicuique veſtrûm* CVRIOSVM ESSE DE ALIENIS, *quàm ſua ipſius, & propria conſiderare.*

Plerisq; obuium aliena conſiderare. S.Baſil.

Non temerè aliena facta iudicanda.

Non temerè aliena facta ſunt iudicanda, nec quę occulta in malam partem ſunt accipienda, ad Dei tribunal minimè omnia tranſmittantur, qui in iudicio falli nequit, nec fallere nouit; ſcitè ſanctus Proſper in Epigram.

S. Proſp.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignũ eſt,
Præſertim quæ ſunt cognita ſi bona ſunt.
Non pateant faciles ſæuis rumoribus aures:
Quæ neſcirè iuuat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo: qui ſi quid opertum eſt,
Suſpicit, & nullis indiget indiciis.

68. Curiosè quidam inueſtigabat, quid ageret B.Io. Dei, viduam quandam adiens, & diligenter iter eius ſcrutabatur, vt Dei ſerui famam inficeret ſi poſſet; quid factum? Dum ad domum accedit, viduæ curioſus, ac inuidos, in pariete vidit peccata ſua exarata; vt ita moneretur ſcrutanda, & cogitanda ſibi eſſe ſua peccata, non aliena inueſtiganda; viditque gladium igneum eius capiti imminentem, & mortem minitantem, vt idcirco in terram cecideret tantùm non mortuus; quem erexit Dei ſeruus, & ſolatus eſt. ſic ferè in eius vita cap. 25. lib. 1. quo exemplo monemur non eſſe acutè, & noxiâ diligentiâ aliorum lapſus inueſtigandos.

Res mira de curioſo aliorum calumniatore.

Aliena peccata traducenda non eſſe, ſed potiùs occultanda, colligebat ſanctus Chryſoſtomus, ex hiſtoriæ narratione, quæ habetur apud Matthæum cap. 14. de Herodis, Herodiadiſque facinore; ſic enim ſcribit ſanctus Pater hom. 49. in Matthæum; *Non inſultemus proximorum peccatis, ſed quantum poſſumus,* OCCVLTARE CONEMVR. *Imitemur Euangeliſtam, qui etſi de muliere fornicatrice, & homicida diceret, quantum potuit tum abſque vlla reprehenſione narrauit, non enim dixit à ſceleratâ, & veſanâ, ſed à matre puellam admonitam atque inductam fuiſſe, ille honeſtiſſimò vocabulo matrem appellauit, Tu maledicis, & conuiciaris proximum.*

Aliena peccata occultanda, non traducenda. S.Chryſoſt.

69. A nihil profuturâ rerum curioſitate nos Deus auocat, dum illorum fluuiorũ meatus, qui à Paradiſo terreſtri fluunt, latère homines voluit, non alioquin acti curioſitate plerique Paradiſum inquiſiuiſſent; ſcitè Theodoretus quæſt. 19. in Geneſim, vbi quærens: Quâ fit, vt Moſes aſſerat Tigrim, & Euphratem e Paradiſo fluere, quos aiunt nonnulli è montibus Armeniæ ſcaturire? Reſpondet, *Videre licet, & alia flumina aliunde quidem egredi, ac inde in terram quibuſdam ductibus fluenta iterum ſurſum ſcaturire, quod & his fluminibus accidit; exeunt enim illinc, vt ait Scriptura diuina, poſtea per quoſdam meatus ſubterraneos tranſeuntia, ibi originem aliam ſumunt; quod quidem non fruſtra omnium Deus ita diſpenſauit,* SED VT AMPVTARET SVPERFLVAM HOMINVM CVRIOSITATEM. Quòd ſi præcidere curioſitatem illam Deus ſtuduit, quæ nos ad Paradiſum terreſtrem quærendum inuitaſſet, quanto magis vitanda illa nobis eſt, quæ cœleſtis regni aditum nobis impedit, & quantum poteſt a Paradiſi gloriâ auocat, cùm ſcilicet temerè aliena, quæ lateot, inueſtigantur.

A noxia curioſitate, vt Deus nos auocet. Theodor.

Pergit Theodoretus rem explicare; *Nam ſi paterent omnes eorum meatus, quidam vtique conarentur eorum ripas proſecuti locum Paradiſi perluſtrare, ſed fruſtrarentur optatis, & longitudine itineris feſſi, atque neceſſariorum penuria laborantes, modò in aſpera loca incidentes, modò in deſerta, interdum in manus crudelium, & barbarorum hominum deuenirent. Hæc igitur prauidens miſericors Deus, ignotos illorum meatus reddidit, à tot diſcriminibus mortales liberans, cœli vias, quas ineamus, nobis interim oſtendens.*

A ſuperfluo labore nos Deus eximit. Idem.

ADAGIVM XLIII.

Monachorum peripſema.

OMnibus vilior, & contemptibilior prouerbialiter dicetur, ita ſe humiliter indigitat ſanctus Paſchaſius in prologo lib. de corpore, & ſanguine Domini: *Paſchaſius Radbertus* MONACHORVM OMNIVM PERIPSEMA, *hoc ipſo Monachorum decus eſt, qui omnium ſe putauit peripſema, viliorem omnibus, abiectioremque.* Verſat in hac re ſanctus Nilus, cuius hæc mens, & ſententia eſt oratione num. 115. *Beatus eſt Monachus, qui ſe omnium* PERIPSEMA, *ideſt, abiectiſſimum reputat.* Transferri ad quemcumq; poterit cuiuſlibet tandem ſtatûs ille ſit; vt *militum peripſema, oratorum,* & denique *hominum peripſema.* Abbas Nathanaël apud Palladium in Lauſiacâ hiſtoriâ cap. 18. ita de ſe humiliter ſentiens loquitur: *Ego Dominos meos Epiſcopos colo, & omnem clerum honoro, ſúmque ego peccator omnium hominum* PERIPSEMA. 70.

ADAGIVM XLIV.

In aliorum oculis gratiæ feſtucam videre, in ſuo boni non ſentire maſſam.

HVmiliũ hæc nota, & conſignatio eſt, vt minima quæque laude digna, in aliis & videant, & celebrent bona ſua, ſuaſque virtutes licèt magnas non ſentiant, nec agnoſcant; his igitur productum prouerbium conueniet, quo vtitur ſanctus Paulinus epiſtol. 2. ad Seuerum, éxque Chriſti verbis in diuerſum ſenſum deductis elicuit in hunc modum: *Vnde paratus ſum Dominicum aduerſum te verbum in diuerſum vti, vt dicam tibi: In fratris tui oculo* FESTVCAM GRATIÆ VIDES, *& in tuo* EIVSDEM BONI MASSAM NON SENTIS: *cùm vtraſque, vt dixi, Sanctorum occupaueris partes.*

ADAGIVM XLV.

Nouus Achab. Similis Achab.

QVi malis moribus fœdus bonos inſectatur, cùm ſectari deberet, dici nouus Achab prouerbialiter

uerbialiter poterit, tanquam veteris illius imaginem præferens ac similitudinem, qui Eliam maximè prosequebatur. Hoc sensu extulit sanctus Theodoretus Studita oratione funebri in laudem sancti Platonis, dum ait: *Talis fuit noster Elias à Domino ipso seruatus iis in locis, in quibus exercitationi monasticæ operam nauabat, non eius manibus captus, qui* NOVVS ACHAB *dici poterat.* Torqueri in similes poterit, in eos præsertim, qui aliena inuadunt, diripiunt aliena, quod fecit Achab. Huc spectauit sanctus Ambrosius lib. de Naboth cap. 1. *Quotidie* ACHAB NASCITVR, *& nunquam huic sæculo moritur;* si vnus occidat, assurgunt plurimi, plures, qui rapiant, quàm qui amittant.

Vniuersè qui alienas reculas inuadunt, suis non contenti, quibus abundant, Achabo similes erunt. Huc accersiri potest illud Petri Blesensis epist. 18. vbi cuiusdam auaritiam, & insatiabilem cupiditatem perstringens, ait: SIMILIS EST ACHAB, *qui cum teneret summam rerum abundantiam, iniectis oculis in hortulum Naboth, vineam, quam affectauerat, morte possessoris obtinuit.* Iuo quoque Carnotensis ep. 18. in eandem sententiam: *Licet in regno Italico surrexerit* ALTER ACHAB; nollem alibi alios pullulare, nollem succrescere, multos nobis Achabos singulas ætates proferre & videmus, & dolemus.

ADAGIVM XLVI.

Camaleontis more mutari.

IN eos torquebitur, qui alios, atque alios mores induunt, modò Angelis similes puritate, modò ratione carentibus brutis; hoc sensu extulit Beatus Thomas à Villanouâ Conc. de Diuo Dorothæo. *More namque Camaleontis, prout vult, configuratur homo, in vno temporis momento ascendens vsque ad Angelum, & in alio descendens vsque ad brutum.* Nota huius animantis mutabilitas.

ADAGIVM XLVII.

Velut ceruus in iecore ictus sagitta.

72. TOrqueri hoc prouerbium solet, cùm quis concupiscentiæ telo petitur, & feritur, vt qui castimoniæ, ac puritati antea vacabat, impuritatis mancipium hac sagittâ ictus fiat, & miserrimè cadat, qui antea velocissimè currebat. Sanctus Basilius in epistolâ, quam ad lapsum elapsúmque monachum conscripsit, ita loquitur: *Dedecore affecisti castitatis gloriationem, vituperasti temperantiæ professionem. Reuera ad opus perduxisti prouerbium; Velut ceruus* SAGITTA ICTVS *in iecore.* & lib. de verâ Virginitate ad calcem rem explicans ait: *Iecur concupiscentiæ instrumentum est, iuxta quod de eo, qui concupiscentiæ fuerit telo percussus, dicitur, eris quasi ceruus* SPICVLO PERCVSSVS IN IECORE.

ADAGIVM XLVIII.

Æquoreo mergantur hæc gurgite.

PRouerbialis formula, tunc vsurpanda, cùm abesse ab aliquo mala volumus, bona verò precamur; sanctus Gregorius Nazian. carmine ad Vitalianum.

Ast hæc, inquit, ÆQVOREO MERGANTVR GVRGITE TECTIS,
Sintque procul nostris mala, nec mala mœsta sequantur.

Vbi scholiastes, *Prouerbiale est hoc*, ait, *apud Græcos loquendi genus, quo euentum eius rei, de qua verba fecerunt, deprecantur, huic simile est illud, quo etiam interdum Greg. vtitur:* ταῦτα μὲν αὔραι φέροιεν, *idest, hæc in ventos abeant.*

ADAGIVM XLIX.

Non dicitur venisse qui non stetit.

SI suadebimus diuturniorem nobis, aliisque alicubi moram faciendam, uec aliò statim abeundum, hoc vtemur prouerbio, quod vulgò iactatum indicat Petrus Delphinus lib. 12. epist. 51. *Vrge me*, inquit, *ad reditum, hortaris vt te atque amicos reuisam; considerare te oportet, quod vulgò aiunt;* NON DICITVR VENISSE QVI NON STETIT. 73.

ADAGIVM L.

Suo baculo cædi.

CVm quis ex nobis sumit, vt nos torqueat, nos cruciet; in hunc sensum extulit sanctus Bernardus, nam serm. 5. in Quadragesimâ de sarana in nos per carnem nostram sæuientem loquens, ait: *Hic est, qui manus nostras proprio cingulo alligat, &, vt dicitur,* BACVLO NOSTRO NOS CÆDIT, *vt caro, quæ data est in adiutorium, in ruinam, & in laqueum fiat.*

ADAGIVM LI.

Tonis inferni factus est splendidum sidus cœli.

SAnctus Petrus Damianus sanctum Bonifacium Martyrem efferens, qui à lupanari ad Martyrium iuit, de Martyrio volauit ad cœlum, ita loquitur serm. 20. *Cùm vitæ eius, ac beatæ consummationis gesta percurrimus, quid aliud inuenimus, quàm quia stipula tartari facta est cedrus Paradisi; atque, vt ita fatear,* TONIS INFERNI FACTVS EST SPLENDIDVM SIDVS COELI? quod porrigi & ad alios poterit, qui perditissimis moribus exutis sanctissimos induerit, vt aliis prælucere in bono queant, qui turpissimæ vitæ genere cæteros inficiebant.

ADAGIVM LII.

Frumento relicto zizanijs insidere.

QVi pretiosioribus contemptis, vilioribus adhæret, is percelli hoc prouerbio poterit, cuius meminit sanctus Ephrem de pœnitentiâ, his verbis: *Nullus prudentum sic aget, vt areas frumenti continentes, aceruos quàm plurimos relinquat,* ac FRVMENTO RELICTO ZIZANIIS INSIDEAT, quâ insaniâ illi laborant, qui rebus perennaturis neglectis terrenis inhiant, & perituris. 74.

AD

ADAGIVM LIII.

Qui fontem habent, gutta non indigent.

PRouerbio locus erit cùm probare volumus ditiores pauperum reculis minimè indigere, nec doctiores imperitiorum doctrinâ, & vniuersè eos, qui aliquâ re abundant, minimè opus habere iis, qui eius penuriâ laborant. Scitè sanctus Nilus ad hanc mentem tract. de diuinâ gratiâ: *Et quia*, inquit, *ex paupertate meâ vobis quod potui libenter dedi, vos ex diuitiis vestris precationis, & charitatis vestra munera nobis abundanter rependite. Ego quamuis inops, diuitibus mutuum dedi, non sortem volo, sed fœnus repeto, non laudes, sed preces deposco, nescio an opus meum iussu vestro dignum sit; noui autē onus hoc à vobis mihi impositum, non quod admonitione indigeretis, sed vt in me potiùs liberales essetis.* QVI FONTEM HABENT, GVTTA NON INDIGENT; *non egent lacte, qui gregem pascunt: qui panem frangunt, micis non habent opus*; habent & hæc postrema verba eandem prouerbij faciem, inque eundem sensum vsurpari possunt, quoties pauper opulentiori exhibere aliquid debet.

ADAGIVM LIV.

Post formicam apis.

CVm laborem quies sequitur, fatigationem refrigerium, tribulationem iucunditas, venit hoc prouerbio. Formica laboriosa est, apis suauis, & dulcis, quippe quæ mel exhibeat. Huc spectauit sanctus Ephræmus Syrus in sermone ascetico ad fratres: *Sequitur post tentationem requies. Hinc quoque Dauid: Transiuimus*, inquit, *per ignem, & aquam, & duxisti nos in refrigerium, quin &* POST FORMICAM APIS. Prouerbium autem hæc verba sapere notauit & huius Patris interpres, ac scholiastes.

ADAGIVM LV.

Iericho readificare.

75. CVm quis à laudabilis vitæ viâ, quam inierat, regreditur, & ruit in pœnitendâ, cùm ex perfectionis culmine in scelerum abyssum decidit, cùm ad sæculum redit, quod reliquerat, prouerbialiter dicetur, *suam Iericho readificare.* Hinc illud Petri Blesensis inuectiua contra deprauatorum operum suorum congeriem: *Legimus*, inquit, *in libro quotidianorum euentuū, quod in his, qui euomuerunt sæculum, frequenter amor sæculi recidiuat, suámque* REÆDIFICANTES IERICHO, *quam in primitiuâ conuersatione subuerterant, ignem, & cineres ambitionis suscitant iam sopitos.* Proh! quàm dolendum, vitiorum muros, qui iam ceciderant, rursus erigi, & dæmoniorum habitationem, quæ ruerat, denuo excitari! Hoc sibi ne contingeret Deum precabatur; idem Blesensis epist. 14. in hæc verba: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in me: nec me redire ad vomitum, nec meam, quam destruit* IERICHO REÆDIFICARE *permitte.*

ADAGIVM LVI.

A serpente morsus dolorem suum ei memorare cupit, quem serpens momordit.

ADagium hoc vsurpari poterit, cùm significamus, eam dulcissimam esse consolationem, quæ ab eo est, qui iisdem calamitatibus, doloribus, cruciatibus afficitur ac ille, quem consolatur, vt notauit etiam scholiastes sancti Gregorij Nazianzeni ad illud eiusdem sancti Patris carm. 9. quod est de rebus suis:

Iniecto quemquam, vt dicunt, si dente memordit,
Caruleus SERPENS, *vulnúsque infixit acerbum,*
Non aliis cupit ille suos memorare dolores,
Quàm, quibus est etiam fusum à serpente venenum.
Hos etenim tanti solos vim nosse doloris,
Haud secus is nostrum nunc commemorare laborem
Fert animus, quibus idem amor est, eadémque cupido,
Consimilisque dolor.

ADAGIVM LVII.

Aquæ in maria deferuntur.

PRouerbialem habet faciem sententia hæc, quæ opportunè vsurpabitur, cùm aliqua 76.
aduehuntur ad illos, qui iis abundant, cùm opes locupletibus dantur. Hoc sensu extulit Petrus Blesensis epistola 14. dum ait: *Diuitiæ accumulantur diuitibus; in curia contemnuntur vasa vacua, & plena implentur, &* AQVÆ IN MARIA DEFERVNTVR; & epistolâ 102. eodem sensu: *Vbi est*, inquit, *quæso, verbum illud Prophetæ; dispersit, dedit pauperibus; porrò non diuitibus dare, nec* AQVAS IN MARE EFFVNDERE *oportebat.* Vtemur, & cùm qui eruditior erudiendus, peritior instruendus. Petrus Aruernus lib. 5. epistola 16. *Nec, vt vulgò dicitur, Mineruam docere, vel aquam ad* FLVMINA, SIVE MARE DEFERRE; & epist. 40. *Videor, vt dicitur, Mineruam docere: videor* FLVMEN MAGNVM LAGENA AQVÆ INFVNDERE. Sidonius Apollinaris ad hanc ferè mentem lib. 7. epistola 3. *Petita*, inquit, *transmitti, & quid modò dicemus? Grandis ne hæc obedientia? puto grandis est; grandior impudentia tamen. Hanc enim fronte possemus* FLVMINIBVS AQVAS TRANSMITTERE.

ADAGIVM LVIII.

Leonem vitans, vrsæ vnguibus occurrit.

CVm quis discrimen aliquod, aut aliquod malum, in æquale aut maius incidit, hac prouerbij facie poterit vsurpare. Sanctus Gregor. Nazianzenus carm. 9. quod est *de rebus suis*, ita canit.

Vt si quis sæuum cupiens vitare LEONEM
VNGVIBVS OCCVRRAT *furibundæ primùm* VRSÆ.

ADA

ADAGIVM LIX.

Nec summis saltem digitis contingi se patiuntur.

DE iis, qui nec leuiculam offensam ferunt, quin nec vnius verbuli ictum, ita loquitur sanctus Bernardus epist. 152. *Porrò inueteratam rubiginem si tentes abradere, nec* SVMMIS SALTEM DIGITIS CONTINGI PATIENTVR. Eodem ferè respicit idem sanctus Pater in declamationibus: *Vlcus*, inquit, *pessimum, quod nec* SVMMIS SALTEM DIGITIS PATITVR ATTRECTARI.

ADAGIVM LX.

Aërem cædere.

IN eos dicitur, qui inanem operam sumunt, & frustrà omnino laborant; vtitur sanctus Chrysostomus, eos premens, qui periturarum rerum amore, summo labore fatigantur; sic enim ille loquitur hom. 47. ad populum Antiochenum: *Quid in mundo fatigaris?* quid aërem PERCVTIS? quid in vanum curris? & hom. 77. in Matthæum; *Nihil*, inquit, *aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm pugnis aëra cadere.* Huic affine est illud sancti Bernardi epist. 151. *Sed volo*, inquit, *proferre plurima in incertum, & esse quasi aerem verberans*; & sanctus Hieronymus epist. 53. quæ est ad Riparium Presbyterum, ait: *Nunc autem aerem* VERBERAVIMVS; quæ formula vniuersè adhiberi potest, quotiescumque aliquid frustrà fit, & incassum labor cadit.

ADAGIVM LXI.

Pietas Pygmalionis.

78. SVmma, & insignis viri alicuius impietas, & perfidia hoc titulo circumscribetur; huc spectauit Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 35. *Videbis*, inquit, *illis periuria Laomedontis & fidem Polymnestoris, &* PIETATEM PYGMALIONIS ADHIBERI; in eundem modum loquitur Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. quem videtur exscripsisse Nicolaus, hæc illius verba: *Illic videbis Vlyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polymnestoris, &* PIETATEM PYGMALIONIS *adhiberi.* desumptum est ex Virgilio 1. Æneid.

PYGMALION *scelere ante alios immanior omnes.*

ADAGIVM LXII.

Noster Lucumo.

DE insano, & tractabili viro, vsurpauit Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. in hæc verba: *Temperat* LVCVMONEM *nostrum Tanaquil sua.* Tanaquil Lucumonis vxor fuit, summæ sapientiæ prudentiæque fœmina, quæ mariti ferocientis animum opportunè demulcebat.

ADAGIVM LXIII.

Aut piscem olet, aut florem.

ETiam piscibus odorem inesse, & signarè mustelæ, affirmat sanctus Ambrosius lib. 5. exaem. cap. 2. *Mustelæ*, inquit, *grauis in terris odor, in aquis suauis*; probat & præfixa sententia quæ vulgò prouerbiali schemate iactabatur, déque eo, qui suauiter redoleret, dicebatur; *Denique*, inquit, *sermo testatior, de eo, qui grauem redolet suauitatem, dictum facetè sit, aut* PISCEM OLET, AVT FLOREM.

ADAGIVM LXIV.

Quis Ieremias hæc dignè deploret?

VBi aliquis casus lachrymis dignus, & ma- 79.
ximè deplorandus acciderit, lapsus aliquis contigerit, & aliqua calamitas, quæ spectatores ad lachrymas vocet, opportunè Ieremiam aliquem quæremus adesse. Scite sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus, qui orat. 27. ita loquitur: *Lingua in blasphemiam armantur, vniuersi procreator iactis vltrò, citróque conuiciis, blasphemiarum iaculis appetitur, & erumpens ira verba in cœlum iactat. Quo digna sunt hæc gemitu?* QVIS HIEREMIAS HÆC PRO DIGNITATE LAMENTETVR? Desumptum prouerbium est à Ieremiæ Prophetæ affectu, qui populi sui calamitatem, exitium, compositis threnis deplorauit; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni; orat. in laudem sancti Athanasij. *Quódque actorum liber de Atheniensibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quàm ad noui aliquid dicendum, vel audiendum.* O QVIS HIEREMIAS *confusionem nostram, caliginémque deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus exæquare nouit.* Eodem sensu & Petrus Blesensis tract. de Ierosolymitanâ expeditione accelerandâ; nam ad Ieremiæ threnos respiciens ait: *Et quid threnos Hieremiæ reuoluo?* TOTVS IEREMIAS *non sufficeret faciem miseriæ præsentis exprimere.* Exprimendis autem lachrymis aptos Ieremiæ threnos, & felicitatis etiam tempore lectitandos exemplo suo ostendit sanctus Gregorius Nazianzenus, cuius hæc sunt verba orat. de pace: *Equidem, vt de me loquar, quoties hunc libellum in manus sumo,* THRENÓSQVE *lectito (id autem facio quoties secundarum rerum insolentiam coercere huiusmodi lectione volo) vox mihi intercluditur, lachrymisque obruor, eámque calamitatem, velut ob oculos positam, videre videor, ac* HIEREMIÆ *collamentor.* Denique Ieremias alter prouerbiali facie dici poterit insignis sanctitatis vir qui aliorum peccata amarissimè defleat. Sanctus Paschasius Radbertus in prologo libri de Corpore & Sanguine Domini; *Arsenius*, inquit, *noster, quem nostra tunc nobis secula* IEREMIAM ALTERVM *tulerunt*; efferebat sanctissimus Anonymus quidam auctor, & ineditus, sed notæ, licèt non admodum veteris, attamen bonæ, certè vbique pietatem spirans, aliter rem versat, & effert, ipsissimum Ieremiam sua scelera deflentem, in hunc modum adducit tract. præp. Miss. fer. 2. *Sanctissimus* HIEREMIAS *in me deplorando modum nescit. Quanto lachrymarum profluuio, quanto lamentorum eiulatu, quanto planctu meã lugèt miseriam, ego enim sum ciuitas Regis magni, olim plena populo bonarũ cogitationum,*

& operum, imò esse debebam, non eram, non sola sedeo derelicta à Deo, & Angelis suis, imperfecti sunt ciues mei bona mea opera, facta sum quasi vidua, quæ olim domina eram, imò ita condita eram, vt essem gentium, & prophanorum appetituum domina, nunc captiua in peccatis tributum pendeo singulis. O multos haberemus Ieremias, qui populorum deflorent scelera, & Deum suis lachrymis ad misericordiam prouocarent; sed nos miseri multos peccatores habemus, paucos Ieremias.

ADAGIVM LXV.

Stellæ in terram antè descendent, & terra in cœlum ascendet.

80. VBi aliquid nunquam futurum significabimus, locus huic prouerbio erit; hinc illud Eusebij Cæsariensis lib. 6. de præparat. Euang. cap. 4. STELLÆ, inquit, IN TERRAM ANTE DESCENDENT, & TERRA IN COELVM ASCENDET, *quàm falsum à me quicquam audias.*

ADAGIVM LXVI.

Ligna secanti vis magna securis est.

SAncti Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba in carmine ad Nicobulum:

——— Tu sæpe monendo,
Ponendóque meos ante ora, oculósque sodales,
Amplius exacues animum; nam LIGNA SECANTI
PERMAGNVM ROBVR, *vis est permagna*
SECVRIS.

Vt scholiastes admonet, prouerbialem loquutionem esse, qua significatur cohortationem plurimum valere ad magis, ac magis eius animum incitandum, qui iam suâ sponte ad aliquod studium fertur, inque alicuius rei curam ex semet vrgetur, & impellitur.

ADAGIVM LXVII.

Qui misericordiam facit, misericordiam præstolatur.

VVlgò iactari solitum prouerbium ad misericordiam, & beneficentiam commendandam, qua ex nostris vtitur Petrus Delphinus lib. 1. epist. 12. dum ait: *Vulgò dicitur,* QVI MISERICORDIAM FACIT, MISERICORDIAM PRÆSTOLATVR. Non poteris & ipse non consequi misericordiam, qui proximi necessitatibus misericordiam exhibuisti. Et lib. 3. epist. 25. *Vulgò dicitur,* QVI MISERICORDIAM FACIT, MISERICORDIAM EXPECTET.

ADAGIVM LXVIII.

Velut canes escâ in medio proiecta arma induere.

81. QVotiescumque aut lucrum aliquod acquirendum, aut sedes aliqua vacat, & plerique acti cupiditate ad illud accurrunt, aut ad istam, vt vnusquisque alterum repudiet, contra alterum pugnet, vt canes ossâ obiecta faciunt, tunc vsurpari prouerbialis hæc sententia poterit, qua vtitur etiam sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 32. nimis acerbè eum vellicans, ad quem scribit; ait enim: *Nec Episcopatus cupiditate incitamur, vobis non secus atque* ESCA CANIBVS IN MEDIO PROIECTA *arma induentibus.* quæ verba in ambitiosos maximè quadrant, non in illum, quem alloquitur, cuius amicitiam quidam subirati animi æstus paulisper infecit.

ADAGIVM LXIX.

Harpyiæ.

RApaces, & qui alienas res inuadunt, omniá diripiunt, Harpyiæ prouerbialiter dici poterunt. Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *Hi in foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in conuiuio scurræ, in exactionibus* HARPYIÆ. Hinc & illud Rutilij itinerario 1.

Non olim sacri iustissimus arbiter auri
Circumsistentes repulit Harpyias.
Harpyias, quarum decerpitur vnguibus orbis,
Quæ pede glutineo, quæ tetigêre trahunt.

Qui alienas opes rapiunt, fœneratores omnes hoc titulo donati possunt; satanicus quoque hostis Harpyiam refert, dum partē aliquam à bonis, quæ præstamus in Dei gloriam, surripere studet, si totum totius infectione non potest; sanctus Petrus Damianus opusc. 44. cap. 1. huc spectabat, his verbis: *Sed sciendum est, quod humani generis inimicus, dum totum Sacrificium non valet de manibus offerentium rapere, more quasi rapacis* HARPYIÆ, *partem saltem quamlibet conatur auferre.* Nec sacris locis, nec rebus sacris Dæmon parcit. in illas impudens irrumpit, ex his quæ potest insidiosè rapit, prædæ vbique inhiat, nulli parcit.

ADAGIVM LXX.

Titij iecur habere.

SI quis variis solicitudinibus mordeatur, 82.
hunc Titij iecur habere prouerbiali schemate dicemus, quod ortum ab eo, quod de Titij supplicio apud inferos fabulantur Poëtæ; ex nostris Petrus Blesensis epist. 91. ita extulit: *Non deest tibi Titij* IECVR, *dum solicitudinibus anxiaris.*

ADAGIVM LXXI.

Ætneis flammis æstuare.

IN ambitiosos rorsit sanctus Petrus Damianus opusc. 22. in Prolog. *Illud,* inquit, *intolerabilius arbitror, quia nonnulli dum honores Ecclesiasticos* ÆTNEIS VAPORIBVS ÆSTVATIVS *ambiunt, in clientelam potentium tanquam seruos se dedititios obscœnè substernunt, Ecclesiastica quippe deserunt, dum Ecclesias concupiscunt.* In auaros verò opusc. 21. cap. 1. *Quid de monacho,* inquit, *ille Abbas habet, quem videmus velut Ætneis eructantem flammis auaritiæ, facibus inardescere.* Poterit, & in libidinis flammis correptos commodè torqueri, aliorúmque vitiorum facibus ardentes.

ADAGIVM LXXII.

Cotyla Euphratem exhaurire.

INanis labor, & supra laborantis vires, ac virtutem, hoc prouerbio arguetur; vt Cotyla Euphratem tentet exhaurire, qui rem impossibilem factu moliatur. Philotheus Patriatcha Constantinop. orat. quam in laudem sanctorum Basilij, Gregorij, & Chrysostomi habuit, eorum scripta, scriptorúmque elegantiam efferens, post multa tandem ait: *Hæc, & istiusmodi non solùm nemo pro dignitate laudare, sed nec particulatim saltem enarrare & describere vtcumque poterit, nisi* COTYLA EVPHRATEM EXHAVRIRE *velit.*

ADAGIVM LXXIII.

Ad intelligendum saxeus.

83. QVadrabit in hominem supra modum tardum, rudem, & stolidum. Martianus Felix lib. 4. *Ingenio stolidum saxeum diximus*; Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *In collocutionibus statua, in quæstionibus bestia, ad intelligendum* SAXEI; & epist. 8. lib. 2. *Saxeum carmen* dixit: *Næniam funebrem marmori incisam planctu propè calente dictaui; quam si non satis improbas, cæteris Epigrammatum meorum voluminibus applicandam mercenarius bibliopola suscipiet; si quid secus, sufficit saxo* CARMEN SAXEVM *contineri.*

ADAGIVM LXXIV.

Ab vmbrâ statuam laudare.

CVm relictis magnis facinoribus, & factis egregiis minima & exilia in aliquo, in cuius laudes itur, efferuntur, tunc opportunus erit prouerbio locus. Hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Gorgoniæ, dum ait: *Ego verò si ab his rebus laudandæ sororis argumenta peterem, similiter facerem, ac si ab* VMBRA STATVAM LAVDAREM, *relictis maioribus, & excellentioribus.*

ADAGIVM LXXV.

Virginibus alter Nicolaus.

84. QVi earum virginum præcipuam curam habet, quarum pudor, & castimonia discrimini obnoxius est, quíque iamiam amittendam puellarum virginitatem seruat, atque custodit, is alter Nicolaus audiet, cuius prouidentia, vt in eius gestis habetur; in hac re maximè enituit Petrus Delphinus lib. 2. epist. 76. Francisco Piccolomineo Cardinali Seneosi scribens, ait, *Eris quidem tu, Clementissime Domine,* ALTER NICOLAVS, *ne egestate, aut fame laborantes, sese libidini prostituere compellantur.*

ADAGIVM LXXVI.

Malè expectat, qui pendet.

PRouerbium vulgò iactari solitum refert Guarricus Abbas; quod eleganter ille immutans flectit ad illos, qui à terrenis abiuncti ita pendent in sublime, vt feliciter expectent, qui ita inter cœlum, terrámque dependent. Religio esset hîc eius verba desiderari; sic ille scribit serm. primo in Aduentu Domini: *Pendeamus*, inquit, *ad reditum Domini; sic namque Dominus ait in Oseâ: Pendebit populus meus ad reditum meum. Pulchrè omnino, & propriè pendebit tanquam inter cælum, & terram: vt licet adhuc apprehendere cælestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ, propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ, cui cogimur seruire*, quamdiu creatura vanitati subiecta est non volens. Vulgò dicitur: MALE EXPECTAT QVI PENDET. *Ego autem dico, feliciter expectat qui sic pendet. Quamobrem elegit hoc suspendium anima, & in ipso suspendio mortem, ossa, vt perseueranter in Cruce ista penderem donec ibi moriar.*

ADAGIVM LXXVII.

Adamantinus animus.

FOrtis, firmus, & frangi nescius animus ad- 85.
amantinus dicetur. Frequenter vtitur hoc prouerbio sanctus Chrysostomus lib. 5. de Sacerdotiu: *Ab inferioribus dicendi gloriâ vinci eum, qui dignitate præcellit, idque fortiter, & generosè perpeti; id verò non cuiuslibet, nec nostri sanè fuerit, sed* ADAMANTINI *potiùs cuiusdam* ANIMI; hom. 18. in 1. ad Cor. *Adamantis more ab affectuum examine non frangitur*; & hom. 35. in eandem epist. *Affectus est, qui ferreum, qui* ADAMANTINVM ANIMVM *inflectere possit.* & hom. 43. *Verè virilis, verè* ADAMANTINVS *Dei seruus.* hom. 8. in epist. ad Ephes. *Quouis ferro* ADAMANTINO *infractius est vinculum, quod à Dæmone est*; & de Iob loquens hom. 8. ad Phil. *Nihil vos rerum præsentium contristasset, respicientes in athletam istum, in* ADAMANTINAM ANIMAM, *in mentem infractam, & æneam.*

ADAGIVM LXXVIII.

Nouus Demosthenes.

SIc virum laudabimus vsque ad miraculum eloquentem; hic quippe eloquentiæ parens habitus apud Græcos est, quòd si per ironiam efferatur, tunc putida cuiuspiam arrogantia traducetur, qui eloquentiæ artem iactet, qua viduus est. Ita ferè sanctus Petrus Damianus opusc. 24. cap. 3. *Dic*, inquit, *Tullianæ reformator eloquentiæ, dic* NOVE DEMOSTHENES. Demostheoem, Ciceronémque ita effert Sidonius Apollinaris, vt tamen ab inuidæ maledicentię telis immunes non fuerint; hæc eius verba lib. 8. epist. 1. *Sed plus*, inquit, *cauendum est, ne sera propter iam propalati augmenta voluminis in aliquos forsitan incidamus vituperones, quorum fugere linguas cote liuoris naturaliter acuminatas ne* DEMOSTHENIS *quidem, Ciceronisque sententiæ artifices, & eloquia fabra potuêre: quorum anterior orator Demadem, citerior Antonium tolerauêre derogatores: qui liuidi cùm fuerint, malitia claræ, dilectionis obscuræ, tamen ad notitiam posterorum per odia virtutum decurrerunt.* Sanctus Petrus Damianus lib. 5. epist. 5. *Si te cognoscerem, aurem talibus libenter opponere videretur: mihi, quòd Demosthenem posse in affluentiâ sermonis æquare*; & epist. 13. *Piscatorum*

sum plane discipulus, ideòque MARE DEMOSTHENIS *non commoueo.* Sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus in exposit. Nahum, ita loquitur: *Tanto in diuino eloquio, & coloris gratia, & virtutis gloria, tanta sermonis, & splendida suauitas, & honesta operum fœcunditas, lingua nitor, verbi color, vt eius comparatione* DEMOSTHENES SOROSAT, *Quintilianus iaceat, humi Tullius hæreat.* Sanctus Gregorius Nazianzenus carm. 18. Iambico, quod de virtute est, ait,

——— *In foro*
Spirésque prorsus in modum DEMOSTHENIS.

ADAGIVM LXXIX.
Batalus.

86. Vehementer effœminatus, & mollis, quisque videatur exuisse, Batulus prouerbialiter dici poterit; hinc illud Clementis Alexandrini lib. 3. pædag. cap. 3. *Imò verò ij non sunt viri, sed* BATALI, *& fœminelli dicendi sunt, quorum voces sunt compressa, & graciles; vestis autem cùm tactu, tum tinctura ipsa est effœminata.* Effœminatissimus Batalus fuit, vt prouerbio locum proinde fecerit.

ADAGIVM LXXX.
Cum Abaridis sagittâ delatus.

Celer, citúsque alicuius in aliquem locum adductus, vt eò non tam iuisse, quàm volasse videatur, scite hoc prouerbio exprimetur; expressit sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 6. ad Basilium scribens, ait enim: *Non fero mihi Tiberinam obiici, atque huius loci glaciem & hyemes, ò vir luti admodum expers, summisque pedibus incedens, & tabulas calcans, ac pennata, & pendula, similque cum* ABARIDIS SAGITTA *delate, vt cum Cappadociam patriam habeas, Cappadociam fugias.* Abaridem Poëtæ Apollini seruisse narrant, ab eóque sagittam accepisse cum qua totam Græciam peragrabat. Addunt aliqui eum cùm sagittam in altum mitteret, cum ea circumferri solitum fuisse; ad hanc igitur fabulam respicit sanctus Pater; quod etiam facit carminibus iambicis de virtute;

Quamuis te in altum Pegasus, vel ABARIDIS
Tollat SAGITTA.

& orat. 20. *Quid Hyperborei,* inquit, ABARIDIS SAGITTAM, *aut Argiuum Pegasum dicam, quibus non tantum erat per aerem ferri, quantum nobis mutua opera, & simul ad Deum attolli.*

ADAGIVM LXXXI.
Scienti loqueris.

87. Formula friuolis, falsísque excusationibus auertendis apta, cùm amolienda mendacia omnia monebimus, præmittere hanc prouerbialem sententiam quisque poterit. Huc spectat illud sancti Basilij hom. 1. de laudibus ieionij, vbi eos premēs, qui à ieiunij lege subducere se conantur, hæc habet: *Ne causeris corporis infirmam valetudinem, ne dixeris te ieiunium ferre non posse. Neque enim mihi istas excusationes profers, sed iuxta prouerbium,* SCIENTI LOQVERIS, *nimirum Deo quem nihil fugit. Age, dic mihi, ieiunare non potes, & potes explere eduliis, potes conficere corpus escarum pondere? Atqui infirmis, non variam ciborum copiam, sed inediam & abstinentiam à Medici solere præscribi scio. Qui fit igitur, vt cùm ista possis, illa te non posse causeris? Vtrum ventri facilius est tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum grauatum iacere? imò ne iacere quidem, sed crebrò huc, & huc verti, distentum ac gementem? Nisi fortè simul dicturus es illud, quòd Naucleri facilius seruant nauem sarcinis onustam, quàm eam, quæ ad cursum expedita est ac leuis.*

ADAGIVM LXXXII.
Memoriam custodem habere oportet mendacem.

Sic extulit sanctus Optatus Mileuitanus lib. 1. quod solet hac formâ, MENDACEM MEMOREM ESSE OPORTET; nam qui mendacia serit, facilè sibi contradicet, & opposita refert nisi summâ memoriâ polleat; vulgò tanquam prouerbinm iactari hanc sententiam solitam indicat aduocatus Pater, dum ait: *Vbi est quod vulgò dicitur;* MEMORIAM CVSTODEM HABERE OPORTET MENDACEM; *oblitus es, quod paulò antè dixisti; sic Parmenianum perstringit, qui secum ipse pugnabat.*

ADAGIVM LXXXIII.
In corde tuo Homeri Musa est.

Insignis in arte poëtica Homeri peritiâ, quæ omnium illum poëtarum parentem constituit, etiam hanc formulam prouerbiali saliuâ perfudit, vt in illius corde HOMERI MVSA dicatur qui in pangendis carminibus cæteris excellit. Huc vocari potest illud sancti Gregorij Nazianzeni carmine iambico 18. vbi canit: 88.

In corde HOMERI MVSA *sit quamuis tuo.*

Huc facit & illud sancti Hieronymi in vita sancti Hilarionis; *Porrò mihi tanti, ac talis viri conuersatio, vitaque dicenda est, vt* HOMERVS *quoque si adesset, vel inuideret materia, vel succumberet.*

ADAGIVM LXXXIV.
Platonis linguam in aliquo esse.

Si aliquem vsque ad miraculum eloquentem efferamus, si illius in loquendo dulcedinem, ac suauitatem commendemus, in eo PLATONIS LINGVAM esse dicemus. Hoc sensu cecinit idem sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine iambico 18.

In corde Homeri Musa sit quamuis tuo,
Quamuis PLATONIS LINGVA *sit, quàm melleam,*
Vt est profectò, nemo non existimat.

ADAGIVM LXXXV.
Ægyptiam euadere.

Ioseph ab Impudica domina ad nefarium opus sollicitatus fugam ab ea se proripuit, & re

& relicto in eius manibus pallio artes eius euasit. hoc si ad alia transferatur, prouerbij faciem induet; *sic Ægyptiam euadere* dicetur, qui ab iis siue rerum, siue personarum tentamentis se subducit, quæ illi parabantur. Sanctus Hieronymus epist. 34. ita loquitur; *vt euadas* ÆGYPTIAM *dominam seculi pallium derelinques*, quia nempè mundi perituras opes deseruerat.

ADAGIVM LXXXVI.

Iosephum castitate referre. Alter Ioseph.

89. IOsephi Patriarchæ castitas & pudicitia adeò magna, vt posteris in exemplum fuerit constituta. Prouerbiali igitur figurâ Iosephum castitate referre dicetur, qui insigni puritate, ac castimoniâ insignis est. Sancti Gregorij Nazianzeni orat. 3. de pace hæc sunt verba: *At etiam tibi hodie libidinosus & impudicus est, qui hesterna luce* IOSEPHVM CASTITATE REFEREBAT. *Hucusque enim prorumpit simultas, quasi flamma quadam per stipulam currens, atque in orbem omnia ambiens, atque complectens.* Et orat. 14. *Hodie tibi libidinosus, & scortator est, qui hesternâ die Ioseph erat.* Petrus Delphinus lib. 2. epist. 20. *Sit vtinam futurus eiusmodi, qui* IOSEPH CONTINENTIA REFERAT.

Præterea, qui castitatis, quam colit, amore ab impudicatum mulierum se artibus, insidiisque singulari fortitudine submonet, castimoniámque in tuto locat, is ALTER IOSEPH prouerbialiter dicetur, Iosephi Patriarchæ imitator. Iosephum extulit, altérque Ioseph iure appellatus est sanctus Vulstanus, de quo ita scribit Brauonius Monachus: *Cùm matrona quadam pulcherrima, nobilis, ac diues in concupiscentiam eius insano amore ac illicito decepta in tantum vexaretur, vt tentationi resistere non valeret, desiderium suum ei aperit, suspirando rogat, & orat, vt cubile suum, paululum rigore postposito ingredi dignaretur. Ille verò vocem funestam vlterius non ferens, sermone loquentis interrupto, & facto fronti crucis signaculo, dixit: Fuge fomes lasciuiæ, mortis filia, vas satanæ: alapámque mulierculæ tanto nisu impegit, quòd crepitus illisæ palmæ circumquaque auditus fuit. Sicque* ALTER IOSEPH *muliebrem lasciuiam animo respuens manu compescebat.*

Ioseph quoque esse dicetur, qui futura præuidet, & somniorum interpres est. Sanctus Ambrosius lib. de Ioseph cap. 7. ita loquitur. Et si nō EGO IOSEPH, *clamabam tamen vaccas illas pingues non solùm lasciuiam, sed etiam incuriam diuinæ significare reuerentiæ. Et ideo somnium illud redundantiæ secularis perpetuum esse non posse; sed fore tempus, quo his fames dura succederet.*

Vniuersè Ioseph audiet, qui impudicarum mulierum artibus patet. Sancti Augustini hæc sunt verba lib. contra mendacium cap. 7. *Quid si ex numero Priscillianistarum impudicarū aliqua fœmina iniiciet oculum in Catholicum* IOSEPH, *eique promittat proditurum se latebras eorum, si ab illo impetrauerit stuprum.* Anonymus & inclitus auctor serm. 2. de præp. ad Miss. ita loquitur: *Non est in me patientia Isaac, lenitas Iacob*, CONTINENTIA IOSEPH.

Iosephi iniecta mentio calamum ad se rapit, rapit mentem, excurrendum nobis in eius laudem est, castitas eius efferenda, vt in Euangelij luce ea præstemus, quæ iste ante Euangelium in cæterorum exemplum præstitit.

EXCVRSVS X.

Ioseph Patriarchæ pudicitia expenditur, & illustratur.

Ioseph Bellerophonte *præstantior.*
Cum Ioseph Deus *in carcere fuit.*
Ægyptiæ mulieris apparatus *Babylonico igni* comparandus.
Tutus in hac *Babylonicâ fornace* Ioseph.
Ad regnum *pudicitia euexit Iosephum.*
Carceris squalor corona castitatis, *tentatio consecratio.*
Pudicus Ioseph etiam pudicos sermones amabat.
Iosephi humilitas & patientia.
Tangi ab impudicâ muliere noluit *Ioseph.*
Tentatione *clarior, & splendidior reddita Iosephi* castimonia.
Contra fœminea iacula *Dei memoriâ* vsus Ioseph.
Gratus animus *concupiscentia vim eneruat.*

PVdicitia, quæ impudicæ mulieris artes vicit, omni laude superior est, omnium linguas vincit, omnium calamos; Iosephi castimoniam expendimus, non quia eius laudi pares, sed vt ad paria lectorem inuitemus tanti Patriarchæ exemplum dum offerimus. 90.

Ioseph Bellerophonte præstantior. Orig.

Bellerophon castitate adeò fuit insignis vt vel in prouerbium eius castitas abierit: at Bellerophonti præferendus noster Ioseph; prætulit Orig. lib. 4. contra Celsum dum ait: *Multò* BELLEROPHONTE *præstantior hac parte Iosephus, qui in carcere includi maluit, quàm castitatem amittere*; sibi ipsi carcer fuisset si castitate neglecta luxuriæ dedisset manus.

Cum Ioseph Deus in carcere fuit. S. Cypr.

Pudicus iuuenis, ait sanctus Cyprianus de bono pudicitiæ, *quia delicto conscientiam non miscuit in imum carcerem truditur, sed sola non est in carcere* PVDICITIA, *nam est cum Ioseph Deus.*

Ægyptiæ mulieris apparatus Babylonico igni comparādus. S. Chrysost.

Magnum fuit mulierem in adolescentem sæuire potuisse, nec eius flammis non solùm combustam, nec decineratam, sed nec decoloratam fuisse adolescentis pudicitiam; si quis nefariæ huius fœminæ apparatum Babylonico igni pariet, non repugnabo. Præeuntem habemus Beatum Chrysostomum, qui epist. 3. ita loquitur de his Ægyptiæ mulieris fucis: *Vt Persica illa manus* BABYLONICAM FORNACEM *magno studio accendebant, copioso igni alimoniam prabentes, ac varios flammæ fomitis admouentes: eodem quoque modo tunc infelix illa, & ærumnosa mulier flammam fornace illâ grauiorem, ac periculosiorem accendebat, vnguenta nimirum olens, genarum frictionibus, oculorum picturis, fractâ & eneruatâ voce motibus, impressibus lasciuiens, molli vestitu, auri ambitu, ac sexcentis aliis eiusdem generis illebris & imposturis adolescentem à mente deducens.*

Tutus in hac Babylonicâ fornace Ioseph. Idem.

Non combussit hæc flamma Iosephi mentem castitate munitam; quia trium puerorum instar illæsus in hac fornace permansit. Scitè idem sanctus Pater hom. 44. in Genesim; *Non tam*, inquit, *admirabile mihi videtur esse tres illos pueros* IN MEDIO BABYLONICÆ FORNACIS *ignem vicisse illæsis eorum corporibus, vt mirabile & rarum est, quòd iustus iste (Ioseph) qui in fornacem hanc Babylonicam multò grauiorem, in incontinentiam, inquam,*

Ægyptia incidit, & intactus permanſit, puróque caſtitatis indumento ſeruato exiit. Tanti momenti res eſt ab impudicæ mulieris illecebris ſe expedire, vt eius ignibus non tangi, vt miraculum quoddam iſtuc referat.

91. *Ad regnum pudicitia euexit Ioſephum.* Clem Rom.

Quantum apud Deum hac caſtimoniæ cuſtodiâ Ioſeph meruerit, explicari non poteſt, Ægypti Regem Principémque illum cõſtitutum eſſe, quia Ægyptiæ mulieri ad nefarium opus eum allicienti non obſecutus eſt, cenſuit Clemens conſtitutionum Apoſtol. lib. 8. cap. 12. dum ait: *Tu Domine non deſpexiſti Ioſeph, imò pudicitiæ, quam pro te ſeruauit, præmium ei dediſti, vt eſſet* ÆGYPTIORVM PRINCEPS; *non meretur ſuper alios eſſe, qui libidini ſubeſt.*

Carceris ſqualor corona caſtitatis, tentatio conſecratio. S. Amb.

Ioſephum ob caſtitatem carceris ſqualorem illuſtrem, & ipsâ tentatione inſignem, ſic efferebat ſanctus Ambroſius lib. 4. in Lucam: *Nónne* TENTATIO *Ioſeph virtutis eſt* CONSECRATIO? *nónne iniuria carceris corona eſt caſtitatis?*

Pudicus Ioſeph etiam pudicos ſermones amabat. S. Amb.

Adeò pudicus fuit Ioſeph, adeò caſtus, vt nec ſermonem audire vellet, niſi qui caſtitatem ac pudicitiam redoleret. De illo ita loquitur idem ſanctus Ambroſius lib. 1. offic. cap. 17. *Ioſeph caſtus ita, vt ne ſermonem quidem audire vellet,* NISI PVDICVM; alioquin ab impudicis ſermonibus facilè ad res impudicas itur. Pergit de eius humilitate verecundiâ, patientiâ; *Humilis vſque ad ſeruitutem, verecundus vſque ad fugam, patiens vſque ad carcerem.*

Eius humilitas & patientia. Idem.

92. *Tangi ab impudicâ muliere noluit Ioſeph.*

Ioſephi pudicitiam prodit, quod ab Ægyptiâ nec tangi ſe permiſerat. Noluit ab Ægyptia Ioſeph tangi, ſciens & in tactu periculum eſſe, faciléque a tactu tranſitum eſſe ad opus; hinc eſt quod nec Apoſtolus diſcriminabit, dum ait: *Bonum eſt homini mulierem non tangere*; non dixit, *à muliere abſtinere*, ſatis Apoſtolo contactus mentionem facere, vel ipſa loquutione innuens nudum contactum à diſcrimine operis non fore nudum.

S. Hier.

Acutè huc ſpectauit ſanctus Hieronymus epiſt. 50. quæ eſt ad Pammachium, vbi ait; *Apoſtolus ait: Bonum erit homini mulierem non tangere, quaſi in tactu eius periculum ſit, quaſi qui eam tetigerit non euadat, vnde & Ioſeph, quia illum* TANGERE *volebat Ægyptia, fugiens de manibus eius pallium abiecit.*

Tentatione clarior & ſplendidior reddita Ioſephi caſtimonia. S. Amb.

Tentauit impia fœmina pium iuuenem, impudica pudicum aggreſſa eſt, ſed pudicitiæ gemmam adeò non abſtulit, vt pudicitiam eius reddiderit ſplendidiorem, clarioremque. Præclarè ſanctus Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 2. *Ioſeph caſtimonia nunquam ad noſtri memoriam perueniſſet, niſi Domini eius contubernalis, ignitis Diaboli ſpiculis incitata, tentaſſet eius affectum, & niſi poſtremo affectaſſet eius interitum, quò* CLARIOR ESSET CASTIMONIA *viri, qui mortem pro caſtitate contempſerit.*

93. *Contra fœminea iacula Dei memoriâ vſus Ioſeph.* S. Baſil. Sel.

Contra fœminea iacula Dei memoria vſus eſt Ioſeph. Sanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus hom. 8. poſt recenſitas mulieris Ægyptiæ fraudes, ſubdit: *Qui tot vndique iaculis petebatur, vnum contra omnia* TELVM MEMORIAM *tenuit creatoris.*

Gratus animus concupiſcentia vim eneruat. Gen. 39.

Sæuiebat in Ioſephum quacumque fera crudelior Ægyptia, non tamen de pudicitiæ ſuggeſtu deiicere eum potuit; à lapſu inter alia illum auocauit gratitudo, quam domini ſui beneficia fouebant; hinc illa illius verba Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſuâ, nec quicquam eſt quod non in meâ ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es; quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* Concupiſcentiæ vis eneruatur, vbi gratus animus reperitur.

S. Greg.

Peritè ſanctus Gregorius lib. 30. moral. cap. 18. *Bona, quæ aſſecutus fuerat, repentè memoriæ intulit, & malum quod pulſabat euicit, & quia* PERCEPTÆ GRATIÆ MEMINIT, *vim culpæ imminentis fregit.* Quàm rariùs in crimina laberemus, quàm rariùs Dei offenſam incurreremus, ſi eius beneficia, eius dona aſſiduè verſaremus; non facilè à Deo mens diuellitur, quæ altè Dei munera cogitat, & ſeriò expendit.

EXCVRSVS XI.

Ioſephi fuga laudatur, & in exemplum proponitur.

Victrix fuga eſt in fornicatione.

Fuga in libidinis caſtris armorum loco.

Fugit Ioſeph *mulieris* contagium, & libidinis incentiua.

Fuga ſibi Rex quidam conſuluit.

Ægyptiam fugit *Ioſeph vt rabidam canem.*

Nudus aufugit primos parentes imitatus Ioſeph.

Ioſeph ea dimiſit *fugiens*, quę commercium cum corpore habent.

RElicto in mulieris manibus pallio fugæ ſe pudicus Ioſeph dedit, mulierem fugit, & vicit, imò vicit, quia fugit, alibi turpis, & ignominioſa fuga ſit, glorioſa hîc eſt, imò & victrix, hoc eam titulo donat ſanctus Gregorius Nyſſenus in illud Apoſtoli, *Omne peccatum quod fecerit homo. Tanta*, inquit, *malorum multitudinis matrem videns Paulus fornicationem* VICTRICEM NOBIS MODÒ FVGAM *clamabat, Fugite fornicationem*; quod antequam hæc audiret, præſtitit Ioſephus, præſtanda nobis ſuo exemplo docuit. Pergit ſtatim idem ſanctus Pater: *Vox Pauli nunc nobis reuocauit in memoriam, pudicum adoleſcentem, qui ſe fortiter geſſit aduersùs Ægyptiacam fornicationem.* Eò fortiorem ſe Ioſephus exhibuit, quo citiùs fugam arripuit; in luxuriæ ſpurcitie illi timendus maximè lapſus, qui minimè lapſum timet; hîc ille minus eſt tutus, qui tutum ſe putat. 94. *Victrix fuga eſt in fornicatione.* S. Greg Nyſſ.

Solet fuga militis imbecillitatem prodere, in libidinis caſtris pugnantis fortitudo in fuga eſt ſita, inermis eſt qui non fugit, armatus qui fugâ ſe muniit; fugam armaturæ loco eſſe vidit & ſanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus, qui hom. 8. Ioſephum efferens ait: *Tenacibus manibus retentam permittens veſtem, libidinis effugit anſas,* FVGA VSVS PRO ARMIS. *Tradit veſtem vt temperantiam teneat, denique nudatur veſte, ne nudetur à temperantiâ.* *Fuga in libidinis caſtris armorũ loco.* S. Baſil. Sel.

Prodidit peritiam ſuam iſte Athleta pudicitiæ, dum contra impudicitiam dimicans armorum loco fugâ vtitur, non ita facilè, non ita glorioſè victurus niſi fugiſſet; citò fugit, ne ſi diutius cunctaretur, contagij ſerpentis ſentiret damna; quò ſpectabat ſanctus Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 5. dum ait: CONTAGIVM *iudicauit ſi diutius* MORARETVR, *ne per manus adultera* LIBIDINIS INCENTIVA *tranſirent. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris, non eſt enim nudus, niſi quem culpa nudauerit.* 95. *Fugit Ioſeph mulieris contagium timens, & libidinis incentiua.* S. Amb.

Fugâ ſibi quoque in ſimili diſcrimine conſuluit etiam Ethnicus Rex, de quo ita ſcribit ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 62. *Lectione igitur didici, Regem quemdam, cùm Epheſiam Sacerdotem,* *Fugâ ſibi Rex quidam conſuluit.* S. Iſid. Peluſ.

dotem, cuius incredibilis quædam, ac singularis pulchritudo erat, conspexisset, statim EX EPHESINA VRBE *digressum esse, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem nefarij aliquid admittere cogeretur.*

Ægyptiam fugit Ioseph vt rabidam canem. S. Hieron.

Fugit ab Ægyptia Ioseph, & tangi ab eâ noluit, ne si tangeretur morderetur, cùm ab impudicâ tangi magis noxium sit, quàm à fera morderi. Scitè sanctus Hieronymus lib. 1. cõtra Iouinianum cap. 4. *Noster*, inquit, *Ioseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus eius, & quasi ad* MORSVM RABIOISSIMÆ CANIS, *ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat, abiecit.*

96.
Nilus ausugit primos parentes imitatus Ioseph. S. Nilus.

Dimisso pallio ab Ægyptiâ se Ioseph subduxit; dicetes in virtutis Paradiso æmulatum primos parentes, quos innocentia nudos ferebat; sumenda hîc sunt sancti Nili verba, qui in asceticis ita rem expendit: *Relicto in manu eius (Ægyptiæ) pallio aufugit, & egressus est foras tanquam in* VIRTVTIS PARADISO NVDVS *ambulans, primum illum parentem nostrum imitatus.*

Ioseph ea dimisit fugiens, quæ commercium cum corpore habẽt. S. Nilus.

Indumentum exuit, vt statim disceremus, Athletam eum esse, Athletæque more depugnare, pallium reliquit, & fugit ne teneretur, quod in catena Græcâ Iobi cap. 1. sic expendebat idem sanctus Nilus: *Neque enim amicti luctare homines consueuerunt. Verùm illos nudos in stadium lex certaminis deducit. Ac si quis nudari recusat, idem certamen recusat. Nam qui nudus est, aut vix, aut nullo etiam pacto per insidias comprehendi potest. Ideóque Iosephus ille* PVDICITIÆ ATHLETA *voluptati illum tenere conanti, res,* QVÆ HABENT COMMERCIVM CVM CORPORE *tanquam indumenta relinquens foras egressus* profugit. Quàm abeunt ab hoc more, ab hac mente, qui adeò indumentum non relinquunt in libidinis pugnâ, vt se pulchrioribus vestibus onerent concupiscentiæ fouendæ, ac excitandæ?

EXCVRSVS XII.

Iosephi cautio, & vigilantia.

Oculi fœminarum *cauendi.*
Fæminarum consuetudo vt oleum libidinem nutrit.
Non temerè se discrimini *obiecit Ioseph.*
Cum temperantiâ Ioseph vigilabat.
Cecidit Salomon, quia dormirauit.

97.
Oculi fœminarum cauendi. S. Ambr.

IOsephi mouemur exemplo cauẽdam mulierum familiatitatem esse, cauendos oculos. Præclarè S. Ambrosius de Ioseph cap. 5. *Discant*, inquit, *viri cauere etiam* OCVLOS FOEMINARVM; *adamantur enim & qui nolunt adamari. Denique adamatus est Ioseph, qui amãtem contempserat.* Quid si amauisset amari? Mulierum consuetudinem vitet, qui libidinis flammis amburi non vult. Scitè sanctus Nilus orat. 2. de luxuriâ: *Lucerna flammam* OLEVM *nutrit, & libidinis ardorem accendit* CONSVETVDO FOEMINARVM. Non fuit hoc igne ambustus Ioseph, quia statim se subduxit, & omni odio nocentius duxit impudicæ dominæ amorem.

Fæminarum consuetudo vt oleum libidinem nutrit. S Nilus.

Non temerè se discrimini obiecit Ioseph.

Quòd si quis obiiciat Iosephum mulierẽ ipsam adiisse, sponteque se discrimini obiecisse, occurrit sacra Scriptura, dum ait: *Accidit quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret*, Gen. 39. 11. Sanctus Ambrosius legit, *Intrauit Ioseph in domum facere opera sua*; & addit de Ioseph cap. 5. EXCVSATVR IOSEPH SCRIPTVRÆ TESTIMONIO, *quia commissum à Domino nequibat deserere obsequium.* Non ergo temerè se discrimini prudens pudicúsque adolescens exposuit, officium tantùm suum impleuit; non domum intrauit otio torpens, sed vt otium fugitans aliquid operaretur, vt non mirum si victor euasit in hac pugna, à torpore desidiaque haud victus.

Gen. 39. 11. S. Ambros.

Dixit impudica mulier, *Dormi mecum*; omni maledicto, contumelia omni grauior hæc blandientis vox pudico adolescenti fuit; obstruxit his vocibus aures, aperuit temperantiæ, aperuit pudicitiæ, quæ sectatoribus suis non clamat, Dormi mecum, sed potiùs, Vigila mecum. Non patiar hîc desiderari sancti Gregorij Nisseni explicationem, quã donat hæc verba in illud Apostoli, *Omne peccatum quod fecerit homo*; sic igitur ille Iosephi vigilantiam effert: *Quæ fornicationis circundata erat impudentiâ, clamabat; Dormi mecum. Fornicatorij desiderij mergit famem, sed pudici magis obstruebat aures; nam illa quidem dicebat, Dormi mecum; adolescenti autem contra proclamabat* TEMPERANTIA: VIGILA MECVM, *& reipsa ostendit vigilantiam; non enim blanditiis cedens dormitauit robur constantiæ; non fuit mens sopita incantationibus; non fuit somno oppressa temperantiæ sobrietas, non iis quæ implicatum tenebant incommodis fuit dissoluta, non elegantis formæ capta est illecebris, non amatoriorum verborum fracta fuit blanditiis, sed maledictio ipsi erat acerbior vox dominæ blandientis; & dicentis: Dormi mecum.* 98.

Cum temperantiâ Ioseph vigilabat. S. Greg. Niss.

Ab istâ vigilantiâ abiuit Salomon, & idcircò miserè cecidit, fœdè lapsus est, de quo ita scribit sanctus Chrysostomus hom. 40. ad populum: *Quid Salomone beatius? sed quia* DORMITAVIT, *cecidit*, non facilè casurus, si vigilasset.

Cecidit Salomon, quia dormitauit. S. Chrysost.

EXCVRSVS XIII.

Infensissimus Iosephi hostis Ægyptia mulier.

Ægyptiæ blanditiæ *sæuiores, quàm* fratrum odium.
Mulier vt fera pessima *deuorare Iosephum tentat.*
Mulier *hostilem personam* in viros sumit.
Hominem è Paradiso mulier eiecit.

TVnc maximè sæuit in virum fœmina, cùm maximè est blanda, tunc nouercali odio meliorem sexum mollior prosequitur, cum blanditias serit, illecebras ostentat; omni ariete nocentiores blanditiæ fœmineæ sunt; Iosephum fratres oderant, vt necare vellent, nisi ab eius manibus venditionis occasio eripuisset; amare videbatur & domina; quæ, si tamen rationem rectè conferamus, ipsúmque consulamus, profectò reperiemus, amplius illi mulieris amorem displicuisse, quàm fratrum suorum odium; vt verus fuerit sanctus Zeno serm. de pudicitiâ, cùm dixit: *Iosephum domini sui vxor* PEIVS AMARE *cœperat, quàm* ODERANT FRATRES; mitis fratrum crudelitas extitit, si fœmineis his illecebris comparetur. 99.

Ægyptia blanditiæ sæuiores: quàm fratrũ odiũ. S. Zeno.

Et vide si non fratrum sæuitiam imitata est mulier, dum vestem marito ostendit; quo fornicatorem eum esse probaret, sicut ante fratres missa eius veste hædi sanguine tincta ad patrem calumniabantur Iosephum à ferâ pessimâ deuora-

Mulier vt fera pessima deuorare Iosephũ tentat.

tum

tum. Præstat hîc audire S. Gregorium Nyssenum in illud Apostoli, *Omne peccatum quod fecerit homo*; ait quippe: *Rursus Ioseph per vestem appetitur calumniâ. Fratres prius acceptâ eius veste per illam improbè calumniabantur fuisse eum* A FERA DEVORATVM; *nunc autem* TVNICA *eius acceptâ accusat tanquam fornicatorem*; hædì sanguine tincta est Iosephi vestis à fratribus, hîc mulier libidinis, & luxuriæ maculis eum aspergere curat; hædus petulcum, & libidinosum animal est, ac si hædi sanguine signaretur impudicitiæ maculam ei per calumniam inusturam mulierem; licet verè non inusserit, quia blandientem mulierem spreuit, seque ab illa subduxit.

100. *Mulier hostilem personam in viros sumit.* S. Cyprian.

Qui sapit in blandiente muliere, hostilem semper animam pertimescet. Hostis fuit, quæ data in adiutorium, quæque ex viro ortum habuerat; cur non potiùs aliæ sint? Scitè sanctus Cyprianus de disciplinâ clericorum: *Fecit quidem*, inquit, *viro dominus mulierem adiutricem, sed serpentis inuidiâ* PERSONAM SVMPSIT HOSTILEM; *quod si illa de viro suo nata vsque hodie ipsum cui iungitur tentat, quanto magis illa, quæ copulatur, nullâ lege coniunctâ; & si illi, qui duo sunt in carne vna concreti tentationibus mutuis inuicem pungunt, quid facient hi, qui in vna carne nec nati, nec iuncti sunt.* Quæ mulier hostilem personam non circumferat, quam circumferat illa, quæ in adiutorium data; quæ tanto vinculo viro ex quo sumpta nectebatur. Probè monebat sanctus Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum de vitâ clericorum: *Memento semper quòd Paradisi colonum de* POSSESSIONE TVA *mulier eiecerit*: prima mulier virum primum strauit, sternet & quæ non prima non primos, nisi sibi ab illâ caueant.

Hominem è Paradiso mulier eiecit. S. Hieron.

EXCVRSVS XIV.

Mulier omni ferâ truculentior.

Ægyptia mulier quauis ferâ truculentior.
Vxor vt fera *concluditur*.
Aspis mulier, & draco.
Serpentibus & draconibus atrocior mulier.
Aspides, dracones, & Pardi *faciliùs domantur*, quàm fœmina.
Telum aspidis *mala mulier*.
Quæ mulieres leonibus *sæuiores*.
Remedia contra mulierem malam vix est reperire.

101. *Ægyptiâ mulier quauis fera trulentior.*

CVm Iacobo Iosephi vestis sanguine tincta ostensa esset, in hâc vocem erupit statim, *Fera pessima comedit eum; bestia deuorauit Ioseph*, Gen. 37. 33. Verè tamen fera Iosephum non deuorauerat, hędi sanguine adspersa tunica Iosephi erat, non Iosephi. Et verò licèt tunc feræ sæuitiâ fugerit, in ferâ tamen omni aliâ sæuiorem incidit, dum in impudicam fœminam incurrit. Pallium marito ostendit, se quantum in se fuit Iosephum degluriuisse etiam nollens significans; non debent hîc supprimi sancti Chrysostomi verba, qui homil. 32. in epist. 1. ad Corinth. nobis succinit: *Introduxisti puerum Hebræum vt nobis illuderet; beneficium marito exprobrans, & vestes ostendebat* QVAVIS FERA EFFECTA SÆVIOR; mitis feræ sæuities est, si fœmineæ comparetur.

S. Chrysost.

Aspide sæuior Ægyptia mulier.

Aspide omni sæuior Ægyptia mulier extitit, quin eo crudelior, quo vestium luxu, & mutatione blandior fucis, & illecebris lenior videbatur; eius in pudicum adolescentem rabiem sic explicabat sanctus Ephræmus Syrus serm. de laudibus Ioseph. S. Ephrem. *Porrò domina ipsius Ioseph singulis horis vestitum mutabat, & faciem stibio, fucisque variis pingebat, & crinibus aurum intertexebat, nutibúsque satanicis, ac subrisionibus turpidis inescare conabatur sanctos insti oculos* INFELIX ASPIS.

Feram mulierem esse innuit etiam ab externâ schola Terentius in Phorm. act. 5. scen. 1. dum ait: 102. *Vxor vt fera concluditur.* Terent. Donat.
Cōclusam hic habeo vxorem suam. ex ferarum translatione *conclusam* dixit, vnde Donatus ad hæc verba; *Benè*, inquit, *conclusam pratulit, ac si diceret feram*; fera mulier est, & feris truculentior, si sæuiat. Præclarè sanctus Gregorius Nazianzenus in sententiis: *Horrendi sunt dracones, subdolæ aspides*, VTRIVSQVE FERÆ VIM *mulier complexa est.* Sanctus Cyprianus de singularit. cleric. *Morbos* ASPIDES *sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam.* Et sanctus Chrysostomus homil. 15. *Et quidem ego existimo, in hoc mundo nullam* BESTIAM *esse malæ* MVLIERI *comparabilem. Quid inter quadrupedia leone sæuius? sed nihil ad hanc. Aut in* SERPENTIBVS *quid* DRACONE *atrocius? Sed ne hoc quidem cum* MVLIERE MALA *conferri potest.* Adeò vt faciliùs feræ edomentur, quàm mulier; hinc illud eiusdem sancti Patris eodem loco: *Scio ego &* ASPIDES *blandimentis incantantium mitigari, &* LEONES, *& Tygres &* PARDOS *domitâ feritate mansuescere: non item* MVLIER *mala*: & hic Græcus versiculus circumfertur:

Aspis mulier & draco. S. Greg. Naz. S. Cyprian.

Serpentibus & draconibus atrocior mulier. S. Chrysost.

Aspides, Dracones, & Pardi faciliùs domantur, quàm fœmina. S. Chrysost.

[illegible] κακὴ γυνή. id est,
Telum ASPIDIS *profectò mulier improba.*

Telum aspidis mala mulier.

Ælian. 1. de nat. Animal. tradit aduersùs viperarum, omniúmque serpentium morsus remedium inueniri, aspide vnâ exceptâ: præcipuè si de ranâ gustarit, vt ait libro proximo. Ægrè quoque sanari morsus potest, qui ab impudicâ muliere, & libidinis venenum euomente est.

Iezabeles, Dalidas, & Herodiades specta, & sæuiores qualibet ferâ mulieres malas iudicabis. 103. *Quæ mulieres Leonibus sæuiores.* S. Ephrem.
Audiendus hîc sanctus Ephræmus Syrus tract. aduersùs improbas mulieres, sic enim ille in malas mulieres inuehitur: *Leones in lacu Danielem veriti sunt: at Naboth* IESABEL *occidit.* CETE *ventre suo Ionam seruauit.* DALIDA *verò Sampsonem septem crinibus capitis eius abrasis tradidit alienigenis.* DRACONES *&* ASPIDES, *ac bestia cornuta Ioannem in eremo timuerunt: Herodias verò in conuiuio ipsum decollauit. Corui Eliam in monte sustentarunt, at Iezabel ipsum, post beneficium pluuiæ acceptum, ad internecionem persecuta est.* His adnumeranda & Ægyptia mulier, quæ suis blanditiis pudicitiæ suggestu Iosephum deiicere tentauit.

Euripides in Androm. cùm dixerit, data mortalibus diis remedia contra serpentes, & viperas, subinfert: Οὐδ' εἷς γυναικὸς φάρμακ' ἐξηῦρε πω κακῆς: *sed nemo tamen deorum* REMEDIA *inuenit contra mulierem.*

Remedia contra mulierem malam vix est reperire. Euripides.

EXCVRSVS XV.

Ioseph pudicitiæ Athleta, nudus luctatur, nudus vincit.

Diabolus adulteris pronubus.
Ioseph pudicitiæ athleta.
Temperatissimus Athleta Ioseph.
Diabolus lasciuiæ *nymphagogus.*
Tanquam Athleta Ioseph *pallio exui se sinit.*

Pallium

Pallium exuit, ne exueret *pudicitiam.*

Vestimenta *corporis* spernit, *ne animi* perderet castimoniam.

Nudus Ioseph *pudicitiâ* vestitus fuit, & innocentiâ.

Verecundia *Ioseph.*

Pallium Ægyptiæ relinquit, qui mundana omnia repudiat.

Diabolus adulterij pronubus. S.Greg. Nyss.

104. INiecit procax mulier in adolescentem manus, tenere eum studuit, vestem eius arripuit, vt eam pudicitia spoliaret. Tenebat mulier adolescētis vestem; tenebat & cum illâ diabolus tanquam *pronubus adultery*, vt loquitur sanctus Gregorius Nyssenus, cuius sunt ista verba, in illud Apostoli, *Omne peccatum, quod fecerit homo, est extra corpus. Paratus stabat* DIABOLVS ADVLTERII PRONVBVS, *& simul cum fornicatrice stringebat vestem, & socius erat ansarum quas ipsa apprehendebat.* Mulier diabolo famulabatur, & diabolus mulieri, vterque in adolescentem fremebat, vicit tamen athleta, pudicitiæ impudicitiæ partes, qui tuebantur. Pergit sanctus Pater; *Nesciebat diabolus se luctari cum* VETERANO ATHLETA *pudicitia, & qui ab illius ansis se facilè exuebat.*

Ioseph pudicitia athleta.

Temperantissimus athleta Ioseph. S.Basil.Seleu.

Temperantiæ cultores prophani athletæ fuerunt, sanctiùs pleniúsque fecit Iosephus; asciuit sibi sociam fœminam diabolus, luctatique ambo cum illo, sed fortior athleta fuit adolescens, quàm vt potuerit ab illis sterni, vinci ab illis. Huc optimè cadunt sancti Basilij Seleuciæ Episcopi verba, qui orat.8. de Iosepho loquens, ait: *Illa mulier manus in eum (Iosephum) iniecit armatas libidine. Prestò autem aderat mulierculæ amuleto* DIABOLVS, *qui &* ADVLTERII MVNERATOR *erat, & lasciuiæ* NYMPHAGOGVS: *ignorabat vtique tamen se aduersùs temperatissimum athletam luctam suscepisse.*

Diabolus lasciuia nymphagogus.

Tāquam athleta Ioseph pallio exui se sinit. S.Isid. Pelus.

Et non athletam se exhibuit, cùm passus est se spoliari? nudus luctari volebat, ne teneretur; atque adeò tanquam strenuus athleta pudicitiæ corona donatus est. Scitè rem habet sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 263. vbi ita loquitur de Iosepho: *Cùm eum nullis sermonibus ad stuprum inducere posset, ad vim ei inferendam se conuertit, atque ille (Ioseph) strenui cuidam* ATHLETÆ INSTAR, *exutâ veste (arreptam enim eam tenebat illa, libidine temulenta) indumentis quidem nudus, verùm ab adulterio purus excedens pudicitiæ coronam adeptus est.* Bis victor, quia & mulierem vicit & diabolum; vicit & se ipsum. *Ioseph*, inquit Titus Bostrensis lib. 2. contra Manichæos, *exuit pallium, ne* PVDICITIA EXVERETVR, *cui vis quidem* PALLIVM *abstulit, necessitas verò non eripuit castitatem*; quin gloriosiorem, pulchrioremque reddidit, dum inter tot insidias seruauit illæsam.

Palliū exuit, ne exueret pudicitiam. Titus Bost.

105. Reliquit in impudicæ mulieris manibus pallium Ioseph; *Non pluris*, (verba sunt sancti Ambrosij de Ioseph, cap. 5.) *fecit* VESTIMENTA CORPORIS, *quàm animi* CASTIMONIAM, *& aliena iudicauit, quæ tātùm impudica potuerunt comprehēdi; teneri veste potuit, animo teneri non potuit*; innocentia scilicet tegebatur, quam effrons mulier exuebat; hinc illud sancti Chrysostomi sermone de Ioseph. *Fuit*, inquit, *Ioseph nudus, pudicitia & castitate vestitus fugit relictis vestibus, innocentia qua vicerat tectus*; nudum nimirum Iosephum virtutis indumenta vestiebant, vt verus fuerit sanctus Ambrosius lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 5. dum ait: *Ioseph etiam* VESTIMENTO EXTERIORE *relicto, nudus non erat, qui salua habebat* INDVMENTA VIRTVTIS; & lib. 1. officiorum, cap. 17. hanc eandem rem ad Iosephi verecundiam vocat dum ait: *Cuius (Ioseph) tanta verecundia fuit, vt comprehensus à muliere,* VESTEM *in manibus eius fugiens mallet relinquere, quàm* VERECVNDIAM *deponere.*

Vestimēta corporis spernit, ne animi perderet castimoniam. S. Ambros.

Nudus Ioseph pudicitia vestitus fuit & innocentia. S.Chrysost.

Verecundia Ioseph S.Ambros.

Pallium Ægyptiæ ille quoque relinquit, qui munda omnia repudiat & peritura, noxia omnia reiicit; hinc illud sancti Hieronymi epist. 128. quæ est ad Fabiolam de veste sacerdotali: *Si quid habemus de Ægypto, quod princeps mundi huius suum possit agnoscere* TENENTI ÆGYPTIÆ *cum pallio relinquamus*; mundo maior est, qui mundum spernit, mundum calcat, & quæ in ipso.

Palliū Ægyptiæ relinquit, qui mundana omnia repudiat. S.Hieronym.

EXCVRSVS XVI.

Castitas, & pudicitia Iosephi exemplo sectanda.

Ioseph exemplum pudicitiæ.

Ad continentiam suadendam *Iosephi exemplum* plurimum valet.

Qui luxuriæ stimulis tentatur, Iosephi factum cogitet.

Decet nos ea in Euangelio præstare, quæ ante illud præstitit Ioseph.

Ante Christum *ludebat caro, & æstuabat.*

Nunc vigere *castitas* debet, & *pudicitia.*

IOsephi castitas omnibus in exemplum est; imitari scilicet debemus, quod laudamus. *Exemplum pudicitiæ à* IOSEPH *cœpit*, ait sanctus Cyprianus lib. de bono pudicitiæ, nostrum est ire post illum, qui præiuit. 106.

Ioseph exemplū pudicitia. S.Cypr.

Plurimum ad continentiam suadendam Iosephi exemplum, memoriámque posse iudicabat & sanctus Gregorius, cuius hæc sunt verba hom. 15. in Ezech. *Conamur carnis illecebram vincere?* IOSEPH AD MEMORIAM REDEAT, *qui tentante se dominâ studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire*, & simul custodiendam docuit, dum custodiuit.

Ad continentiam suadendam Iosephi exemplū plurimum valet. S.Greg.

Æstuat caro, & ad luxuriam excitat? cogitetur Ioseph, & eius petulantia coërcebitur. Præclarè sanctus Eucherius lib. 3. in Genesim: *Quisquis tentari se luxuriæ stimulis sentit, Ioseph factum ad memoriam reuocet, & in arce se castitatis seruet*; & quis eadem non præstet post Euangelium, quod præstitit Ioseph ante ipsum? Iure hæc loquentem Iosephum adducit sanctus Chrysostomus serm. de Ioseph continentiâ: *Si ego qui* ANTE NATVM CHRISTVM FVI, *nec audiui Apostolum Paulum clamantem (corpora nostra membra esse Christi,) continentiam seruaui in tantis periculis, quantum vos conuenit continere, cum timore & tremore viuere in continentia?*

Qui luxuriæ stimulis tentatur, Iosephi factis cogitet. S.Euch.

Decet nos in Euāgelio præstare quæ ante illud præstitit Ioseph. S.Chrysost.

Iustè hoc Iosephi exemplum Christianos arguit: ille cùm caro ludebat, & necdum Christi aquis abluta erat, seruauit pudicitiam, & à libidinis flammis illæsus abiuit, impudicam mulierem fugauit; cur non idem illi præstent, séque ab his ignibus eximant, qui non à ficulneis foliis pruriginem accipiunt, sed à Christi aquis pruriginis remedium, concupiscentiæque leuamen. Præclarè de hac re Tertullianus lib. de pudicitia, cap. 6. LVSERIT, inquit, ANTE CHRISTVM CARO, *nondum erat digna domo salutis, nondum apta officio castitatis* 107.

Ante Christū ludebat caro, & æstuabat. Tertullian.

castitatis adhuc in Adam depulabatur cum suo vitio, de ficulneis folijs pruriginem retinens; inhærebat vsquequaque libidinis virus quod nec ipsa adhuc aqua lauerant; at vbi sermo Dei descendis in carnem ne nuptijs *Nunc vigere castitas debet & pudicitia.* *quidem resignatam, & sermo caro factus est, ne nuptijs quidem resignanda, qua ad lignum non incontinentia, sed tolerantia accederet, qua non dulce aliquid, sed amarum aliquid inde gustaret, qua non ad inferos, sed ad cœlum pertineret, qua non lascinia frondibus, sed sanctimonia floribus præcingeretur, qua mundicias suas aquis traderet, exinde caro quæcunque in Christo reliquas sordes pristinas soluit alia iam res est, noua emergit, iam non ex seminis limo, non ex concupiscentia fumo, sed ex aquâ purâ & spiritu mundo.* Subiicienda spiritui caro est, clamat hoc Christus, cùm hominis amore humanam carnem induit.

EXCVRSVS XVII.

Iosephi fortitudo in ferendis contumeliis, fœmineísque illecebris.

Fortis in ferendis iniuriis Ioseph.

Eorum labiis osculum infigit *Ioseph*, quorum dentibus fuerat laceratus.

Patientia magnitudo in iniuriis perferendis.

Ioseph *animi adamantini.*

Se ipso fortior, *qui libidinem* vincit.

Victa mulier est à Iosephi temperantia.

Libidinis machinis vtitur *mulier*.

Instar venatoris insidias iuueni impudica mulier *struxit*.

109. *Fortis in ferendis iniurijs Ioseph.* S.Isid. Pelus.

ENituit summa in ferendis iniuriis Iosephi fortitudo, infracto quæcunque animo aduersa omnia tulit, vt iure eius patientia sanctorum Patrum calamos in sui laudem traxerit. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 49. de illo loquens: *Calumnijs*, inquit, *appetitus est, atque id forti animo tulit. In vincula coniectus est: nec tamen* ANIMO CONSTERNATVS EST. *Sapientia nomine prædicatus est, (siquidem somniorum interpretatio in opus prodiit) & tamen à regijs seruis neglectus, molesto & acerbo animo id minimè tulit.* Fortior extitit Ioseph, quàm vt iniuriis frangi posset.

Eorum labijs osculum infigit Ioseph, quorum dentibus fuerat laceratus. S.Basil.Sel.

Hinc & fratres, quos testes senserat, osculatus est, osculum eorum labiis infigens, quorum dentibus fuerat laceratus; quod expendebat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 8. his verbis: *Affectum animi exprimens sincerè fratres amplectitur, germanisque labijs eos* OSCVLATVR, *qui dentibus inclementer lacerauerant.*

Patientia magnitudo in iniurijs perferendis. S.Zeno.

Quod tantæ virtutis, & fortitudinis est, vt magis hic eluceat Iosephi patientia, & fortitudo, cùm fratres excepit, fratribus ignoscens, quàm cùm carceris squalore premeretur; vnde sanctus Zeno Episcopus Veronensis huc velut per quosdam gradus scandens, aiebat: IOSEPH *patiens inuenitur, patiens in carcere, in regno patientior*, PATIENTISSIMVS *desideratus cum fratres agnosceret*; etiam regnum adeò aduersum iustis, & probis viris, vt in eo sustinendo magnam patientiam exerant, eámque maiorem, quàm si vinculis in carcere ligarentur; sed patientiæ culmen est, atque fastigium eos ferre, & blandè eos alloqui, quos sæuos hostes quis sustinuerit.

110. *Ioseph animi adamantini.*

Huc Iosephi virtus euasit, & fortitudo, sed non hîc stetit, & fœmineas insuper blanditias vicit, sterni mulieribus illecebris non potuit, ad mulieris verba velut ad mallei ictus adamas fuit. Verus in hac re S. Ephrem Syrus de laudibus Ioseph, vbi cùm mulieris impudicæ impudica verba recensuisset, adiicit: *Ad hæc ille lapidis adamantini instar animo & corpore fortis, atque inuictus perstitit.* quod maioris fuit strenuitatis indicium, quàm si fortem quemlibet hostem deiecisset; vt hic optimè cadat sancti Cypriani censio, sic agentis de bono patientiæ: *Qui hostem vicit fortior, sed altero, qui* LIBIDINEM *repressit, se* IPSO FORTIOR *fuit.* S.Ephrem. *Seipso fortior, qui libidinem vincet.* S.Cyprianus.

Victa mulier est à Iosephi temperantia. Clem. Alex.

Suis illecebris in iuuenem mala mulier arietat, non deiicitur ille, sed adamantis apparet fortitudo; non victus est Ioseph à muliere: sed ipsa victa ab illo est; hinc illud Clementis Alexandrini lib. 3. Pædag. cap. 11. *Non conculcauit Ioseph mulier; victa est autem Ægyptia fornicatrix, & fiunem vincula temperantia potentior apparet soluta potestate.*

Libidinis machinis vtitur. S. Chrysost. *Venatori similis est.*

Quo apparatu, quibus machinis adorta iuuenem castum impudica mulier fuerit, eleganter explicat sanctus Chrysostomus epist. 3. vbi venatori Ægyptiam hanc mulierem comparat his verbis: *Quemadmodum peritus quidam* VENATOR, *ferâ captu difficili potiri studens, nullum artis instrumentum immotum reliquit: ad eundem etiam modum ipsa iuuenis pudicitiam perspectam habens (nec enim ea ipsi in tanto tempore incognita esse poterat) ingenti sibi ad iuuenem in captiuitatem redigendum apparatu opus esse iudicauit. Ob eámque causam nulla libidinis* MACHINA *erat, quam non moueret.* Sed cautior fuit Ioseph, quàm vt se sineret vllâ arte capi, fortior extitit, vt nullo machinarum impudicarum vi dimoueri à pudicitiæ sinu potuerit.

EXCVRSVS XVIII.

Iosephi Patriarchæ laus.

Iosephi vita omnium virtutum magistra.

Iosephi meritis loquutus est *Deus Pharaoni.*

Virtutis semper fastigium tenuit Ioseph.

In seruum *venundatus est*, non seruus factus.

Humiliari Iosephi anima non potuit, à pecti sordibus libera.

Libidinis flammas non sensit, qui Dei gratiâ flagrabat.

Iosephi *temperantia*, & *pudicitia* dominam seruam fecit.

Intemperantia labes dominam seruo subiecit.

Omnium virtutum genere coronatus Ioseph.

Iosephi *obsequium* erga patrem.

Iosephi *humilitas* insignis.

In rerum inopiâ ferendâ illustris Ioseph.

Ioseph in carcere cogitetur contra tentationes.

Ioseph tanquam stella in sacræ Scripturæ cœlo orbi emicuit.

Iosephi animus ab omni vindictæ veneno immunis.

Iniuriarum immemor *nocentes* non prodit.

Charitatis lachrymis *odium* fratrum abluebat.

Iosephi virtutibus ætatis imbecillicitas non abfuit.

Inter

111.

Iosephi vita omnium virtutum magistra.
S.Basil.Seleu.

INtet Ægyptiacas tenebras cunctis vnus Ioseph illuxit, quin & sanctitatis ac puritatis suæ radios in omnia secula misit; facta est Iusephi vita omnis virtutis exemplar; in eo omnes habent quod imitentur: hinc illud S.Basilij Seleuciæ Episcopi, orat. 8. *Habes*, inquit, IOSEPHI VITAM *omnigenæ virtutis puditricem*; illo nimirum seculo ea præstitit, quibus etiam Christianum ortum illuminet.

Iosephi meritis loquutus est Deus Pharaoni.
S. Chrysost.

Quòd Deus in somnis alloquutus impium Pharaonem fuerit, Iosephi meritis debemus, non Pharaonis impietati, qui prauis se moribus indignum reddiderat, quem Deus alloqueretur. Præclarè sanctus Chrysostomus in catena Græca in Lucam, quem nouissimè prodiit, cap. 10. *Caino*, inquit, *loqui dignatus est Deus propter Abel, diabolo propter Iobum, Pharaoni propter* IOSEPHVM, *Nabuchodonosori propter Danielem, Balthassari propter eundem*; tam vtilis impiis bonorum præsentia est; quos tamen illi vellicant, proscindunt, persequuntur, sepiunt mali in eos, qui illis bona multa parturiunt, licèt & hoc iniqui nesciant, & nescire velint, vt liberiùs in eos debacchentur.

Virtutis semper fastigium tenuit Ioseph.
S. Ambr.

Seruire Ioseph potuit, & ad obsequia quæque vilia demitti, virtutis tamen fastigium non deseruit, deiici ex sanctitatis suggestu non potuit. Scitè de illo sanctus Ambrosius in Psalm. 104. *Non dedignabatur*, inquit, *obsequium sedulitatis, sed tenebat* VIRTVTIS FASTIGIVM, *conseruabat libertatem innocentiæ, integritatis auctoritatem.* In seruum denique venditus est, nec tamen seruus extitit, & in deiectione corporis animo fuit excelsus, vt proinde Propheta Regius cecinerit Psalm. 104.

In seruum venundatus est, non seruum factus.
Psalm. 104.
S.Ambros.

In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius; non dicit *seruum illum fuisse factum*, vel *in seruum venditum*, nec *animam eius humiliatam*, sed *pedes tantùm*, ne quis putaret animi eius celsitudinem humilis status vilitate deiici potuisse. Acutè rem tetigit idem sanctus Ambrosius eodem loco, his verbis: *Pulchrè Psalmista ait; In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, in seruum, inquit, venundatus est, non* SERVVS FACTVS; non est seruus, qui in obsequio virtuti semper famulatur; addit: *Humiliauerunt pedes eius, non animam eius*; fortior fuit, quàm vt flecti iniuriis posset, atque suppliciis; iustus duris non flectitur, sed durior fit, & aduersis inflexibilior.

Humiliari Iosephi anima non potuit, à peccati sordibus libera.
Idem.
Libidinis flammas non sensit qui Dei gratiâ flagrabat.

Humiliari Iosephi anima non potuit, quam peccati labes non corripuit, criminis ictui minimè patuit; sequitur sanctus Pater: *Quando enim humiliata est anima de qua dicit, Ferrum pertransiuit animam eius. nam cùm aliorum animas peccatum transeat (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile)* IOSEPH SANCTI ANIMAM, *ita non patuit peccato, vt magis peccatum ipsa penetraret; denique nec herilis illecebræ flexus est delinimento, nec immeritò flammas non sensit libidinis, quia maiore diuinæ flagrabat ardore gratiæ, vnde de eo pulchrè dictum est, quia eloquium Domini vssit eum, quo restinxit ignitas diaboli cogitationes.*

112.

Iosephi temperantia, & pudicitia dominam seruam fecit.
S.Greg.Nyss.

Adeò non seruiuit Ioseph vt eius temperantia ac pudicitia dominam in seruam verterit; quod colligit ex illis Ægyptiæ fœminæ verbis sanctus Gregorius Nyssenus, quibus ad nefarium opus impudica pudicum adolescentem inuitauit, dum diceret: *Dormi mecum*; sic autem loquitur sanctus iste Pater in illud Apostoli, *Omne peccatum, quod fecerit homo: Temperantia*, inquit, *serui magna est auctoritas, dominam fecit seruam, nam illi quidem supplicabatur, hæc verò supplicabat, Dormi mecum, ignitum est telum fornicationis.*

Intemperãtiæ labes dominam seruo subiicit.
S.Basi.Sel.

Castimoniæ coronâ redimitus Ioseph, seruire impudicæ mulieri non potuit, dominus euaserat qui venditione seruus fuerat, & serua quæ domina; extulit cultores suos castitas, deiicit suos impudicitia. Scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 8. vbi ait: *O quanta* CONTINENTIÆ DIGNITAS! *quanta grauitatis* CORONA, *vt seruus venditus est, & vti Domino domina supplicat. O quanta est intemperantiæ labes, siquidem seruo dominam seruam subiicit: nam quæ amoris iugo quasi per venditionem animam subiecerat, externæ quoque dignitatis iacturam fecit.*

Omnium virtutum genere coronatus Ioseph.
S.Isid. Pelus.

Mirum fuit à carcere ad regni coronam ductum, sed maius istuc etiam in carcere virtutis omnis coronam habuisse; ita illum effert sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 49. *Quodnam*, inquit, *virtutum genus est, quo non redimitus, atque* CORONATVS *fuerit?* Pergit, *semel & iterum venditus est, at propterea* NOBILITATEM MINIME AMISIT, *à Domino suo propter morum honestatem direptus est, nec tamen hoc eum in arrogantiam extulit.*

113.

Iosephi obsequium erga patrem.
S. Ambrosius.

Ex somnio, quod vidit, apparet Iosephi sanctitas, nam cùm a sole, lunâ, & stellis adorari se vidisset, patri tamen obediens obsequebatur, neque enim futura sublimitas illum quidpiam extulit, & extra sui muneris limites extraxit. Scitè sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 17. *Ioseph cùm somniasset quòd sol & luna & stellæ adorarent eum, sedulum tum obsequium deferebat patri.*

Iosephi humilitas insignis.
S. Ambros.

De Iosephi humilitate ita loquitur sanctus Ambrosius in Psalm. 118. octon. 14. *Quid fuisset Ioseph si humilis non fuisset? Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos, prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit.*

In rerum inopiâ ferendâ illustris Ioseph.
B. Laur. Iust.

Insignis quoque Ioseph fuit in rerum inopiâ ferenda, dum in carcere esset, quam ita expendebat Beatus Laurentius Iustinianus de paupertate cap. 3. in hæc verba: OMNIS VIRTVTIS MAGISTRA EST INOPIA, *& index. non ita laudamus Ioseph, cùm frumentum distribuebat, sicut cum carcerem habitabat, & affligebatur inopia.*

Ioseph in carcere cogitetur contra tentationes.
S. Augustin.

Præterea Iosephi in carcere positi exemplum fortitudinem nobis inhalat; solaque hæc cogitatio contra tentationes munite nos potest; vt opportunè monuerit sanctus Augustinus in Psalm. 104. *Si tentationes datæ sunt in hoc seculo*, IOSEPH IN CARCERE, *Iesum in cruce cogitate si rerum temporalium prosperitas adiacet, non propter ipsam Deo, sed ipsa vtimini propter Deum.*

Ioseph tanquam stella in sacræ Scripturæ cœlo orbi emicuit.
B.Ruper.

Ioseph tanquam stella in sacræ Scripturæ cœlo emicuit, & orbem illustrauit; audiendus Rupertus qui lib. 8. commentariorum in Genesim cap. 18. ita de illo subiicit: IOSEPH SANCTISSIMVS, STELLA MAGNA ET LVCIDA, *de hoc altissimo sanctæ Scripturæ cœlo lumen suum dare incipit, qui penè solus claro vitæ suæ ordine præostendit, qualiter sol iustitiæ Christus processurus esset ab initio vsque ad finem diei.*

114.

Iosephi animus ab omni vindictæ veneno immunis.
Gen. 40. 15.
S.Basil Sel.

Animum Iosephi ab omni odij & vindictæ veneno alienum vidit in illius verbis; quia furtim sublatus sum, & hîc innocens in lacum missus sum, Genes. 40. 15. Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 8. dum ait: *Non inuidentiæ recordatus, non* FRATERNAM INCVSANS CRVDELITATEM, *non venditionem recensens, non mortem meditatam exponens, non mulieris immoderatum amorem, non suam temperantiam, non illius importunitatem*, auctores malorum non prodit, iniuriarum oblitus; nudam suam innocentiam sistit.

Iniuriarum immemor nocentes non prodit.
Oleaster.

Peritè hîc Oleaster: *Audis iusti prudentiam, & charitatem, vt neminem velis damnari, neque nominat auctores malorum suorum, sed solius innocentiæ suæ memor est.*

Eductus

Charitatis lacrymis odiū fratrum abluebat.
S. Augustin.

Eductus de carcere, euectus ad Regnum fratres in sui conspectum admittens, séque illis manifestans osculatus est eos, *& plorauit super singulos*, Gen. 44. 15. Vides Iosephi charitatem, fratrum odium lachrymis eluentem: Hinc illud sancti Augustini serm. 83. de tempore, qui de Ioseph loquens, ait: *Irriguis fletibus pauentium corda perfudit, odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.*

Iosephi virtutibus ætatis imbecillitas non obfuit.
Gen. 37. 2.

Denique talis fuit Ioseph, vt illius virtuti nec ætatis imbecillitas non obfuerit, Gen. 37. 2. ita de illo loquitur Moses: *Ioseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer;* anni illius recensentur, vt statim disceremus nullum eum ob ætatis immaturitatem præiudicium accepisse. Præclarè sanctus Chrysostomus hom. 61. in Genesim: *Et quam*, inquit, *ob causam nobis annorum designat numerum? vt scias quòd* ADOLESCENTIA NON EST VIRTVTIS *præpedimentum*; quin & nomine docere, adolescentum esse in virtutibus adolescere, non in nudo corpore dumtaxat.

S. Chrysost.

EXCVRSVS XIX.

Quædam de Iosepho ad Iosephi laudem, commendationémque.

Ioseph *iusti* titulum indeptus.

Ioseph *somniorum interpres* futurus vt colligatur.

Patris senectam vt fouerit, & nutriuerit Ioseph.

Iacob ob Ioseph reuixit, ita *Præsul* ob suos subditos.

Fraterna charitas, quæ in fratribus defecerat vt vigeret in Ioseph.

Debitas luunt pœnas, qui *iustis nocent*.

Famis flagellum Orbis sensit, quia iniustè iustus Ioseph vexatus.

Iosephi humilitas *diuinum sibi honorem deferri inhibuit.*

115.
Ioseph iusti titulum, indeptus.
Hebr.

DE Ioseph vt multa seposuerim, sic hæc quæ subiicio hîc desiderati nolui, cùm & cohæreant cum argumento quod versamus, nec suâ vtilitate eareant.

Hebræi Iosephi nomen iusti titulo donant, & hoc addito Iosephum ab aliis discriminant, qui hoc eodem nomine vocentur, dicúntque יוסף הצד'ק *Ioseph virtus*, hunc Patriarcham intelligentes.

Ioseph somniorum interpres futurus vt colligatur.

De Ioseph Gen. 49. vers. 22. ait Iacob: *Filius accrescens Ioseph*; in fonte בן פרת filius fructificationis; vox פרת transpositis litteris gignit פחר *Pathar*, quæ *interprete* sonat פרת *vaccam* significat, vt statim innueretur eum somniorum illorum interpretem futurum, quæ Pharao vidit.

Patris senectā vt fouerit, ac nutriuerit Ioseph.
Gen. 37.
S Basil. Sel.

Ioseph vt patris senectam fouerit, & curauerit, colligit ex illis verbis sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus, quibus *dilectus patri* fuisse dicitur, quòd in senectute eum genuisset, Gen. 37. *Israel enim diligebat Ioseph, eo quod in senectute genuisset eum*; statim hîc aliquis reponat, hac ratione magis diligendus Beniamin, quia hic post Iosephum, omnium postremus, atque adeò in maiori senectute genitus est, nondum vidit, & soluit productus Pater homil. 8. aitque: *Quod Beniamin filiorum Iacobi postremus, & senectuti vicinus erat, & pariendi finis, quomodo Iosephus insuper filius senectutis appellatur? at senectutis filius est, qui* SENECTVTEM *accurans, & ætatis patriæ laborem curâ alleuans, spe senectutis fouendæ naturalem amorem sibi conciliauit.*

Iacob ob Ioseph reuixit, ita Præsul ob suos subditos.
S. Chrysost.

Iacob audiens Iosephum viuere, quem putabat mortuum, spiritu reuiuixit; eadem mente & Præsul quilibet in subditos ferri debet cùm suis restituitur, suos videt; hinc illud sancti Chrysostomi homil. de regressu de Asia Constantinopolim: *Iacob*, inquit, *quidem vnum filium videns* IOSEPH, *gaudebat senex, & recreabatur spiritu: ego autem non vnum Ioseph, sed omnes vos illi similes video, & gaudeo, quia paradisum meum recepi illo Paradiso meliorem: & ibi quidem serpens erat insidians, hîc autem Christus mysteria celebrans: ibi Heua erat seducens, hic autem est coronans Ecclesia.*

116.
Fraterna charitas quæ in fratribus defecerat vt vigeret in Ioseph.

In hoc singularis Iosephi sanctitas apparuit, quòd à fratribus læsus, fratres amare non destitit, iniuriarum oblitus, quas illi intulerant in innocentem; hinc in Ægypto degens & fratres ante oculos habens eos benè nouit, ab ipsis minimè cognitus, quia scilicet fraterna charitas in illius corde regnabat, in illorum desiderabatur. Præclarè Franco Abbas tom. 4. de gratiâ Dei; IOSEPH *mansuetus & in ipsâ gloriâ suâ humilitatis suæ custos fortissimus, & illud legis: Non eris memor iniuriæ ciuium tuorum, licèt nondum editum, spiritu iam edoctus, fratres agnoscit non agnitus, quia qui fraterna* VISCERA PERDIDERANT, *meritò fraternos vultus non agnoscebant*; agnouit fratrum vultus Ioseph, quia fratres fraterno amore complectebatur.

Franco Abb.

Debitas luūt pœnas, qui iustis nocent.

Sed debitas pœnas luituros, qui in iustos sæuiunt, hæc Iosephi historia probat, Genes. 42. vers. 25. Simeonem vinculis fuisse constrictum, sed cur iste potius ligatur, quàm alij, cùm nec illi fuerint innocentes? ex Hebræorum mente ita respondet Isidorus Clarius hîc: *Dicunt*, inquit, *Hebræi quòd is* IOSEPH *in lacum coniecerit, ideo eadem mensurâ remensum illi, qua fratri mensus erat, vt scilicet ipse præ cæteris in carcerem conijceretur.*

Hebr.

117.
Famis flagellum orbis sensit, quia iniustè iustus Ioseph vexatus.
Auct. sub nomine Chrys.

Quid? quòd famis flagellum orbis sensit, quia innocens Ioseph iniustè coniectus in carcerem carceris squalore tanquam nocens punitus est; tantum scelus apud Deum est, eius seruos cruciare. Auctor sub nomine Chrysostomi hom. 25. in Matthæum ita scribit: *Qui quasi maleficus in carcere fuerat, quasi Propheta eductus est. In vnius pueri vindicta*, TOTVS MVNDVS FAME FLAGELLATVS EST. Igitur vindicem Dei manum qui timet, in Dei seruos manum non mittat, in iustos iniustè non sæuiat, eos potiùs colat, & veneretur.

Iosephi humilitas diuinum sibi honorem deferri inhibuit.
S. Aug.

Ioseph in hoc quoque laude dignus est, quòd cineres suos ab Ægypto aliò transferri post mortem suam iussit, Gen. 50. ne scilicet debitus Deo honor ipsi deferretur. Rem his verbis affert sanctus Augustinus lib. 99. ex veteri Testamento q. 25. *Et quid Ioseph post prophetiam audierat filios Israel, vt cùm a Deo liberarentur, cineres eius de Ægypto transferrent. Non otiosè illud mandasse Ioseph filijs Israel, in absoluto est: quia enim prophetare potuit, non improuidè locutus esse credendus est. Cùm enim esset in Dei creatoris deuotione propensior: sciens autem ab* ÆGYPTIIS *se coli causa administrationis, qua in magna egestate Ægyptum gubernauit, post exitum suum errorem petiuit auferre. Certus vanitatem vulgi mortuos magis vt Deos venerari, quàm viuos, ne ei deferretur debitus creatori honor. Hic ergo ostendit*

se

se liberum fuisse à vana superstitione Ægyptiorum, quando ne ad Dei iniuriam proficeret, cineres suos transferri mandauit.

EXCVRSVS XX.

De Iosephi carcere, Iosephi vinculis.

Iosephum in carcere vinculis *adstrictum minimè fuisse aliqui opinati sunt.*
Verè in carcere vinctum *Iosephum euincitur.*
Olim etiam vincti *terram colebant.*
Apud AEgyptios noctu catenis vincti *arctius stringebantur, laxius in die.*
Verè in carcere compeditum *Iosephum sanctorum Patrum auctoritate probatur.*
Vincti *dicuntur & qui compediti.*
Iosephi vincula *à multis confirmata.*
Iosephi in carcere, catenísque *patientia.*
In vinculis lætus *Ioseph Deum glorificabat.*
Ioseph orantem in carcere *reperit AEgyptia mulier.*
Alios carceris ærumnâ *leuabat Ioseph.*
Tentationibus ferendis auxilium præbet Ioseph in carcere *cogitatus.*
In carcere detenti *vt animandi, erigendique.*
Felices pedes *qui hic ligantur.*
Qui catenis *ligatur, libera mente in Deum eat.*
Petrus vinctus *Angelo soluenti. Prælatus.*
Maius est donum vinculorum, *quàm solem sistere.*
Mundi carcer, *mundi catena.*
Ioseph magis laudandus in carcere *detentus, quàm frumentum distribuens.*
Vinculorum *quibus vinciuntur memoria quàm vtilis, quàm salutaris.*
Ioseph fratrum inuidia *profecit.*
Iosephi historia *temperantiæ amorem ingenerat.*

118. *Iosephum in carcere vinculis adstrictum minimè fuisse aliqui opinati sunt.* Gen.40.

IOsephi vincula scribentis manum, calamúmque non vincient, sed soluent; de illis aliqua hîc mihi tradenda, quæ nec ab argumento, quod versamus, aliena sunt, nec ab instituto nostro dissita. Gen.40. hæc habentur verba: *In carcere, in quo erat vinctus Ioseph.* Multus est hîc Abulensis, vt probet Ioseph non fuisse catenis & vinculis adstrictum in carcere; illa autem verba, *in carcere vbi erat vinctus Ioseph*, sic exponit, in quo erat clausus. Abulensis mentém suam his verbis exponit. *Non est intelligendum quòd Ioseph esset vinculatus catenis, quia Ioseph inuenit gratiam coram Principe carceris, scilicet vt teneret eum in vinculis sicut cæteros, sed permitteret eum habere cæteros in custodia. Item, quia, vt dicitur hîc, Ioseph ministrabat illis duobus Eunuchis Regis, sed manifestum est, quòd non posset ministrare, si catenis vinculatus esset. Dicitur ergo* VINCTVS NON QVÒD CATENAS HABERET, *sed quòd detineretur in carcere ne ad alium locum foras prodiret.* Hæc Abulensis. Ego facilè aliter sentirem; putarim enim verè vinculis & compedibus adstrictum fuisse Iosephum, dum in carcere teneretur, & in primis id ex antiquissi-

Abul.

Verè in carcere vinctum Iosephū euincitur.

mis Patriarcharum testamentis hoc euincitur; nam in testamento Ioseph ipsemet ait: *In carcere eram, & Saluator viuificauit me; in* VINCVLIS *detinebar, & soluit me Dominus.* quæ de compedibus intelligenda sunt: nam paulo pòst subdit, *cùm vinctus iacerem in compedibus.* Sed alia ad rem firmandam adducamus. Psal.104. vers.18. *In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus eius*; ecce compedes, ecce vincula. subdit Psaltes, quod magis opinionem Abulensis damnat, & euertit: *Ferum pertrabit animam eius.* Genebrardus, *Ferreis* VINCVLIS *eius personam tentauerunt.* subdit Propheta, vt non statim ac in carcerem est coniectus, solutum eum fuisse crederemus: *donec veniret verbum eius.* Genebrardus, *verbum, siue decretum Dei de eo euehendo. Aliqui verbum prophetia eius factum ad pistorum, & pincernarum regiorum magistros*, Gen. 39. Ergo non statim solutus est Ioseph; magis firmi ex eo quod sequitur. *Misit Rex* (Pharao) *& soluit eum a catenis & compedibus*, quod alij etiam viderunt: soluit eum è compedibus & ferro, & emisit eum è carcere. Quid testimonia quæro? alia non minoris ponderis, & claritatis suppetunt Sap. 10. *Sapientia venditum iustum non dereliquit, descendítque cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum donec afferret illi sceptrum regni*; quæ de Ioseph intelliguntur, vnde constat tandiu fuisse vinculis alligatum, quousque eductus de carcere à Pharaone primum post ipsum locum obtinuit. Ecclesʃ. 4. v. 14. hæc quoque leguntur. *Quòd de carcere, catenísque interdum quis egrediatur ad regnum*; quæ verba Vgo, & alij de Ioseph intelligunt. Nec quod affert Abulensis nos ab hoc sensu abducere debet, nam & vinctus poterat ministrare, & in carcere detentis deseruire, vel quia laxiora erant vincula, & pedes tantùm vinciebantur. nam antiquitus etiam vincti colere terram solebant, & poterant. Tibul. lib. 2.

Test.
Psal.104.18.
Genebr.
Sap.10.
Ecclesʃ. 4.
Vgo.
Olim etiam vincti terrā colebant.
Tibul.

Spes etiam valida solatur COMPEDE *vinctum.*
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Obseruo etiam moris apud Ægyptios fuisse, vt arctius noctu stringerentur carcere detenti, quàm interdiu. Colligo ex Luciano de amicitia, vbi de Præfecto carceris Ægyptio sic air: *Porrò præfectus carceris Ægyptius homo superstitiosus subægrotabat, itaque iam Antifilus maléque habebat, nec mirum, quippe qui humi cubaret, idque etiam noctu, neque crura sineretur protendere ligno inclusa, nam per diem catasta stringebatur, altera manu* VINCTA FERRO, *at noctu cogebatur totus in* VINCVLIS *esse.* 119.

Apud Ægyptios noctu catenis vincti arctius stringebantur, laxius in die.
Lucian.

Circa Iosephi vincula à nobis stat etiam sanctus Chrysostomus in Psal.104. ad illa verba: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius. Nam,* inquit, *post adulterini calumniam ipsi conflatam in carcerem habitauit, ac statim, vt verisimile est,* VINCVLIS FERREIS *obstrictus est.*

Verè in carcere compeditum Iosephū sanctorū Patrum auctoritate probatur.
S. Chrys.

Verè in carcere compeditum Iosephum euincunt & illa verba sancti Augustini in Psal. 104. ad hæc eadem verba: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, ait enim: COMPEDES *quidem accepisse Ioseph non legimus, sed factum esse minimè dubitandum est; aliqua enim prætermitti potuerunt in illa historia, quæ tamen Spiritum sanctum non laterent, qui in his loquitur Psalmis.*

S. Aug. Psal. 104.

Vinctum suadent & illa verba eiusdem Psalmi, *Misit rex, & soluit eum; Princeps populorum, & dimisit eum*, soluendi verbum hoc suadet quod tradimus; hinc idem S. Augustinus hoc verbum expendens, ait; *soluit* COMPEDITVM, *& dimisit inclusum.* Sulpitius Seuerus lib.1. initio solutum Io-

S. Aug.
Sulp. Seu.

 sephum

ſephum tamquam vinctum affirmat, dum ait: *Ita Ioſeph ſoluitur*; non ſolueretur niſi eſſet ligatus.

Vincti dicuntur & qui cōpediti Pſal 106. S. Aug.

120. Porrò licèt in hiſtoria compeditum Ioſephum non legamus, legimus tamen vinctum, quæ vox etiam ad compedes transferri poteſt; vnde Pſal. 106. quod nos legimus, *vinctos in mendicitate, & ferro*; ſanctus Auguſtinus ibidem legit: COMPEDITOS *in mendicitate, & ferro.*

Ioſephi vincula à multis cōfirmata. S. Baſil. Sel.

Vincula Ioſeph probi auctores etiam aſſerunt; ſanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. 8. quæ eſt in Ioſephum, ita ſcribit: *Conuerſabas in carcere cum regiis captiuis, quibus cùm inexplicabiles ſomniorum reſſoluiſſet ambages, caſus ſuos recenſere cogebatur, &* SVORVM VINCVLORVM *cauſas exponere*; & eadem orat. *In carcere Ioſephus habetur ſirium ſimul, & vinctus*, addit, & ferreorum vinculorum meminit, compedúmque. *Pro domo carcer etiam ferrata compede teneor? Nónne adulterio ſuperiores ad pares cum mœchis pœnas ſeruamur; horum nihil effugiit Ioſeph.* Sanctus quoque Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 49. in vincula coniectum Ioſephum nobis exhibet hiſce verbis: *Quódnam virtutis genus eſt, quo non redimitus, atque conatus fuerit? ſemel & iterum venditus, ac propterea nobilitatem minimè amiſit, in* VINCVLA *coniectus eſt, nec tamen animo conſternatus.* Sanctus Baſilius apud ſanctum Anaſtaſium Synaitam quæſt. 9. ad vincula reſpexit, cùm dixit: *Ita veteres ſpem in Deum per multos labores docebantur. Laboribus enim afflictus Ioſeph tredecim annis hoc facere didicit, calumniis,* VINCVLIS, *poſt præclara illa, & magna Dei promiſſa ei facta in ſomniis*; ſed poſtea præter ſpem fit dominus Ægypti. Sanctus Chryſoſtomus non aliud ſenſit cum hom. 85. in Matthæum dixit: *ſed erat Ioſeph, inquies, in vinculis; hic in regia ſpatiabatur; & quid eſt hoc? Nónne ille ſplendidè fuit coronatus quouis coronato ſplendidius etiam cùm in* CARCERE VINCTVS *iacere videretur?* Sanctus Paulinus ad vincula ſpectauit ad Cytherium circa finem,

Ioſephi in carcere catenisque patientia. Idem. S. Iſid. Peluſ. S. Anaſt. Syn. S. Chryſ. S. Paulinus.

Sic ille IOSEPH *ante paruus factus eſt*
Vt magnus eſſet.

Addit,

Sed ſuſtinendo iniquitatis VINCVLA
Iuſtitia cœpit præmia.

In vinculis lætus Ioſeph Deum glorificabat. Teſt. *Ioſephū orantem in carcere reperit Ægyptia mulier.*

121. Vinctus fuit Ioſeph, & lætus vincula patiebatur, vinctus erat, non vincta eius lingua, quia in eius laudes ſolueretur; in Ioſephi teſtamento hæc legimus: *Cùm vinctus iacerem in compedibus, hilari voce gaudens glorificaui Deum ſolum, quòd per hanc occaſionem amouebar ab Ægyptia*; carcer illi charus, quo à mala muliere ſubmouebatur. Leuiora ferrea vincula Ioſepho fuere præ illa, quæ in muliere impudica timebat. Ex eodem teſtamento habetur, impudicam illam mulierem ad carcerem ſe contuliſſe, vt Ioſephum inuiſeret, eúmque orantem audiuiſſe.

Alios carceris ærumna leuabat Ioſeph. S. Ambr.

Adeò carceris ærumna non premebatur Ioſeph, vt aliis quoque lætitia perfuſus ſubleuaret, lib. de Ioſeph cap. 5. ita ſcribit ſanctus Ambroſius: *Ioſeph non ſolùm carcerem non ſentiebat, ſed etiam alios quoque* CARCERIS *leuabat ærumna.*

Tentationibus ferendis auxilium præbet Ioſeph in carcere cogitatus. S. Auguſt.

Quid? & in poſteriora ſecula deriuare leuamen poteſt, vt Ioſeph in carcere cogitatus præſens ſit aduersùs omnia aduerſa remedium, contra tentationes refrigerium, vt iurè ſanctus Auguſtinus in Pſal. 104. ad calcem dixerit: *Si tentationes duræ ſunt in hoc ſeculo,* IOSEPH *in carcere, Ieſum in cruce cogitate.* Sed extra Ioſephi carcerem abeamus.

In carcere detenti vt animādi, erigendique. Tertull.

122. Eos qui carcere detinebantur ita ſolatur, animátque Tertullianus lib. ad Martyres cap. 2. *Hoc præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophetis. Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentiùs agebat, vt liberiùs oraret, vt ſeculo cederet. Gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit. Auferamus* CARCERIS *nomen, ſeceſſum vocemus, etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam, quæ ad Deū ducit. Quotiēs eam ſpiritu deambulaueris, toties in carcere non eris. Nihil crus ſentit in neruo, quum animus in cœlo eſt.* Totum hominē animos circumfert, & quò velit transfert.

Felices pedes qui hic ligātur. S. Cypr.

Ligentur catenis fidelium pedes, velociùs ad Deum ſuum pergunt, cuius amore vinciri ſe ſinunt, non ſinunt vinci, ſolutus æternùm in cœlis erit qui hîc ligatur; lubet hîc cum ſancto Cypriano epiſt. 72. ad Hemeſ. inclamare: *O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad Paradiſum diriguntur! ô pedes ad præſens in ſæculo ligati vt ſint ſemper in cœlis apud Deum liberi.*

Qui catenis ligatur, libera mente in Deum eat. S. Proſper.

Nec in cœlo tantùm erunt ſoluti, qui hîc vinciuntur, ſed & in terris; nam ligari corpus vinculis poſſit, poſſit carcere claudi mens, tamen liberior in cœlum, in Deum euolat, ſuccinere quiſque poteſt, quod cecinit ſanctus Proſper epigram. de dilect. Dei,

Carcere ſi cæco claudar, nectárque catenis
Liber in exceſſu mentis adibo Deum.

Petrus vinctus Angelo ſoluente Prælatus S. Chryſ.

123. Petrum vinctum in ſacris litteris habemus, habemus vincula ſoluentem Angelum; ſed quis erit præferendus? cuius partes eligendæ? Qui ſapit, Petrum vinctum referre mallet, quàm Petrum ſoluentem Angelum; mentis huius fuit etiam ſanctus Chryſoſtomus hom. 8. in epiſt. ad Epheſ. vbi in hunc modum loquitur: *Si mihi quiſpiam dixiſſet, Elige vtrum velis: vis eſſe Angelus Petrum ſoluens, an Petrus vinctus? Petrus vtique eſſe maluiſſem.* Pergit, & rem extollit: *Maius hoc* VINCVLORVM *donum eſt, quàm ſolem ſiſtere, aut mundum mouere, aut dominari dæmonibus, eóſque expellere.* Magnum fuit ad Ioſue vocem ſolem ſtetiſſe, ſed ſancti huius patris donum maius eſt aliquem vincula pati, vt moueri non poſſit.

Maius eſt donum vinculorū, quam ſolem ſiſtere. Idem. *Mundi carcer, mūdi catene.* Tertull.

De mundi carcere, catenisque ita loquitur idem Tertullianus lib. ad Martyres cap. 2. *Si recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiſſe vos è carcere quàm in carcerem introiſſe intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Graniores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremò mundus reos continet, ſcilicet vniuerſum hominum genus. Iudicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. Quo vos benedicti de* CARCERE *in cuſtodiarum, ſi fortè tranſlatos exiſtimatis. Habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi. Habet vincula, ſed vos ſoluti Dei eſtis. Triſte illic expirat, ſed vos odor eſtis ſuauitatis.* redeo ad Ioſephum.

Ioſeph magis laudandus in carcere detensus, quàm frumentum diſtribuens. S. Aug.

Maximè efferenda Ioſephi prouidentia quòd carcere, vt ita loquar, detentum frumentum, & horreis cuſtoditum in communem vſum protulerit omnium indigentiæ, ac neceſſitati ſubleuandæ, ſed maiori gloria donandus, quòd ſumma patientia carceris ipſe anguſtias ſuſtinuerit. Pulchrè de illo ſanctus Auguſtinus: *Non ita laudamus* IOSEPH, *cùm frumentum diſtribuebat, ſicut, cùm carcerem habitabat. Porrigi eò latior laudis terminus debet, quo anguſtiore ille carcere detinebatur.*

Vinculorum quibus Sancti vinciuntur &

124. Explicari non poteſt, quanta bona à vinculorum, quibus Sanctorum membra deuincta fuere, cogitatione naſci queant; quàm ingentium vtilitatum matres Sanctorum vincula ſint, quàm virtutes nutriant, & foueant, quàm fortiter nos à

paſſio

memoria quã vtilis, quàm salutaris. S. Chrysost.

passionum impetu auocent abstrahántque. De Pauli vinculis ita disserebat sanctus Chrysostomus, cuius verba, licèt plura, referre non piget, quia rem, quam tangimus, appositissimè confirmant; hom. 4. in epist ad Colossenses hæc habet. *Ne agrè feramus afflictiones propter Christum, sed vinculorum Pauli nos quoque simus memores, & hoc est nobis adhortatio; vt suades aliquibus pauperibus dare propter Christum? Reminiscere vinculorum Pauli, & te, & illos pronuncia miseros, si ille quidem, & corpus dedit vinculis propter ipsum: tu autem ne cibum quidem impertiris. & elatus propter bene facta? recordare* VINCVLORVM *Pauli, & quòd nihil tale sis passus, nec adhuc patiaris. In desideriis aliquorum bonorum proximi, memento vinculorum Pauli, & videbis quam sit absurdum illum quidem esse in periculis, te autem in deliciis. Rursus deliciarum teneris desiderio? tibi veniat in mentem carcer Pauli: es illius discipulus, & illius commilito. Quomodo est rationi consentaneum, vt commilito quidem sit in vinculis, tu autem in deliciis? Es in afflictione, existimas te esse derelictum? audi verba Pauli, & videbis quòd esse in afflictione, non est indicium derelictionis. Vis vestes ferre sericas? Recordare* VINCVLORVM PAVLI, *& ea videbuntur viliora pannis sordidis, & cœnosis. Vis aureis indui? Tibi veniant in mentem vincula Pauli, & nihilo tibi videbuntur melius affecta, quàm vetus iuncus, Vis capillos ornare, & videri pulchra? cogita squalorem Pauli in carcere, & ad illam accenderis pulchritudinem, & hos existimabis esse deformitatem, & acriter ingemisces, illa vincula cupiens*; tot tamque magna pàrturit vinculorum Pauli memoria, & parium parit, suppariúmque supparit; sed iterum ad Iosephum à quo non inutiliter deflexímus, redeamus.

Iosepho fratrum inuidia profecit. B. Alcuinus.

Sæuierunt in iustum Iosephum Iosephi fratres, sed illorum inuidia illi profecit, profuit inocenti nocentium persequutio; hinc Beatus Alcuinus de ipso loquens,

> ——— *coniuratos germanum vendere fratrem*
> *Cogit liuor edax, prosunt contraria iustis,*
> *Hoc opus est gratia.*

Iosephi historia temperantiæ amorem ingenerat. S. Basil.

Iosephi historia temperantiæ amorem ingenerabit, si assiduè voluatur; sanctus Basilius epist... ita scribit, *Temperantiæ homo cupidus,* HISTORIAM IOSEPHI *assidua lectione euoluat: ab ea enim edidicerit actiones temperantiæ plenas, cùm compererit eum ad habitum virtutis profectum esse, nedum voluptariis in rebus continentiâ præditum.* Pudicitiæ & castimoniæ spiritum lectoribus suis inhalare Iosephi, qui puritatis exemplar exstitit exemplum potest.

ADAGIVM LXXXVII.

Oculis Homericis liquet.

125. QVadrabit in rem clarissimam, quæ vel cæcis ipsis sit manifesta; hinc illud Tertulliani de pallio cap. 2. *Nostra,* inquit, *mutatio quod clausis, vel in totum* HOMERICIS OCVLIS LIQVET, *totum veriforme est.*

ADAGIVM LXXXVIII.

In cella vinaria siti mori.

PRouerbij vsus erit, cùm quis re aliqua necessaria copiosè obseptus torpore, & segnitia correptus, eius vsu ita destituitur, ac si ea non abundaret; res concinnior euadat si ad ea quæ spiritalem profectum tangunt, transferatur. Transtulit Humbertus lib. 4. de erudit. Relig. part. 4. vbi eos premens, qui in religiosis familiis tepidè viuunt, moréSque sæculum sapientes referunt, ait: *De cruce claustri transiturus est ad cruciatum inferni, talis valde infelix est, qui in Dei* VINARIO SITI MORITVR, *in eius seruatorio corrumpitur, & in loco salutis damnationem suam operatur; quod aliis esset aurum, est ei plumbum, onus scilicet religionis.*

ADAGIVM LXXXIX.

Perspicuitas cum grauitate coniuncta obscuritatem auditoribus non parit.

TAnquam vulgatum prouerbium hanc sententiam profert sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 154. PERSPICVITAS, inquit, CVM GRAVITATE CONIVNCTA OBSCVRITATEM, vt est in prouerbio, NON PARIT.

ADAGIVM XC.

Alter Nestor.

QVi senectutem prudentiâ, animi magnitudine, solertiâ exornatam circumfert, is Nestori poterit comparari. Sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 104. ita loquitur: *Quòd si impetum contrà facias, ac sæpè id facere in animo inducas, fortasse senem quoque pugnacem reddes,* NESTOREQVE NIHILO IGNAVIOREM.

ADAGIVM XCI.

Omnem funem mouere.

PLenâ in re quapiam inuestigandâ diligentiâ hoc prouerbio significabitur. In hunc sensum vsus est sanctus Gregorius Thaumaturgus orat. panegyr. in Origenem, *Omnem* FVNEM 126.
inquit, (*quod vt in prouerbio,*) MOVENS; simile est illi, OMNEM LAPIDEM MOVERE; quo præter Auctores prophanos, vtitur Synesius epist. 125. dum ait; *At ego quantum in me est,* OMNEM LAPIDEM MOVEO.

ADAGIVM XCII.

Conuitiis de plaustro.

IN maledicum, & supra modum conuitiatorem iactari poterit, qui conuitiorum plaustra circumferat, & ea in omnes iactet. Synesius epist. 79. ita scribit: CONVITIIS DE PLAVSTRO, *vt aiunt, proscindens, omniaque intentans.*

De calumniis, conuitiisque perferendis scitum hoc dictum exstat apud sanctum Ioannem Climacum in sua scala gradu 4. in calce: *Qui ad veram animi tranquillitatem, & ipsum Deum properat, ingens detrimentum se accepisse existimat, quo die nullam calumniam tulit.* Hanc mentem si quis seriò ebiberet, conuitiorum omnium vim eluderet, omnium calumniarum virus auferret.

ADAGIVM XCIII.

Ignis impetum stuppâ comprimere.

EST inanem operam sumere, ac contraria efficere, ac quis conetur. Scitè sanctus Nilus

oratione de octo vitiis; de gulà loquens ait: *Qui ventrem implens pudicitia cultum profitetur, huic similis est, qui se* IGNIS IMPETVM STVPPA COMPRESSVRVM, *aut flammam oleo extincturum pollicetur.* Porrigetur in quoscumque, qui absurda, & factu impossibilia aggrediuntur.

ADAGIVM XCIV.

Sermonem in aliquem tanquam in album dirigere.

127. CVm quis linguarum scopos, ac dicteriorum materia est, prouerbiali specie dicetur in eum, *sermonem velut in album dirigi*; sumptâ à iaculantibus metaphorâ, qui in album sagittas torquent, vt colliment. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 65. ita loquitur: *Aiunt enim, sermonem in te* TANQVAM IN ALBVM *dirigentes, quo pacto aliis sanctitatem impertis prophanus ipse, ac nefarius.*

ADAGIVM XCV.

Festucam quærit vnde sibi eruat oculum.

DE eo, qui suæ ruinæ casúsque occasionem quærit, malúmque malus sibi studiuse creat; hinc sanctus Bernardious in declamationibus: *Homo*, inquit, *qui perditionis sumit occasionem, &, vt vulgò dicitur*, FESTVCAM QVÆRIT VNDE SIBI ERVAT OCVLVM.

ADAGIVM XCVI.

Fumum fugiens in ignem incidit.

ADagialem faciem hæc sententia habet: vtemur eùm minus malum vitantes incidimus in maius; & discrimen maius subimus, dum à minori nos subducimus. Sanctus Epiphanius hæresi 68. loquens de Meletianis: *Contigit ipsis*, inquit, *hoc iuxta prouerbium*, FVGIENTES FVMVM IN IGNEM INCIDERVNT.

ADAGIVM XCVII.

Nihil eorum, quæ ante pedes sunt, videre.

128. DE iis, qui omnibus cæcutiunt, nec illa intelligunt, quæ obuia & facilia; hoc sensu extulit sanctus Gregorius Thaumaturgus oration. panegyricâ ad Origenem. *Qui*, inquit, *cæci sumus, &* NIHIL EORVM, QVÆ ANTE PEDAS, VIDEMVS.

ADAGIVM XCVIII.

Acham imitator.

QVi argenti, rerúmque terrenarum cupiditate ita tenetur, vt Dei iussa temerare audeat, quo & deripiat, quæ iustè apud se habere non potest, is Achami imitator audiet; ille enim, vt habetur Iosue 7. auream regulam surripuit de anathemate Iericho, & missa sorte deprehensus Dei, populi iram in se prouocauit, & Domini iussu lapidatus est. Sancti Petri Damiani verba hæc implantari possunt, opusc. 27. cap. 3. ita loquitur: *A quibus quisquis infelicis Acham imitator aureæ regulæ, vel argenti cupiditate diuiditur, veri Iosue ac communi totius populi sententia lapidatur.*

ADAGIVM XCIX.

Statuâ taciturnior.

DE summo silentij cultore, qui vix linguam soluere in sermonem possit, aut velit. Synesius in Dione, ἀφωνότερος ἀνδριάντος ψόφος. hoc est, *euadere magis* MVTVS QVAM STATVA; si cui verò silentium commendabimus, eum statuâ taciturniorem iubebimus esse. hoc sensu extulit Ioannes Sarisberiensis in præfat. de nugis Curial. *Statuâ*, inquit, TACITVRNIOR *esto*; & Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *In foro Scythæ, in collocutionibus* STATVÆ, *in quæstionibus bestiæ, ad intelligendum saxei.*

ADAGIVM C.

Paruum super paruum adponere.

ET vulgi sensu, quin sensus ipsius, si paruum paruo sæpe adiiciatur, magnum incrementum, siue in pecuniâ, siue in rebus aliis parturit, éxque paruis multiplicatis, & vndique grandis augetur summa; hoc significare si quis velit, vtetur isto prouerbio, quod ex Hesiodu sumptum offert sanctus Basilios hom. de legendis libris Gentilium; ait enim: *Quibus studiose, & singulis vtilia coacervantur, velut magnis fluuiis multum vndique accrescit incrementum.* PARVVM *enim* SVPRA PARVVM *imponere*, iuxta Hesiodi sententiam, *non magis ad argenti augmentum, quam ad quamcunque scientiam facere credendum est.*

ADAGIVM CI.

Vicini barbæ propriam simulare debes.

CVm ad aliorum normam aliquid præstandum alicui suadebimus, aliorum vestigia 129.
in re quapiam premenda, hoc prouerbium adducetur, quod olim vulgò tritum videtur fuisse. Berengarius Scholiasticus in Apologetico ita loquitur; *Ad horum normam planctum tuum texere debebas, non immemor illius vulgaris prouerbij*: VICINI BARBÆ PROPRIVM DEBES SIMVLARE.

ADAGIVM CII.

Neronis, & Sardanapali nuptiæ.

CVm apparatus epularum exquisitarum copia tanta est, tanta deliciarum vbertas, vt luxus nuptias inundet, obtuat, & infamet; tunc huic prouerbio locus erit. Scitè sanctus Hieronymus epistola 10. quæ est ad Futiam, de viduitate seruandâ; *Ætas, & cultus, & habitus & incessus, & indiscreta societas, exquisita epulæ, regius apparatus* NERONIS, & SARDANAPALI NVPTIAS *loquebantur.* Notum hós duos deliciarum, & voluptatum ignobilia mancipia extitisse.

ADA

ADAGIVM CIII.

Locusta cum gigante pugnat, gigantem superat.

PRouerbium hæc sententia sapit, tunc vsurpandum, cùm quis viribus imparibus ita pugnat, vt inferior superiorem vincat, debiliórque fortiorem; huc spectabat illud Humberti de erudit. Relig. lib. 3. part. 4. ibi enim de satanico hoste loquens, cum quo nos homunciones occultam luctam habemus, ita scribit: *Habemus pugnam cum gigante cùm simus quasi locustæ; vult Dominus Iesus mirabiles res facere, vult enim* DE LOCVSTIS SVPERARE GIGANTES, *& de his, qui in terris sunt, cælestes vincere nequitias.*

ADAGIVM CIV.

Dedit vas, quod inclusum seruauerat vinum.

130. PRouerbium vulgo tritum, & à nostris hominibus vsurpatum, quoties quis & verbis exprompit, quæ illud sapiant, quo refertus est, qui loquitur. Meminit adagialis huius formulæ Petrus Delphinus Camaldulensis, auctor satis antiquus, & eruditissimus, sic enim ille scribit lib. 1. epist. 77. DEDIT VAS, quod aiunt, QVOD INCLVSVM SERVAVERAT VINVM, *nec potuit amaritudine repletum os dulcia verba proferre;* ægréque mellea ex eius ore prodire verba possunt, quod absynthio plenum.

ADAGIVM CV.

Samariam Ierosolymis miscere.

QVi sacra prophanis admiscet, puta impuris, & sancta non sanctis, is miscere Samariam Ierosolymis dicetur; prouerbiali hac phrasi vtitur sanctus Gregorius Nazianzenus in præceptis ad virgines, dum canit.

Ast fœdam vita mixturam vtriusque caueto,
Nec cœnum vino, nec felli dulcia mella,
Nec sacris Samaram SOLYMIS MISCETO *nefandam.*

ADAGIVM CVI.

Nulla calamitas sola.

HOc ferè vsu accidit, vt vna calamitas aliam trahat, vt vnius finis initium futuræ sit; hoc significare si volucrimus, præfixum prouerbium proferemus; quo ex nostris vtitur Trithemius lib. 5. epist. 4. dum ait: *Vetus in me prouerbium diuinâ permittente prouidentiâ impletum est,* NVLLA CALAMITAS SOLA. alia aliam traxit. Scitè sancti Climaci scholiast. de Calamitate scutiebat schol. 30. ad Gradum 5. *Omnis* CALAMITAS LEVIS *est viro non leui;* è contra grauis omnis est viro leui.

ADAGIVM CVII.

Secum contendere, lunam cœlo deducere.

QVadrat in eos, qui factu difficilia, aut etiam impossibilia inutili, cassóque labore aggre-

Nouarini Adagia SS. Patr.

diuntur. Maximi Planudis hæc sunt verba orat. in sepulturam Domini: *Si autem times, cui dubium esse potest, conscientiam tuam te quietam esse non fuisse, etiamsi tecum ipse* CONTENDAS, LVNAM *(quod ferunt)* COELO DEDVCERE? *Hic enim illud est, cui nec difficile fuit etiam super Cherubim vehi.*

ADAGIVM CVIII.

Vmbram habere pro corpore.

LOcus huic prouerbio erit, cùm quis aliquid magnum, atque præcipuum quærens, illud tantum consequitur, & obtinet, quod exilis illius imago est, multúmque illo quod quærimus, inferius; vt si quis amicum habere cum non possit, amici litteras habeat; hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 185. *Saltem ad nos scribe, vir eximie, idque pro te habebimus, hoc est, vt dici consueuit,* VMBRA PRO CORPORE; *quod ad similia porrigi potest.* 131.

ADAGIVM CIX.

Antonius.

PRæcipua huius sancti viri sanctitas, vitæ asperitas singularis, vestitúsque, fecit prouerbio locum, vt Antonius dicatur qui virtute insignis est, & arduæ vitæ sectator. Scitè sanctus Petrus Damianus, qui opusc. 15. cap. 27. ita scribit: *Huc spectans quod dicere gestio tale est, non in afflictione ieiunij, in censurâ silentij, in abiectâ vestis austeritate* ANTONIVM *præbeas, ne in leuitate risus, vel facetæ dicacitatis vrbanitate Democritum ostendas.* Huc etiam spectauit idem sanctus Pater opusc. 21. cap. 11. vbi ait: *Sit licèt sanctus, sit omnium virtutum nitore conspicuus; illis tamen naturæ muneribus carens, si* ANTONIVS *deducatur, consonâ omnium voce indignus electione decernitur.* Sancti Adhelardi virtutes recensens sanctus Paschasius Radbertus, post multa subdit: *Ex omnibus per omnia satagebat, vt iam Christum in omnibus inueniret; ob hoc autem, ab aliquibus, vt epistola Magistri Albini ferunt,* ANTONIVS *vocabatur, à nonnullis verò Aurelius Augustinus.*

ADAGIVM CX.

Siti perit, qui reliquis potum ministrat.

PRouerbiali hac sententiâ illius stoliditas traducetur, qui aliis bonus est, & sibi nequam, ac se neglecto, prodest aliis, alienæ salutis cupidus; non suæ, & cùm vtiliter moneat alios, eorúmque defectus redarguat, nō redarguat suos. Alia fuit sancti Ephræmi Syri mens; hinc illa e illius verba de reprehēsione suiipsius; *Cum in multis fratres dilectissimi, prodesse vobis videar, animæ quoque propriæ vtiliter consulere debeo. Absurdum quippe est same illum confici, qui cibum aliis impertitur, turpeque est* SITI PERIRE ME, QVI RELIQVIS POTVM SVBMINISTRO, *quod sanè fiet, nisi meam ipse conscientiam reprehendero: nomi enim quantum mihi illud fecisse, in futuro profuturum sit indicio.* 132.

ADAGIVM CXI.

Vno digitorum torrentis impetum sistere.

TOrquebitur in eos, qui imparia viribus aggrediuntur; & iis, quæ impossibilia sunt,

D 3 manum

manum temerè admouent. Præſtat hîc audiri ſanctum Bernardum, qui ſerm. 85. in Cant. ita ſcribit: *Vale facias inueteratæ conſuetudini, innatæque affectioni. id quidem durum ſi tuis attemperaueris viribus; tale erit, ac ſi in* VNO DIGITORVM TVORVM TORRENTIS IMPETVM SISTERE, *aut ipſum denuo coneris Iordanem conuertere retrorſum. Quid facies? quære verbum cui conſentias, ipſo faciente vt conſentias. fuge ad illum, qui aduerſatur, per quem talis fias, vt iam non aduerſetur, vt blandiatur, qui minabatur.*

ADAGIVM CXII.

Aſperum Momi lapidem non vereri.

133. QVi liberè loquitur, aut aliud quid operis præſtat, nullus cenſuram timens, nulliúſque vel ad calumniam propenſiſſimi reprehenſionem, hic quadam prouerbij ſchemate, *aſperum Momi lapidem non vereri* dicetur; Momus quippe inſigni carpendi libertate fuit inſignis. Sancti Greg. Nazianzeni hæc ſunt verba epiſt. 194. *Dicam enim aſperum* MOMI LAPIDEM NIHIL VERITVS.

ADAGIVM CXIII.

Aliis lippientibus, vngere oculos non dolentium.

EST opem ferre opem non indigentibus, iis neglectis, qui indigent; verba ſunt ſancti Hieronymi epiſt. 61. contrà errores Ioannis Ieroſolymitani; ALIIS, inquit, LIPPIENTIBVS, VNGIS OCVLOS NON DOLENTIVM. Porrigi & ad eos poterit, qui ſalubria alicui monita admouet, qui non indiget admonitione, nullà illius habità curâ, qui maximè monitione opus habet.

ADAGIVM CXIV.

Factis Siſyphum referre.

DE valde improbo, & exlege dicetur, qui meritas malitiæ ſuæ pœnas luat. hinc illud Syneſij epiſt. 121. *De te verò, qui factis Siſyphum* REFERRES *iuſtitiæ pœnas ſumpſit.* Philo lib. de Cherubim; σισύφειον τιμωρίαν ἀναδέξεται, ideſt, *ſiſyphiam pœnam ſuſtinebit.* Siſyphi vitam agunt, qui ambitionis œſtro acti honoris culmina quærunt, & verè ſeruiunt, quia regnare ſtudent. Lucretius ita cecinit:

Siſyphus in vitâ quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere à populo faſces ſæuíſque ſecures
Imbibit, & ſemper victus triſtíſque recedit.
Nam petere imperium, quod inane eſt, nec datur vnquam,
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem,
Hoc eſt aduerſo nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à ſummo iam vertice rurſum
Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.

Prætereà aſſidui, ſed inanis, & ſuperuacui laboris quempiam inſimulantes paræmiali ſchemate dicemus eum Siſyphi ſaxo non carere. Torſit Petrus Bleſenſis in eum, qui ſupernacuo labore diuitias congregabat; hæc eius verba epiſt. 91. *Non deeſt tibi* SAXVM SISYPHI, *dum congregando diuitias labore continuo, & ſuperuacuo te affligis.*

Libanius Siſypho ſophiſtam comparat orat. 31. quæ eſt de ſeruitute, ait quippe: *Vir ſophiſta Siſyphus vtique eſt, qui apud Homerum circa ſaxum laborans, dum ſermones inſtituit & accipit, eos ſumens è libris, & ore enuncians.*

ADAGIVM CXV.

Quidam Abſalones.

QVi amici faciem præ ſe ferunt, hoſtilem animum circumferentes, aut qui nomine amicitiam circumferunt, re ipsâ inimicos ſe oſtendunt, qui pacem prædicant, mordent dentibus, novi Abſalones non ſine aliqua prouerbij ſaliua dici poterunt; deſumptum ab antiquo illo Abſalone Dauidis filio, qui nomine, quam *Abſalon patris pax* interpretatur, pacem præferebat, cùm tamen adeò in patrem ſæuierit, hoſtémque in eum ſe exhibuerit. 134.

Aſſueta hîc verba Gilleberti Abbatis, qui ſerm. 14. in Cantica ita ſcribit: *Quanta*, inquit, *malignatur hodie amicus in Sancto? dixiſſe debui inimicus, ſed dixi, quod magis dolet. Ipſi amici facti ſunt inimici. Amici profeſſione, inimici affectione, ſpecie amici, ſed amicitiæ virtutem diffuentes. Amicus Abſalon, quia filius; ſed quanta malignatus, eſt ſceleratus in Sancto, filius in Patre, Abſalon in Dauid. Abſalon (pax patris) dicitur. Bonum planè nomen, ſed ipſe nominis huius virtutem abnegabat. Affectauit Regnum, inquinauit cubile; felix tamen Dauid, qui inter tot filios, non niſi vnus perſecutor erupit. Quem mihi datis hodie inter magiſtros, cui non niſi vnus Abſalon inſidietur? An non quaſi* ABSALONES *ſunt quidam, qui (ſicut ſcriptum eſt.) pacem prædicant, & mordent dentibus. Affectant locum patris, fœdant cubile, dum prauis ſuſurris ſocios corrumpunt, & ſubuertunt corda innocentium, in quibus patris Spiritus ſuauiter quieſcebat.* Imitatione Abſalon eſt *qui Magiſtri & locum ſibi arrogat, & vita derogat, pacem prædicat, & mordet dentibus. Malus eſt morſus derogatio, & malus cibus de quo dicitur: dulce eſt enim in ore eius malum, & abſcondit illud ſub linguâ ſuâ; abſcondit donec euomat in tempore, virus collectum.*

ADAGIVM CXVI.

Contingat tibi ſicut Iſraëlitis.

CVm maxima quis mala, & ingentes calamitates alicui imprecabatur, maledicti loco dicere conſueuerat, Emergat tibi ſicut Iſraëliris, vt quandam prouerbij ſpeciem præſeferat; ita Olympiodorus in catenâ Græcâ Ieremiæ cap. 44. *Gentiles*, inquit, *dum probra in aliquem iacerent, maledicti loco dicebant:* CONTINGAT TIBI SICVT ISRAELITIS, quod ortum à maximis calamitatibus, quibus Iſraëlitas Deus preſſit, ſed hoc Gentilium ſermo fuerit, nō debet eſſe Chriſtianorum, qui nulli malū precari debet, ſed omnibus bona. 135.

ADAGIVM CXVII.

Præco Diaboli.

IMpius, qui cæteros ad impietatem & exemplo prouocet, & verbis, falſaque dogmata ſpargat,

spargat, iure diaboli præco appellabitur. Metuit hunc titulum Cadalous apud sanctum Petrum Damianum lib.3.epist.6. à sancti quippe Patris pectore Religionis zelus, & Ecclesiæ Romanæ amor hæc verba extorsit: *Cadalous ille sanctæ perturbator Ecclesiæ, euersor Apostolicæ disciplinæ, inimicus salutis humanæ, ille, inquam, radix peccati*, PRÆCO DIABOLI, *filius Belial, filius perditionis*. Huic pares pati. notâ, tituloque insigniri poterunt.

ADAGIVM CXVIII.

Plenis buccis buccellam admittere.

Innuit fuisse prouerbium sanctus Bernardus epist. 165. dum ait: *Beatum me dixerim quod diligor à te, quòd diligo te, quamquam & hanc mihi dulcem buccellam, nec omnino plenis, vt aiunt*, BVCCIS *admittendam*; quoties plenè aliquid admittitur, quoties toto affectu, animóque excipitur, vti hoc prouerbio poterimus.

ADAGIVM CXIX.

Aqua turbida piscosior.

136. Elegantissimè torqueri in eos solet, qui turbas cieunt, & tumultus excitant, vt inde lucrum aliquod, aliquod compendium nanciscantur, vt aliena turbatio vtilis illis sit, & boni alicuius parens. Scitè Petrus Blesensis epist. 50. *Quidam ex vestris in res eius hereditarias oculos iniecerunt, ideóque contra eum animum vestrum turbant. Vulgò enim dicitur*, AQVA TVRBIDA PISCOSIOR EST, *ipsique de vestrâ turbatione fructum successionis expectant.*

ADAGIVM CXX.

Oculos campi metuere.

Prouerbium vsurpari solitum de eo, qui omnia expauet, nullibi se putat securum. Sanctus Bernardus epist.42. in humilis laudem flexit, qui pauidus, ac tremens solet esse, hæc eius verba: *Non poterit dicere nisi humilis, qui iuxta vulgare* OCVLOS CAMPI METVERE *soleat: gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

ADAGIVM CXXI.

Quod velis prolixè facere, id aliquando ne feceris.

Ad suadendam moderationem, & in contentiori studio laudabilem relaxationem aliquam, ac intermissionem, vtemur hoc prouerbio; vsus est sanctus Ambrosius lib.3. de Virginibus, vbi ait: Vulgò hoc ferunt: QVOD VELIS PROLIXE FACERE, ALIQVANDO NE FECERIS, *debet esse aliquid quod Quadragesima diebus addatur, sed nihil ostentationis causa fiat, sed religionis*; moderatio, & discretio necessaria, sed maximè in ieiuniis, vt carnis lasciuia coërceatur ad obsequium, non deiiciatur ad ruinam.

ADAGIVM CXXII.

Amyclis ipsis taciturnior.

Amyclæ silentio litabant, ac taciturnitati, quæ cùm silentij rigorem religiosissimè seruantes periissent, locum fecerunt adagio, quod alij etiam notauerunt; ex nostris illud vsurpat Sidonius Apollinaris lib.8. epist. 6. dum ait: *Si sufragio confirmor assensu*, ATHENIS LOQVACIOR; *si minus*, AMYCLIS *ipsis ero taciturnior.* 137.

ADAGIVM CXXIII.

Qui facit quod nullus, mirantur omnes.

Esse prouerbium sanctus Bernardus affirmat lib. 1. de consid. in hæc verba: *Sed & notabere vulgari prouerbio*, QVI HOC FACIT, QVOD NVLLVS, MIRANTVR OMNES, *veluti, qui cupias admirationi fore.* Torquebitur in singularitatis amatores. Prouerbium istud in huius Sancti ore frequens erat, & in corde, atque adeò in eius etiam actibus legebatur; auctor eius vitæ ita de illo scribit lib.3. cap. 1. *Prouerbium in ore ei frequenter, semper in corde*: QVI HOC FACIT QVOD NEMO, MIRANTVR OMNES, vnde & cilicium pluribus annis portauit quandiu occultum esse potuit, sed vbi hoc cognitum esse sensit, continuò illud abiiciens ad communia se conuertit.

ADAGIVM CXXIV.

Echo arripere se putare.

Quadrabit in eos, qui ea tenere se posse existimant, quæ apprehendi non possunt, nec teneri, & licèt proxima videantur, à nobis tamen eo longiùs fugiunt, quo putantur viciniora, quod & personis quoque aptari potest; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni epist. 185. *Quidnam, inquit, hoc est? Inscientes nos præteriisti, nec magis arripi potuisti, quàm Echo, ab iis, qui eam propinquam se habere existimant, ac per oppositas voces decipiuntur.*

ADAGIVM CXXV.

Alterum Tobiam referre.

Qui corporeo extimóque visu destitutus spirituali, intimóque præditus est, is alterum Tobiam dicetur referre, qui summâ animi æquitate oculorum tulit priuationem. Petrus Delphinus Cameldulensis lib. 2. epist. 83. ita scribit: *Bonum illum existimo, & timentem Deum, neque imprudentem, neque inconsultum, neque sicut luminibus, ita & mente captum, quin spero vbi ipsum melius cognoueritis, facile si Tobiam alterum vobis relaturum*; quod ad eos omnes porrigi potest, qui oculorum priuationem virtutum ornamento compensant. 138.

Cæcus fuerit Tobias si corpus spectes, non cæcus, sed acutè videns, si mentem. rem egregiè expendebat sanctus Augustinus in Psalm. 96. *Tobias cæcus erat & filium suum viam Dei docebat. Nostis enim, quia Tobias filium suum admonebat, & dicebat,*

Fili fac eleemoſynas, quia eleemoſynæ non permittunt ire in tenebras: & loquebatur ille, qui in tenebris erat. Videtis quia eſt alia lux quæ oritur iuſto, & rectis corde iucunditas? Oculos non habebat, & filio ſuo dicebat, Fac eleemoſynas, quia eleemoſynæ non ſinunt ire in tenebras. Nec timuit, ne diceret in corde ſuo filius ipſius: Tu enim eleemoſynas feciſti, quare cæcus mihi loqueris? Ecce eleemoſynæ ad tenebras te perduxerunt: & quomodo mihi dicis, Eleemoſynæ non ſinunt ire in tenebras? Quare ille dicebat iſta cum fiducia, niſi quia aliam lucem videbat? filius patri manum tenebat vt ambularet, ſed pater filium viam docebat vt ſciret. Eſto ergo alia lux, quæ oritur iuſto. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde iucunditas Vis illam noſſe? eſto rectus corde.

His Tobiam laudibus efferebat ſanctus Auguſtinus lib. 99. ex vtroque mixtim q. 119. *Quam laudabilis ſit ſanctus Tobias, Scriptura docemur cuius deuotionem nec captiuitas minuit, nec oculorum amiſſio, quo minus Deum benediceret, perſuaſit, neque exhauſta ſubſtantia a via iuſtitiæ, & veritatis auertit, neceſſitas enim probat iuſtum, in egeſtate æquitatem ſeruare, vera, ac perfecta iuſtitia eſt; vnde enim quorumdam deuotio minuitur, inde augmentum fecit laude dignus Tobias. Inopia enim, inquit, humiliat virum, & qui humiliatur, non poteſt ſeruare iuſtitiam. Sancti autem Tobiæ erectus ad Deum animus, nec captiuitate fractus eſt, nec inopia humiliatus, quia contra edicta occiſorum corpora ſepulturæ mandabat; & de Dei largitione ſecurus, de ipſo exiguo miſericors, & ſciens hanc magis placere Deo miſericordiam, quæ de exiguo fit; ſicut & vidua illa fecit, quam Dominus in Euangelio collaudauit. Hic enim vere fidelis eſt, qui non dubitat de promiſſis Dei, qui de paruo largitur. Spe ergo futurorum animum ſuum conſolans, Deo dicatus Tobias in tentatione robuſtus, & fortis inuentus eſt, oſtendens in neceſſitate plus in Dei timore vigilandum, quia ſi neceſſitas ad Dei auxilium nos impellit, quanto magis ſecuritas.*

Corporis oculis cæcus fuerit Tobias, non fuit mentis, quin bonorum operum lumine luminum cæcitatem reſarciebat. Sanctus Laurentius Epiſcopus de eleemoſyna hom. 1. ita Tobiam efferebat. *Tobias, cæcus corpore, clarus opere, tentatus ad tempus, & non mortificatus, temporali aſpectu paulisper priuatus, & perpetuo bonorum operum lumine plenus.* Ferri hæc cæcitas poteſt, cui comes iſta lux; alioquin nimis cæcus eſt ille viſus, qui bonorum operum luce viduus eſt.

ADAGIVM CXXVI.

Exuit perſonam iudicis quiſquis amicum induit.

139. Grè quis & iudicis perſonam ſuſtineat, & amici, cùm amicitiæ affectus nudam veritatem non ſinat videre amicos; amor amicis imponit, & iudicantis mentem ad ſe nimium flectit, quia & rapit. Prouerbium citat Bleſenſis epiſt. 95. *Apud antiquos,* inquit, *prouerbialiter dicebatur:* EXVIT PERSONAM IVDICIS QVISQVIS AMICVM INDVIT.

ADAGIVM CXXVII.

Deteriora pleriſque arrident.

Hoc prouerbio vulgo iactatum indicat ſanctus Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt verba hom. 9. in epiſt. ad Romanos. *Si pernicioſiora ſunt ſupplicijs ſt... ia, qui ſit, vt hæc magis eligamus? Quia pleriſque omnibus, (quod eſt in prouerbio) quæ* DETERIORA SVNT ARRIDENT, *& ea illi repudiatis melioribus malunt, id quod videre eſt in cibis, mulieribus, voluptate, mancipijs, & alijs.*

ADAGIVM CXXVIII.

Ventis feriunt.

SI quis fortis, ſtrenuúſque perſequentium furorem, ſæuitiémque contemnat, nihilque eas minutias pendat, quæ animæ ſalutem non tangunt, opportunè inclamabit, *à ventis ſe feriri*; à ferro immunes ſunt venti, afflare quempiam poſſunt, non ferire. Digna ſunt, quæ hic ſiſtantur, ſancti Gregorij Nazianzeni verba, qui orat. 18. ita ſcribit: *Verùm è ciuitate eiicient? At non etiam ex eâ, quæ in cœlo ſita eſt; hoc ſi potuerant efficere hi, qui nos inuiſos habent, verè bellum inferent: quamdiu autem minimè potuerint, guttulis aquæ petunt,* VENTIS FERIVNT, *aut inſomniis ludunt.* O vtinam idem omnes ſentirent, eadem mens omnibus inſideret? inſidet paucis, pauci cœleſtium amore peritura calcant.

ADAGIVM CXXIX.

Iudith altera.

DE fortiſſimâ viragine dicetur, quæ Dæmonem, mundum, carnem hoſtéſque omnes deiecerit. hunc titulum ſortita B. Ida de Leuuis, vt in eius vitâ legitur cap. 4. ob deuictum ſcilicet Dæmonem, Quæ de Iudith in ſacris litteris traduntur, nobis notiſſima ſunt, & in quamlibet mulierem paris animi, virtutiſque hic titulus, hoc nomen quadrat.

ADAGIVM CXXX.

Rem quampiam expectare ſicut Arthurum Britannia.

CVm aliquid fruſtrà expectatur, tunc locus 140.
prouerbio erit, *Arthurum expectabat Britannia,* qui venturus non erat; hinc illud Petri Bleſenſis epiſt. 51. *Adhuc etiam promiſſam expecto gratiam, fortaſſe ſicut* ARTHVRVM *Britannia*; & epiſt. 34. *Adhuc benignioris euentûs vota concipio, & fortaſſe venturum cum Britonibus* PRÆSTOLOR ARTHVRVM.

De Arthuro ita ſcribit VVillielmus Malmeſburienſis lib. 1. de geſtis Regum Anglorum. *Hic eſt Arthurus, de quo Britonum nugæ hodiéque delirant. dignus planè, quem non fallaces ſomniarent fabulæ, ſed veraces prædicarent hiſtoriæ, quippe qui labantem patriam diu ſuſtinuerit, infractáſque ciuium mentes ad bellum acuerit.* Cur venturus Arthurus credatur, & vnde, vtque falſa hæc cenſio ſit, explicat idem VVillelmus Malmesburienſis lib. 3. dum ait: *Arthuri ſepulchrum nuſquam viſitur, vnde antiquitas næniarum adhuc eum venturum putat.* Multa de Arthuro affert Philippus Bergomas in ſupplem. Chron. ad annum Chriſti 492. vbi poſt multa concludit: *Cùm in prælio multas hoſtium ſtrages dediſſet, & ipſe vulneratus in inſulam defertur, ibique conſtitutus,*

constitutus, vt Britonum tradunt historiæ, inde sublatus nunquam comparuit, quem & nunc vsque EXPECTARE BRITONES *dicuntur*; sic ille.

ADAGIVM CXXXI.

Circuire mare, & aridam.

141. DIligentem alicuius rei inuestigationem, magnúmque in re aliquâ tentandâ laborem hoc prouerbio significámus, hinc illud S. Bernardi epist. 126. *Siquidem* CIRCVIT MARE, *&* ARIDAM, *vt faciat vnum Episcopum, & cùm fecerit, facit eum filium gehennæ duplo quàm se.* Drogo lib. de Passione sic extulit: CIRCVIRE POSSVM, *Domine*, COELVM, *&* TERRAM, *&* ARIDAM, *&* MARE, *& nunquam te inueniam, nisi tantùm in Cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie.* Ambo hi Patres alludunt ad illud Christi Matth. 23. v. 15. *Circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum*; hoc est, nihil non facitis, omnem lapidem mouetis, nulli labori parcitis, vt aliquem Gentilem ad vestram religionem pertrahatis, vt scilicet aucto Iudæorum munere, augeretur & sacrificiorum, sicque maius lucrum ad ipsos perueniret, nam aliò spectare vix poterant omnium auarissimi Pharisæi.

ADAGIVM CXXXII.

Qui alium honorat, se ipsum honorat.

REdit ad honorem deferentem honor, qui defertur; & honoratur, qui honorat, vt obsequium alteri exhibitum in exhibentem videatur resilire. quod prouerbium vulgò iactari consueuerat, vt indicat sanctus Chrysostomus hom. 14. in act. Apost. dum ait: *Et prouerbium quoddam est*, QVI HONORAT, SE IPSVM HONORAT; *ita etiam, qui contumelia afficit, se ipsum contumelia afficit*; & hom. 50. *Non audis; Qui honorat, se ipsum honorat?* nos autem nos ipsos contumeliâ afficimus; & hom. 25. in epist. ad Hebr. *Nónne prouerbium tale est, quia, qui alium* HONORAT, SE IPSVM HONORAT, *& meritò, non enim honorat illum, sed se ipsum.*

ADAGIVM CXXXIII.

Laomedontis periuria.

LAomedon promissam fefellit fidem, & pactam mercedem Troiæ conditoribus denegauit, quilibet periurus, cuius promissa licèt iuramento firmata, infirma futura sint, Laomedon dici poterit, & eius iuramenta Laomedontis periuria. Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 35. *Videbis illic Sphingarum vngues, Vlyssis argutias, &* PERIVRIA LAOMEDONTIS *adhiberi*; & ante illum Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *Videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, &* PERIVRIA LAOMEDONTIS *adhiberi?* Periuria Laomedontis recenset Hyginus fab. 90.

ADAGIVM CXXXIV.

Peponem cordis loco habere.

142. IN insulsos, insipientes excordésque torquebitur. Tertullianus lib. 4. in Marcionem cap. 40. PEPONEM *Marcion* CORDIS LOCO *habuit*; & lib. de anima cap. 32. *Cur non magis, &* PEPO *tam insulsus.*

ADAGIVM CXXXV.

Tyrrhenicas quoque tubas cantu superare.

IN vocalissimos quosque hoc prouerbium quadrat, quorum aut clamor, aut cantus, aut oratio ita resonat, & tinnit, vt audientium aures lacerare possit, & delassare. Sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 194. ita loquitur de se ipso: *Fortasse* TYRRHENICAS QVOQVE TVBAS CANTV SVPERASSEM, *nisi effœtas meas vires silentio mulctassem*; in obstreperos quoque declamatores iaci hoc idem potest.

ADAGVM CXXXVI.

Sine lumine vmbram colorare.

V*Mbram sine lumine colorare* prouerbialiter dicetur, qui obscurè aut loquitur, aut scribit; & cùm demonstrare rem quampiam studet, occultat, & veluti nube obducit. Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 2. ita loquitur: *Hanc primam* VMBRAM *planè* SINE LVMINE *pessimus pictor illis argumentationibus colorauit.*

ADAGIVM CXXXVII.

Detrimenta magna ex paruis lucris.

PRouerbij sensus apertus est; cuius meminit his verbis sanctus Chrysostomus hom. 63. 143.
in Matthæum: *Inanis gloriæ cupidi multa illiberalia, & seruilia facere coguntur: & multis modis adeò decipiuntur, vt* PARVA *plerumque lucra* MAGNA EIS AFFERANT DETRIMENTA, *vnde id factum est iam trito sermone prouerbium.*

ADAGIVM CXXXVIII.

Iuncis fragilibus cedit, qui putat se posse telis resistere.

QVadrabit in eum, qui minimis quibusque succumbit, infirmúsque in exilibus est, & fortitudinem suam in grauioribus iactat. Scitè sanctus Bernardus serm. de sancto Clemente, similes premit, dum ait: *Si in huiusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo certamine graui faceremus?* SI IVNCIS FRAGILIBVS CEDIT *infirmitas nostra; quomodo telis* RESISTERET? *Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, & sicut solent mulieres, aut paruuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipsi non possumus.*

ADAGIVM CXXXIX.

Cœlum se calcare existimant.

DE iis, qui sanctiores, puriorésque se putant, quàm sint, hoc prouerbialiter dicetur: hinc illud sancti Sixti Papæ, siue alterius

alterius in epist. de malis Doctoribus: *Moyses*, inquit, *inquinatus tantum calciamentis in sancta Terra arcetur, & quidam se* COELVM CALCARE *existimant corde polluto.*

ADAGIVM CXL.

Goliam Goliæ gladio perimere.

144. Vod olim Dauid præstitit in Goliam fortissimum illum Philistæum, quem suo gladio peremit, prouerbialem faciem induit; vt quoties suis argumentis reuincitur, suis viribus sternitur, suis fraudibus capitur, deiicitur suis artibus, locus huic prouerbio sit. Sanctus Bernardus serm. de Dauid, & Golia rem elegantissimè explicat & versat: *Sed quæras*, inquit, *fortasse quemadmodum suo ipsius gladio Goliæ possis abscindere caput, id enim tanto iucundius, quanto molestius hosti. Dico breuiter, quoniam expertis loquor, & qui facilè capiant, & aduertant sine mora quod in semetipsis crebrò sentiunt actitari. Quoties te prouocante vanitate, ad recordationem comminationis diuinæ, seu promissionis, aut caeterorum, quæ supra diximus, coniuncti coeperis, & erubescere, deiectus est quidem Golias, sed forsitan adhuc viuit.* Accede itaque propius, ne fortè resurgat, & stans super eum, *mucrone proprio caput eius abscinde, de ea ipsâ, quæ te appetit vanitate perimens vanitatem. Elatâ siquidem cogitatione pulsatus, si ex eâ ipsâ materiam, & occasionem sumas humilitatis, quo nimirum humilius deinceps, & abiectius tanquam de superbo homine sentias de te ipso;* GOLIAM vtique GOLIÆ GLADIO PEREMISTI. Huic affine est, quod habet idem sanctus Pater præfat. in explanationem Psalmi, Qui habitat: *Ex hoc*, ait, *iam* SVO IPSIVS GLADIO *inimicus perimitur, & magnitudo tribulationis, de qua temare gloriabat, ipsa magis tentationes exuperat tanquam certissimum diuinæ præsentiæ argumentum.*

EXCVRSVS XXI.

Goliæ gladius inuidia, ferit quem corripit.

Goliæ gladius inuidia; in eum sæuit, quem corripit.
Fetalis *inuidia* est.
Suos inuidia cruciat.
Inuidus, vt alijs noceat, in seipsum sæuit.
Inuidia mentium *virus*, & *rubigo*, iusta simul & iniusta.
Inuidus alterius laudem iniuriam suam putat.
Inuidus suos lædi non curat vt in eum sæuiat, cui inuidet.
Inuidia humanæ mentis infernus.

145. VT multi tanquam Goliad suo gladio perimi, suis artibus capi dicantur, id præcipue in inuidos quadrat; verè Goliæ gladius inuidia est, quæ prius in possessorem suum sæuit, quàm in alios. Scitè doctus, & pius Idiota de morte, lib. 5. *Nonnullos gladio inuidiæ perimit,* INVIDIA ENIM EST GLADIVS GOLIÆ, *qui proprium magistrum occidit; quia inuidi antequam alios interficiant gladio inuidiæ torquentur, vt de eis dicatur: Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Huc facit illud sancti Nili in

Goliæ gladius inuidia, in eum sæuit, quem corripit. Idiota.

S. Nilus.

Parænesi: INVIDVS SE IPSVM MVLCTAT; *qui enim aduersus alterum loquitur, se ipsum in suis malis afficit.* Inuidiam feralem vocat sanctus Maximus hom. 1. in natiuit. sancti Ioannis Baptistæ. *Quicumque*, inquit, *feralis inuidiæ facibus inardescit, nescit non in suos sæuire inuidia, nescit non premere, atque cruciare.* Hinc illud sancti Chrysostomi hom. 63. in Matthæum. *Huiusmodi*, inquit, *certè* INVIDIÆ, *malum est, propriis semper* COMMODIS INSIDIATVR, ac eum tabefaciens, qui eam habet, mille calamitatibus inuoluit.

Feralis inuidia. S. Max.

Suos inuidia cruciat. S. Chrysost.

Verè inuidiâ percitus, vt sæuiat in alios, & a lios perdat, non timet ingentia ipse damna pati; sæuus in alios, sed & in se ipsum; ita Saul Dauidem lanceâ ferire tentauit, à quo tamen auxilium contra Dæmonem accipiebat, sed suæ salutis obliuiscitur, qui odio correptus in alios irruit; quo pacto alloquitur Saulem sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 15. *Saul audes talia? Quid in te ipsum hastam vocasti? Dauidem sustuleris, quomodo Dæmonem persequeris? quid illum mori cogis, qui tibi vnicum* SALVTIS REMEDIVM *superest?*

Inuidus, vt alijs noceat, in se ipsum sæuit.

S. Basil. Seleu.

Inuidia *virus*, & *rubigo* mentium est, solaque inter animi passiones & iusta simul, & iniusta suis; quod egregiè explicat S. Gregorius Nazianzenus orat. in Cath. Constantin. *Vtinam ex hominum vitâ sublata, atque extincta esset inuidia, tabes possessorum,* VIRVS, *ac* RVBIGO *eorum, qui eâ exagitantur, sola ex omnibus animi perturbationibus æquissima simul,* & INIQVISSIMA; *illud quia bonis omnibus infesta est, hoc quia dominos suos excedit, & tenfuit.* 146.

Inuidia mentium virus, & rubigo iusta simul, & iniusta. S. Greg. Naz.

Sæuit in se ipsum inuidus, quia alienam laudem iniuriam suam reputat; hinc illud Petri Blesensis epist. 97. INVIDIÆ *proprium est,* LAVDEM *alterius suam reputare* INIVRIAM, *vt eo ipso deprimatur, quod exhibitur.*

Inuidus alterius laudem iniuriam suã putat. Petr. Bles.

Inuidus, vt in eum sæuiat, cui inuidet, non curat, & suos lædi, per quorum damna, ad alterius læsionem currit. Patet istuc in Saule, qui correptus inuidiâ Dauidem persequens, cui filiam spoponderat alia dona reiecit, centum Philistæorum poposcit præputia, 1. Reg. 18. vt scilicet hac occasione neci eum traderet, occideretúrque Dauid à Philistæis, licèt ob id sponso vidua relinquenda filia esset; quod expendens sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 14. ait, *O miserrimas cogitationes, vt inuidiæ motibus obsequatur, tam immaturæ filiam viduitati adiudicat, inuidiâque oppressus contra naturam furorem concipit.*

Inuidus suos lædi non curat, vt in eum sæuiat cui inuidet.

S. Basil. Sel.

Denique, si Infernum quis inuidiam dixerit, non aberrabit. Inferno torquentur damnati, æternis flammis adiudicati, inuidiâ correpti, ab inuidiâ sæuissimè puniuntur: gehennales quasdam flammas inuidi sentiunt; hinc illud Alani, *Inuidia erronea est cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus,* Psalm. 17. 6. Quod nos habemus, *dolores inferni circumdederunt me,* sanctus Augustinus legit, *dolores* INVIDIÆ, quos scilicet patiuntur mei persecutores.

Inuidia humanæ mentis infernus.

Alanus. Psalm. 17. 6.

S. Augustin.

ADAGIVM CXLI.

Pennatis pedibus.

Ira in eundo celeritas prouerbialiter ita explicabitur, quod videtur sumptum à Mercurio Deorum nuncio, cuius pedibus gentilitas talaria ex pennis addere consueuerat. Sanctus Hieronymus epist. 5. ad Florentium ita loquitur: *Quibus gratiis, quo ille præconio peregrinationis incommoda à se facta referebat? ita vt ego ille tardissimus,* 147.

quem

quem intolerabilis languor vexat, pennatis, vt aiunt, pedibus, certè caritate, & voto te salutauerim, vt etiam complexu sim.

ADAGIVM CXLII.

Crudelior Minotauro.

PRouerbio locus erit, cùm alicuius sæuities ac crudelitas erit exprimenda; in hunc sensum loquitur Petrus Blesensis epist. 14. dum ait: *Post primum Cerberum tibi superest alius horribilior, nequior Pygmalione, crudelior Minotauro.* Huc facit & illud Sidonij Apollinaris lib. 5. epist. 7. *Hi sunt*, inquit, *ad superbiendum tauri, ad consumendum Minotauri.*

ADAGIVM CXLIII.

Ignem verberare. *Ignem discerpere.* *Ignem fodere.*

ESt, inanem operam sumere; vt si quis proba monita præbeat, nullum ex illis fructum producturo; hoc sensu extulit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 3. sic enim se ipsum alloquitur. *O Isidore, quid ei prodesse studes, qui iuuari non vult? quin tu vano labore te ipsum cruciare atque Æthiopem dealbare, &* IGNEM VERBERARE, *ac laterem coquere desinis.* Simile illud, *flammam discerpere*, quod in eos torquet sanctus Chrysostomus, qui rerum terrenarum curis distenduntur, labore fatigantur; hæc eius verba hom. 77. in Matthæum: *Nihil aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm* FLAMMAM DISCERPERE, *quàm pugnis aera cædere.* Huic affine est, quod dicit idem sanctus Pater, *ignem fodere*, sic enim eos premit, qui inanem in mundo mundanarum rerum amore laborem perferunt, hom. 47. ad populum Antiochenum: *Quid in mundo fatigaris? quid in perforatum hauris dolium? hoc enim in præsentem vitam laborare. Quid* IGNEM FODIS? *quid aerem percutis? cur in vanum curris? nonne quælibet ars finem habet? sed non habes, quod vanitas vanitatum omnia vanitas?*

ADAGIVM CXLIV.

Græcus est.

148. GRæci olim ob imposturas, fraudes, ac mendacia vulgò malè audiebant, adeò vt Græcus prouerbialiter diceretur, impostor quilibet, & mendaciis effutiendis, dolisque & aptus & paratus. Huc spectauit sanctus Hieronymus epist. 23. quæ est ad Marcellum de ægrotatione filiæ; *statim illud de triuio, Impostor, & Græcus est*; & epist. 9. quæ est ad Furiam de viduitate seruandâ. *Vbicumque viderint Christianum, statim illud de triuio, ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, vocant impostorem, detrahunt*; hinc *& Græca fides* in prouerbium abiit, de ea, cui fides minimè adhibenda, falsitate, mendaciisque confuta.

ADAGIVM CXLV.

Lotophagorum inopia.

AT Alcinoi mensa ob deliciarum copiam in prouerbium abiit, sic abite & Lotophagorum inopia potest, ad asperam, victúque tenuem vitam significandam. Præiuit sanctus Gregorius Nazianzenus, qui epist. 8. ad sanctum Basilium scribens, ita loquitur: *Tantali similes, eadémque pœnâ mulctati, nimirum, in aquis sitientes; ieiunas etiam illas, & miseras epulas, ad quas è Cappadociâ nō tanquam ad Lothophagorum inopiam, sed velut ad Alcinoi mensam nos noui, & ærumnosi naufragi sumus; memini enim panes illos, & iuscula, sic enim nominantur, sempérque meminero dentibus circa fragmenta collabescentibus, ac postea se se erigentibus, velútque è cœno emergentibus.* Lotophagi Populi in Africâ sunt, ita dicti, quòd luto victitare dicerentur, quem cibum suauitate suâ patriæ obliuionem comedentibus afferre, tradit Homerus odyss. 9.

ADAGIVM CXLVI.

Nullus capillum, quin cinædus sit, fouet.

IN molles, & effeminatos, qui superfluo capillorum ornatu, ac cultu notabiles erant, hoc prouerbialis scommatis vice iactabatur. Synesius epist. 104. Ioannem quendam ita perstringit: *Heri quidem manifestè prouerbium illud comprobauit, vel oraculum potius, oraculum enim profectò est; hoc verò nostri omnino, Nullus* CAPILLVM, *quin cinædus sit, fouet.*

ADAGIVM CXLVII.

De riuulo bibere, & viuum fontem prætermittere.

AC insaniâ ij præcipuè corripiuntur, in quos 149.
maximè prouerbium quadrat, qui neglecto creatore creaturis adhærent; vt iure Beatus Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio c. 13. inclamârit: *O cæca mortalium mens, ô insania hominum detestanda!* BIBIS DE RIVVLO, ET VIVVM PRÆTERMITTIS FONTEM? *si rectè saperes, si sanum in te esset cordis palatum, vtique per ea, quæ facta sunt, eorum intelligeres Creatorem, intelligendóque diligeres.*

ADAGIVM CXLVIII.

Qui non erit Iacob, non erit Israël.

IAcob Patriarcha post labores, post certamina nomen Israël tandem indeptus est: cùm igitur significabimus per passiones eundum ad præmium, ac requiem, hoc dictum prouerbialiter vsurpabimus; hinc illud Vgonis Carensis in cap. 35. lib. Geneseos, ad illud, *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel*, hæc adiicit: *Nomen Iacob mutatur in Israel, ergo* QVI NON FVERIT IACOB, *nō erit* ISRAEL, *id est, qui non fuerit in labore certaminis, non erit in quiete æternæ visionis.* Laborandum est quiete fruituro, pugnandum est, vt pacem quis indipiscatur. Porrò prius *Iacob* iste Patriarcha vocatus est, deinde *Israel*, quia labor requiem antecedit, decertatio præmium, lucta victoriam, atque coronam. Huc spectat illud eiusdem Vgonis in Psalm. 13. *Per Iacob status viæ, per Israel status Patriæ*, in via enim oportet luctari, in Patriâ videtur Deus. prius

quippe

quippe Iacob luctans inducitur cum Angelo, deinde Israelis nomine donatur.

Labori se dedit Iacob, patrios Lares deseruit, reliquit parentes, laboriosæ se viæ commisit, lapidem capiti supposuit humi cubans, sub que aperto cœlo mollia strata repudiauit, hincque factum quiete frueretur etiam in via, scalæ visu recreatus. Scitè Richardus Victorinus part. 1. de exterm. mali tract. 3. cap. 16. *In itinere*, inquit, *requiem inuenit, quam nec in cubiculis, stratisque pauperculis inuenire possunt, qui mollibus vestiuntur, & in domibus Regum sunt*; dum paternam domum inhabitaret Iacob, simili visione erectum minimè legimus cùm à domo discessisset; nimirum laborum comites sunt pretæ deliciæ sunt.

Bonorum operum labore sibi quisque ad requiem viam sternat; dictum priùs est ea, quæ Deus produxerat, omnia bona valdè fuisse, deinde requieuisse Deum, vt nimirum & nos post bona opera nobis veram requiem spondeamus, ea cariturí, si à bonis operibus destituamur. Scitè sanctus Augustinus serm. 2 . & 40. è tenebris productis in lucem, *Fecit*, inquit, *Deus omnia, & ecce omnia bona valdè, & requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Requiescere vis & tu? Fac primò opera bona valdè.* Parum est esse bona, stude vt valdè bona sint. Idem vrgebat idem sanctus Pater tract. 20. in Ioannem cap. 5. ait quippe: *Et fecit Deus omnia bona valde, & requieuit Deus die septimo: vis tu homo cum attendis ipsum Deum post bona opera requieuisse, non tibi speres requiem, nisi cùm bona fueris operatus*; requiescere non meretur, qui quieti laborem non sternit, operumque bonorum exercitium quieti non præmittit.

ADAGIVM CXLIX.

Ferociùs Epirotico cane adlatrare.

150. PRouerbiale quiddam sapit, quod habet Synesius lib. . de prouidentia: *In furorem agebatur*, FEROCIVSQVE EPIROTICO CANE *allatrans*. quod in eos torqueri potest, qui in alios verbis contumeliosis sæuiunt, minasque aliis terrendis absonè euomunt.

ADAGIVM CL.

Paulum blasphemantibus exhibere.

SI iis, qui blasphema euomunt verba, aliquem obiicere, qui sæuiturus in blasphemos sit, nullique parciturus; flecti huc potest illud sancti Bernardi 4. de consid. *Qui Regibus*, inquit, *Ioannem exhibeant, Petrum mentientibus, Paulum* BLASPHEMANTIBVS.

Iusta blasphemos pœna puniuit sanctus Ludouicus Francorum Rex, in cuius vita hæc habentur: *Ciuis quidam Parisiensis blasphemiæ reus, illo iubente cauterio in labijs inustus fuit, ea enim pœna decreta erat ab ipso in eos, qui sceleratè iurarent, & blasphemarent. Eam rem cum plerique carperent, & Regem tyrannidis insimularent, ille ait: Equidem in meis labijs libens eiusmodi inustionem perpetuò ferrem: tantùm vt impia iuramenta è regno meo profligarem.* O eadem mente essent, idem cum hoc Rege Reges cæteri sentirent.

ADAGIVM CLI.

Marini pulmonis vitam agere.

IN eos quadrat, qui nihil præter vitam hominis habent, adeòque corporeis voluptatibus sunt immersi, vt illis ratio obruta videatur, ac sepulta; non videtur aliam spectasse Synesius lib. de Regno, dabo hic eius verba, totúmque locum afferam, ne aliò vocetur ac debeat, quod nolim à nonnullis factum: *Vt corporis dumtaxat voluptatibus indulgeatis, & iis præsertim, quæ sunt præ cæteris materiæ immersæ, quàm cum tangendi, non gustandi sensus suppeditat, ac* MARINI PVLMONIS *vitam haud dissimilem agatis; quandiu ergo humanam conditionem aspernamini, ne hominis quidem perfectionem attingitis.*

ADAGIVM CLII.

Mansuetus homo cordis, est Medicus.

PRouerbialem salium sapere hanc sententiam restatur sanctus Ambrosius præfat. 151. in Psalm. dum ait: *Habes itaque illud prouerbiale, quia* MANSVETVS HOMO CORDIS EST MEDICVS.

ADAGIVM CLIII.

Non magis tutum hoc est, quàm sanitas vicino serpente.

DE re euidenti discrimini obnoxia, nullâque securitate munitâ sanctus Bernardus lib. 4. de consideratione ita Eugenium alloquitur; *Sed nec tuta tibi tua bonitas obiecta malis non magis, quàm* SANITAS VICINO SERPENTE. Vsurpabimus cùm malorum consortium vitando, bonis suadebimus, ne à sua bonitate cadant.

Huc facit illud, quod habet VVilhelmus Abbas sancti Theodorici in vitâ sancti Bernardi, dum ait: *Inter hac cogitans, & perpendens, quod vulgo dicitur: Non est tutum diu* COHABITARE SERPENTI, *fugam meditari cœpit.* Serpentes vocat impudicas fœminas sanctus Hieronymus aduersùs Vigilantium cap. 6. à mulierculatum consortio Monachos auocans, & solitudinem suadens sic ex tulit; ait: *Nulla securitas est vicino serpente dormire, potest fieri, vt me non mordeat, tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat. Quid facit Monachus in cellulis fœminarum?*

ADAGIVM CLIV.

Equum ad campum hortari.

152. QVadrabit in eos, qui quempiam eò vocant, quo maximè propendet, munus alicui persuadent, in quod vehementer inclinat. Sinesij hæc sunt verba epist. 154 *Ad id ipsum te prouoco, equum, vt aiunt, ad* CAMPVM HORTARI *me existimans.*

ADAGIVM CLV.

Vnus tondet, alter expilat. Vnus pedem tenet, alter excoriat.

CVm plures in alterum sæuiunt, & plures ei nocent, adeò vt nullus ei parcat, damnum quinet afferant, tunc prouerbio locus erit, cuius meminit

meminit Petrus Blesensis ep.146.in hunc sensum, in hæc verbà: *Vnus eum torquet in vinculis; alter terras illius crudeli hostilitate deuastat. Et, vt verbo vulgari vtar,* VNVS TONDET, ALTER EXPILAT; *vnus pedem tenet, alter excoriat.*

ADAGIVM CLVI.

Alterum Iethro alicui se exhibere.

IEthro alicui se exhibet, qui vtilia exhibet monita, ne stulto labore fatigetur, sibique adiutores adiungat, quod præstitit olim Iethro Mosem alloquens; hinc illud sancti Bernardi lib. 1. de considerat. vbi Eugenium alloquens, ait: *Perdis tempus, & si licet nunc alterum me tibi* EXHIBERE IETHRO, *tu quoque in iis stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritûs.*

Hoc Mosis exemplo Iethro audientis à rerum terrenarum negotiis auocamur, vt quietiùs Deo vacemus, rebúsque diuinis. Scitè hoc expendebat B. Laurentius lib. de discipl. & perfect. monast. cap. 21. vbi ait: *Et quis Moyse sanctior? qui causas populi ardentissimi amoris zelo iudicabat? Vt audeat sine læsione persistere in eo, in quo sanctus Propheta perseuerare non valuit. Audito namque gentilis viri consilio, prudenter restrinxit negotia proximorum, vt in iis, quæ Dei erant, suo quietiùs vacaret tempore.*

ADAGIVM CLVII.

A gallinâ simplici deprehensa est vulpis astutia.

153. VTemur, cùm astuti alicuius artes, à simplici deprehensas, & astutum periisse significabimus. Huc flexit Petrus Cellensis epist.79. A GALLINA, inquit, SIMPLICI DEPREHENSA EST VVLPIS ASTVTIA; *captus est lupus ab ouibus; quæ cerebrum tuum exturbauit Erinnys, vt gutturi tuo laqueum inextricabilem iniiceres, & abiectâ iucundissimâ libertate, ignominiosam eligeres seruitutem?*

ADAGIVM CLVIII.

In ipso furto deprehendi.

PRouerbiali schemate velut in furto dicuntur deprehendi, qui in ipso facinore, & *in fragranti*, vt dicitur, deprehenduntur. Ioannes Cantacuzenus lib.4. historiarum cap.23. ita loquitur: *Illud huic historiæ inserendum duximus Acyndini sectatores, quasi in* IPSO FVRTO, *vt dicitur, cum Barlaamo de Ecclesiæ dogmatibus sapere* DEPREHENSOS *fuisse.*

ADAGIVM CLIX.

Fame conficitur, qui cibum aliis impertitur.

IN eos opportunè torquebitur, qui salutis monita aliis exhibent, & indigentiæ propriæ minimè consulunt; prodesse aliis student, non student sibi ipsis: sapienter sanctus Ephrem tract. de sui ipsius reprehensione, vbi ait: *Cum in multis fratres dilectissimi, prodesse vobis videar, animæ quoque propriæ vtiliter consulere debeo. Absurdum quippe est,* FAME ILLVM CONFICI, QVI CIBVM ALIIS IMPERTITVR, *turpéque est siti perire me, qui reliquis potum subministro, quod sanè fiet, nisi meam ipse conscientiam reprehendero; noui enim, quantum mihi illud fecisse, in futuro profuturum sit iudicio.*

ADAGIVM CLX.

Pennas præ voluptate induere.

CVm quis læto rei alicuius nuncio lætitiâ exilit, magnâ voluptate perfunditur, cùm præ voluptate pennas induere dicemus; extulit hoc sensu sanctus Chrysostomus epist. 18. dum ait: *Nec te fugit quàm doleamus, cùm te morbo teneri audiuimus, ac rursum quantâ lætitiâ afficiamur, ac* PRÆ VOLVPTATE VELVT PENNAS INOVAMVS, *cùm te incolumi valetudine esse intelligimus.*

ADAGIVM CLXI.

Plumbeo pede incedere.

VVlgò trita phrasis, vt in prouerbium abire potuerit. Cùm igitur significamus cunctanter rem agendam, nec præcipitanter, nimísque celeriter tractandam, *pede plumbeo ingrediuntur*, dicemus. Petrus Delphinus lib. 4. 74. *Te* PEDE, *(vt aiunt)* PLVMBEO *ingrediente.*

ADAGIVM CLXII.

Scytharum solitudo.

DE ingenti solitudine prouerbium dici solet; inde ductum, quòd Scythæ nullis certis sedibus vtantur, sed huc illuc pallantes vagentur. Synesius de Regno de Scythis loquens, ait: *Qui nihil vsquam terra possident, propter quos Scytharum solitudo in prouerbium abiit, qui natale semper solium fugiunt.* 154.

ADAGIVM CLXIII.

Malum malo sanare.

IDest, vnum malum alio malo tollere. Vtitur hoc prouerbio sanctus Isidorus Pelusiota lib.2. epist. 127. *Itaque iste, vt qui emisset, & quidem sceleratè emisset, sceleratiùs adhuc emptis rebus vti constituit,* MALO *videlicet* MALVM SANARE *studens*; quod quàm sit absurdum, & à ratione alienum, idem sanctus Pater explicat eodem lib. epistolâ 145. *Nemo*, inquit, MALVM MALO CVRAT. *id enim extremæ cuiusdam absurditatis etiam apud exteros, ac prophanos esse censetur.*

ADAGIVM CLXIV.

Sardonicis herbis saturatum esse.

155. DE iis, qui in periculis lætantur, in morte rident. Saluianus lib. 7. de gubernat. ita scribit: *Nos & in metu captiuitatis ludimus, & positi in mortis timore ridemus;* SARDONICIS *quodammodo* HERBIS *omnem Romanum populum putes esse saturatum; moritur, & ridet.* Hinc & Sardonicus risus, de quo præter Auctores, qui citari solent, ita in carminibus Sibyllinis,

SARDONIVM RISVM *ridebitis horrida quando*
Quam dico torrénsque Dei vos opprimet vnda.

Sic loquens inducitur Noë, vt mortales à venturo diluuio sibi cauerent; Zacharias Scholasticus Episcopus Metilenes disp. de mundi opificio; *Subridens,* inquit, *Sardonio, & amaro risu;* & sanctus Greg. Nazianz. in carm.

Id facio, quod mens mea damnat, & odit,
Oblectórque malis, mortémque in pectore fixam
Rideo SARDONICO RISV.

Fictam mundanorum lætitiam, ementitúmque gaudium, si quis Sardonico risui comparauerit, is rectè de illâ, illóque censebat. Ago de hoc argumento luculenter in opusculo cui hæc præfixa inscriptio, *Risus Sardonicus,* hoc est, *de fictâ mundanorum lætitiâ,* cui larua calamo in multorum vtilitatem profectúmque detrahimus, ne alicui risus, & lætitiæ nomen imponat.

ADAGIVM CLXV.

Tam necessarium, quàm sol.

REm hominibus valdè necessarium Solis comparatione quadam prouerbij specie significabimus. Significauit & sanctus Bernardus lib. 5. de considerat. *Fateor,* inquit, *grande, & generale mundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quàm solem ipsum mortalibus.*

ADAGIVM CLXVI.

Anhelans funus suum portare.

156. ELeganti metaphorâ miserrimum peccatoris statum repræsentare his verbis sanctus Cyprianus de lapsis ad finem: *Animam,* inquit, *tuam, misera, perdidisti, spiritaliter mortua superuiuere hic tibi, & ipsa anhelans* FVNVS TVVM PORTARE *cœpisti, & non acriter plangis, non iugiter ingemiscis.* Prouerbij speciem hanc metaphoram habere etiam Pamelius hic monuit.

Huic affine est illud sancti Hieronymi epist. 13. quæ est ad Paulinum, *Quanti,* inquit, *hodie diu viuendo* PORTANT FVNERA SVA, *& quasi sepulchra dealbata plena sunt ossibus mortuorum.*

ADAGIVM CLXVII.

Næuus in lumine non inuenitur.

VBi aliquem ab omni maculâ immunem esse significabimus, & à defectu, cuius insimulatur alienum, tunc prouerbium istuc efferemus. Scitè sanctus Paulinus epist. 1. ad Victricium: *Sicut comperi etiam de multitudine aduersantium, & tolerantiâ tentationum, quoniam insurrexerunt in se testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi; sed nodus in scirpo, &* NÆVVS *in lumine* NON POTVIT INVENIRI.

ADAGIVM CLXVIII.

Multa libris continentur, quæ nos præstare nequimus.

FAcilius quidpiam est chartis committere, quàm opere complere, & minus laboris est calamo proba monita exprimere, quàm moribus, & vita; & non ab re in prouerbium hoc quoque abierit. Quò spectabat Nicephorus Gregoras lib. 8. historiæ Romanæ, dum ait, Ἀλλὰ πολλῶν τῶν ἐκ τῆς παροιμίας ἡμῖν ἀδυνάτων τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις κειμένων, ἕν τι τῶν πολλῶν καὶ τοῦτο κινδυνεύει καὶ εἶναι καὶ λέγεσθαι, hoc est, *sed cùm (vt prouerbio dicitur) multa libris contineantur, quæ nos præstare nequeamus, è multis illis, & hoc vnum fortasse est & dicitur.*

ADAGIVM CLXIX.

Vade retro Satana.

QVoties quispiam, cuipiam bene agenti, se opponit, & iniquum aliquod consulit, tanquam Satanas prouerbiali hac sententia reiicietur; 157.
qua vsus est & Christus increpans Petrum, qui à passione eum auertebat. Reni flexit sanctus Bernardus serm. de septem spiritibus ad cogitationes, quæ carnem sapiunt, carnem fouent; hæc eius verba, *Semper spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur; quoties ergo importunè, vt assolet, carnalis cogitatio mentem pulsat, verbi gratia, cùm de potu, de cibo, de somno cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes humano quodam inardescimus desiderio, certum sit nobis spiritum carnis esse, qui loquitur, & tanquam aduersarium repellamus eum, dicentes:* VADE RETRO SATANA, *quoniam non sapis ea, quæ Dei sunt; sed magis sapientia tua inimica est Deo.* Hæc eadem verba hoc sensu donat sanctus Augustinus serm. 29. ex 40. qui nouissimè prodierunt, *Dominus Christus ait:* VADE POST ME SATANA. *Quare Satana? quia vis ire ante me. Non vis esse Satanas? vade post me. Si enim vadis post me, sequeris me: si sequeris me, tolles crucem tuam, nec mihi eris consiliarius, sed discipulus.*

ADAGIVM CLXX.

Caudam in Dei tui sacrificiis appone.

OLim animal, quod Deo mactabatur, sine caudâ esse non debebat; quæ res rectè docebat, opera, quæ Deo litamus, in Deique obsequium Deo offerimus, consummata, atque perfecta esse debere, & perseuerans, quæ velut operis cauda, & finis, est decoranda. Huc spectauit Petrus Abbas Cellensis lib. 4. epist. 7. dum ait: CAVDAM AP- 158.

PONE IN SACRIFICIIS DEI TVI; lib. 5. epist. 8. sic loquebatur, *Caue* CAVDAM, *cùm tam omnis laus, quàm vituperium* IN CAVDA, *idest, in fine terminetur.* Huc quoque canis Tobiæ caudam, qua blandiebatur, festiuè flectit Beatus Beda in cap. 11. Tobiæ, vbi hæc leguntur: *Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, & blandimento suæ caudæ gaudebat*; expendens igitur istuc Beda, ait: *Pulchrè blandimento suæ caudæ gaudebat; cauda quippe, quæ finis est corporis, finem bonæ operationis, idest, perfectionem insinuat.* Paulò aliter parœmialem hanc sententiã extulit sanctus Bernardus in hunc modum, scilicet: *Hostiæ caudam capiti iungere*, quod fit, cùm finis operis respondet initio, & quod laudabiliter est inchoatum, pari perfectione finitur; hæc illius sunt verba. epist. 24. *Laudabile principium condignum consequatur finem, & cauda hostiæ capiti coniungatur*; & epist. 78. ita loquitur: *Tene, quod tenes*, HOSTIÆQVE CAVDAM *iunge capiti, quoniam cœpisse nil proderit, si, quod absit, non perseuerare contigerit.* Monitum istuc illorum mentibus debet insidere, qui probum principium non bono maculant fine, & perdunt in operis extremo, quod initio acquisierant. Porrò quia hæc magni momenti res est, non erit à nostro instituto alienum, neque à legentis profectu diuisum, si plura rei formandæ, illustrandæque huc conuehamus, quod sequentibus excursibus à nobis fiet.

EXCVRSVS XXII.

Perseuerantiæ bonum.

In munditia perseuerandum *est.*

Iustitiam induere, *quid sit; perseuerantiam hæc phrasis commendat.*

Fimbriæ, *quæ in sponsâ laudatur, & vnguentum in vestimenti ore, perseuerantiam docent.*

Iusti virtus semper florere *debet, nunquam flaccescere.*

Perseuerantiæ priuatio, *quid mali parturiat.*

Supremus scalæ gradus *perseuerantia.*

Nunquam sistendum *in bono, donec supremum gradum attigerimus.*

Cœli ianua *perseuerantia est.*

159. VBi quis bonum aliquod exorsus est, cauere statim debet ne retro eat, & temerè illud omittat, quod cum laude inchoauerat; vbi quis probæ vitæ viam iniit, studeat vt in eâ perseueret, vigeat iter, non sistat, ne in pœnitenda ruat si regrediatur. Consultò Isaias cap. 1. v. 16. *Lauamini*, inquit, *mundi estote.* Posterius istuc superefluere alicui videatur, & esse nudam prioris repetitionem, non est ita; rectè in munditiâ commendatur perseuerantia; quod notauit Oleaster hîc, ad hæc verba: Estote mundi, idest, PERSEVERATE in munditiâ, nam parum vales, si te mundes, & statim ad immunditiam reuertaris inchoatam: munditiam coinquinat, qui in munditiâ non perseuerat.

In munditiâ perseuerandũ est.

Isa. 1. 16.

Oleast.

Semel virtutis viam iniuisse, non satis; pergendum est per eam dum viuimus. Sanctitatis vestis, quam semel induimus, nunquam deponenda; quod significauit Apostolus, cùm dixit cap. 4. in epist. ad Ephes. v. 24. *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate*; induendi similitudo perpetuum in virtutis operibus exercitium innuit, quod eleganter adductis aliis sacræ Scripturæ locis probat sanctus Chrysostomus hom. 13. in hanc epist. vbi inter alia, hæc habet ad hanc mentem: *Nostræ sunt partes, ne exuamur vestimento iustitiæ, quod Propheta vocat, vestimentum Salutaris, vt Deo simus similes. ipse enim indutus est iustitiam. Hoc vestimento induamur. Indui autem nihil aliud significat, quàm* NVNQVAM DEPONERE. *Audi enim Prophetam dicentem: Induit maledictionem sicut vestimentum, & veniet ei. Et rursus, qui induitur lumine tanquam vestimento; & rursus, nobis mos est dicere de hominibus: Hic illum induit. vult itaque nos non vnum, nec duos, nec tres dies, sed perpetuò* ESSE IN VIRTVTE, *& hanc vestem nunquam exuere.*

Iustitiam induere quid sit; perseuerantiam hæc phrasis commendat.

Ephes. 4. 24.

S. Chrys.

Fimbriæ quæ laudantur in sponsâ Psal. 44. rectè 160.
perseuerantiam commendant, sunt enim extrema vestium pars; vnguentum quoque, quod ex barba Aaron in oram vestimenti descendit Psal. 132. v. 2. huc allici facilè potest. Bellè festiuéque Petrus Blesensis epist. 55. *Optimè*, inquit, *incepisti, verumtamen, non principium, sed finem attendit, qui indicat fines terræ; sic curre, vt comprehendas. Gloria enim virginum, est in fimbriis, & se vsque in oram vestimenti vnguentum benedictionis infundit.*

Fimbriæ, quæ in sponsâ laudantur, & vnguentum in vestimenti ore, perseuerantiam docent.

Psal. 44.

Psal. 132. 2.

Petr. Cell.

Solet iustus lilio comparari, ita Ecclesia canit. *Iustus germinabit sicut lilium*, quod sumptum ex cap. 14. Oseæ v. 6. ne quis in perseuerantiæ præiudicium colligeret, posse iustitiam marcescere, & exsiccari postquam erupit in germen; addit statim, *& florebit in æternum ante Dominum*; ac si diceret, lilium iustus est, ita tamen vt eius iustitia, ac sanctitas non statim post natiuitatem flaccescat, semper viret, semper floret, semper vernat. Iuuat hunc sensum sanctus Bernardus serm. 70. in Canticum canticorum, vbi ita scribit: *Quòd autem iustitia lilium sit, recordamini de Scriptura, quia iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Nequaquam lilium hoc hodie est, & cras in clibanum mittitur*, QVIA IN ÆTERNVM FLOREBIT. Non placet lilium, quod statim marcet, & exsiccatur: vernare semper debet, semper florere, nec ante homines tantùm qui plerumque decipiuntur, sed, quod plus est, ante Deum, cui extima sanctitatis venustas non imponit.

Iusti virtus semper florere debet, nunquam flaccescere.

Oseæ 14.

S. Bern.

Caruit perseuerantiæ decore Petrus, dum ad 161.
Christum super vndas ambulans pergeret; stetit quippe, vt iure ab ipso, *modicæ fidei*, insimuletur; Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* fide per mare incedebat, sed quia timere cœpit, nec perseuerauit in incessu, meruit tam durè increpari; quod expendebat sanctus Ambrosius sermone 47. de fide Petri, dum ait: *Modicæ fidei, quare dubitasti? hoc est, cur tam paruæ fidei es, vt qui credendo mare ambulare cœperas, non id* PERSEVERANDO *transires? scriptum est enim: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Perseuerantiæ priuatio quid mali parturiat.

Matt. 14. 31.

S. Ambr.

Vidit olim Iacob scalam, quæ culmine tangebat cœlum, & ascendentes per illam Angelos, & descendentes, ac si gradus haberet, per quos in sublimia scanderemus; gradus scalæ virtutes omnes sunt, vt tamen supremus, & altior perseuerantia sit, & bonorum operum consummatio, quæ nos in cœlum transmittit; ita de huius scalæ gradibus philosophatus sanctus Zeno serm. de somnio Ioseph: *Gradus autem eius, fratres dilectissimi, si vultis scire quid vocentur, audite: Conuersio, audientia, intellectus, credulitas, timor, sapientia, sobrietas, mansuetudo, temperantia, castitas, pietas, charitas, fides, veritas, humilitas, gratia, honestas, verecundia, patientia,* PERSEVERANTIA, *consummatio.*

Supremus scalæ gradus perseuerantia.

S. Zeno.

Nunquam sistendum in bono donec supremum gradum attigerimus.
Agap.

Supremus iste gradus laboris nostri terminus sit, non prius in scalæ ascensu sistendum, quàm hunc attigerimus, cœlum ingressuri. De qualibet virtute loquens Agapetus apud Stobæum serm. 1. monebat. *Semper assiduus esto, & quemadmodum, qui scalas conscendere cœperunt, non prius desistunt ab ascensu, quàm* SVPREMVM ATTIGERINT GRADVM; *sic & tu in bonis semper altiùs scandendo affectus sis.* quod nos ad summum scalæ gradum, qui perseuerantia est, referre possumus.

Cœli ianua perseuerantia est.
S. Laur. Iust.

Porrò, adeò sublimis gradus iste est, vt non tam cœlum tangat, quàm cœli ianua, ac introitus sit; hoc certè titulo perseuerantiam donat Beatus Laurentius Iustinianus cap. 4. de eâ disserens: *Quæ*, inquit, *virtus est* COELI IANVA PARADISI PORTA, *& regni introitus.* cœlum intrare non vult, qui perseuerantiæ ianuâ longè abit.

EXCVRSVS XXIII.

Bono principio melior respondere finis debet.

Bonum principium extrema meliora *perficiant.*
Melior *debet esse* operis finis, *quàm initium.*
Perfectissima vitæ cursum *consumment.*

162.
Bonum principium extrema meliora perficiant.

BOnum est bono principio similem finem respondere, sed melius est respondere meliorem: non sunt adeò bonitatis limites coërcendi, vt statos transilire religio sit; per incrementa eundum ad summa; addendum boni semper aliquid est, sed melius est esse melius, quod adiicitur; hinc fors est, vt iustus in sacris litteris comparetur, etiam ab istue, quia adeò non decrescit dum erigitur, vt crescat semper; quod expendebat sanctus Gregorius lib. 19. moral. cap. 16. in hæc verba: *Palma vastior in summitate est, quàm esse cœperit ex radice, quia sæpe electorum conuersio* PLVS FINIENDO PERAGIT, QVAM PROPONIT INCHOANDO, *& si tepidus prima inchoat, feruentius extrema consummet.*

S. Greg.

163.
Melior debet esse operis finis quàm initium.

Melior finis orationis à sapiente dicitur, quàm principium; melior esse debet, & operis cuiusque. Docuit hoc exemplo suo illa, quæ ardenter Deum suum diligebat, Magdalena, nam initio Christi sui pedes vnguento vnxit, in fine & pedes, & caput; vt ita innueret in Dei obsequio bonum opus inceptum perfectiori fine consummandum. Opportunè rem premit Beatus Rupertus, de gloriâ, & honore filij hominis lib. 10. in hæc verba: *Quia*, inquit, *melior est, vel esse debet, sicut orationis, ita & operis, finis, quam principium eius, opus bonum benè inceptum* MELIVS CONSVMMAVIT. *Nam in initio tantummodo pedes Domini vnguento vnxit: hic autem quando ea, quæ de ipso erant, prope iam finem habebant, & pedes vnxit, & super caput eius vnguentum effudit.* Creuit Magdalenæ deuotio, inque Dei amore profecit, dum vixit.

B. Rup.

Perfectissima vitæ cursum consumment.

Ad perfectiora eundum semper, vt omnium perfectissima vitæ cursum perficiant, & veluti coronent, rectè Deus ipse innuit, cùm in mundi molitione hunc ordinem seruauit, vt postremum hominem conderet, qui rerum omnium perfectissimus erat.

S. Alex.

Sanctum Alexandrum Episcopum Veronensem dicere solitum legimus; *non esse bonum existimandum, qui se* MELIOREM *in dies effici non studuerit.* Bonæ semper vitæ adiiciendum aliquid, & per noua incrementa pergendum ad summa; paucorum istue, sed ab hac paucitate laus crescit.

EXCVRSVS XXIV.

Perseuerantia filiorum Dei character virtutúmque corona.

Perseuerantiæ spiritum suis Christus inhalauit.
Filium Dei *se prodit, qui bonum quod inchoauit perficit.*
Bene consummet, *qui benè* inchoauit.
Vna perseuerantia brauium *accipit.*
Perseuerantia corona.

164.
Perseuerantiæ spiritum suis Christus inhalauit.

ITa est, quisqoe se probet Dei filium, dum veri, & vnigeniti filij sui perseuerantiam imitatur. Scripturas volue, nihil inchoauit Christus, quod non perfecerit; lege miracula, quæ patrauit, nunquam deprehendes dimidiatam sanitatem concessisse, quod alibi etiam obseruaui ab aliis obseruatum, quid quòd moriturus perseuerantiæ verbum emisit, antequam emitteret spiritum; dixit quippe, *consummatum est*, nec explicauit quid esse consummatum, vt inde coniiceres omnia esse consummata, omnia perseuerantiæ coronâ redimita, imperfectum nihil relinqui, nihil non integrum; perfecit omnia Christus, omnia consummauit, & deinde spiritum exhalauit, vt eundem nobis spiritum, eandem inhalaret mentem.

Filium Dei se prodit, qui bonum, quod inchoauit perficit.
Rom. 8. 14.

Filium Dei se prodit, qui bonum, quod cum laude inchoauit, etiam perfecit, & integro vitæ curriculo in bono, quod arripuit, permanet; insinuauit hoc Apostolus in epist. ad Rom. 8. v. 14. dum ait: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* In Græco est: ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. signatè autem dixit Paulus, *qui spiritu Dei ducuntur*, non verò, *qui spiritum Dei arripiunt*, vt colligeremus, hanc filiorum Dei notam, esse hunc verum characterem, si in bono quis persistat, dum viuit, quod semel incœpit; hacque laude illum carere, qui licèt laudabiliter inchoauerit, finis tamen exordio non respondet; succinit sanctus Chrysostomus, qui hom. 14. in epist. ad Romanos hæc Pauli verba expendens, hæc habet ad hanc mentem: *Quamuis Baptisma acceperis, nisi spiritu postea ducaris, dignitatem datam perdidisti, & adoptionis prærogatiuam. Propterea non dixit; quicumque Spiritum acceperunt, sed quicumque spiritu ducuntur. hoc est, quicumque* OMNEM VITAM *ita viuunt, hi sunt filij Dei*; vt ergo se quis Dei filium probet, à bono non recedat quod inchoauit bene.

S. Chrys.

165.
Bene consummet, qui bene inchoauit.

Hoc suæ quisque menti sculpat, non incepisse, sed perfecisse virtutis esse; nec inchoasse, sed consummasse, veræ sanctitatis notam esse. *Bona inceptio* SINE FINE, *speciosi corporis instar est sine capite*, inquit Henricus IV. Romanorum Imperator in quadam epistolâ ad S. Othonem Bambergensem Episcopum.

Henr.

Vna perseuerantia brauium accipit.
S. Bonau.

Currunt omnes virtutes, vna perseuerantia brauium accipit; vt in agone contingebat, in quo qui in cursu aliis præiuerat, præmium indipiscebatur, & coronam; certant & inter se virtutes, sed perseuerantia alias præcurrit, præ aliis coronanda. Festiuè rem vrget sanctus Bonauentura in Psal. 67. in hæc verba: *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic de virtutibus potest dici,*

nam

nam virtutes ad regnum Christi currunt, sed vna sola accipit brauium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigilia, eleemosyna, obedientia, abstinentia, patientia: sed SOLA PERSEVERANTIA CORONATVR. *nam qui perseuerauerit in finem, saluus erit.* Brauium accipit perseuerantia; solus coronatur perseuerans. hinc illud, *Persevera, nam inchoasse, quid bene, est ferè nihil. Perseuerantis* CORONA *est, futile omne exordium est.* & illud,

Perseueranti corona. Vetus dictũ.

Vita CORONA *perseueranti datur.*

&,

Laudis CORONA *perseueranti datur.*

Non meretur laudem vllam vlla virtus; quæ sine perseuerantiâ est. In certaminibus ante consummationem corona non dahatur, nec hîc æternæ gloriæ curona speranda est, si absit perseuerantia.

ADAGIVM CLXXI.

Vna linea Geometram non facit.

166. SI quis ritè vnam lineam duxerit, non idem statim Geometra dicendus est; prouerbij meliorem faciem induet hæc sententia si paulò longiùs abducatur, & ad alia transferatur. Transtulit sanctus Gregorius Nazianzenus, dum hoc probare voluit; iuuenes in Ecclesia non esse præficiendos, licèt Daniel iuuenili ætate senes improbos iudicauerit; hæc eius verba orat. 39. *Iesus purgatur, & tu purgationem contemnis? à Ioanne: & tu aduersus præconem tuum insurgis? Trigesimum annum agens: & tu ante lanuginem senes doces, aut docere te posse credis, nec ab ætate, nec à moribus fortasse, authoritatem habens? ac denique hic Daniel profertur, ac nonnulli alij in iuuenili ætate iudices, atque in lingua exempla versantur; quisquis enim iniquè agit, ad sui defensionem promptus, & paratus est, at pro Ecclesiæ lege nequaquam censendum est, quod rarò accidit; quandoquidem nec hirundo vna ver efficit, nec* GEOMETRAM VNA LINEA, *nec denique nautam vna nauigatio.*

ADAGIVM CLXXII.

Heraclitum me legere puto.

AFfectatæ obscuritatis Heraclitus fuit, vt ne à vulgo perciperetur. librum, quem edidit, adeò obscuris inuolucris sepsit, vt σκοτεινὸς, idest, *tenebricosus* sit appellatus; quotiescumque igitur in alicuius librum inciderit, quem præ obscuritate intelligere nequeat, is adagialiter dicet, *Heraclitum me legere puto*; vsus hac formulâ est sanctus Hieronymus lib. 1. Apologiæ aduersùs Ruffinum, vbi ait; *Denique & ego scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid loquaris, &* HERACLITVM ME LEGERE PVTEM, *tamen non doleo, nec me pœnitet tarditatis; id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo.*

ADAGIVM CLXXIII.

Coruos mutare columbis.

167. COruus malè ferè in sacris litteris audit, benè verò columba; qui igitur malos, perditósque ad innocentiam, ac puritatem vocat, & verbis, ac exemplo ab improborum morum nigrore homines ad sanctioris vitæ candorem allicit, & ducit, is *coruos mutare columbis*, adagialiter dicetur; hoc inter cæteros Apostoli præstitêre, præstitit maximè Paulus, de quo ita cecinit Prudentius, in Enchiridio:

Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus,
Mox recipit visum, fit Apostolus ac populorum
Doctor, & ore potens CORVOS MVTARE COLVMBIS.

ADAGIVM CLXXIV.

Norma Catonianæ seueritatis.

HOmo maximè seuerus, & rugosæ frontis, cuius vita aliorum regula sit, prudentiæ exemplar, is prouerbialiter, *Catonianæ seueritatis norma* audiet; ironicẽ extulit sanctus Hieronymus in Apologiâ aduersùs Ruffinum: *Audi*, inquit, *sapientiæ columen, &* NORMA CATONIANÆ SEVERITATIS, vulgò homines tetrici, seueri, aliorum censores, iudices, *Catones* dicuntur.

ADAGIVM CLXXV.

Et carnem perdere, & vmbram prehendere non posse.

IN eos prouerbium congruit, qui boni alicuius possessione non contenti, dum alij inhiant, aliud sequuntur, vtrumque amittunt; quod à fabulâ illâ natum, qua canis ore carnem gestans illius vmbram respiciens, dum hanc, illâ parumper depositâ, sequitur, vtráque caruit: hinc illud sancti Asterij homilia aduersùs auaritiam, vbi Luciferi ausum perstringens ait: *Serui instar infidi, qui temerariis ausis, in latronem euasit, ac canis illius in gentium fabulis, qui & carnem* PERDIDIT, ET VMBRAM (nam quomodo rem inanem, & incomprehensibilem) prehendere NON POTVIT? non est absimile hoc prouerbium ab illo quod alibi explicamus *Æsopi canis.* 168.

ADAGIVM CLXXVI.

Iactus semel in puteum lapis, non facilè inde educitur.

VArius huius prouerbij vsus esse potest, aut cùm quis in aliquam culpam cecidit, ægrè resurgit, cùm aliquid in illius manus incidit, à quibus resumi difficilè potest. Petrus Delphinus lib. 6. epist. 99. IACTVS SEMEL IN PVTEVM LAPIS, NON FACILE INDE EDVCITVR; in libri oram prouerbium apposuit Scholiastes.

ADAGIVM CLXXVII.

A Caipha tradi Pilato.

AB impio scilicet iudice, impio iudici tradi. In epistolâ veteris scriptoris, in qua de exilio sancti Martini Papæ agit, hæc habentur: Tunc

quando TRADITVS *est* A CAIPHA PILATO, hoc est, à Præfecto.

ADAGIVM CLXXVIII.

Medicus mitis reddit vulnera verminosa.

169. IN nimium lenes, ac conniuentes iactari hoc prouerbium vulgò solitum tradit Petrus Delphinus lib. 6. epist. 41. vbi ait: *Nec me crudelem existimauerint quod seuerior in coercendis illis nouissimâ nostrâ visitatione apparuerim: vulgò dicitur*, MEDICVM MITEM REDDERE VVLNERA VERMINOSA.

Huc facit illud sancti Petri Damiani opusc. 57. cap. 1. remissam medici, & corripientis manum arguentis; *Inordinata pietas nutrit impietatem, & timida manus medici vulnus auget ægroti, facit enim exuberare putredinem, dum non secando, sed palpando quotidie superducit vulnusculo cicatricem.* istue idem pharmacopolæ exemplo confirmat, dum subdit: *Pharmacopola denique qui mollibus vnguentis non permiscet acredinem tumoribus exsiccandis nullam potest adhibere virtutem.* in nimiam lenitatem calamum alibi acuo, vbi Heli conniuentiam pungo.

ADAGIVM CLXXIX.

Simij florent, celebrésque sunt, Leones quiescunt.

CVm inepti, & inidonei laudabile quidpiam præstant, quo celebrentur,aptus,& idoneus torpet, & cùm imbecillis fortis munus obit, fortis tanquam imbecillis ab opere abstinet, tunc prouerbiali hac sententiâ vtemur. Præiuit sanctus Gregorius Nazianzenus, qui epist. 187. ad Timotheum scribens ait: *Tu verò viriliter age, & confortare, ac pro Trinitate quantum vires tuæ ferent, dimica; & qui mansuetus est, pugnax fiat, quemadmodum etiam nos facere videbas, neque enim mihi placet, vt* SIMII FLOREANT, *celebrésque sint*, LEONES *autem* QVIESCANT.

ADAGIVM CLXXX.

Sæpè mora melior est.

CVnctationem suasuri, vt maximè opportunam, hac prouerbiali formâ efferemus, quod priùs extulit Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. 6. *Prouerbialiter,inquiens, celebre est sæpè* MORAM ESSE MELIOREM, *sicuti, & nunc experti sumus*; noxia sæpè præceps festinatio est, vtilis cunctatio, nisi nimia.

ADAGIVM CLXXXI.

Multum inter Phrygum, & Persarum limites interest.

170. PHryges, & Persas plurimum distare notum est; summa illa distantia locum prouerbio fecit, vt de valde differentibus, atque distantibus præfixum adagium adhiberi queat; cùmque aliuın quempiam esse, quàm iudicetur, affirmare volumus. In hunc sensum extulit Nicephorus Gregoras lib. 8. Historiæ Romanæ, vbi ita loquitur: *Cum seorsim eum adiissem, & integritatem meam illi demonstrassem, rogaui, ne vulgari more de me iudicaret; multum enim* INTER PHRYGVM, *&* PERSARVM *(quod aiunt) limites* INTERESSE.

ADAGIVM CLXXXII.

Nec aue dicere.

CVm alienum à re quapiam, & abhorrentem quempiam esse significare voluerimus, nullumque commercium cum eâ habere, prouerbiali specie dicetur: *Nec aue ei dicere.* hoc sensu extulit sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 19. dum de animi fortitudine dicit: *Inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, quibus aurem deferre nesciat, nec, (vt dicitur)* AVE DICAT; *pecuniam negligat, auaritiam fugiat tanquam labem quandam, quæ virtutem effeminet.*

ADAGIVM CLXXXIII.

Nudum exuere, non vestire.

PErcelli hoc prouerbio poterunt, qui alienarum rerum cupiditate correpti, nullis parcunt reculis, & vilia quæque ab illis per vim rapientes, qui pretiosioribus destituuntur. Meminit huius adagij sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 197. dum ait: *Homini huic omnibus de causis parcite, ne alioquin exiguum fisco commodum afferentes, magnum ipsi detrimentum accipiatis*, NVDVM, *(vt dici solet)* NON VESTIENTES, *sed exuentes.*

ADAGIVM CLXXXIV.

Non omne quod lucet, aurum est.

TRitum vulgi prouerbium, quo monemur non esse extimæ rerum pulchritudini fidendum, faciléque esse externum personarum habitum rerúmque superficiem spectatoribus imponere. Petrus Delphinus lib. 10. epist. 79. *Nosti, mi Paule, vulgò, & verè dici*: NON OMNE *quod lucet*, AVRVM ESSE. *Veniunt aliquando in Religiosorum mentes, & præcipuè parum expertorum sub prætextu boni, immissiones per angelos malos.* 171.

ADAGIVM CLXXXV.

Foliorum strepitus lepores exterret.

HOc prouerbium in eos torquere licebit, qui sine causâ pericula fingunt, ibique timent vbi nulla timendi est causa; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni in sententiis: *Vt* FOLIORVM STREPITVS LEPORES EXTERRENT, *ita rerum vmbra timidos homines, atque ignaros.*

ADAGIVM CLXXXVI.

Deletus est Amalech.

VTemur in cuiuscúmque hostis, qui contra nos quacumque ratione fæuiat, exterminatione

tione. Ductum est ab historiâ, quæ in Exodo recensetur, quando in monte Raphidim, orante Moyse, Iosue Amalech Regem superauit, dictúmque à Domino est: *Delebo memoriam Amalech sub cælo.* Sanctus Epiphanius nunciens Beato Hieronymo Origenis hæresim operâ Theophili Alexandrini esse damnatam, ait epist. ad eum scriptam quæ est 71. in epistolis sancti Hieronymi; *Scito, fili charissime, Amalech vsque ad stirpem* ESSE DELETVM. Sanctus Ioannes Climacus gradu 15. crucis signo vincendum Amalech edocet in hæc verba: *Oculis cælum suspice, exprime formam crucis manibus immotis, vt per figuram saltem crucis* AMALECH *pudefacias, ac prosternas.*

ADAGIVM CLXXXVII.

Retro puppim impellere.

Prouerbium de iis dici solitum, qui consilium in contrarium mutant, vt notabat Scholiastes ad hæc sancti Gregorij Nazianzeni verba carm. de vitâ suâ,

IMPELLO PVPPIM, *nam* RETRO, *vt dici solet.*

ADAGIVM CLXXXVIII.

Oneratis superponendum onus, deponentibus non communicandum.

172. Vetus ænigma, quod vt pleraque alia prouerbia loco vsurpari potest. Refert, & explicat sanctus Hieronymus lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum, *Stateram ne transilias*; id est, *ne prætergrediare iustitiam; ignem gladio ne fodias, iratum videlicet, & tumidum animum verbis maledicis, ne lacessas*; ONERATIS SVPER IMPONENDVM ONVS, DEPONENTIBVS NON COMMVNICANDVM; *id est, ad virtutem incedentibus augenda præcepta, tradentes se otio relinquendos.*

ADAGIVM CLXXXIX.

Gladiatorium animum habere.

Pertinax animus, & vel perdere paratus, vel perdi, prouerbij specie *gladiatorius* dicitur; torquetur & in desperatos, qui suæ salutis spe abiectâ, nihil non malum aggrediuntur. Sic videtur extulisse sanctus Augustinus in Psalm. 70. conc. 1. dum ait: *Vnusquisque peccator, & iniquus, iam de se desperans, iam habens quasi* GLADIATORIVM ANIMVM, vt ideo faciat quidquid vult, quia iam damnandus est. Huc idem sanctus Pater spectauit serm. 3. ex 40. qui nouissimè prodierunt, vbi de eo loquens, qui desperando perit; *Omnino*, inquit, ANIMO QVODAM GLADIATORIO, *quoniam vitam desperat, quidquid potest facere, ad satiandam cupiditatem, & libidinem suam facit, tanquam deuotus ad victimam. Tales desperatione pereunt.*

ADAGIVM CXC.

Depone gladium, ego scutum abyciam.

Hoc est, non me defendam, si tu me non accusabis; à mei defensione si vis me cessare, desine me accusatione ferire; hoc sensu extulit sanctus Hieronymus lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum: *Vis*, inquit, *me tacere? ne accuses*; DEPONE GLADIVM, ET EGO SCVTVM ABIICIAM. 173.

ADAGIVM CXCI.

Herculis columnas, & caspias portas superare.

De eo, qui eò in re aliqua pergit, vt præstitutos cuilibet terminos excedat. Sanctus Gregorius Nazianzenus in iambeis carm. 22.

——— *licet* HERCVLIS
Superes COLVMNAS, *caspias portas licet.*

ADAGIVM CXCII.

De vno pectoris sterquilinio & odorem rosarum proferre, & fœtorem cadauerum.

Qui & laudat simul aliquem, & damnat, oneratque conuiciis, quem super astra extulerat, is ex vno pectoris sterquilinio & rosarum odorem proferre dicetur, & cadauerum fœtorem; hoc sensu protulit hanc sententiam sanctus Hieronymus lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum, vbi ait: *Tua bonitati, tuæque mansuetudini, & simplicitati conuenit, qui* DE VNO PECTORIS STERQVILINIO & ODOREM ROSARVM, ET FOETOREM PROFERT CADAVERVM, *& contra sententiam prophetalem, amarum dicis esse, quod quasi dulce laudaueras.*

ADAGIVM CXCIII.

Aureo pugno murus animi fractus est.

Prouerbium in illos quadrat, qui muneribus ac donis, à iustitiæ tramite deuiant, in quorum mente iustitiam aurum arietat, & deiicit. *Contra pugno aureo eius animus non infringitur*, qui muneribus corrumpi non potest, sed puris manibus iustitiam tractat. Prouerbij huius meminit sanctus Paschasius Radbertus in vitâ sancti Adhelardi Abbatis Corbeiensis, dum ait: *Fatentur, quod nunquam in iudicio alicuius personam inspexerit, neque iuxta prouerbium vulgi*, AVREO PVGNO SIT MVRVS EIVS ANIMI FRACTVS. *Solus, (vt aiunt) potuit illæsus fluuium transire Acherontis auari.*

ADAGIVM CXCIV.

Quid faciet virgula deserti, si concutitur cedrus Libani?

174. HOc est, si iustus expauet, quid de impio erit; si fortis labascit, infirmus, & imbecillis stabit? Petrus Blesensis serm. 16. qui est in hebdomadâ pœnosâ, ita loquitur: *Vix iustus saluabitur, & tu miser vbi parebis?* QVID FACIES VIRGVLA DESERTI, VBI CONCVTIETVR CEDRVS LIBANI.

ADAGIVM CXCV.

Adonidis hortus.

DE re, quæ facilè marcescat, & abeat; hoc prouerbio, fucatam mulierum pulchritudinem damnat sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres ambitionis, se se ornantes, & excolentes, ait quippe: *Hisce pigmentis nihil aliud, mihi crede, consequeris, quàm vt forma illa, quam tu ingenij viribus viuam depingis, apertissimam tibi apud homines contumeliæ notam inurat. Venustas hæc* ADONIDIS HORTVS *est, citò marcescens*, κῆπος Ἀδώνιδος ἐστὶ τὸ χάρις ἐπιτήδευτος, id est, *Gratia fœminea est effectus Adonidis hortus.* Etiam è prophana schola plerique hoc prouerbio vtuntur, sed aliter versant. Sanctus Hieronymus hoc prouerbio mundi voluptates pompam atque luxuriam significatam refert; sic enim ille scribit lib. 18. in cap. 65. Isaiæ: *Fertur sapientissimi apud Græcos merito celebrata & laudata sententia: qui omnes sæculi voluptates, & pompam mundi, atque luxuriam celeriter transeuntem,* HORTVS ADONIDIS VOCAT.

ADAGIVM CXCVI.

Alter Augustinus.

175. SVmmæ eloquentiæ vir, summæ sanctitatis, ac perfectionis, singularisque doctrinæ, & in cuius corde virtutes omnes domicilium posuisse videantur, is alter Augustinus dici poterit, quem omnes hæ dotes multo celebrem fecerunt. Sanctus Paschasius Radbertus sanctum Adhelardum efferens, ita loquitur in eius vitâ: *Dum ita quietus iam victor celsâ sederet in mentis arce, dispensante Deî prouidentiâ, rursus ei nouus constituitur pugnandi ordo: agitur namque non longè postquam redierat proprio consentiente monasterij Patre, vt nec multum longè dispar, id est,* ALTER AVGVSTINVS, *viuente prædecessore successor eligatur: nisi quòd ille Episcopus fuerit, iste verò Abbatis loco subrogatus sit: vtrique tamen perfecti dispensatores inueniuntur. Erat autem idem Beatus præfati Patris Augustini velut pedissequus, operum clarissimus imitator, satis acutus ingenio, voluntate promptus, eloquentiâ diues, dulcissimus affatu, auditorem tanto afficiens fructu, vt lingua eius vix aliud, quam calamum sancti Spiritus credere potuisses. Prædicationis eius officium lachrymæ commendabant, & cordis duritiam gemitus molliebat; fluebat itaque lachrymarum ab eo serotinus imber, quatenus mentes vberius semen fructificandi caperent, & cor audientium huiusmodi censu charitatis amore mulceret. Vox eius plena viroris gratiâ, & omni constantiâ fortior videbatur: ipse verò vultu corporeo nitens, plenus pinguedine sancti Spiritus credebatur.* Et nonnullis interiectis, *Ab aliquibus Antonius vocabatur, à nonnullis verò Aurelius* AVGVSTINVS, *quod ad pares supparésque, sed magnæ sanctitatis, doctrinæ, nominisque viros transferri appositissimè poterit.*

ADAGIVM CXCVII.

Melius bono aduersatur.

TRitum vulgi prouerbium, quo monemur, spe melioris boni non esse bonum aliquod facilè deserendum, cùm plerumque accidat, vt melios bonum in bonum arieret, euertat bonum. Meminit huius parœmiæ Petrus Delphinus lib. 9. epist. 60. *Qui benè stat, non moueatur, vulgò dicitur* MELIVS BONO ADVERSARI; quo vtemur quoties aliquem ab aliquâ mutatione spe melioris boni auocabimus bono ipso cariturum, si bonum relinquat spe melioris fortunæ, bonique deceptus.

ADAGIVM CXCVIII.

Opportunitas latronem facit.

VVlgo tritum apud nostrates prouerbium est, cùm docent fugiendam occasionem mali esse, facilèque esse, vt peccandi occasioni expositus in peccatum ruat, quod eleganti Italismo explicant, *l'occasione fa l'huomo ladro*; 176.
hanc parœmiam adhibuit etiam sanctus Vulstanus, de quo ita scribit illius vitæ auctor Brauonius Monachus: Quidam nomine Feuolsus dum sæpiùs eadem peccata Episcopo panderet, ait Episcopus; OPPORTVNITAS, *vt vides*, LATRONEM FACIT, *ideo consulo vt Monachus fias, & sic vitiorum importunitate carebis.*

ADAGIVM CXCIX.

Ignem in paleis ponere.

QVi aliquid alicubi locat, vbi citum ingénsque excidium, aut damnum sit pariturum, is prouerbij quadam specie, *ignem in paleis reponere* dicetur. Auctor vitæ Beati Antonini Abbatis ita loquitur: *Pessulum audaci manu extraxit, & nouo gaudio repletus, in sinu quasi* IGNEM IN PALEIS REPOSVIT, *mox enim dementiæ furore succensus, hominem animo exuit.*

ADAGIVM CC.

Da mihi hodiernum, tu sume crastinum.

FRequens hoc dictum in eorum ore, qui rebus præsentibus addicti, vitæ huius voluptatibus inhiabant, & futuræ vitæ obliti futurorum bonorum contemptores erant. Refert, & damnat hanc sententiam sanctus Chrysostomus hom. 9. in 2. epist. ad Corinth. vbi ait: *Complures audio, qui ridiculis hisce verbis vtuntur,* DA MIHI HODIERNVM DIEM, & TV CRASTINVM SVME.

SVME. *nam si talis est in futuro aeuo rerum status, qualem dicitis, vnum pro vno fuerit.*

ADAGIVM CCI.

Quid boni habeat sanitas, languor ostendit.

FRequentissima hæc vulgo sententia est, vt prouerbialem saliuam sapere videatur, cuius venustior vsus erit si longiùs porrigatur; sanctus Hieronymus epist. 26. quæ est ad Pammachium, ita loquitur; QVID BONI HABEAT SANITAS, LANGVOR OSTENDIT, *plus sentimus, quod habuimus, postquam habere desiuimus*; sic enim fit, vt boni alicuius carentia, illius bono desiderium carenti admoueat.

ADAGIVM CCII.

Totus caro est.

177. VT totus anima, totus spiritus prouerbiali formâ dicitur, qui virtutis amore ita est captus, vt carnis, & carnalium rerum oblitus, nihil aliud videatur cogitare; ita è conuerso totus caro dicetur, qui carnalibus tantùm hæret, virtutis rerúmque spiritualium contemptor; hanc formulam vulgò suo tempore fuisse tritam indicat sanctus Chrysostomus hom. 13. in epist. 1. ad Timoth. in hæc verba: *Quemadmodum de his, qui virtute clari sunt, licèt habeant corpus, dicere tamen solemus, Totus anima est, ita & de carnalibus, licèt illis per vitam non desit anima, dicimus*, TOTVS CARO *est.*

ADAGIVM CCIII.

Super aristas gradi.

VTi licebit in hominem, qui gradum non figit, nec certam sententiam statuit, sed vbique dubium auditorem relinquit; hoc sensu extulit sanctus Hieronymus epist. 61. quæ est ad Theophilum aduersùs errores Ioannis Ierosolymitani, ait enim: *Nosti quo sensu vnumquodque dicatur, quomodo in ambiguis sententijs tuus sermo libratus, & aliena non damnet, & nostra non deneget, sed fides pura, & aperta confessio non quærit strophas & argumenta verborum, quod simpliciter creditur, simpliciter confitendum est. Poteram quidem liberè proclamare, & inter gladios quoque, ignésque Babylonios dicere, cur aliud respondetur quàm quæritur? cur non simplex est, nec aperta confessio? totum times, totum temperas, totum relinquit ambiguum, & quasi* SVPER ARISTAS GRADITVR; is quippe qui super aristas fertur, ne lædatur ab illis, ne eas calcans decidat, pedem supra illas sistere non audet.

ADAGIVM CCIV.

Lychnis contra Solis radios pugnare.

178. SI pugnam impar eum impari ineat, imperitior peritiorem, imbecillior fortiorem prouocet, aptè hanc prouerbialem sententiam vsurpabimus. Scitè Ennodius lib. 2. epist. 7. *Nos ab scholarum gymnasiis sequestrati arentis ingenij guttis quandam Oceani fluenta prouocamus, qua si* LYCHNIS CONTRA SOLIS RADIOS PVGNATVRI. Paulò aliter extulit sanctus Cyrillus Alexandrinus hom. 4. contra Nestorium, vbi eum premit, quòd in Dei mysterio temere irruere vellet, & ea, quæ inscrutabilia non ferendâ temeritate scrutari; ait enim: *Et ne sapientia ipsa sapientior? O rem inauditam!* LYCHNIS CVM SOLE CONTENDIT. *Nouit omnium Dominus operum suorum rationem. Amplectere itaque dispensationem illius. Honora mysterium in fide, ne frustra labores in iis, quæ mentem nostram excedunt.* Quæ reprehensio, quod monitum omnibus hæreticis conuenit, qui intellectus sui imbecillitati nimium fidunt.

ADAGIVM CCV.

Inter duas sellas corruere.

QVi inter duo commoda damnum sentit, inter duo loca tuta periclitatur, inter duos adiutores perit, vt à nullo auxilium accipiat, aut opem, inter duas sellas corruere, adagij quadam facie dici poterit; certè ita vulgò iactatum innuit sanctus Bernardus, qui illud ad hunc sensum profert epist. 114. *Deum repellens, & a seculo repulsa* INTER DVAS (*vt dicitur*) SELLAS CORRVENS. *Nec Deo itaque viuebas, quia nolebas, nec seculo, quia non poteras, alteri quidem volens, alteri imitata, sed tamen vtrique mortua.* 179.

ADAGIVM CCVI.

Manus Briarei.

IN hominem torquetur lucri appetentem, ac veluti centum manibus ad quæstum inhiantem. Petrus Blesensis in munerum captatorem torquet, serm. 41. ait enim: *Comede vt euangelizes, non euangeliza vt comedas, si fueris exactor muneris cum accesseris ad Dominum Iesum Christum, poteris tibi dicere: Noli me tangere; vox tua Iacob sonat, manus autem tua manus sunt Esau,* MANVS SVNT BRIAREI, *non presbyteri.* Prouerbiali forma Briarei manus in aliquem iniicit, qui auarissima cupiditate res illius, opésque inuadit, & iniusto latrocinio surripit ab alio quod illius est. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de patris funere ita fatur: *Iustitia illius, quod maius, illustriúsque argumentum afferri possit, quàm quod in magnis Reipublicæ muneribus administrationibúsque versatus, ne teruntio quidem facultates suas auerit: idque cum alios cerneret* BRIAREI MANVS (*vt dici solet*) *iniicientes, & scelerato quæstu turgentes. sic enim opes iniustis artibus collectas voco.* Etiam bono sensu Briareus audiet, qui omni conatu & omni studio laborat, vt vnus multorum munia videatur obire, & multorum indigentiæ vnus succurrit. Rex quilibet, & superior Briareus esse debet, ne suis desit; scitum illud in sententiis Ethicopoliticis.

Rex quiuis BRIAREVS, *Rex quiuis Argus est.*

vt oculis videat, quid opus suis sit, manibus auxilium præbeat; multos præterea oculos tanquam Argus habet, quia multis tanquam oculis vritur, per quos etiam longè dissita intuetur. Briareus est, & multas manus videtur habere, dum multorum operâ multis rebus manum admouet, dum iubet admoueri.

ADA

ADAGIVM CCVII.

Totus anima est.

Ritû vulgi sermone est, vt vir, aut adolescens insigni virtute, ingenióque præditum, qui nihil carnale cogitet, nihil terrenum præferat, totus anima dicatur; quòd hoc Italissimo explicant, *Egli è tutto spirito*; prisco autem Christianorum æuo istuc idem vsurpatum in hunc sensum indicat sanctus Chrysostomus hom.13. in epist. ad Timoth. *De his*, inquit, *qui virtute clari sunt, licèt habeant corpus, dicere tamen solemus*, TOTVS ANIMA *est*.

ADAGIVM CCVIII.

Ad cœlum se in superbiæ cornibus exaltare.

Vmidi, elatique, ac immodici sui, ac suarum rerum iactatores percelli prouerbiali hac hyperbole poterunt; sic tales premit sanctus Petrus Damianus serm.66. vbi sancti Barbatiani virtutes effetens, ait: *Quantos hodie cernimus, qui si de virtutibus admirabilis huius viri, vel vltimam particulam, attingere potuissent*, AD COELVM SE IN SVPERBIÆ CORNIBVS EXALTARENT, *qui sæpè fortè aliquid de virtutibus faciunt, sed per hoc non cœlum, sed terram petunt; affectantes nimirum laudes hominum, in semetipsis dissipant fructum laborum.*

ADAGIVM CCIX.

Festucam, quæ in oculo tuo est, quasi grauissimam trabem reputas.

180. Rouerbialiter sic effertur illius mens, qui exiguas etiam culpas magnas reputat, & minima quæque maximi facit; scitè Theophylactus epist.25. *Ego*, inquit, *te ob hoc maximè admiror, & laudo. Pansebaste fili, quòd exiguos peccatorum culices quasi ingentes camelos indueris, contra atque à Domino Pharisæi probris & reprehensionibus incessuntur.* FESTVCAM *quoque, quæ in oculo tuo est*, QVASI GRAVISSIMAM TRABEM REPVTAS, *quod magnum virtutis fundamentum cœleste verbum, quod apud nos nasci noluit, esse constituit.*

ADAGIVM CCX.

Somno mollior.

Rouerbialis hyperbole est, de re supra modum molli. Clemens Alexand. Pædag. lib.2. ἢ τὰς ὕπνου μαλακωτέρας ἀνὰ περιπεπομένας. id est, *valore iubentes lectos ipso somno molliores.* Citat & Eustachius Iliad. 10. ex innomioato authore, τάπητας ὕπνου μαλακωτέρους, *tapetes somno molliores*, extat autem apud Theocritum, Πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω μαλακώτεροι ὕπνω.

ADAGIVM CCXI.

Manu compressa vndam stringere.

Assus in re aliquâ labor hac adagiali phrasi significatur, à qua eo ipso, quòd stringitur elabitur, quóve plus comprimitur, eo citiùs foras effluit. Sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de silentio ægrè coërceri linguam posse significans, ait:

> *——Teneo, amittóque vicissim,*
> *Vt cui* COMPRESSA STRINGITVR VNDA MANV.

ADAGIVM CCXII.

Beneficiorum memoria labilis est, iniuriarum verò tenax.

Rouerbij titulo hanc sententiam donat Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist.11. dum ait: *Vetus prouerbium est, & veterum ore celebrata sententia*, BENEFICIORVM MEMORIA LABILIS *est, iniuriarum verò tenax*; læsus quippe in marmore sculpit iniurias, donatus beneficiis beneficia plerumque in aquis scribit.] 181.

ADAGIVM CCXIII.

Ioannem se incestuosis exhibere.

Bi monendus aliquis, vt se incestuosis opponat, aut efferendus, quòd se opposuerit, prouerbiali huic sententiæ locus erit, præiuit Petrus Blesensis epist.15. *Exhibes*, inquit, *te* IOANNEM INCESTVOSIS; natum ab eo, quod Ioannes præstitit cùm Herodem palàm arguit, quòd fratris sui vxorem tulisset.

Ad Reges porrigi etiam potest. hinc illud eiusdem auctoris ep.144. *Vbi est* ZELVS IOANNIS IN HERODEM? *Zelus Ambrosij in Valentem?* Sanctus Bernardus sic extulit lib. 4. de consid. *Qui* REGIBVS IOANNEM EXHIBEANT *Ægyptijs Moysem.* Dicetur de omnibus, qui animo imperterrito, Reges, Principésque redarguunt, nullâ dignitatis, gradúsque ratione habitâ liberâ virtutis fronte eorum peccata damnantes.

Alterum Ioannem in incestuosos se exhibuit sanctus Adhelardus, de quo ita scribit sanctus Paschasius Radbertus in eius vitâ: *Elegit magis iustitiæ fore, & veritatis amicus, quàm in illicita consentire, etiam multis oblectatus blanditiis. Vnde factum est cùm idem Imperator Carolus, desideratam Desiderij Regis Italorum filiam repudiaret, quam sibi dudum etiam quorundam Francorum iuramentis petierat, in coniugium, vt nullo negotio Beatus senex persuaderi posset, dum esset adhuc tyro Palatij, vt ei, quam viuente illa Rex acceperat, aliquo communicaret seruitutis obsequio; sed culpabat modis omnibus tale connubium, & gemebat puer beatæ indolis, quòd & nonnulli Francorum eo essent periuri, atque Rex illicito vteretur toro, propriâ sine aliquo crimine repulsâ vxore. quo nimio zelo succensus elegit plus seculum relinquere adhuc puer, quàm talibus admisceri negotijs, vt propinquo, quem contraire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret; nec minus igitur, Ioanne pro iustitiâ mori paratus fuisse creditur, qui pari annisu illicitam reprehendebat Regis audaciam, & spernebat huiusmodi nuptias: nec considerans propinquitatis iura, vt carni assensum præberet contra leges Christi, quas violare non ferens, sibi in animo proponebat.*

Hoc eodem Ioannis spiritu plenus etiam extitit sanctus Albinus Andegauensis Episcopus, incestarum nuptiarum acerrimus impugnator, de quo ita scribit Fortunatus Presbyter: *sed & ...q*

magna

magnanimitatis exemplum opportunum ducitur explicandum, quòd pro Dei negotio, apud Deum non fuerit vlla Regum, potentúmque personalis acceptio. Denique ad cumulum cœlestis gratiæ conquirendum incestarum nuptiarum execrabilis copulationis iura condemnauit, Beati Ioannis irreprehensibilis imitator quanta sustinuerit nullus digne poterit explicare, siquidem martyr effici concupiuit, si non defuisset dextera percussoris. O hæc exempla alios excitarent, sanctiora regna essent, puriora coniugia, impuritas adeò altas radices non ageret, nec libidinis imperium adeò se porrigeret.

EXCVRSVS XXV.

Ioannis laus, Ioannis in adulteros feruor.

Sancti Ioannis tituli.
Vox *Ioannes, quia Christo vicinus.*
Ioannes omnes, omnia Christo *postposuit.*
Ioannes Virginis prædicator *in matris vẽtre.*
Sui populi salutem, *quàm maturè desiderauerit Ioannes.*
Occurrere Christo *voluit Ioannes adhuc in matris ventre.*
Præproperus Ioannis saltus *expenditur.*
Ab omni voluptate *se Ioannes cohibuit, quia in alios erat sæuiturus.*
Ioannes visurus Christum *ab aliorum conspectu se subduxit.*
Ioannis in deserto *commorantis exemplum quanta virtutis.*
Regem arguit *Ioannes, nec Regiâ maiestate terretur.*
Ioannis caput *petijt mulier, vt in linguam sæuiret, cuius reprehensionem ægrè tulerat.*
Ioannis caput in argenteo disco *mensæ illatum.*
Totus mundus *lingua factus, vt impudicæ mulieris impudicitiam arguat.*
Ioannis lingua *eò altius in impudicam mulierem clamat, quo altius silet.*

182. OMni laude maior Ioannes est, quem ille super alios homines extulit, qui aberrare in laudando non potest, sed hoc ipso laudabilem quempiam facit quod laudat; dabimus tamen hîc aliqua, vt à tanti Vatis laude discamus ea præstare, quæ laude sunt digna, fiamus illius imitatores, qui imitator fuit Christi.

Sancti Ioannis tituli. S.Pet.Chrys.

Ioannem sic efferebat sanctus Petrus Chrysologus serm.9. *Nascitur maior homine par Angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, filij nuncius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium, &, vt propriè dicam, legis, & gratiæ fibula, quæ diploidem summi Sacerdotis sancto Patri iungebat in pectore.*

Vox Ioannes quia Christo vicinus. S. Chrysost.

Vox *Ioannes*, qui titulus eius sanctitatem, & excellentiam tacitè indicat, vox verbo vicinissima est, & Ioannes Christo, succiuit sanctus Chrysostomus: *Quanto* VOX, inquit, *proximior est verbo, tanto Ioannes* PROXIMIOR CHRISTO; tanta rei tam exilis nomen dignitatem Christi præcursori parturit. Vicinus Christo extitit Ioannes, quia se à suis elongauit.

Ioannes omnes, omnia Christo postposuit. S.Hieron.

Matrem sanctam habuit Ioannes, ab illâ tamen se submouit à Patre, ne aliquid videretur Christo præferre, vtque suam tueretur castitatem, hoc postremum innuit etiam sanctus Hieronymus epist.4. vbi ait: *Et Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis.*

Ioannes Virginis prædicator in matris vtero. Prud.

Saltauit in suæ matris vtero Ioannes, vt eo saltu illo Virginem Dei matrem prædicaret, & exultans significaret adesse Mariam. Prudentius Hym.7. huc spectauit dum cecinit de Ioanne loquens: 183.

> *Nec ante partu de senili effusus est,*
> *Quam* PRÆDICARET VIRGINEM
> *plenam Deo.*

Quid ni ergo tam magnus euaserit, qui tam sollicitè, & tam citò Dei matrem extulit, & exemplo suo docuit efferendam?

Sui populi salutem, quàm maturè desiderauerit Ioannes.

Vbi de animarum salute agitur, cunctatio omnis auferenda, amolienda segnities est, excutiendus torpor; huc quoque spectauit Ioannis in vtero matris exultatio, exiliebat in ventre Christo præsente, non in gaudij, & obsequij indicium dumtaxat, sed in illius desiderij argumentum, quo infidelitati sui populi occurrere volebat, tanquam si inclamare vellet, & populum ad pœnitentiam, & per ipsam ad Christum allicere ac inhortari. Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.34. ita illum loquentem facit: *Apparitor missus sum; nolo in secundis per tarditatem consistere, stella namque ante solem exorta fulget: post solem si currat, luminibus offuscatur, mater linguam mihi fœnerat, vt* PATRIÆ MEDEAR INFIDELITATI, *ex vtero Christum alloquar, esto ipse virgineo feratur aluo, prædicationes meas exordiar, diuinam œconomiam clamans, præter naturæ ordinem prædicentur dona, quæ supra naturam.* S.Basil.Sel.

Occurrere Christo voluit Ioannes adhuc in matris ventre. S.Hieronym.

Exultauit Ioannes in vtero matris suæ Virginis audiens vocem tanquam Domini, cui occurrere volebat, per Mariam loquebatur Christus, & Mariæ verba fuêre Christi; hinc illud sancti Hieronymi epist.7. quæ est ad Lætam: *Ioannes Baptista ad introitum Mariæ exultauit, & lusit, audiebat enim verba Domini per* OS VIRGINIS *personantis: & de vtero matris in occursum eius gestiebat erumpere.*

Præproperus Ioannis saltus expenditur. S.Bern.

Præproperum hunc Ioannis saltum ita expendebat sanctus Bernardus serm. in eius natiuit. *Verè,* inquit, *ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cœlestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui nec dum sentire poterat vel se ipsum.* 184.

Ab omni voluptate se Ioannes cohibuit, quia in alios erat sæuiturus. S.Max.

Ab omni voluptate se Ioannes cohibuit, quia in malos aliorum mores erat sæuiturus, quod expendens sanctus Maximus hom. 1. in die eius natiuitatis ait: *Conuersatus in deserto vestimentum habens de pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos suos, locustas edebat & mel syluestre, vt* INPRECATVRVS HOMINVM MALA, *nullam penitus haberet vel in veste, vel in epulis voluptatem.*

Ioannes visurus Christum ab aliorum conspectu se subduxit. S. Hieron. *Ioannis in deserto commorantis exemplum quanta virtutis.* Guarr.

Ioannes visurus Christum, ab aliorum conspectu se subduxit, *viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere*, ait de illo sanctus Hieronymus epist.4. Quantum vtilitatis Ioannis in deserto viuentis exemplum inuexerit, peritè explicat Guarricus Abbas serm.4. in eius natiuitate, hisce verbis: *Quid existis*, inquit, *videre in deserto? Vos hominem miramini commorantem in deserto, sed per istum pinguescent speciosa deserti, & florebit solitudo, cùm vbique noui cultores eremi de Ioannis succrescent exemplo. Tunc erit desertum, quasi deliciæ Paradisi, & solitudo quasi hortus Domini. Tunc gloria Libani dabitur ei decor Carmeli, & Saron.* Sed iam

iam videamus, qualem se in incestuosos gesserit Christi Præcursor, quàm ardenter se Herodi opposuerit, opposuerit Herodiadi, & quid ab illis passus.

185. Libere Regem arguit Ioannes, non auocatur à seuera reprehensione Regiâ maiestate, sed vrgebatur videns vnius Regis crimen noxium pluribus esse, & in exemplum ire, quæ spectantur in iis, qui aliis præsunt; liberè inclamat: *Non licet tibi habere eam*, Matth. 14. v. 4. Egregiè de hac Ioannis libertate sanctus Basilius Episcopus Seleuciæ orat. 14. *O dicendi libertas quæ Regiam iniuriam non metuit, linguam euibrabat, vt olim in vtero saltum edebat: tunc in partionem natura impellebat, & ante partionem partionis accusabat lentitudinem, & nunc adulterantem naturam accusat, vocémque iacit temperantiæ fulgorem coruscantem.*

Regem arguit Ioannes, nec Regia maiestate terretur.

S. Basil. Sel.

Sæuit in Ioannem mulier, petit caput Ioannis in disco deferri, nimirum in Ioanne, qui eam à Rege diuellere sanctè tentauerat, & incestas pollutasque nuptias abscondere, abscissum, diuulsum à busto corpus spectare quærit, vt interim, & in linguam sæuiat, quæ illum reprehenderat. Bellè, impiè huius mulieris mentem repræsentat idem sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 18. Vt Herodiadis matrem filiæ ita loquentem facit: *Ecquid Ioannis capite nobis optabilius? quidquam ne aliud eius iugulatione in hoc epulo nobis iucundius? disco caput apportetur: delitiemur oculis quando dentibus minime possumus: diuellis me à cubili regio? Ipse proprio diuellatur à capite: abstrahit me meis amoribus, quod mihi volupe est oppugnat, quem ira gladium acuerit recipiat: linguatela proiicit, concitetur vnà cum capite orationis instrumentum.*

Ioannis caput petijt mulier vt in linguam saniret cuius reprehensionē ægrè tulerat.

Idem.

Ioannis caput in argenteo disco in mensam allatum censuit sanctus Fulgentius serm. ad illa verba: *Audiuit Herodes*, ait enim: *Verè quia nescis quid agat impietas, cùm eum quem odis, plus honoras, quam damnas, vtique cum argenteo disco caput exhiberi iubet ad mensā, non est vt credis memoria crudelitatis, sed illius iā monstratur decus honoris; ita enim portabitur, & ad cælum, vt inde tibi infensum iudicem excitet Deum.*

Ioannis caput in argenteo disco.

S. Fulg.

186. Nolebat impudica mulier Ioannis linguâ perstringi, nolebat Baptistæ voce scelus eius argui; petiit per filiam dari sibi caput, vt linguam cohiberet; sed frustra fuit, totus mundus lingua factus est, vnus Ioannes sileat, totus orbis loquitur pro Ioanne. Scitè idem sanctus Pater orat. citatâ, vbi mulierem affatur: *Linguam vnam sustulisti, sed vice linguæ Ioannis, totus est mundus, ad te accusandum creatura plena vocis est*, hoc ex suâ insaniâ impudici consequuntur, vt omnium reprehensionem incurrant, qui vnius vitant.

Totus mūdus lingua factus, vt impudicæ mulieris impudicitiā arguat.

Idem.

Et altiùs clamat Ioannes linguâ, quo altiùs silet erranit mulier, quæ caput, quæ linguam poposcit, vt linguæ ictum defugeret; iure eam irridet sanctus Chrysostomus hom. 28. in epist. 2. ad Corinth. in hæc verba: *Quare non integrum cadauer, sed caput dumtaxat poscis? Linguam illam, inquit, silentem cernere gestio; quia me molestiâ affecit. At ô infelix, ac misera, contrarium omnino euenit: (quemadmodum etiam eueniet) dissecta enim clariùs postea clamabit.* Non desunt omni æuo Herodes, non desunt Herodiades, sic nec Ioannes deessent, qui liberè peccantes arguerent, & gloriæ triumphique loco haberent se ob castitatis tuitionem Deo litare?

Ioannis lingua eò altius in impudicā mulierem clamat, quo altius silet.

S. Chrys.

ADAGIVM CCXIV.

Descendit de Ierusalem in Iericho.

187. IN infelici itinere, aut lapsu locus huic prouerbio erit, quod sumptum ex parabolâ de Samaritano, qui de Ierusalem in Iericho descendens incidit in latrones, à quibus & spoliatus, & semimortuus relictus est. Primi hominis lapsum hac phrasi circumscribit sanctus Bernardus sermone primo de annunc. vbi ait: *Bestijs omnibus liberè imposuit nomina, & serpens ipse; qui violentiam non præsumpsit fraude, magis eum aggressus est. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fouebat; sed heu homo iste ad multam perniciem, & insipientiam sibi* DESCENDIT DE HIERVSALEM IN IERICHO, *siquidem incidit in latrones, à quibus, & ante omnia legitur, despoliatus.* In eandem sententiam vtitur idem sanctus Pater serm. 4. de resur. in hæc verba: *Vos autem filij hominum, filij hominis* QVI DESCENDIT DE HIERVSALEM IN IERICHO, *vsquequo graui corde*, id est, hominis omnibus miseriis affecti. Paulo aliter extulit idem sanctus Pater serm. in festo sancti Martini: *Pepercisti*, inquit, *creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ nominis tui, &* DESCENDISTI DE HIERVSALEM, *minimè tamen vsque* IN IERICHO *patereris abduci.* Sanctus Augustinus ad Adami lapsum porrexit hinc serm. 9. ex 60. nouis. *Illius, illius est*, inquit, *ista confessio, qui* DESCENDENS EX HIERVSALEM IN IERICHO *incidit in latrones, qui despoliatus primæ originis dignitate, mortisque telo prostratus humo sine auribus iacebat, & nudus*; & in Psalm. 88. huc respiciens idem sanctus Pater, & Hiericho nomen interpretans ait. *Hiericho luna interpretatur, & vbique quidam qui* DESCENDEBAT AB HIERVSALEM IN IERICHO *incidit in latrones; descendebat autem ab immortalitate ad mortalitatem.*

Hunc descensum ab Hierusalem ad mentis superbiam flectit Rupertus Abbas lib. 3. comment. in Genesim cap. 1. in hæc verba: *Non dixit solummodo, Homo quidam incidit in latrones, sed* DESCENDEBAT, *inquit*, AB HIERVSALEM IN IERICHO, *& tunc demum incidit in latrones, nisi enim descenderit, non incidisset, quia videlicet nisi mente superbiret, dati præcepti præuaricationem non incurrisset.* Addit, *descendebat, quia mente tumebat, tumere namque ascendere veraciter descendere est, quia videlicet vbi mens eleuatur, ipsa eleuatione deijcitur. Vnde Psalmista: Deiecisti, inquit, eos dum alleuarentur.*

Denique satius erit in Bethleem ire quàm in Iericho, si ab Hierusalem abeundum sit. Scitè Stephanus Tornacensis epistola 62. vbi hæc habet: *Laudanda in hoc viri deuotio qui cùm exijsset ab Hierusalem, non* DESCENDIT IN IERICHO, *sed in Bethleem maluit commorari, ibi tamen linguam, quam non nouerat, audiuit, nec diuerterunt ab honoribus dorsum eius. Occurrit ei nouitas ignota, & à prima contemplationis otio in securi, & falce deiecerunt eum, & qui nutritus fuerat, in croceis eloquiorum sacrorum, manus eius in cophino seruierunt.*

Ad prouerbij huius lucem, parabolæque quam 188.
Christus produxit Luc. 10. explicatum, sciendum est, solitos olim latrones aggredi viatores inter Hierusalem, & Iericho, prætereuntésque spoliare, vt tanquam rem omnibus notam parabolæ Christum inseruerit, quòd de homine qui in latrones inciderat, narrat; vt non solidè incedant, qui nudam hîc parabolam agnoscunt, historicum sensum omnino respuunt, vt plerique apud Lyranum ad hunc locum non debent hîc desiderari sancti Paschasij verba, qui lib. 3. in Matthæum ita scribit: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones, porrò latrones eum antiquitus obsedisse probat locus inibi, qui Domim adhuc hodie vocatur; Domim quippe sanguis* interpre

interpretatur, si quidem propter effusionem sanguinis quæ ibi fiebat. Vnde & Dominus secundùm consuetudinem latrocinantium ibi videtur illam contexuisse parabolam.

Addo latrones hos Arabas fuisse, quæ gens latrociniis dedita erat, & tunc temporis ea loca obsidebat; quod euincunt hæc sancti Hieronymi verba lib. 1. in Ieremiam ad illa verba cap. 3. *Expectans eum quasi latro in solitudine*, sic enim ille & ad morem hunc, & ad hanc parabolam respiciens ait, *siue quasi cornix deserta. Pro latrone, siue cornice in Hebræo scriptum est* עַרְבִי *quod potest & Arabas significare, quæ gens latrociniis dedita, vsque hodie incursat terminos Palæstinæ, & descendentibus de Hierusalem in Iericho obsidet vias. Cuius rei & Dominus in Euangelio recordatur.* hæc ille.

De situ Iericho hæc habet sanctus Basilius hom. in Lazicis habita: *Ille* (Dæmon) *hominem* A IERVSALEM IN HIERICHO *deduxit, ab altis ad caua. Hierusalem quidem in montana regione sita est; Hierichus verò infernè in salso mari. Si quis vestrûm vidit locum, nouit eorum quæ dicuntur veritatem. Quod Hierichus quidem occupat Palæstinæ cauitatem, Hierusalem autem in verticem incumbit, apicem montis occupans.* Hactenus ille.

ADAGIVM CCXV.

Cerbero terribilior.

189. IN hominem, qui sua improbitate, crudelitate, inhumanitate monstrum potius referat, quam hominem, iactari hoc prouerbium poterit; hoc ferè sensu illud extulit Petrus Blesensis epist. 14. *Post primum*, inquit, CERBERVM, *tibi superest alius horribilior* CERBERO, *Briario terribilior, crudelior Minotauro.*

ADAGIVM CCXVI.

Altera Babylonia.

SI ciuitas aliqua vitiis, superstitionibus scateat, erroribus referta sit, altera Babylonia dici prouerbialiter poterat. De Roma, antequam fidei lumine illustraretur, ait Beatus Rupertus lib. 6. in Genesim cap. 24. *Roma namque erat altera* BABYLONIA; pergit, & rem firmat, sancti Petri Apostolotum Coryphæi auctoritate: *vnde Petrus in epistola sua, Salutat vos, inquit, Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, Romam tropicè designans. Sciendum quippe quòd quando Babylonia illa à Medis, & Persis subuersa est, tunc Roma condita, vel nata est, & ab illa captiuitate vsque ad Christum penè vna, & iugis fuit seruitus Iudæorum.* Apostoli extat in epist. 1. cap. 5. v. 3. sed ibi non *collecta* legitur, *sed coelecta.* Babylon itaque dici poterit quælibet ciuitas, in qua idolorum, aut vitiorum confusio vigeat, & contra Dei seruos pugnetur; vnde & Tertull. lib. 3. contra Marcionem cap. 13. *Sic &* BABYLON, *ait, etiam apud Ioannem nostrum Romanæ vrbis figura est, proinde magnæ & Regno superbæ, & Sanctorum Dei debellatricis.* Sanctus Augustinus rem magis potrexit dum scribit in sentent. n. 221. *Duas in toto mundo ciuitates faciunt duo amores, Ierusalem facit amor Dei,* BABYLONEM *facit amor sæculi.* Babylonem nequitiæ officinã vocat Theophylactus in c. 2. Matthæi: *Duæ, inquit, sunt regiones omnis nequitiæ officinæ,* BABYLON *videlicet, & Ægyptus.* Sanctus Paulinus epist. 10. ad Seuerum: *Iam & ipsa vrbs in pluribus filia Sion est, quæ* FILIA BABYLONIS. Huc etiam illud facit, quod habet sanctus Hieronymus epist. 22. quæ est ad Eustochium; *Nihil*, inquit, *in te Babylonium, nihil confusionis adolescat*; & illud Petri Blesensis epist. 86. *Ierusalem pro* BABYLONE, *Terram promissionis pro Ægypto, pro exilio patriam, cœlum pro inferno, quietem, & pacem pro labore, & miseriis dereliquimus.* Solet ad quamcumque rei cuiuscumque significandam Babyloniæ nomen vsurpari; Babylonis quoque magnitudo in prouerbium abiisse visa est, certè ciuitas *maior, quàm Babylon*, prouerbialiter diceetur, quæ maxima est. nam Babylonis ciuitas summæ magnitudinis fuit; vtitur hoc prouerbio Libanius in necem Iul. Imp. vbi ait: *Si quis omnes locupletiores Mida declararet, & vnamquamque vrbem* MAIOREM *quam olim fuit* BABYLON.

ADAGIVM CCXVII.

Crudum laterem lauare.

PRophanis hoc prouerbium familiare est, & sacris, de iisque, qui semper impuri sunt, licet semper se abluant, solet vsurpari. Externorum scriptorum auctoritatem alij adduxerint, nos sacrorum adducemus, qui variè hac prouerbiali sententia vsi sunt. Sanctus Gaudentius tract. 9. ad Neoph. de Iudæis loquens hoc sensu extulit dum ait: *Semper* LAVANT, *semper impuri sunt, & (vt dici solet)* LATEREM *lauant Illum laterem, quem parauerunt in Ægypto, Pharaoni Diabolo exhibentes se ipsos, arma iniquitatis peccato ad constructionem hostilium ciuitatum.* Notum est laterem, dum abstergitur, magis conspurcari. Paulò aliter rem versat sanctus Paulinus epist. 12. ad Seuerum, vbi scribit in hunc modum; *Super eandem petram (nam petra Christus est, extra quam nemo potest domum stabilem fundare) non stipulam, aut fœnum, & paleas, sicut in Ægypto seruientes, in cophino manus congerant ne luteis ædificiis operum sordidorum* LATEREM *(vt aiunt)* LAVEMVS; *& incuruati oneribus laborum seruilium deuertamus dorsum nostrum à Domino.* Sanctus Ambrosius lib. 3. de Virginibus, hoc idem prouerbium ita versat: *Diuina meditantem somnus inueniat. Denique etiam ille Philosophiæ ipsius, qui nomen inuenit quotidie priusquam cubitum iret, tibicinem iubebat molliora canere, vt anxia curis sæcularibus corda mulceret. Sed ille sicut is, qui laterem lauat, sæcularia sæcularibus frustra cupiebat abolere, magis enim se oblinebat luto, qui remedium à voluptate quærebat, nos autem terrenorum vitiorum colluuione detersa ab omni inquinamento carnis mentium interna mundemus*; inter eos, qui casso hoc labore fatigantur, vt laterem lauent, illos recenset sanctus Bernardus, qui statim post pœnitentiæ lachrymas ad peccatum decurrunt, sic ille scribit serm. 27. ad sororem. *Qui plangit peccatum, & iterum facit peccatum, quasi si quis lauet laterem crudum, qui quanto amplius lauerit, tanto ampliùs faciet lutum*; polluit quodammodo lachrymas, qui post ipsas velocior ad scelus pergit. 190.

ADAGIVM CCXVIII.

Vnda Tantali tibi non deest.

191. Cum inter rerum copiam quempiam esurire significabimus, huic prouerbialiter dicemus Tantali vndam non deesse; hinc illud Petri Blesensis epist. 91. *Non deest tibi* VNDA TANTALI *dum inter diuitias esuris.* notissimum cuilibet obuiúmque quod de Tantali supplicio fabulantur Poëtæ.

ADAGIVM CCXIX.

Nescit sanus quid sentiat æger, nec plenus quid patiatur ieiunus.

Tritum vulgò prouerbium, cuius meminit sanctus Bernardus tractat. de gradibus humilit. initio, in hæc verba: *Bene conuenit illud vulgare prouerbium:* NESCIT SANVS QVID SENTIAT ÆGER, AVT PLENVS QVID PATIATVR IEIVNVS. Transfertur in eos, qui ab aduersitate aliqua, labore, aut cruciatu immunes illis non compatiuntur, qui, sub illis gemunt, torquentur illis, ac premuntur.

ADAGIVM CCXX.

Flammam oleo extinguere.

Inanem operam, cassúmque laborem, diuersum effectum, ac quis conetur, efficientem, hoc prouerbio significabimus; scitè in eos torquet sanctus Nilus, qui ventrem implentes pudicitiæ se cultores profitentur; hæc eius verba cap. de gula: *Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui flammam oleo extincturus profitetur.* oleo fouetur flamma, non extinguitur.

Qui malo, & ad malum ex se propensò materiam, & alimoniam adiicit, qua magis magísque excitetur ad malum, is igni oleum adiicere dicitur, vt si quis carnem delicatis ferculis nutriat, ad inhonesta, & impura inflammari se sentiet, ad illa satis sola carnis titillatione excitatus; in hunc sensum vsurpauit sanctus Hieronymus epist. 4. quæ est ad Rusticum de viuendi forma; ait enim: *Volo te, & propter causas, quas suprà exposui, non habitare cum matre, & præcipuè aut offerentem delicatos cibos, renuendo contristes, aut si acceperis,* OLEVM IGNI ADIICIAS.

Oleum flammæ adiicit, qui igneam adolescentiam vini flammis nutrit; hine illud eiusdem sancti Hieronymi epist. 22. quæ est ad Eustochium de custodia virginitatis: *Vinum*, inquit, *& adolescentia duplex est incendium voluptatis; quid* OLEVM FLAMMÆ ADIICIMVS? *quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?*

ADAGIVM CCXXI.

Vel ad vmbram contremiscens.

192. De vehementer pauido, & qui qualibet leui occasione timore concutiatur, habeátque omnia suspecta. In alieni thori maculatores, rem torquet sanctus Chrysostomus, cuius hæc sunt verba in Psal. 7. *Considera quomodo adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel* AD VMBRAM CONTREMISCENS, *ad nullum liberis respiciens oculis*; & in Psalm. 127. VMBRAS HABENS, *suspectans omniaque horrens, & pertimescens.*

ADAGIVM CCXXII.

Solem facibus iuuare.

De redundanti opera miniméque necessario labore, vt cùm aliquid alicui porrigitur quo refectissimus est, cùm solicitè quempiam quis laudare contendet, qui ex se laudatissimus est. huc facit illud Ennodij lib. 2. epist. 5. SOL FACIBVS NON IVVATVR; & epist. 22. *Superuacuus ad beneficia labor est impendiis, qui solem certat facibus adiuuare*; & lib. 9. epist. 3. *quasi* SOLEM FACIBVS ADIVVET. affine est, quod habet Symmachus lib. 1. epist. 48. *Superforanei laboris est commendare conspicuos, vt si in sole positis facem præferas, & accessu luminum claritudinem diei gestias adiuuare.*

ADAGIVM CCXXIII.

Sanguinem sudare.

Quod verè accidit Christo si transferatur ad alios, prouerbialem hyperbolem præfefer, vt sudare sanguinem dicatur, qui vehementi aliquo dolore, angoréque corripitur; hinc illud Theophylacti in catena Græca Lucæ cap. 22. quam Latio dedit doctissimus Corderius: *Prouerbium dicitur de vehementer dolentibus, aut concertantibus, quòd* SVDENT SANGVINEM.

ADAGIVM CCXXIV.

Tantalum temeritate superare.

Non ferenda temeritate insignis, quíque omnia audax aggredi præsumar, Tantali vestigia premens, prouerbialiter *Tantalum temeritate superare* dicetur. Photius in sua Bibliotheca ex Himmerio ita loquitur: TEMERITATE ILLE TANTALVM SVPERAT, quod in eos iaci poterit, quorum conatibus nihil inuium, nihil eius ausibus intactum. 193.

ADAGIVM CCXXV.

Cœlum capite tundere conatur.

In eos conuenit, qui se nimis efferunt, vt si quis rudis, & imperitus, ad ea pertingere conetur, quæ eius captum superant. Meminit huius prouerbij Synesius epist. 57. his verbis, *Tale quiddam est rude, ac disciplinæ expers ingenium; vbi potestatem adeptum est*, COELVM IPSVM, *quod dicitur*, CAPITE TVNDERE *conatur.*

ADAGIVM CCXXVI.

De luto limpidum quidpiam sperare posse haurire.

SI quætatur res vbi non est, vt si doctrina ah indocto postuletur, ab insipiente consilium, vtemur hoc prouerbio; ita consultus Beatus Bernardus à Brunone, vtrùm volentibus eum ad Episcopatum promouere adquiescere deberet, post suum sententiæ calculum adiicit de se humiliter sentiens epist. 8. *Hac interim à me ad id quod quæritis suspensiuè responsa sufficiunt, neque enim possum vnde certus non sum, certam proferre sententiam; sic contingere debet quærenti rem vbi non sit, sermo à Propheta, consilium à sapiente quærendum est; nunquid enim de* LVTO LIMPIOVM QVIOPIAM HAVRIRE *potestis?*

ADAGIVM CCXXVII.

Audacia Ixionem superare.

IN supra modum audacem prouerbiale hoc scomma iacietur. Photius in sua Bibl. ex Himmerio; AVOACIA *ille* SVPERAT IXIONEM.

ADAGIVM CCXXVIII.

Anchoram anchoræ alligare.

194. SI quis ponderi pondus adiiciat, quo submergatur, scelera sceleribus addat, quibus in profundum feratur, & cupiditates cupiditatibus, aut suis peccatis malus malorum consortio peior euadat; is prouerbiali quodam schemate, anchoram anchoræ dicetur alligare. Sanctus Ephrem hanc parœmiam ita versat de recta viuendi ratione num. 31. NOLI ANCHORAM ALLIGARE *anchoræ, ne si quid adhuc leue in te sit, reliquum facile à passionibus, cupiditatibúsque detraharis, nam qui extrahere cupit illum, qui in fossam incidit, virili animo apprehendere debet, ne eodem & in gurgite, ab illius anchora ipse quoque demergatur.*

ADAGIVM CCXXIX.

A calle recto mille digressus patent.

ITa est. multis quilibet modis à recto abire quis potest, & virtutis via discedere; itur ad tartara per varia scelera; ita loquitur sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua,

A CALLE RECTO *mille digressus patent,*
Qui pariter omnes tartarum ad nigrum ferunt.

ADAGIVM CCXXX.

Nimio complexu parum stringitur.

NOstris hæc parœmia familiaris, in eos iactari solita, qui cùm multa sequantur, nihil consequuntur. Petrus Delphinus lib. 12. epist. 77. NIMIO AMPLEXV, *vt est in adagio,* PARVM STRINCITVR.

ADAGIVM CCXXXI.

Concitos turbulenti maris fluctus clamoribus retundere.

QVi rem facto difficilem, aut etiam impos- 195.
sibilem aggreditur, *is maris fluctus clamoribus retundere* prouerbiali schemate dicetur. S. Cypriani ad Demetrianum hæc sunt verba, *Facilius esset, & leuius* TVRBVLENTI MARIS CONCITOS FLVCTVS CLAMORIBVS RETVNDERE, *quàm tuam rabiem tractatibus coercere;* ad similia, quæ maximè difficilia sint, extendi phrasis ista poterit.

ADAGIVM CCXXXII.

Vlulet abies, quia cecidit cedrus.

PRouerbij sensus est, interprete sancto Isidoro Pelusiota, fortibus, & melioribus cadentibus imbecilliores timeant, timeant minus boni. Dabo hic integra eius verba; sic autem ille scribit lib. 1. epist. 74. *Mirari te dixisti, qui fiat, vt Deus cùm motum terræ immittit, templis suis minimè parcat; fulmine,* scilicet ea ferens. Pergit, *At certam huius declarationem ex diuinis libris habes; nec verò mœrore atque animi anxietate consterneris ab ea, quæ nunc fieri vidisti. nam vt sancta arca minimè pepercit, verùm eam vna cum ipsis Sacerdotibus, qui deliquerant, barbaris dedidit, & vrbem sanctificationis & Cherubim gloriæ, & stolam, & prophetiam, & vnctionem, & Thumim in conculcationem & contaminationem gentibus addixit; ita ne nunc quidem ab omni labe puris mysteriis parcit, vt dum suis aulis minimè parcit, terrorem iis, qui peccant, iniiciat; atrociorem enim pœnam ob ea quæ agunt expectantibus.* VLVLET ENIM ABIES, QVIA CECIDIT CEORVS; *fortibus cadentibus imbecilliora erudiantur.*

ADAGIVM CCXXXIII.

Testudineo incedere gradu.

QVi lento, & grauitatem quandam præseferente incedit gradu, is gradu testudineo dicetur incedere; sic in quendam tabulam inuehens sanctus Hieronymus epist. 4. quæ est de viuendi forma, inter alia ait: TESTVOINEO GRVNNIVS INCEOEBAT *ad loquendum* GRAOV, *& per interualla quadam vix pauca verba carpebat;* & in Apologia aduersùs Ruffinum: *Tu qui in Latinis mussitas, &* TESTVDINEO GRAOV *moreris potius, quàm incedas.*

ADAGIVM CCXXXIV.

Anima, seu animæ dimidium.

CHarissimus quisque, & vnicè dilectus, anima eius, aut eius animæ dimidium dici amantium vsu solet. Sanctus Petrus Damianus

in vita sancti Romualdi cap. 27. de Bonifacio loquens ait: *Hic denique Regis fuerat consanguineus, & ita charus vt Rex illum non alio vocaret nomine, nisi* ANIMA MEA. Pathetica multorum phrasis, cùm singularem in aliquem affectum significare volunt.

ADAGIVM CCXXXV.

Quanto caput altius, tanto collum mollius.

Magnorum est humiliter se minimis demittere, & eorum, qui aut nobilitatis insigni, aut dignitatis prærogatiua super alios sunt, per humilem mansuetudinem se flectere deorsum, quod significare volentes hoc vtemor prouerbio; in hunc sensum produci vulgo solitum indicat probæ notæ auctor Thomas Cantipratanus lib.2. apum cap. 39. *In te verificauit illud vulgare prouerbium: Quanto caput altius, tanto collum mollius; mirè enim decet nobilitatis celsitudinem, humilitatis mansuetudine remolliri.* Absunt, qui quo erectiores, eo duriores superbioresque sunt, vt deorsum inclinari per humilitatem renuant, & dignitati maculam putent inuri, si se inflectant.

ADAGIVM CCXXXVI.

Thucidides, & Sallustius hic muti sint.

196. INgens aliquod excidium magnæque calamitatis magnitudo exprimi sic potest, si illi exprimendæ nec Thucididem, nec Sallustium pares esse dicamus, cùm hi historię principes sint habiti; ille apud Græcos, iste apud Latinos. Sanctus Hieronymus epist.3. quæ est de morte Nepotiani, sui temporis recensens calamitates ait: *Ecce tibi anno præterito ex vltimis Caucasi rupibus immissi in nos non Arabiæ, sed Septentrionis lupi tantas breui prouincias percurrerunt. Quot monasteria capta? quantæ fluuiorum aquæ humano cruore mutatæ sunt? obsessa Antiochia, & vrbes reliquæ, quas Halys Cydnus, Orontes Euphratesque præterfluunt; tracti greges captiuorum: Arabia Phœnice, Palæstina Ægyptus timore captiua,*

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum, *ferrea vox,*

Omnia pœnarum percurrere nomina possim; *neque enim historiam propositi scribere, sed nostras breuiter flere miserias, alioquin ad hæc meritò explicanda &* THVCIDIDES, *&* SALLVSTIVS MVTI SINT. *Felix Nepotianus, qui hæc non videt, felix, qui hæc non audit.*

ADAGIVM CCXXXVII.

Sanson fortitudine referre.

QVi maximis pollet viribus, insigni fortitudine præditus, is prouerbiali schemate Sansonem referre fortitudine dicetur, cuius vires quid potuerint, in libro Iudicum recensetur. Petrus Delphinus nobilis auctor lib. 2. epist.20. ita loquitur: *Sit vtinam futurus eiusmodi, qui* SANSON FORTITVDINE *nobis referat.*

Huic affine est istud, *Christianus Sampson*, quod de fortissimo viro, animique infracti, & nescij deiici, dici potest. Matthæus Bossus disp. 1. de salutaribus animi gaudiis, ita loquitur: *Cuius verba non voluptuosi, & eneruati hominis, sed animosi, & profectò Christiano* SANSONE *digna.*

Vera fortitudo sita est in vera humilitate; de Christo dixit regius Propheta Psal. 92. 1. *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*; quis nexus fortitudinis, & se præcingendi? Præcinxit se Christus linteo, cùm discipulorum suorum pedes lauit; quia igitur vera fortitudinis consignatio humilitas est, & præcinctum Dominum Dauid dixit, & fortitudine munitum. Acutè sanctus Augustinus in hunc Psalmum, *Lauit pedes eis ad exemplum humilitatis; videamus Dominum præcinctum fortitudine, quia in humilitate est tota fortitudo; si in humilitate est fortitudo, nolite timere superbos.* Imbecillis fortitudo est, quæ grauida superbia est.

ADAGIVM CCXXXVIII.

Quid tum postea?

FOrmula hæc vetus vitia, & scelera omnia contemnentium est. Egregiè rem versat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 17. *Scito*, inquit, *exiguum in specie vitium serpendo grandius fieri: dicere enim illud,* QVID TVM POSTEA? *vitia in vita fecit mortalium ingenerari.* Pergit, & rem exemplo firmat: *Plerique enim existimant nihil esse alienam pulchritudinem studiosè spectari, atqui fornicationes hinc familiarúmque etiam interitus enascuntur.*

EXCVRSVS XXVI.

Peccati nexus, & pœnæ.

Iniquitas *quid.*
Cruciatus, *&* peccati *nexus.*
Dei ira *ex peccatis nostris distillat.*
Sequitur *peccatum pœna.*
Cruciatus vt peccatum *sequatur.*
Nihil amarius *peccato.*
Peccantis pœna *peccatum.*
Solum peccatum flagelli *nomen videtur mereri.*
Culpæ cruciatus *quàm magnus.*
Peccati *nexus*, & gehennæ.
In cor hominis non ascendunt, quæ Deus peccatoribus supplicia *præparauit.*
Vsura *cur peccatum dicatur.*
Peccatorum supplicia *vt augeantur.*

NOn minima peccatoris infelicitas, & miseria est, quòd peccata patrat, nec cogitat, quæ sibi mala parturierit, quibus se bonis spoliauerit, quibus pœnis addixerit. Plenè explicari non possunt damna, quæ patrata scelera inuehunt, plenè sciri non possunt, aliqua tamen ex bonorum auctorum mente hîc subnectenda, quibus peccator ab illo, *quid tum postea?* temere effutiendo auocetur. 197.

Et voluersè adeò nexa peccata pœna est, vt aliquando nec nomine discriminentur, & iniquitatis *Iniquitas quid.*

Psal. 68. 28.

tatis vocabuli cruciatus iniquitati debitus intelligatur Psal. 68. v. 28. *Appone iniquitatem, super iniquitatem*, idest, cruciatum super iniquitatem, sic enim hæc verba interpretatur sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 91. *Perinde*, inquit, *ac si diceret, Appone* CRVCIATVM *super iniquitatem eorum*; qui nexus indicat cruciatum, ac pœnam iniquitatis comites esse.

Cruciatus & peccati nexus.
S. Isid. Pelus.

Dei ira ex peccatis nostris distillat.
Thren. 1.

Hinc Dei ira ex peccatis nostris distillari dicitur, non secus ac vinum ex vuis pressis in torculari; id quod acutè notauit Olympiodorus in Catena Græca ad illud Thren. 1. 15. *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Sion*; sic enim habet: *Omnia peccata Deus simul colligit, quibus calcatis fecit vinum, de quo Psal. 74. calix in manu Domini vini meri, id est, iræ, exanimata namque peccata, & quodammodo expressa diuinam* DISTILLANT IRAM, *qua potantur peccatorem.* Vis iram non diffluere? aufer peccata, & quibus piemitur.

Sequitur peccatum pœna.

Sequitur peccantem peccati pœna etiam dum hîc degit; maior sequutura cùm hinc abierit, peccatores enim, *nec hîc esse sine pœna possunt, quamuis nec dum dies venerit pœnæ, pœna inde cœpit, vnde cœpit & crimen*, ait sanctus Cyprianus de lapsis. Oleaster in cap. 59. Isaiæ ad illud; *oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt*; hunc pœnæ, & culpæ nexum sic explicabat: *Sequitur merces opus suum è vestigio, & sunt* PECCATA, QVÆ VICTORIBVS SVIS PRÆMIO RESPONDENT, *velut qui oua aspidum rupit quem basiliscus inde egressus mordet. Non putetis fratres, omnia quæ in peccatis latent, esse dulcia, quemadmodum prima fronte videntur. In ouo aliquando dulcedo occultatorum, nonnunquam putrede, & intolerabilis fœtor.*

S. Cypr.
Cruciatus vt peccatum sequatur.
Isa. 59.
Oleast.

198.
Nihil amarius peccato.
Hebr. 12.
Primas.

Ad peccati amaritudinem afferri potest, quod Primasius explicans illa Pauli verba Hebr. 12. *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat*, affert in hunc modum, Radicem amaritudinis vocat malam voluntatem; vnde procedit peccatum amaritudinis, & congruè peccatum amarum dixit esse, quia nihil est amarius illo; adeò amarum peccatum est, vt omnem dulcedinem inficiat, omnem tollat.

Peccati pœna peccatum.
Seneca.

Vt desit omnis alia pœna, peccatum ipsum pœna peccati est; peritè Seneca epist. 97. *Prima, & maxima peccantium est pœna, peccasse, nec vllum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est*; omnis alius cruciatus, pœna omnis alia desit, grande flagellum peccator sustinet, grandem pœnam dum peccatum suum portat, præ quo leuis omnis cruciatus est, aut etiam nullus, solum flagelli nomen peccata meretur, sine illo nec ipsa flagella, flagella sunt; multa in sua passione sustineat Christus flagella, in ipsius quippe corpus impiorum vires defecerunt, dum illud flagellis cæderent, & tamen Psal. 90. de illo dicitur, *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*; qui cùm appropinquauit, cùm perplutum flagellis fuerit illius corpus? Pilatum interrogemus, quî iussit ipsum flagellari, vt Iudæi mitescerent, & vel sic desinerent sæuire cùm flagellatum viderent; quî igitur non appropinquaturum flagellum Propheta dixit corporis illius tabernaculo? An flagellum non appropinquauit, quia peccatum ad eum non accessit, quod solum flagelli nomen meretur, alia sine illo flagella non sunt? ita est, & hunc sensum fulciont verba sancti Chrysostomi, quæ ille habet hom. 5. ex variis in Matthæum, & sunt ista: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quia corpori Dominico nullum diabolici flagelli peccatum potuit proximare*, atque adeò à flagello peccati immunis sine flagellis fuit, quia amota iniquitate flagella maxima minime sunt flagella. Maior cruciatus excogitari potest impietate: mitis omnis crudelitas præ illa est, qua cruciat scelus committentis mentem; pulchre ille, & verè, licèt ex externa schola, sic enim loquitur Mercurius Trismegistus cap. 10. dum quæritur ab eo filius, *Quonam pacto mulctatur anima humana, ô pater?* respondet statim, Græca exhibeo, vt dem ipsissima ipsius verba, *καὶ τίς ἐστι μείζων κόλασις ἀνθρωπίνης ψυχῆς ὦ τέκνον ἢ ἀσέβεια*, hoc est, *& quis est humana anima, ô fili, maior* CRVCIATVS IMPIETATE. Bene, & Christianè, vt arbitrari quis possit quempiam è Christi schola loquutum.

Solum peccatum flagelli nomen videtur mereri.
Psal. 90.

S. Chrys.

Culpa cruciatus quàm magnus.

Trismeg.

Peccati nexus, & gehenna.

Magnus iniquitatis nexus, & gehennæ, per illam itur ad istam. Pulchre Hebræi ad illud Genesis 6. *Et repleta est iniquitate*, in fonte pro iniquitate, est vox חמס *chamas*, quæ eundem numerum gignit ac גיהנם *gheinam*, gehenna, quia scilicet, ex illa decidatur in istam, vt iidem asserunt.

199.

Sacra Scriptura superæ gloriæ magnitudinem efferens, hac vtitur phrasi, in cor hominis non ascendere, quæ Deus se diligentibus præparauit, idem suo modo, & de malorum pœnis affirmari potest; præiuit Origenes, cuius hæc sunt verba hom. 18. in Ieremiam; sic enim ille loquitur: *Sicuti porrò de bonis iustorum in cor hominis non ascenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus eum, ita &* PECCATORIBVS PRÆPARAVIT, *ob fornicationem, ob adulterium, quæ* IN COR HOMINIS NON ASCENDERVNT: non tam facile hominis animam peccatum inficeret, si mente peccati pœnam, suppliciúmque homo cogitaret.

In cor hominis non ascendunt, quæ Deus peccatoribus supplicia præparauit.
Orig.

Vsura cur peccatum dicatur.

O fatui delirique mortales, qui breui voluptate æternis se flammis adiiciont, & vnius sceleris lapsu in tam multa támque magna supplicia, se coniiciunt, vt peccata vsuris etiam ab hac causa comparentur, quod diuiti fœnore supplicia parturiantur; huc vocari potest illud Prophetæ regij Psal. 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Vocauit prior sanctus Augustinus, qui in huius Psalmi commentario, rem ita ad nostram mentem versat: *Quæ sunt istæ* VSVRÆ NISI PECCATA, *quæ etiam debita nominantur; vsuras autem appellatas puto, quia plus malis inuenitur in suppliciis, quam commissum esse in peccatis. nam, verbi gratia, cum homicida tantum corpus hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit, ipsius & anima, & corpus perdit in gehenna.*

Psal. 71.
S. August.
Peccatorum supplicia, vt augeantur.

EXCVRSVS XXVII.

Peccatum omnia deuastat, & diruit; peccatorem obcæcat.

Peccati, *&* desolationis *nexus.*
אשם *quid*, vastationis, *&* peccati *cohærentia.*
A vitio improbus consumitur.
Peccatoris infirmitas.
Rationem *culpa inuadit.*
Peccantis cæcitas.
Quandónam oculos *peccator* aperiet.
Pœna peccatoris oculos aperiet.
Moriens *cum* peccatore *coincidit.*
Interitus de peccato.
Peccare, & perire, vt cohæreant.

200. *Peccati, & desolationis nexus.*

QVot mala peccatum in animam inuehat, quam possidet, explicari non potest, vt nec plene sciri; hoc si delinquentem non fugeret, fugeret ipse delinquere, nec fatuus diceret, Quid postea? Omnia bona deuastat peccatum, omnia diruit culpa, vbi mentem scelus subierit, quicquid intus boni erat, in nihil redigitur, & anima miseram patitur desolationem; hinc in sacris litteris magna peccati, & desolationis cognatio est, & per illud ad istam iri indicium esset; Isa. 24. ver. 6. *Peccabunt habitatores eius* (terræ.) Oleaster, *deliquerunt*, atque posse verti *desolauerunt*, sic enim ille scribit ad hunc locum: *libet pro* deliquerunt, *vertas* desolauerunt, *scilicet terram*, id est, causa fuerunt vt terra à Domino desolaretur; verius id de anima, quam peccatum inuadit, etiam Psal. 33. v. 23. quod L X X. habent, *& non delinquent omnes, qui sperant in eum*, Hebraicè est verbum אשם *asam*, quod non significat, reum esse, delinquere, peccare, quàm deuastari, desolari, vt ab harum notionum in vnum verbum coitione colligeremus, per peccatum peccantis mentem deuastari, bonis omnibus spoliari; & præcedenti versiculo, *& qui oderunt iustum, delinquent*; alij ex Hebræo, *& osores iusti vastabuntur*, vt idem videatur esse, & in idem resilire, delinquere, atque vastari.

Isa. 24. 6. Oleast.

אשם quid vastationis, & peccati cohærentia. Psal. 33. LXX.

A vitio improbus consumitur. S. Chrys.

Et non vires in peccatore absumit peccatum, vt nihil delinquente sit imbecillius, nihil magis infirmum? Succinit sanctus Chrysostomus in Psal. 9. dum inquit: *Improbo homine nihil est imbecillius, propriis armis capitur; quem dum ferrum à rubigine, & lana à tinea, ita etiam improbus à vitio*; Oleaster in cap. 1. Isaiæ ad illud, *erit fortitudo vestra, vt fauilla stuppæ*, v. 31. ait: I N F I R M O S *solet reddere* P E C C A T O R E S P E C C A T V M, *& fortes viros* S T V P P A M *facere, vt facillimè comburantur.*

Peccatoris infirmitas. Oleast.

201. *Rationem culpa inuadit. Exod. 33. S. Chrys.*

Inuadit culpa rationem, & quodammodo lumen aufert, ne videre peccator possit rationis lumine ferè destitutus, hoc colligit sanctus Chrysostomus ex illis verbis, quæ Hebræorum populus ad Aaronem dixit, Exod. 32. 1. *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Audis vt pugnantia loquatur, *fac*, inquit, *nobis Deos*, Deum quempiam esse, & fieri nónne repugnat? fieri Deus verus non potest, per quem omnia fiunt: at malitiæ hoc dandum, quæ eos obcæcat, quos corripit, id quod expendebat etiam sanctus Chrysostomus hom. 5. de pœnitentia, in hæc verba: *Fac nobis Deos; si Dij, quare dicis fac? quomodo enim Dij qui fiunt? sic* M A L I T I A O B C Æ C A N S S I B I I P S I R E P V G N A T, *& semetipsam extinguit. Vnus factus est vitulus, & clamat ingratus populus: Hi Dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti.*

202. *Peccatis cæcitas.*

Istuc idem sanctus Pater colligebat ex eius verbis, qui prior omnium peccauit omnium pater; Adam quippe post lapsum, studuit se à Dei oculis subducere, à Dei se facie occultare, Gen. 3. & vnde illi tanta cæcitas, ignorantia tanta, vt putaret se illius notitiam fugere posse, quem nihil fugit, latet nihil? Probè hoc sciebat Adam, tanta sapientia ornatus à Deo, sed vbi cecidit in has tenebras, est deuolutus; inserenda hic verba sancti Chrysostomi hom. 17. in Gen. ad hunc locum, ait enim, *Nihil peccato peius, ipsum enim, vt introierit, non solum confusione totos nos replet, sed etiam* I N S I P I E N T E S F A C I T *eos, qui antea intellectu, & sapientia multa præditi fuerant*; cæcum esse peccatorem censuit etiam Euthymius, qui in Psal. 6. hæc habet: *Est velut ebrius, ac obcæcatus, qui peccat.*

Gen. 3. S. Chrys.

Peccator ipse vbi abierit, statim ac corpoream vestem exuerit, oculos aperiet, maxima admiratione corripietur, quî fieri potuerit, qui in tot scelera sit lapsus; vix ipse sufficiet capere quomodo fœdare animam ad Dei similitudinem factam vitiis potuerit; quod notabat Eusebius Gallicanus serm. de obedientia, dum ait: *Quando homini iam extra corpus suum posito aperiri, ac reuelari cœperit, sæculi illius nouitas atque in vtramque partem mansuræ conditionis æternitas, tunc mirabitur ac stupebit, quomodo tantis malis, quomodo tantis flagitiis acquiescere potuerit homo ad imaginem Dei factus, ad cœlestem gloriam præparatus. Tarda iam tunc secum pœnitudine reputabit, quare cùm sic subditum atque captiuum tenuerint paruissimæ ac vilissimæ passiones, cui cœli regna, cui Angelorum consortia parabantur. Tunc sibi intra se vnusquisque cum gemitu, sed iam tardè loquetur: Vbi estis concupiscentiæ? Vbi estis illecebræ? ad hoc mihi momentaneas, ac fugitiuas ingessistis delectationes, vt æternas postmodum inferretis angustias?* qui sapit, hæc sibi occinet antequam abeat.

Quando oculos peccator aperiet. Euseb.

Cæcus hic peccator sit, nec præcipitium videat, ad quod suis sceleribus fertur, erit eum iuste punientis Dei manus in eum sæuientis, & Iudicis supremi pœna oculos aperiet, quos clauserit in culpa; iure hîc cum sancto Gregorio inclamare licet, qui lib. 25. moral. cap. 1. ita loquitur: *Veniet profectò, veniet æterna percussio, & hinc cognoscet à Deo cuncta conspici, quoniam se improuiso exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in pœna sua oculos aperiet, quos diu tenuit clausos in culpa.*

Pœna peccatoris oculos aperuit. S. Greg.

Denique vitam aufert peccatum, dum animam subit, mortem infert; hinc in sacris litteris peccator moriens dicitur, & peccatum mors. Ezech. 18. *Nolo mortē peccatoris, dicit Dominus.* Sanctus Cyprianus de lapsis ad fidem, legit: *Nolo mortē morientis, dicit Dominus*, vt idem sit peccator, ac moriens. 203.

Moriens cum peccatore coincidit. Ezech. 18. S. Cypr.

Interitus quoque cum peccato coincidit; Thren. 4. 20. *Christus Dominus captus est in* P E C C A T I S N O S T R I S; sanctus Ambrosius in Psal. 118. ver. 15. ita legit: *Christus Dominus comprehensus est in* I N T E R I T V N O S T R O; cohærent hæ lectiones, cùm peccata interitum peccatoribus pariant, ad interitum ducant peccatores. Scitè sanctus Nilus in institut. ad monach. *Quemadmodum torrens sibi ipse per præcepit aditum patefecit, sic & peccator sibi ipse per scelera mentem parat* I N T E R I T V M.

Interitus de peccato. Thren 4. 20. S. Amb.

S. Nilus.

Peccandi quoque verbum aliquando migrat in verbum pereundi, vt exitium ruinamque à peccato peccatori imminere innueretur, Oseæ 14. 1. quod vulgatus habet: P E R E A T *Samaria*, & L X X. *dispergatur Samaria*; Chaldæus vertit, *Peccati rea est Samaria*, vt consequens quoque sit perire atque disperdi, cùm aditum sceleribus operuerit.

Peccare, & perire, vt cohæreant. Oseæ 14. LXX.

E X C V R S V S X X V I I I.

Peccati fera ignis tinea.

Peccatum crudelis fera.
Impietatis fera.
Peccatum viperæ *comparatur.*
Colubrum, *&* serpentem *peccatum refert.*
Multiplex fera, *& bellua peccator.*
Peccatorem vt feram *mala venantur.*
Peccatum pyra *quadam est.*
Calcis incendio *simile incendium peccati.*
Peccati ignis *obuia quæque corripit.*
Peccatum cur tineæ *simile.*
Peccati hiems *cum* sabbati seueritate *non cohæret.*
Malitia *peccatoris expenditur.*

Blandiri

204. *Peccatũ crudelis fera.* S. Pet. Chrys.

BLandiri peccatum videatur, sæuit dum blanditur, & mordet dum mulcet, vt iure sæuienti feræ sit comparatum; complures huic censioni suum calculum adiecere. Sanctus Petrus Chrysologus serm. 111. ita nobis succinens, ait: *Peccatum ô* CRVDELIS FERA, *& non vno capite in hominum genus sæuire contenta; ô trucem feram trino ore tota humanæ stirpis germina tam pretiosa deuorantem, trino ore fratres, peccatum capit, mors deuorat, deglutit infernus.* Sanctus Chrysostomus hom. in Psalm. 39. *Melius est à* FERIS, *quàm à peccatis circumdatum comprehendi.* Impietatem feræ comparauit etiam Mercurius Trismegistus, cuius hæc sunt verba cap. 10. *Qualis virulenta fera, ita corpus inficit, vt ipsam anima* IMPIETAS; omnis feræ licèt sæuientis crudelitas mitis est, si impietati conferatur, quæ in animam sæuit, in qua recipitur.

S. Chrysost. — *Impietatis fera.* Trismeg.

Peccatum vipera comparatur. S. Isid. Pelus.

Viperæ peccatum pariat sanctus Isidorus Pelusiota, quæ dum nascitur, mortem parenti infert; sic ille scribit lib. 3. epist. 61. *Quemadmodum vipera parentis more, sic etiam peccatá parentum suorum interitu obstetricantur.*

Colubrum, & serpentẽ peccatum refert. S. Chrysost.

Colubrum serpentémque, quî peccatum referat, explicat sanctus Chrysostomus tom. 5. serm. de pœnitentia, in hæc verba: *Peccatum conceptum* COLVBER *est, in præcordijs hominis parit mortem. Peccati conceptio serpens est, in præcordijs latent consummatum venenum spirat, & generat lethiferum morbum.*

205. *Multiplex fera, & bellua peccator.* B. Laur. Iust.

Fera peccatum est, sed parum istuc fera euadit peccator, & feris nequior, hominem exuere videtur, dum vitiis bruta refert; Beatus Laurentius Iustinianus lib... in Psalm. 72. *Suas imagines extruxerunt; alius ferocitate factus est* LEO; *alius* AVIS, *leuitate alius* SVS, *libidinis sorde; alius* ASINVS *torpore, & huiusmodi.* Istuc idem habet sanctus Chrysostomus hom. 16. in epist. 2. ad Corinth. *Vnde mihi exploratum esse queat, humanam animam tibi inesse, cùm, vt* ASINI *calcitres, vt* CAMELI *memor sis iniuriarum, vt* VRSI *mordeas, vt* LVPI *rapias, vt* VVLPES *fureris, vt* SERPENTES *vafer, ac fraudulentus sis, vt* CANIS *impudenter te geras? Vnde, inquam, te humana anima præditum esse intelligere queam.*

S. Chrys.

Peccatorẽ vt feram mala venantur. Psalm. 139. S. Aug.

Fera peccator est, expectet canes, à quibus discerpetur, pœnas timeat, mala malum venabuntur in interitum, Psalm. 139. *Virum iniustum mala capient in interitum.* signatè dictum est *capient*, vt solent in venatione feræ capi. Sanctus Augustinus ad hanc mentem legit; *Mala venabuntur in interitum*, qui capi à malis tanquam fera non vult, peccata non sectetur, nec scelerum in sui pectoris nemus admittat feras.

Peccatũ pyra quadam est. S. Chrys.

Ignis omnia deuastans peccatum est; de peccato loquens sanctus Chrysostomus hom. 10. de pœnitentia, ait: *Pyra quadam est, præueniamus malum, extinguamus incendium*; in pyram mortuorum cadauera olim coniiciebantur, hîc adhuc viuens peccator scelerum pyra comburitur, ab ipso Deo mortuus; videatur extimè integer, intus totus igne absumptus est; quod ita explicabat Oleaster in cap. 33. Isaiæ ad illa verba: *Erunt populi* quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igne comburentur, quæ ille ita vertit ex Hebræo: *Erunt populi incendia calcis, & spinæ excisæ igne comburentur*; addit statim: *Fortia nimis sunt incendia peccatorum, quæ comparantur incendio* CALCIS, *quod lapides ipsos ita comburit, vt licèt integri videantur, intus tamen dissoluti sunt, aut proximi dissolutioni.*

Calcis incendio simile incendium peccati. Isa. 33. Oleaster.

Cùm igne domus vicini ardet, periculum & vicinæ additur; hinc illud,

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet;

Peccati ignis obuia quæque corripit. S. Chrys.

Idem si quis asserat de peccatorum incendio, non aberrabit: vbi quis proximum hoc igne comburi viderit, statim & de se cogitet, consulat rebus suis, consulet animæ, ne simili flamma corripiatur; huc flecti potest quod de peccato loquens habet sanctus Chrysostomus hom. 10. de pœnitentia; vbi saniei in reliquas corporis partes serpentis comparat igniique obuia quæque corripientis, *Considerat, quod sanies quædam est peccatum, reliquum corporis depopulans. Veluti domo ardente, & qui nondum malo læduntur, his qui in malo sunt, molestia non minori premuntur, atque vniuersa conferunt, quo ne vrgens ignis ad proprias inualescat domos.*

Peccatum est tineæ simile. S. Greg.

Tineam in peccato latere vidit sanctus Gregorius lib. 5. moral. cap 28. *Quasi à* TINEA *consumuntur, quia sine sonitu culpæ morsum tolerant dum quanta detrimenta vitæ, & innocentiæ patiantur ignorant*; nihil intactum hæc tinea relinquit, omnia deuestat, & absumit.

Peccati hiems cum sabbati securitate non cohæret. Matth. 24.

Nemo ergo adeò insaniat, vt imprudens illud, Quid postea? cùm de peccato agitur, effundat; multum à securitate abest, qui securum se putat, cùm peccauerit, & nihil mali timet, cùm omnis mali causam peccatum animæ sinu exceperit; monebat Saluator ne fuga nostra fieret hieme, vel Sabbato, Matth. 24. quid hiems ad sabbatum, quid sabbatum ad hiemem? hiems peccati symbolum est, sabbatum quietis, & securitatis; ille igitur qui peccatorum frigore corripitur, sabbati securitate frui non debet, cùm scelus calamitates parturiat, discrimina minetur, quæ securam esse mentem non sinant, non pacatam, non quietam. Sanctus Athanasius huc spectans quæst. 83. ait: HIEMEM *peccata vocat, &* SABBATVM *securitatem; dicit ergo, Væ animæ in peccati securitate, vel socordia constitutæ*; væ menti criminum hiemem peccati quietem, securitatémque nectenti; nec præsentia mala exhorrescenti, nec futura timenti.

S. Athan.

Peccatoris malitia expenditur. S. Eus. lib. 11 cap. 8.

Finiam si hîc pij cuiusdam Doctoris sensum, verbaque subiiciam, quibus illius malitiam expendit, qui Dei maiestatem offendere non curetur, postquam Deus homo pro hominibus factus est, próque hominum vita mortuus; sic ille secum loquitur, & de se: *Maiorem nequitiam meam agnosco, etsi Dæmones propter innumera peccata damnati fuissent, & ego vnum solum haberem: nam Dæmones non peccarunt contra Deum, qui propter ipsos Angelus factus fuit: non experti erant tantam bonitatem Dei: non peccarunt contra Deum, qui pro ipsis crucifixus fuit: non peccarunt contra Deum, qui se ipsis dedit in cibum: non peccarunt contra Deum, qui tam sublime sacerdotium illis reliquit: non peccarunt contra Deum, qui exemplo suo eis dedit documenta bene viuendi, qui per triginta & tres annos continuis laboribus eos docuit. At ego peccaui (proh anima mea, quomodo non liquefis, cùm tale cogitas?) contra Deum, toties optimum mihi qui pro me mortuus est, qui mea peccata in cruce lacrimatus est cum clamore valido, & in horto guttis sanguinis luxerunt singuli artus eius singulas culpas. Ego indignior sum Lucifero, indignior Dæmonibus, indignior Iuda, qui nondum viderat Iesum pro se mortuum; indignior Antichristo, qui non toties experietur tantam misericordiam Dei, vt ego; meritò igitur dedignari possunt mei contubernium, neque infernus dignus me est, nec tantam iniquitatem meam capere volet.* O idem vnusquisque sentiret, sibi hæc eadem occurreret, qui peccauit, vt nequitiæ suæ magnitudine territus, à nequitia resiliret, sanctiorem mentem ebiberet, sanctior euaderet.

ADAGIVM CCXXXIX.

Cotyos sodalis.

208. HOmo effeminatus, & infami mollitie notatus, Κότυος θιασώτης, *Cotyos sodalis*, prouerbialiter dicetur; huc spectauit Synesius in Caluitio dum scribit: οὐδὲν ἄλλο παρέχεται γνώρισμα τοῦ θιασώτης ἱερῶν τῆς Κότυος, ἀλλ' εἰ μόνον ἐν τούτῳ φαίνοιτο περιεργὸς τὰς τρίχας πολύκομος, ὡς ἐναλείφειν τε αὐτὰς, καὶ διαπλέκειν κατὰ βοστρύχους, ἀθρόως ἅπαν πρόχειρον λέγειν, ὅτι ἄνθρωπος οὗτος τῶν Χίων θεῶν, καὶ τοῖς ἰθυφάλλοις ὀργιάζειν. hoc est; *nullo opus est alio documento vt qui* COTYOS COLLEGA *habeatur, quam si maximo studio comam excolat, adhibendo vnguenta, & in cincinnos eam frangendo: confestim enim cuiusuis in promptu est dicere, eiusmodi hominem operatum esse, & initiatum sacris Dea Chiorum, & Priapi.*

ADAGIVM CCXL.

Salsam aquam dulci admiscere.

ELegantior sensus euadet, qui trahetur longius; salsam aquam admiscere dulci, prouerbialiter dici poterit, qui bonum alioquin opus alio malo inficit, & vitiis tei laude dignæ dulcedinem amaram reddit alterius, à laude alienæ commixtione. hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. vbi de Valente loquens, qui sanctum Basilium ad filium, qui morbo correptus iacebat, aduocans simul, & hæreticos consilebat ait, *Postea Imperatoris filius ægrotabat remedium vndecumque morbo conquirens, atque optimos quosque medicos seligens, ac precibus, vt si alias vmquam, incumbens, humique prouolutus. nam Reges quoque humiles, & abiectos reddit calamitas; nec mirum cum Dauidem etiam prius ob filij morbum eodem morbo affectum fuisse Scriptura testatur. Cùm autem huic malo medicinam vllam inueniret, ad Basilij fidem confugit; & quoniam ob contumeliam recens ipsi illatam eum suo nomine accerseret, præ pudore non auderet aliis, quos artissima familiaritate, & beneuolentia deuinctos habebat, hanc legationem committit. Ille verò nihil cunctatus, nec quod fortasse alius fecisset, aduersus tempus infultans confestim affuit, atque ad eius aduentum statim lenior fit morbus, paterque meliorem spem animo concepit. Quod nisi* SALSAM AQVAM DVLCI ADMISCVISSET, *simul videlicet & ipsum aduocans, & hæreticis credens, sanum quoque, & incolumem filium fortasse recepisset, atque id pro certo, & indubitato habebant, qui tunc aderant calamitatis participes erant.*

ADAGIVM CCXLI.

Qui tragicè se habet, comicè festum diem agere ægrè potest.

209. QVi luctuosis calamitatibus premitur, vix potest & præstare, quæ lætitia refectum animum, menténque gaudi exilientem requirunt. hoc sensu efferebat sanctus Gregorius epist. 57. ad Procopium scribens; ait enim: *Sentio quod crimen mihi obiicias, etiamsi id reticeas, nuptias celebramus, forsan dixeris; idque autem tuaque olympiadis, ac Rex Episcoporum aderat, tu verò aberas, vir egregie, vel dedignatus, vel grauatus neutrum horum, ô admirande. Sed fieri non poterat, vt qui tragicè se haberet,* COMICE FESTVM *diem ageret.*

ADAGIVM CCXLII.

Humorem de pumice conaris exprimere.

CVm quis aliquid ab alio quærit, & in alio quo destituitur, vt si scientiam quis postulet ab imperito, ab imprudente consilium, tunc huic prouerbio locus erit; de se humiliter sentiens sanctus Paulinus epist. 1 ad Delphinum ita loquitur, *Alta huius sæculi noctè desiderans somnolentis, & pauperis amici egenum penum pulsas, qui flumina aquæ viuæ sitiens arentem venulam scalpis, & humorem de pumice conaris exprimere.* Affine huic prouerbio illud est quod solet circumferri in hanc formam, *Aquam a pumice postulare.*

ADAGIVM CCXLIII.

In exilio alium paradisum sibi facere.

IN exilio alium sibi paradisum construit, qui delicias quærit, voluptates sectatur, terrenis inhiat illecebris, quod quàm præposterum, vt indicat Beatus Laurentius Iustinianus cap. 2. de conscientia, dum ait: *In hoc exilio nequaquam eiecit Deus hominem de Paradiso, vt hîc alium* FACERET PARADISVM, *sed vt operaretur in sudore, donec reuerteretur in terram, de qua assumptus fuerat.* Pœnitentiæ operibus vacaudum nobis est, non luxui. 210.

ADAGIVM CCXLIV.

Proijci in os Leonis.

VSurpari prouerbij quadam facie poterit, quoties quis in euidens aliquod discrimen conicitur, aut committitur, cuius mitiras sit nulli parcere, sæuire in omnes. Sanctus Chrysostomus hom. 20. in acta Apostolorum: Ananiam timore correptum Saulo occurrere detrectantem sic loquentem adducit, *Timeo, ne me fortasse in Hierusalem ducat; quid me* PROIICIS IN OS LEONIS?

ADAGIVM CCXLV.

Qui bene stat, non moueatur.

APertus prouerbialis huius sententiæ sensus est, id significat, non esse aliquid in re aliqua mutandum cut rectè se habet, nec indiget mutationem non esse nouum vitæ statum cuiquam ineundum, cùm in eo quod arripuit, tes feliciter cadit, nec nouam exercendam artem, cùm illam, quam exercet, optimam artifex experitur, & opportunam. Petrus Delphinus lib. 9. epist. 60. *Qui bene, inquit, stat, non moueatur,* impudentiæ quippe certa consignatio est si quis ab illo se munere eximat, quod aptè vtilitérque exercet, ab illo statu abire, quod congruens illi est qui in illo est.

ADA

ADAGIVM CCXLVI.

Totum Nilum bibere.

211. PRouerbialis exaggeratio, de supra modum bibaci, eóque cuius sitis extingui largiori potu non possit; sanctus Ioannes Climacus grad. 14. *Neque illud te lateat, quòd plerumque Dæmon stomacho insidet nostro, facitque vt homo nunquam satietur, etiamsi vniuersam comederit Ægyptum, totúmque Nilum biberit.* Poterit & alia porrigi, quæ factu difficilia, aut prorsus impossibilia sint.

ADAGIVM CCXLVII.

Angelus faciliùs caderet.

PRouerbialis hyperbole, qua alicuius viri in bono firmitas explicatur, ita loquitur sanctus Theodorus Studita Catech. 9. ANGELVM, *quis opinor*, FACILIVS CASVRVM, *quàm fratrem eum duxisset.* Monachum quempiam nomine Euprepianum significat, miræ sanctitatis; de quo tamen subdit, *& tamen cecidit*, ne vllus sibi fidat, nullus credat sibi, & anteactæ vitæ fiducia, in pœnitenda eo faciliùs cadat, quo purior, sanctiórque priùs fuerat, antequam laberetur.

ADAGIVM CCXLVIII.

Vsque ad cubitos.

QVi non leuiter malo aliquo correptus, culpa aliqua affectus, aut rei alterius contactu temeratus, sed profundè in ea immersus est, prouerbiali hyperbole infixus in ea vsque ad cubitos esse; sanctus Bernardus serm. de quadr. deb. *Venio ad carcerem tuum, ad limum tuum,* CONFIXVS, *vt dicitur*, VSQVE AD CVBITOS, *in limo profundi*; verba illa, vt dicitur, indicant, iactari id vulgo colere, quod nostris quoque familiare est, quadrat in omnes, qui in re aliqua sese immergunt, vt vix se ab ea queant expedire.

ADAGIVM CCXLIX.

Physcone impurior.

212. INfame Physconis nomen, magis luxu notum, & libidine, quam regia maiestate, quam fœda voluptatum nota infecit, & maculauit, hæc Tertulliani verba sunt lib. de pallio cap. 4. *Nec magna fortè constantia mandatum sit* IMPVRIOREM PHYSCONE, *Cæsarem designare, & quidem sub Nerone.*

ADAGIVM CCL.

Sapiens alius ab alio.

SCitum ac verum est, priores posterioribus multa reliquisse, quibus eruditentur vt priscorum labores, ac lucubrationes insequentium lux, & pharus euaseriot, quibus doctrinæ luce profunderentur; in quem censum præfixum prouerbium adhiberi poterit quod habet sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum in hæc verba: *Atque illud in præsentiarum dixisse operæpretium existimarim, quod verè a quibusdam celebratur prouerbium,* SAPIENS ALIVS AB ALIO. *Manifestum autem, quod posteriores à prioribus didicerint, & non priores à posterioribus.*

ADAGIVM CCLI.

Suum Dagon erigere.

DAgon vnicuique, vitium illud dici prouerbialiter poterit, cui additus est, & illud, quod contra Dei legem suámque salutem quis molitur, & erigit. Petrus Blesensis epist. 0. ita loquitur: *Scio quid Dominus tuus affectet in hac erectione sui Dagon, in hac instructione tyrannica.* Dagon idolum Philistinorum erat, vt habetur 1. Reg. 5. 2. *cuilibet suus Dagon* erit, affectio illa, quam colit, qua obsidetur. Auaro Dagon auaritia erit, luxurioso luxuria, & honor ambitioso, sic de reliquis.

ADAGIVM CCLII.

Linguam tingere in sanguine cordis.

PRouerbialem saliuam locutio ista sapit, vsurpanda cùm quis ore fundit, quæ charitas ipsa ex cordis penetralibus expromit, intimúmque affectum redolent quæ extrinsecus proferuntur; hinc illud sancti Bernardi opusculo de charitate cap. 1. *Illum,* inquit, *inquam, audire vellem, qui* CALAMVM LINGVÆ INGERET IN SANGVINE CORDIS, *quia tunc vera, & veneranda doctrina est, cum qua lingua loquitur, conscientia dictat, charitas suggerit.* 213.

ADAGIVM CCLIII.

Auro ad Danaen penetrare.

AVreo imbre, in Danae sinum se Iouem demisisse, idcirco fabulati sunt veteres, quod auro Virginis pudicitiam expugnauerit; auro itaque ad Danaen prouerbiali figura dicetur penetrare, qui auri vi aliquid consequitur, ad quod aditum iostitia, sedulaque custodia denegabat; hinc sanctus Hieronymus de epistola loquens ex scriniis à quodam pecunia corrupto surrepta, ita scribit epistola 101. *Volo in chartulis meis quælibet ineptias scribere, commentari de scripturis, remordere lædentes, dirigere stomachum, in locis me exercere communibus, & quasi limatus ad expugnandum sagittas reponere; quandiu non profero cogitata, maledicta, non crimina sunt? imò ne maledicta quidem, qua aures publica nesciant, tu corrumpas serulos, solicites clientes, & vt in fabulis legimus,* AVRO AD DANAEN PENETRES, *dissimulatóque quod feceris, me falsarium voces: cùm multo peius crimen accusando, in te confitearis, quàm in me arguis.* De auri opúmque vi, ac fortitudine alibi fusè agemus.

ADAGIVM CCLIV.

Ex Dæmone angelus factus.

QVi à perdidissima vita ad sanctissimam transitum facit, éxque impuritatis omnis domicilio 214.

lio innocentiæ, & puritatis cultor fit, *is ex Dæmone Angelus factus* dici poterit; huc spectant sancti Chrysostomi verba hom. 1. de laudibus Pauli, vbi hunc Apostolum euehens ait: *Paulus terram simul, atque mare, Græciam simul, atque Barbariam, omnémque prorsus quanta est sub sole regionem quasi volitans circuiuit. Non simplici labore velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter euellens, membraque pietatis vbique seminans, errores fugans, veritatem reducens*, EX HOMINIBVS ANGELOS FACIENS; *quinimo ipsos homines quasi ex Dæmonibus Angelos prouehens.*

ADAGIVM CCLV.

Nostrorum temporum Martinus.

INsignis sanctitatis laude vir insignis, ingentium miraculorum editor, alter dici poterit Martinus; hoc ferè sensu loquebatur Berengarius in epistola ad Episcopum Mimatensem, vbi de Beato Bernardo ait, *meo iudicio* NOSTRORVM TEMPORVM EST MARTINVS; hac eadem formula euehi quilibet alius poterit, cuius virtus, sanctitásque hominum admirationem vertat in stuporem.

ADAGIVM CCLVI.

Secula Noëtica arca digna.

215. TEmpora, & sæcula, in quibus libido, luxus, cæteraque vitia regnent, vt eorum fœditas diluuio abstergenda, hoc prouerbio traducentur, vt arcam Noëticam videre putentur digna; hinc illud ex nostris,

Tempora væ, væ sæcula, væ væ ferrea sæcla.
Sæcula Noæam digna videre RATEM.

Nollem perditis nostri sæculi moribus hoc eloquium conuenire.

ADAGIVM CCLVII.

Quale semen, talis est & messis.

VArius potest esse prouerbij huius vsus; commodus erit si adhibeatur, vt probetur talis fructus operum futuros, qualia operum semina terræ committentur. Sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de vita sua,

——— Commodum, inquit, *vt mihi redderem,*
Senium senectam languidam ipsorum fouens;
Nam quale SEMEN, *tale est* MESSIS *quoque.*

ADAGIVM CCLVIII.

Sinonia verba loqui.

QVi verba dum mittit mendacia vomit, dolos sermonibus miscet, miscet sermones dolis, is prouerbiali quadam saliua *Sinonia verba loqui* dicetur, nam nectendis dolis, artibúsque insignis finem Sioon extitit; ex nostris quidam ita loquitur:

Nam cùm mentitur, loquitur Sinonia VERBA,
Mille vocans testes in sua dicta Ioues.
Nil fallit, nil veri isto speramus ab ore,
Fallit cùm veri vel duo verba refert.

ADAGIVM CCLIX.

Lupus ad ouem captiuus ducitur.

PRouerbij saliuam dictum istue habere po- 216.
test, vsurpandum cùm sæuus quispiam, & crudelis crudelitate posita, posita sæuitiæ ad mitem, ac mansuetum ducitur, & subiici iubetur ei, in quem debacchabatur, vt accidit cùm Saulus minas, & cædes spirans sternitur, ductúsque est ad Ananiam, tanquam ad ouem lupus; sic enim de hac re loquitur sanctus Augustinus serm. 14. de Sanctis, *Ecce lupus rapax adducitur, ad sequendam, non rapiendam ouem: Ananias enim ouis interpretatur, mira, & magna res geritur. Lupo sæuitia interdicitur*, LVPVS AD OVEM CAPTIVVS DVCITVR; *tanta autem præcesserat fama lupi raptoris, vt eius nomine audito timeret ouis, etiam sub manu pastoris; sed ab agno pro ouibus mortuo fit ouis secura de lupo.* Poterit & ad alios quoque porrigi absque vllo prouerbialis saporis damno.

ADAGIVM CCLX.

Centum viri nec vnum pauperem spoliarent.

IActatum vulgò prouerbium, quo paupertatis securitas commendatur, nec illos rideat, quos omnes timent. Sanctus Chrysostomus hom. 84. in Matthæum ita loquitur: *Vis metui esse, & terrori? abyce quibus ne carpere possint, qui huic rei operam dant: non audis quod trito prouerbio dicitur*, CENTVM SIMVL VIROS VNVM PAVPEREM ATQVE NVDVM SPOLIARE NON POSSE?

ADAGIVM CCLXI.

Leguminum mixturam facere.

QVadrat in eos, qui omnia permiscent; pro- 217.
uerbium autem fuisse indicat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 191. his verbis: *Qui res omnes permiscent, &* LEGVMINVM, *vt dici solet*, MIXTVRAM FACIVNT, *sanæ mentis mihi minimè videntur.* Addit, *nam si Deus est, fatum non est, si autem fatum, non dicam, quod cum eo pugnat, vertatur enim in eorum capita, qui vt hoc dicatur, procurant, hæc blasphemia.*

ADAGIVM CCLXII.

A Lare loquendi fiduciam non habet.

QVi scelus aliquod, aliquod crimen, idcirco non audent in aliis aut reprehendere, aut punire, qui & aut maiori, similique se domesticos suos obstrictos videat, ij prouerbiali figura, *à Lare loquendi fiduciam non habere*, dicentur; hoc sensu extulit sanctus Gregorins Nazianzenus epist. 18. dum ait: *Quónam modo eos qui aliud quoddam flagitium*

tium admittunt, obiurgare possint, ipsi A LARE LIBERTATEM LOQVENDI NON HABENTES? nimirum in alios sæuiturus, immunis ab eo crimine esse debet, quod in aliis carpit, & damnat. Sic *à Lare incipere*, apud prophanos est, à domesticis, ac familiaribus initium sumere, quod magistratibus, & alienæ vitæ censoribus aptant, quorum munus est, vt in primis suos, suorúmque vitam corrigant. ad quod pluta adnehit Paræmiographus, quem hæc sancti Gregorij formula à nobis explicata fugit.

Censor aliorum futurus sit priùs sui, & aliena iudicaturus videlicet, & sua. hinc illud sancti Hieronymi epist. 2. quæ est ad Nepotianum, *Non*, inquit, *in illos tantum, sed vt in nos ipsos seueri iudices fuimus, volentésque festucam de oculo alterius tollere, nostram primùm trabem eiecimus.*

Sanctus Columbanus in monasticis,

Cúmque alium causis propriam prior inspice vitam;
Quæ culpare soles, hæc tu ne feceris ipse.

Et Martinus Dumiensis lib. de moribus: *Nihil turpius, quàm qui obijcit alteri sibi ipsi obijciendum.* Arnobius aduersùs gentes lib. 2. *Cuius est pudoris, quinimo inuerecundia cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere: maledicti, & criminis loco dare ea, quæ in te possint reciprocata vicissitudine retorqueri?*

ADAGIVM CCLXIII.

Timotheus nostri temporis.

218. SI quispiam ad Episcopatus apicem, aut alterius dignitatis morum potius canitie, quàm ætatis, & virtutibus magis ornatos, quàm annis grauis euehatur, in hunc prouerbialiter istue iactari poterit; hoc sensu extulisse videtur sanctus Hieronymus epist. 1. quæ est de morte Nepotiani, vbi ait; *Vidimus, Timotheum nostri temporis, & canos in sapientia electúmque à Moyse presbyterum; quem ipse iuret esse presbyterum; igitur clericatum non honorem esse intelligens, sed onus primam curam habuit, vt humilitate speraret inuidiam, deinde, vt nullum obscœni in se rumoris fabulam daret, vt qui mordebantur, ad ætatem eius stuperent, ad continentiam*; quæ postrema verba firmant sensum, quem attulimus. Et Timotheum adolescentem adhuc factum Episcopum notum est, ex illis Apostoli verbis: *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; cupiebat Nepotianus à presbyteratus ordine, ac honore se eximere, & immaturam ætatem obiiciebat; *Querebatur*, inquit idem sanctus Hieronymus, *se ferre non posse, vt iuuenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur, sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium inuitabat, & merebatur, neganda, quod esse nolebat.*

Ad quemcunque singularis doctrinæ, modestiæ, ac probitatis præsulem porrigi res potest. Petrus Delphinus Camaldulensis lib. 5. epist. 7. *Ingemui te sanè intimo cordis affectu, immatura fuisse praeuentum morte tam preclaræ indolis iuuenem, tanta expectationis Episcopum, tam singularis modestiæ, atque doctrina* ALTERVM TIMOTHEVM. & lib. 6. epist. 65. paulo aliter extulit, *Retulisti mihi profectò* ALTERVM TIMOTHEVM; si plures nos Timotheos haberemus, vberiores in Dei Ecclesia fructus videremus.

ADAGIVM CCLXIV.

Chalana turris.

HOlem malè superbéque instructam iustè ruituram, & solo æquandam Chalanam turrim prouerbialiter dicemus; adagij vsus venustior erit, si longiùs porrigatur, aut ad hæreticorum fraudes & technas, aut vniuersè ad eos, qui magna moliuntur inanis gloriæ studio correpti, & laudes aucupandæ. de Hæreticorum libris loquens sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. ait, CHALANÆ TVRRIM *certo vt male constructam, ita rectè interruptam, atque deletam*, per turrim autem Chalanam Babylonicam intelligit, vt notauit etiam Scholiastes.

ADAGIVM CCLXV.

De Vr Chaldæorum exire.

219. QVi à malorum hominum consortio se eximit, & ea loca fugit, in quibus vetus numinis cultus ignoratur, vitiorum idola adorantur, is opportune dicetur de Vr Chaldæorum exire; ratum ab eo est, quod Deus Abrahæ dixit Gen. 15. 7. *Ego Dominus, qui eduxit te de Vr Chaldæorum*, quod porrigi ad alia potest. Petrus Blensensis epist. 25. ita loquitur: *Quia te affectuosius mè diligo, in visceribus Iesu Christi, propositu te, iuctaril ut monitis adhortari, vt de Vr Chaldæorum, vt de medio Babylonis tempestinus excas, & ministerium damnosissima villicationis mittas.*

ADAGIVM CCLXVI.

Mare.

PRitissimum est ad significandam aliquarum rerum copiam ac multitudinem, *maris* nomen adhibere; sic deliciarum mare, mare voluptatum, laborum, tribulationum, scelerum, diuitiarum, & aliarum rerum. Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 31. *curationum mare* dixit, de iis loquens, quibus Christus beneficentiam suam Iudæorum populo patefecit; & orat. 30. *mare impietatis* vocauit scelerum multitudinem quibus ante Christi aduentum terra obruebatur, sic enim alloquentem suos discipulos Christum facit: MARE *quoddam* IMPIETATIS *terra continet, eo mihi traiectis retibus prædam pietatis adhamate*; & orat. 35. sic publicanum loquentem adducit, *Video vitiorum meorum maria.*

ADAGIVM CCXLVII.

Statim de portu egrediens nauem impegit.

PRouerbialis figura, qua significatur in operis exordio, negotiíque initio aliquem periclitatum. Vtitur sanctus Hieronymus lib. 2. Apologiæ aduersùs Ruffinum, *Statim*, inquit, *de portu egrediens nauem impegit.* quo longiùs res trahetur, eo venustior adagialis formula euadet, vt si quis in libri alicuius, aut sermonis initio peccet, & labatur. huic prouerbio affine & illud est, quod habet

bet idem sanctus Pater epist. 101. ad Pammachium, vbi ait: *Egredientes de portu statim impegimus.*

ADAGIVM CCLXVIII.

Ex Arione mutatus in Orpheum.

220. QVi ex imperito, indocto, & incloquenti, peritus, & doctus, & eloquens repente fit, & a rudi rusticitate ad eam facundiam transit, quæ audientium admirationem vertat in stuporem, is prouerbiali quodam schemate, *ex Arione mutatus in Orpheum* dicetur. huc facit illud doctissimi Ruricij Lemouicensis Episcopi, qui lib. 1. epist. 3. ita de se humiliter sentit, *Qui non tam consuetudinis meæ immemor, quàm rusticitatis oblitus, quasi ex* ARIONE IN ORPHEVM *repentè mutatus velim disertissimis auribus tuis oregarrulo, non tam officiosus, quàm iniuriosus existere.*

ADAGIVM CCLXIX.

Sui seculi chimæra esse.

QVi nec Religiosus inter religiosos est, nec secularis inter seculares, sed monstruosa varietate laborat, varios mores induens, varios hominum status referens, *is sui seculi chimæra* dici poterit; quod de se humiliter loquens aiebat sanctus Bernardus, in plerosque verè torqueri potest; hæc verba epist. 249. *Clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quidem* CHIMARA MEI SECVLI *nec Clericum gero, nec laicum: nam Monachi iamdudum exui conuersationem, non habitum.*

ADAGIVM CCLXX.

Tanquam Megarenses, ædificant tanquam semper victuri, viuunt quasi altera die morituri.

221. HAc comparatione nimium aliquorum ædificandi studium arguetur, nimius traducetur in viuendo luxus. Meminit huius prouerbij sanctus Hieronymus epist. 11. quæ est ad Ageruchium de monogamia, his verbis. *Illud quod de Megarensibus dicitur, iure miserijs coaptari potest:* ÆDIFICANT QVASI SEMPER VICTVRI, VIVVNT QVASI ALTERA DIE MORITVRI. Eadem formula vtitur idem sanctus Pater epist. 13. ad Gaudentium, ait enim: *Viuimus quasi altera die* MORITVRI, *& ædificamus quasi semper in hoc seculo* VICTVRI. Venustior euadet prouerbialis hæc formula, si ædificium ad quodcumque opus porrigatur, in quo mundi, rerúmque mundanarum amatores magna industria laborant indefessóque studio; vt si quis diuitias terrenas cumulet, facultates facultatibus adiiciat, ac si nunquam hinc esset abiturus; quæ multorum cæcitas multorum amentia est.

A maiorum domorum, quàm exigat necessitas, structura, sic mortales auocabat sanctus Chrysostomus hom. 2. ad populum Antiochenum: *Calceare calceum pede maiorem, sed non tolerabis, te enim ad gressum impedit; sic & domus necessitate maior in cœlum transitum impedit; vis magnas, & splendidas domos ædificare? non prohibeo, sed non super terram, ædifica tabernacula in cœlis.* In cœlo nobis ædificia erigenda, ad cœlum erigendi, æternum in cœlo futuri.

ADAGIVM CCLXXI.

Ex arido ligno succum exprimere.

QVi vano conatu à re aliqua elicere illud laborat, quo illa destituta est, & exculpare ab illa tentat, à quo est aliena, *is ex arido ligno succum dicetur exprimere.* Sanctus Petrus Damianus epist. 114. ita loquutus est: *Quisquis in Monachica regula carnis se sperat blanditias inuenire, velut ex* ARIDO LIGNO SVCCVM CONETVR EXPRIMERE; quæ prouerbialis forma porrigi ad similia potest.

ADAGIVM CCLXXII.

Planctus sydera feriens.

PRouerbialis hyperbole de planctu supra modum magno. Auctor vitæ Beati Antonini Abbatis ita loquitur: PLANCTVS *mulierum, cum vagitu infantium* SYDERA FERIT, *& quod extremæ spei residuum fuerit, ad Ecclesias curritur, diuina clementia, & Sanctorum suffragia implorantur.* 222.

ADAGIVM CCLXXIII.

Familia Plautina.

PLauti personæ procaces in conuiuiis sunt, præsertim, quæ viles, vt coqui, serui, lenones, parasiti, meretrices, vt in Plauti fabulis videre est, hinc *Plautina familia* prouerbialiter dicentur hominum maledicorum, & calumniatorum congregatio; huc spectauit sanctus Hieronymus epist. 50. quæ est ad Pammachium, vbi ait; *Immensa sunt Plautina familia, & scioli tantùm ad detrahendum, qui in eo se doctos ostentare velint, si omnium dicta lacerent,* & epist. 51. obtrectatorem quendam, & aliorum probè dicta cauillantem, *Plautinæ familiæ columen* indigitat. *Scribis,* inquit, *ad Dominionem, nescio quem de triuio, de compitis, de plateis circumforaneum, rumigerulum, vafrum tantùm ad detrahendum, qui per trabem oculi sui festucam alterius nitatur eruere, concionari aduersùm me, & libros, quos contra Iouinianum scripsi, canino dente rodere, lacerare, conuellere, hunc Dialecticum vrbis vestræ,* PLAVTINÆ FAMILIÆ *columen non legisse quidem κατηγορίας Aristotelis.* Vereor vt fœcunda ista familia sit, & ad alios multos cognationem suam transmiserit.

ADAGIVM CCLXXIV.

In cœno fontem quærere.

DIcebit vsurpare, cùm ab eo aliquid quæritur, cuius ipse expers est, vt si ab imperito doctrinam, ab impio pietatem nesciat proba consilia, à pudicitiæ hoste monita pudicitiæ, & vniuersè ab improbo consultore, quique sibi consulere

nequeat

nequeat proba consilia. huc spectabat sanctus Ambrosius lib. 2. officiorum cap. 12. dum ait: *Aduertimus quòd in acquirendis consiliis plurimum adiungat vita probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, frugalitatis gratia. Quis enim in* COENO FONTEM REQVIRAT*? quis à turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?* His affinia sunt, quæ habet idem sanctus Pater lib. 3. officiorum cap... *Quis*, inquit, *in* COENO FONTEM QVÆRAT*? quis ex aqua turbida, & salsa potum quærat? quis vtilem aliena causa iudicet, quem videt inutilem esse sua?* Sanctum Ambrosium sequutus, & imitatus est Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio c. 1. his verbis, *Qui sibi consulere ignorat, quomodo alteri vtilis erit? quis enim prudentem eum causa aliena iudicabit, quem inutilem cernit vita? Quis autem* IN COENO FONTEM REQVIRIT*? quis de turbida aqua potum petit? Itaque vbi intemperantia, vbi dominandi libido, vbi morum inordinatio, vbi confusio vitiorum, quis sibi inde aliquid salubre hauriendum existimabit?*

ADAGIVM CCLXXV.

Juxta inferni portam dormire.

QVi eo in statu & viuit, & conquiescit, io quo æternæ damnationi, ooo morituris flammis sit proximus, is ad inferni portam dormire dicetur. huc euasit, qoi lethali crimine tenetur, salutis suæ oblitus, & alto sopori demeos indormit. Vmberti hæc sunt verba lib. 4. de erudit. Relig. part. 3. cap. 5. *Multum timidum est* OEDORMIRE AD PORTAM INFERNI; *quasi ad portam inferni est, qui est in peccato mortali, limen corporis diuidit inter ipsum, & infernum.* Mirum est, posse quempiam somnum corripere, quem antea scelus corripuerit, & dormite posse supera Dei gratia destitutum.

ADAGIVM CCLXXVI.

Verba non fuere verba, sed tonitrua.

223. QVoties significabimus aliquem tanta efficacia, ac virtute loqui, vt verbis cuilibet terrorem incutiat, & auditorem quodammodo prosternat, hanc formulam adhibebimus. Adhibuit sanctus Hieronymus epist. 50. quæ est ad Pammachium, vbi de Paulo ait: *Paulum Apostolum proferam, quem quotiescumque lego, videor mihi audire, non* VEREA, *sed* TONITRVA; & epist. 61. vbi electionis vas, tuba Euangelij, rugitus Leonis nostri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ Christianæ. Sic & in Euangêlio audientes quandam vocem de cœlo tonitruum, de cœlo fructum putabanr tonitrua, & Pauli verba fuere; hinc illud sancti Betnardi serm. 2. io verbis Apostoli, *Non est Regnum Dei esca; Solet*, inquit, *Apostolus Paulus in verbis esse breuis, in sententiis copiosus. Non ignorauit hoc ille tam eloquentiæ, quàm sapientiæ dotibus approbatus, qui singula Pauli* VERBA TONITRVA *indicabit*; eadem ferè mente Arnoldus Carnotensis Abbas tract. de operibus sex dictum: *Totum*, inquit, *corpus epistolarum tonitruum est, & singulæ ferè sententiæ sunt quasi fulmina carbones vastatoris spargentia, à quorum luce, vel flammis, caput hostis illius veterani fidei Christiana virtute exuitur.* Petrus Blesensis epist. 58. ita loquitur: *Nostra indignationis* LITTERAS, *imò* TONITRVVM *legi in quibus anima mea turbata est valde, & cor meum dereliquit me.* Hebræi quoque ita loquuntur. VOCEM TONITRVI *sui extollentem se, in orbe orationis vehementissimè audiui.*

ADAGIVM CCLXXVII.

Ignem lingua comprimere.

DE re factu difficili hoc sensu extulit Ennodius lib. 7. epist. 16. *Facilius est* IGNEM *in pyras animatum* LINGVA COMPRIMERE, *quàm silentium in optata seruare.*

ADAGIVM CCLXXVIII.

Lethæam aquam degustare.

IN eos torquebitur, qui sui rerúmque sua- 224.
rum obliuiscuntur; scitè sanctus Asterius hom. de diuite, & Lazaro, *Einsmodi*, inquit, *profectò mortalium anima, quasi* LETHÆA QVAOAM AQVA DEGVSTATA, *sui prorsus obliuiscitur, quæ & ipsa sit, & cui coniuncta, quóque hac copula aliquando soluetur, ac deinde rediuiuo corpore, rursus integrabitur.* Sanctus Hieronymus lib. 1. Apologiæ aduersùs Ruffinum ita loquitur: *Bibendum mihi erat de* LETHÆO GVRGITE, & vniuersè immemores, obliuiosíque hac sententia traducentur.

ADAGIVM CCLXXIX.

Vox coruina.

QVi conuersionem, aliúdque bonum opus in diem differunt, *cras*, *cras* ioclamant, coruinam vocem emittere dicentur. huc spectabat sanctus Augustinus in Psal. 101. qui à noxiâ hac dilatione oos auocans aiebat: *Obserua, ne longitudine misericordiæ Dei malè vtendo tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. nam hoc ait Apostolus, An diuitias benignitatis, & longanimitatis eius contemnis? ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Quòd tibi parcit, putas quia places ei? Hæc fecisti, inquit, & tacui: suspicatus es iniquitatem quòd ero tui similis. Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro rectè facta. Si punirem peccatores, non inuenirem confessores. Ergo te Deus longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit, tu autem quotidie dicis, Finitur hodiernus dies, & sic ero, & crastino die, non enim cras erit vltimus: & tertio die, & subitò venit ira eius. Fratres, nou tardetis conuerti ad Dominum: sunt enim qui præparant conuersionem, & differunt, & sit in illis* VOX CORVINA, *cras, cras. Coruus de arca missus, non est reuersus. Non quærit Deus dilationem in* VOCE CORVINA, *sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reuersa est. Quamdiu cras, cras? Obserua vltimum cras, quia ignoras quod sit vltimum cras. Sufficiat quòd vixisti vsque ad hodiernum peccator.*

ADAGIVM CCLXXX.

Æsopi canis.

ÆSopi canem prouerbiali specie refert, qui rei alicuius soliditate relicta, eius vmbræ adhæret, hac pœna punitus, vt vtráque destituatur; vt si quis veram felicitatem, voluptatémque quæ in animo sita est,

repudians, inani, & corporeæ inhiet, & vtraque iure careat, quia iniuria veram contempsit. Notissimus Æsopi apologus, canem exhibentis, qui carne, quam ore gestabat, relicta, vt carnis vmbram apprehenderet, & carnem, & carnis vmbram perdidit. Sanctus Epiphan. lib. 1. con. hæres. tom. 3. hær. 41. contra Cerdonianos prouerbium recenset, & ita versat: *Misera est hominum natura quum relicta Dei via errat, & vbi se ipsum à Dei vocatione separauit. Contigit enim his* CANIS *prouerbium, qui vmbra intentus non continuit quod habebat in ore, & in aquam inuens, & maiorem aqua vmbram esse putans, quam cibum quem in ore ferebat, aperto ore etiam eum quem habebat amisit. Sic & hi cum viam repererint, & vmbram assequi velint in suspicione ipsorum obortam, non solum cibum qui in ore ipsorum, vt ita dicam, erat, ex Deo donatum, amiserunt, sed etiam perniciem sibi ipsis attraxerunt.* Ad idem spectabat etiam sanctus Irenæus lib. 2. con. hær. cap. 12. *Sic,* inquit, *& veritati non credentes, in mendacio autem volutantes perdiderunt panem vitæ veræ, in vacuum, & in profundum vmbra incidentes, similes* ÆSOPI CANI, *ei qui panem quidem reliquit, in vmbram autem eius impetum fecit, & perdidit escam.*

ADAGIVM CCLXXXI.

Dum fugans canis mingit, fugiens lepus euadit.

Vadrat in cunctatores, qui in aliud tempus, quod statim perficiendum erat, & impedimenta non auferunt, præripique sibi operis alicuius implendi occasionem sinunt, moras non amolientes. Ad eos etiam porrigitur hoc prouerbium, qui spem fallentibus pollicitationibus indigentem decipiunt, & ad incitas redigunt; ex Chrysologo citat hæc verba Ioannes Dereyroles in cap. 1. Zachariæ v. 13. q. 1. *Timeo ne in nostra promissione illud vulgare prouerbium locum habeat,* DUM FVGANS CANIS MINGIT, FVGIENS LEPVS EVADIT; *dubitatur enim an sit beneficium, cuius dilatio cruciat expectantem.* Nondum in Chrysologo verba hęc reperi, prouerbij tamen faciem habere vel sola vulgi auctoritas probat, vsurparique vniuersè poterit, non in qualibet te moras omnes amoliendas esse monebimus.

ADAGIVM CCLXXXII.

Lucernæ lumen magnificas, & Solis claritatem non attendis.

225. Beatus Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio cap. 13. hominum insaniam damnat, qui ex creaturarum pulchritudine, & perfectione in Deum non ascendunt, sed in creaturis sistunt; præstat hic eius verba inserti. *Videmus,* inquit, *imagines picturam miræ arte compositam nil habentem deformitatis in coloribus, in vultu, & in cæteris membris, subitò laudamus artificis magisterium, verbis extollimus, ipsumque opificem alios artis suæ præcedentem, mentis affectu amplectimur, & tanquam venerationè dignum prædicamus, ex hoc hebetudinis humanæ tepor conuincitur. Nemo inuenitur, qui verbi magisterium considerare dignetur. Nonne omnia, quæ facta sunt, opus sunt verbi? nonne ipsius sapientiæ excellentiam prædicant? verbo Domini (ait Propheta) cæli firmati sunt, sed & in principio, videlicet, in verbo creauit Deus cœlum, & terram, quanta sunt, quæ per ipsum facta sunt? quàm pulchra, quàm bona, quàm delectabilia, quam iocunda? cui omnia hæc adscribenda sunt, opifici, an operi? O cæca mortalium mens, ô insania hominum detestanda! Bibis de riuulo, & viuum prætermittis fontem? Lucernæ lumen magnificas, & Solis claritatem non attendis? Micas mensæ comedis, & ipsum conuiuium pingue non degustas? si rectè saperes, si sanum in te esset cordis palatum, vtique per ea, quæ facta sunt, illorum intelligeres auctorem, intelligendo diligeres.*

ADAGIVM CCLXXXIII.

Fingere Magdalenam.

Magdalenæ nomen in prouerbium abiit, vt fingere Magdalenam sit sanctimoniam simulare, ac pœnitentiam; hos carpit Robertus de Hotbona lib. de Conscientia, vbi ait: *Tales homines cùm sint cum viris religiosis, dicunt, Orate pro me, & contrafaciunt Magdalenam, & quando sunt cum mundanis, faciunt sicut mundani.*

Magdalena luxui dedita venenis repleta erat, conuersa antidotum propinabat omnibus. Probè probus quidam Poëta,

Olim pessima MAGDALENA *lena,*
Et plena, & satura omnibus venenis,
Nunc est antidotum omnibus venenis.

ADAGIVM CCLXXXIV.

Planctus Rachelis.

De vehementi, & consolationis nescio fletu prouerbialiter hoc efferri poterit; extulit VValdramus ad Salomonem Episcopum dum ait:

Planctus Rachelis plebs mecum lugeat omnis,
Et velut ab Ioseph Israel ipse dolet.

ADAGIVM CCLXXXV.

Vnâ manu operati, aliâ dispergere.

De inutili, vano, stultóque labore; cùm ille, qui aliquid boni operatur, etiam destruit. 226.
Sancti Isaaci Syri hæc sunt verba lib. 1. de contemptu mundi cap. 1. *In hoc animam tuam assuescas, ne videaris vnâ quidem manu* OPERANS, *aliâque* DISPERGENS.

ADAGIVM CCLXXXVI.

Currentem monere.

Adagium istue, eiúsque sensum & vsum exhibet Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 7. his verbis: *Solet dicere,* currentem MONES, *qui rogatur vt faciat, quod facturus fuerat, etiam non rogatus.* Simile illud Tertulliani: CVRRENTES *igitur vos exhortor*; & illud Ennodij, *sed facessat* STIMVLARE CVRRENTEM; & Alcimus lib. 6. cap. 8.

Currentémque monet, cùm vix tamen ipse sequatur.

ADA

ADAGIVM CCLXXXVII.

Via deficiente viaticum augere.

NImia rerum solicitudo, & nimis solicita cura perstringi hoc prouerbio poterit; quadrabítque in senes auaritia correptos, qui morti propinquantes diuitiarum onus augent; hinc illud Martini Dumiensis Episcopi lib. de moribus: *Monstro similis est auaritia senilis; quid enim stultius, quod dici solet, quàm* VIA DEFICIENTE VIATICVM AVGERE.

ADAGIVM CCLXXXVIII.

Vitam agere leporis.

TImidus, & omnia suspecta habens prouerbialiter vitam agere leporis dicetur; hinc illud sancti Chrysostomi in Psal. 127. *Vitam* AGENS LEPORIS, *omniaque horrens, & pertimescens*, quæ peccatoris nota, & consignatio est.

ADAGIVM CCLXXXIX.

Vento fami consulere.

227. PEtire ille poterit, qui istuc tentat, non minuere famem. Cassum, ridiculúmque conatum prouerbialis hæc sententia significat, quæ coërceri ad illos opportunè poterit, qui mentem inanibus, ventosisque corporis delitiis student satiare, & rebus temporalibus animam fouere, ac nutrire. Perbellè rem versat sanctus Bernardus tract. de diligendo Deo: vbi animi cibum iustitiam esse asserit, non pecunias résque temporales, & corporeas, hæc eius verba, *Quoniam quidem, (vt Sapiens loquitur) & insipiens experitur, qui diligit pecuniam, non saturabitur pecunia, qui autem esuriunt, & sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur; iustitia siquidem ratione vtentis spiritus, cibus est vitalis, & naturalis; pecunia verò sic non replet, vel minùs animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus* VENTO *inflatis haurire buccis aerem cernas, quo* QVASI CONSVLAT FAMI, *nónne credas insanire? sic non minoris insania est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, quàm satiari. quid namque de corporibus ad spiritus?*

ADAGIVM CCXC.

Pythagorica taciturnitas.

DE summa, & diuturna dicetur, nam Pythagoras suis discipulis quinquennale silentium indicebat; huc faciunt Ennodij verba, qui lib. 7. epist. 20. ait: *Solue ergo Pythagoricam taciturnitatem.*

ADAGIVM CCXCI.

Quasi Icarus auolasti.

228. SI celerem, subitam, præcipitémque alicuius abitionem significabimus, locus huic prouerbiali sententiæ erit; qua vsus est Ennodius lib. 9. epist. 21. *Sic de ciuitate Mediolanensi, quasi* ICARVS AVOLASTI; de Scaro, qui alas, vt volaret, induit, notissima fabula est.

ADAGIVM CCXCII.

Sicut ouis occisus est.

PRouerbij sensum exhibet sanctus Chrysostomus in Psal. 48. ad illud, *sicut oues in inferno positi sunt.* addit quippe ad explicatum: *Ita etiam solemus dicere de iis, qui facilè pereunt.* HIC SICVT OVIS OCCISVS EST.

ADAGIVM CCXCIII.

Labyrinthus.

REs, à quibus difficilè quis se expedit, & explicat, labyrintho comparari notius est, quam vt confirmari operæ pretium sit. Prouerbiali forma ad curiæ curas & vincula flexit Petrus Blesensis epist. 150. vbi ita scribit; *Sanè periculosum est in curia mori, nec leuiter ascendes ad eminentiam perfectorum, qui se castrensibus alligauit vinculis, & curialem incidit labyrinthum.* Paulo aliter eandem vocem vsurpauit epistola 138. *Quæ*, inquit, *vtilitas, quòd caro à tribulatione malorum, & dolore respirat, si nobili animæ, pro qua Christus mortuus est, malorum notam solicitudinem* LABYRINIHVS *immittat?* Beatus quoque Thomas à Villanoua, vt mundi huius confusionem significaret, Babylonem eum vocat, & labyrinthum; hæc eius verba concione 1. de Iudic. *quia esset maxima quædam inordinatio in mundo, & mundus iste Babylon, &* LABYRINTHVS *quidam videretur.* Sanctus Petrus Damianns schenas labyrintheas argumentorum dixit, quas struunt, qui rationibus artificiosè contextis ab aliquo se onere subducant, aliquid probent; sic enim scribit epist. 15. *Hinc multiplices rei familiares curas abiiciunt, hinc herilis famulatus obsequia laboriosa prætendunt; quid plura dicam?* LABYRINTHEAS *argumentorum pœnas struunt, Proteum induunt, & in diuersa formarum monstra conuertunt, cuncta languorum genera simulant, vt quod potissimum metuunt, languorem ieiunij non incurrant.*

ADAGIVM CCXCIV.

Omni Scylla molestior.

SCylla prouerbio nomen fecit, res molestissima, miniméque iucunda, ac suauis, Scylla 229.
molestior adagialiter dici poterit. Probè de improbitate sanctus Isidorus lib. 5. epist. 105. *Improbitatem contra det effugere, quam cupidè nimis sectamini, forma ferina præditam,* OMNIQVE SCYLLA MOLESTIOREM, *& quæ mente captis nescio qua ratione possit esse suauis, & iucunda.*

ADAGIVM CCXCV.

Vel lac gallinarum alicui præbere.

TRitum vulgi sermone prouerbium vsurpari solitum cùm omnia affatim exhibentur,

nullique labori pareitur, in alterius gustum, & obsequium; hinc illud Synesij epist. 4. *Mulieres mulieribus, Libycæ vetricibus, vel* GALLINARVM LAC LIBENTER PRÆBVERINT; *præbent vtique quicquid cælo illo, terráque gignitur, caseum, farinam, liba hordeacea, veruecinas carnes, gallinas, oua gallinacea.*

ADAGIVM CCXCVI.

Vniuersam Ægyptum comedere.

PRouerbialis hyperbole de iis, qui inexplebili voracitate laborant, vt saniari vix possint, licet multa deuorent, & absumant. Vsus hac formula est sanctus Ioannes Climacus grad. 14. dum ait: *Neque illud te lateat quòd plerumque Dæmon stomacho insidet nostro, facitque vt homo nunquam satietur, etiamsi* VNIVERSAM COMEDERIT ÆGYPTVM.

ADAGIVM CCXCVII.

Nec iota vnum rescripsisti.

DE eo dicetur, qui nihil omnino chartis illeuit, nihil rescripsit; hinc illud sancti Petri Damiani lib. 2. epist. 11. *Tibi*, inquit, *sæpius scripsi, veruntamen vsque hodie ne vnum quidem* IOTA, *vt rescribere dignareris, extorsi.* Eumdem sensum eadem formula expressit sanctus Bernardus epistola 227. dum ait: *Nec multo antè rursum scripseram ad vos ex vrbe Roma, & nec tunc quidem vel* VNVM IOTA *recepi*. serm. 1. in Cant. ita effert. *Titulum prætermius? Non oportet ne vnum quidem* IOTA, *quando & minutias iubemur colligere fragmentorum ne pereant*, serm. 19. ita loquitur, *Id vna tam vigili, vt ne punctio quidem, aut iota vni, vt dicitur, horum omnium debitum subtrahere famulatum vllatenus liceat.*

ADAGIVM CCXCVIII.

Cum vmbra pugnare.

230. DIcetur in eum, qui frustrà laborat, inanem operam sumit; aut in eum, qui absentes, aut mortuos lacessit. Hinc illud sancti Chrysostomi hom. de consubstant. tom. 6. *Statueram equidem prolixam in illos orationem habere; sed ne dum minimè præsentes, nec audientes increpo, cum* VMBRA VIDEAR DEPVGNARE, *his sermonibus in illum aduentum reseruatis ad consuetum Scripturæ pratum, ac pelagus caritatem vestram deducere, Deo fauente, conabor.*

ADAGIVM CCXCIX.

Alter Aioth.

VIr fortis, nullísque laboti parcens, alter Aioth dici prouerbialiter poterit; huc spectat illud Blesensis epist. 121. *Gratiæ ergo vices* AIOTH, *fortissimi iudicis Israel ambidextri, qui erat tam in dextra, quàm in sinistra expeditus.*

ADAGIVM CCC.

Spartana breuitas.

DE insigni breuitate, hanc quippe Spartani summoperè affectarunt; huc respexit Ennodius lib. 6. epist. 31. *Etiamsi*, inquit, SPARTANA *adhibeatur breuitas.*

ADAGIVM CCCI.

Fodere argenteo sarculo.

DVplicem sensum hæc sententia, explicatúmque habere potest, primò vt significet nobiliori re ad ignobilius vti: dum secundò, vt significet pecuniis, & muneribus sternere sibi viam ad dignitates; hócque sibi volunt sancti Bernardi verba epist. 234. *Cum*, inquit, *non potuit per ostium, fodit argenteo (vt aiunt) sarculo, vnde impudenter instruit.* Porrigetur ad eos omnes, qui quod iuste assequi non valent, opibus, auro, & argento tentant.

ADAGIVM CCCII.

Hæreticorum diluuium.

QVi hæreses sepelit, confundit doctrinæ magnitudine hæreticos, eósque obruit, is iure hæreticorum diluuium dici poterit; hunc titulum indeptus sanctus Chrysostomus, sic enim eum effert sanctus Proclus orat. 21. quæ eius laudes continet; *Ioannes Scripturæ à Deo inspiratæ impollutæ Bibliotheca, diuinus Thesaurus intelligentiæ, vehemens* DILVVIVM HÆRETICORVM. hæc eadem formula leui brachio flecti ad alia potest.

ADAGIVM CCCIII.

Laqueum nectis, quo tenearis.

QVi dum furit, sæuitque in alios, aliísque malum parat, quod in eius caput casurum sit, is prouerbialiter dicetur laqueum parare, quo teneatur. Sancti Bernardi epist. 126. hæc sunt verba: *Videris, quod de impossibili calumniam struitis matri vestræ? imò vobis* LAQVEVM NECTITIS QVO TENEAMINI. 231.

ADAGIVM CCCIV.

Exiguos cumulos in montes altos significare, & culices in Elephantos.

QVi minima quæque grandia reddunt, & addunt exilibus magnitudinem, lenibus asperitatem, hi hoc prouerbio percelli poterunt. Beatus Thomas à Villanoua ad inanem timorem flectit, qui à vitæ asperitate Dei seruos auocat, aut retardat; hæc eius verba conc. 2. de visit. Beatæ Virginis: *Nulla autem vos instituti asperitas deterreat, ab incepto perseuerate, instanter, alacriter cœptis insistite: labor improbus omnia vincit. timorem hunc nocturnum à cordibus vestris repellite, hic enim degeneres animos redarguit, & festinat illucinantes oculos, vt non*

non videant veritatem : hic EXIGVOS CVMVLOS IN MONTES *altos, & culices paucos in grandes magnificat Elephantos.*

ADAGIVM CCCV.

Si quis fregerit nucem, intus inueniet quod iucundius est.

QVi quietem, voluptatémque requirit, laborem studiúmque non defugiat, amaræ ferè sunt, quæ extimæ virtutem ambiunt, intus dulcedo latet, intus iucunditas: is huius adagij sensus est, quod tamen S. Bernardus serm. 2. Dom. post Epiph. ad Christi opera, & facta flectit, quæ lotus inaniora sunt, quàm foris appareant. *Caro*, inquit, *non prodest quidquam, spiritus est, qui viuificat. Sed hæc sapientia, quam loquitur Paulus inter perfectos, non inter eos, quibus legimus, ab eodem dictum: Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Totus suauis est, totus salubris, & totus delectabilis, totus denique secundum sponsæ vocem desiderabilis; sicut autem in eo ostensum est, sic & in operibus eius reperies, nam & superficies ipsa tanquam à foris considerata decora est valde, & si quis fregerit* NVCEM INTVS, INVENIET QVOD IVCVNDIVS SIT, *& multo amplius delectabile*; aliò rem flectit Zacharias Episcopus Chrysopolitanus cap. 18. lib. 1. ex quatuor, quin paulo aliter extulit hæc eius verba: *Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spes delectat: dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui desiderat* NVCLEVM, NVCEM FRANCAT. *Similiter is pœnitentiam agat, qui vult adesse bono.*

ADAGIVM CCCVI.

Incedere per viam Roboam.

232. QVi senum consiliis contemptis, iuuenum adhæter, is prouerbiali figura *per viam Roboam ire* dicetur, iste quippe, vt habetur lib. 3. Regum cap. 12. adhibitis in consilium senibus, & iuuenibus, amplexus horum consilia est, illis abiectis, quæ illi dederunt. Petrus Blesensis hanc formulam ex hoc exemplo deduxit, aitque epistola decima, INCEDENS PER VIAM ROBOAM *consilium venerandæ antiquitatis abiecit.*

ADAGIVM CCCVII.

Alexandro sublimior.

NImiâ celsitudo in Alexandro magno maximè enituit, vt excelsi animi vir prouerbialiter Alexãdro sublimior dicatur, quod desumptum ex Tertulliano in Apologetico cap. 11. & recensuit inter formulas prouerbiales, qui eas collegit.

ADAGIVM CCCVIII.

Sine fundamento ædificare.

QVi rem diu non duraturam erigit, & ruinæ potius laborat, quàm ædificio, qui aliquid necessarium prætermittit dum manum operi admouet, is sine fundamento dicetur fabricare; scitè sanctus Bernardus lib. 2. de Consid. ad sui cognitionem flectit, quæ tanquam fundamentum cæteris est rebus submittenda; *Noueris*, inquit, *licèt omnia mysteria, noueris lata terræ, lata cæli profunda maris, si te nescieris, eris similis* ÆDIFICANTI SINE FVNDAMENTO, *ruinam, non structuram faciens, quidquid extruxeris extra, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est.*

ADAGIVM CCCIX.

Fuge serpentem cuius exploratam habes perniciem.

CVm illud fugiendum suadebimus, quod noxium aliquid fuerit expertus, hanc parœmialem sententiam adhibebimus; cuius meminit sanctus Ephrem Syrus ode in eos qui quotidie peccant, *Vbi*, inquit, *semel emerseris, noli denuo mergi, quotidie peccando.* F*vge scorpionem, cuius nonisti stimulum*; FVGE DILIGENTER SERPENTEM, *cuius* EXPLORATAM HABES PERNICIEM. 233.

ADAGIVM CCCX.

Aquam in sicco quærere.

EST ab eo aliquid requirere, quo destituitur. Sanctus Bernardus humiliter de se loquens ait epist. 87. *Quid amplius requiris? exhaustus est fons, & tu quæris* AQVAM IN SICCO?

ADAGIVM CCCXI.

Hamaxobio instabilior.

HOc titulo donatur à Tertulliano Marcion lib. 1. contra ipsum cap. 1. & in eos omnes quadrabit, qui versatilem animum circumferunt, stabilitatis omnis expertes, & constantiæ, vt in hoc solùm sint firmi, quòd facilè moueantur, & huc ferantur, & illuc.

ADAGIVM CCCXII.

Quis de vena ferri argenti fabricet claritatem.

VEtemur cùm ex malo prodire bona haud posse significabimus; nec ex infecta radice fructum non perfectum pullulare; hinc illud sancti Petri Damiani lib. 6. epist. 9. Q*vis*, inquit, DE VENA FERRI ARGENTI FABRICET CLARITATEM? *Sicut mala arbor nunquam bona germinat poma, ita de superba voluntate, quæ procul dubio mala est, nunquam mera, vel contaminata procedit humilitas.* Probè sanctus Gregorius Nazianzenus de Natali Domini: *κακῶν σπερμάτων πονηρὰ λήϊα*, *malorum seminum, malæ segetes.* 234.

ADAGIVM CCCXIII.

Spiritualem Iericho in se subuertere.

QVi mundo, mundanísque voluptatibus renuntiat, qui damnatis malis moribus probæ vitæ se dicat, perfectioni se faciat, dirutis vitiorum muris, mortificationis ariete, is prouerbiali

quodam schemate suam Iericho dicetur subuertere. Huc spectabat Petrus Blesensis epist. 82. vbi ait, *Renuntiasti mundo, & cupiditatibus eius, atque cum Iosue vestram in vobis spiritualem Iericho subuertistis; & cum Acham filio Charmi lapidibus obruitur, qui de anathemate Iericho rapuisse conuincitur.* Sumptum est ab historia, quæ sacræ litteræ de Iosue narrant, Iericho scilicet subuertisse. His affinia sunt, quæ idem auctor habet epist. 13. *Vereor*, inquit, *ne cum spiritu cœperis carne consumens. Renuntiasti sæculo, & pompis eius, & spiritualem in te Iericho subuertisti. Scis, quoniam adhuc durat imprecatio Iosue, maledictus, qui readificat Iericho. Non decet ad sæculum redire monastici ordinis professorem.* Eodem ferè spectauit epist. 134. vbi ita scribit: *Cum Samaritana reliquistis hydriam concupiscentiæ, & in vobis spiritualem vestram Iericho destruxistis. Scriptum est autem, Maledictus, qui readificat Iericho.*

ADAGIVM CCCXIV.

Vt graculus Æsopi non propriis pennis ornari.

Torquebitur in eos, qui aliena, vt sua venditant, & propriis ornamentis destituti alienos assumunt, aliorúmque laboribus, aut verbis se iactant. Tatianus orat. contra Græcos sic exultit: *Desinite vos alienis verbis iactare, & sicut* GRACVLVS ÆSOPI NON PROPRIIS PENNIS ORNARI. Sanctus Hieronymus epist. 27. ad Eustochium huc spectans ait; *Ne pures cornicem* ÆSOPI ALIENIS COLORIBVS ADORNARE; vtemur cùm alienas laudes alicui tribuendas non esse probabimus.

ADAGIVM CCCXV.

Mathathiam impiis se exhibere.

235. Congruet in eum, qui diuini honoris zelo tactus in peccatores inuehitur, & opponit se malè operantibus; hinc illud Petri Blesensis epist. 15. *Exhibete*, inquit, *Ioannem incestuosis*, MATHATHIAM APOSTATIS; & Nicolaus Notarius sancti Bernardi epistola 16. *Quis dabit mihi gladium Phinees*, ZELVM MATHATHIÆ, *furorem Petri; aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?*

ADAGIVM CCCXVI.

Dædalus noster.

De vario, industrio, ingenioso vsurpatur, eoque, qui multas artes calleat, peritissimus sit artifex; huiusmodi hominis industria locum prouerbio fecit. Apuleius 2. Florid. de Hippia. *Tot vtensilium peritia* DÆDALVM. De vario, & versipelle videtur accipere Sidonius Apollinaris lib. 3. epist. 13. dum ait: *Hoc fabricatu* DÆDALVS *noster amicitiarum culmen ædificat, qui sicut sodalibus velut Theseus inter secunda sociatur, sic ab iis postmodum, velut Petrus inter aduersa dilabitur.* Iustus Abbas in Monachorum ædificia superflua inuehens ait: *Superfluitates ædificiorum nostrorum quis non videat? qui videndo non stupeat? quantum ad artem ea* DÆDALVS *excogitasse videtur.*

ADAGIVM CCCXVII.

Foris lucet, intus lutum est.

Hypocritæ hæc nota, & consignatio, vt extimè lucem, & sanctitatem præferat, intus sordium cloaca sit. Sanctus Augustinus in Psal. 236.
95. *Quanta*, inquit, *minatur Deus parieti dealbato? quid est paries dealbatus nisi hypocrisis, id est simulatio; foris* LVCET, INTVS LVTVM EST; quod vniuerse ad eos porrigetur, qui aliud foris videntur, & aliud intus sunt.

ADAGIVM CCCXVIII.

Aliquid expectare, vt Iudæi Messiam.

De re vsurpabitur summis votis exoptata, cuius dilatio maius admoueat desiderium quod inane semper sit futurum, nunquam explendum; semper Iudæi Messiam expectant, qui cùm re ipsa venerit, frustra venturus expectatur; vulgò iactatum prouerbium est, quo vtitur etiam Petrus Blesensis epist. 51. dum ait; *Adhuc etiam promissam expecto gratiam, fortasse* SICVT IVDÆA MESSIAM; & epist. 34. *adhuc benignioris euentus notæ concipio, & fortasse venturum* MESSIAM CVM IVDÆIS EXPECTO; de irrita, & cassa expectatione dicetur.

ADAGIVM CCCXIX.

Quasi vnus de Seraphim.

Vbi quempiam diuino amore æstuantem laudabimus, eum quasi vnum de Seraphim esse prouerbialiter dicemos. Dixit sanctum Romualdum sanctus Petrus Damianus, sic quippe in illius vita cap. 35. ille scribit: *Erat enim vir beatissimus, quasi* VNVS DE SERAPHIM, *quia & ipse flamma diuini amoris incomparabiliter æstuabat, & alios quocumque pergeret, sanctæ prædicationis facibus incendebat. Sæpe namque dum prædicationis verba proferret, tam a illum compunctio in lachrymas excitabant, vt subitò interruptum sermonem relinquens aliquorsum repentino impetu velut amens aufugeret.*

ADAGIVM CCCXX.

Redire in Ægyptum.

Si quis semel sæculo cum laude contempto, 237.
sæculique neglectis bonis, retro respiciat, amétque quæ spreuerat, prouerbialiter in Ægyptum redire dicetur; quod demptum à Iudaici populi amentia, qui ab Ægypto supera virtute liberatus Ægyptum rursus cogitabit. Huc spectabat sanctus Bernardus serm. 1. de septem panibus: *Vereor*, inquit, *ne quis fortè in triduana expectatione pusillanimis inueniatur, & in Ægyptum sæculi huius nequam vel corde, vel etiam corpore* REVERTATVR; & ser. de quadruplici debito, *Illi qui quamuis Ægyptum fugerint, tamen ad quæcumque Ægyptia tenerrimè respirant, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* & serm. 2. de Resurrect. *Væ tibi*, inquit, *quicumque es canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Non est tantum loquor,*

qui

qui corpore, sed etiam, qui corde REDEVNT IN ÆGYPTVM *saeculi huius oblectamenta sectantes.* Huc illud facit, quod habet sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 6. *Quibus*, inquit, *in Baptismate mortuus est Pharao, & vniuersus eius suffocatus est exercitus, cur rursum* ÆGYPTVM *quaerimus?*

Ad Ægyptiorum terram quinam reuerti cogantur, docet his verbis Ioannes Cassianus collat. 5. cap. 18. *Ita sunt moderanda ieiunia, vt non necesse sit per immoderationem continentiae, quae defectione carnis, vel infirmitate contracta est,* REVERTI *rursum* AD ÆGYPTIORVM TERRAM; *id est, pristinam gulae & carnis concupiscentiam, quam cum mundo huic abrenuntiaremus abiecimus. Quod figuraliter illi perpessi sunt, qui egressi in solitudine virtutum, rursus desiderauerunt ollas carnium, super quas sedebant in Ægypto.*

Qui se à suis eximit, qui mundi Ægyptum fugit, nemo eò mente redeat, à quo cum laude discessit. Moses ipse ad suos à Deo missus, vt suorum saluti consuleret, multis periculis in Ægypto patuit, vt hinc disceremus quanti discriminis res sit in Ægyptum redire Dei iniussu, parenteque carnales redire, relicto Deo. Grauiter, & opportunè S. Ioan. Climacus in scala Paradisi grad. 3. *Sunt*, inquit, *qui primùm innocentiae tuendae causa patriam deseruere, ac demum confirmato, repurgatoque animo, non sine fructu, ad eandem reuiserunt, eo reor animo, vti partam sibi salutem, alijs etiam nonnullis impertirentur. Quando diuinus ille spectator, & contemplator numinis Moyses ad gentem suam, publicae salutis causa, à Deo remissus, multos periculorum casus adijt, multáque mundi caligine, & nocte saepe inuolutus est. Praestat offendere parentes, quàm Dominum parentum: hic enim te formauit, & liberauit: illi saepè, quos dilexerunt, perdidere, aeternísque inferorum cruciatibus tradidere.*

Vel nudus Ægypti cibus noxius est, noxius fuit Esaü, qui lenticulae cupiditate, quae cibus Ægyptiorum erat, perdidit primogenita. Sanctus Augustinus rem ita versat, in Psalm. 46. *Prior natus est Esaü, & posterior natus est Iacob: sed qui posterior natus est, praelatus est primo nato, qui per gulam perdidit primogenita sua. Sic habes scriptum, Desiderat lenticulam, & ait illi frater eius, Si vis vt dem tibi, da mihi primogenita tua. Ille plus amauit quod corporaliter concupierat, quàm quod spiritaliter priùs nascendo meruerat, & deposuit primogenita sua, vt manducaret lenticulam. Lenticulam autem inuenimus cibum esse Ægyptiorum: nam ibi abundat in Ægypto, vnde magnificatur lenticula Alexandrina, & venit vsque ad terras nostras, quasi hic non nascatur lenticula. Ergo desiderando cibum Ægyptium, perdidit primatum. Sic & populus Iudaeorum, de quo dictum est, Conuersi sunt corde in Ægyptum, lenticulam quodammodo desiderauerunt, & primatum perdiderunt.*

ADAGIVM CCCXXI.

Exire de Ægypto.

238. QVi à seculo abit, mundum, mundanásque vanitates deserit, inque sacram familiam nomen dat, Religioni se se adiicit: is exire de Ægypto prouerbiali schemate dicetur; frequens haec sanctis Patribus loquutio; sanctus Bernardus serm. 1. in dedicat. Ecclesiae; *Ipsi, credo, videtis, quanta iam possemus inuenire miracula, si perscrutari sigillatim liceret singulorum* EXITVM DE ÆGYPTO, *deserti viam, id est, abrenuntiationem saeculi, introitum monasterij, in monasterio conuersationem.*

De Ægypti fuga audiendus B. Ioannes Climacus in sua scala gradu 3. vbi ait: ÆGYPTVM *sine spe reditionis fuge, nam quorum animi, cordaque illuc reuersa sunt, sedem pacis & tranquillitatis Hierusalem non viderunt.*

Exitum de Ægypto in hunc modum versabat Origenes hom. 4. in Iosuë, *Per Sacerdotes deducitur populus, & iter agit ad terram promissionis, magisterio Sacerdotum, id est, sacerdotalis ordo est, & Leuiticus, qui iter ostendit populo Dei, qui exijt de Ægypto; ipsi enim sunt qui edocent populum* EXIRE DE ÆGYPTO, *de erroribus scilicet mundi, & transire per Eremum vastam, id est, tentationum genera diuersa transcurrere, neque noceri a serpentibus Daemonum, qui sunt morsus Daemonum, & malarum suggestionum venena vitare.* Sanctus Ioannes Climacus gradu 1. suae scalae egressum ab Ægypto ita explicabat: *Quicunque ex Ægypto egredi Pharaonémque cupimus effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum, ac post Deum mediatore nobis opus est, qui pro nobis medicus inter actionem, & contemplationem stans, manus extendat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum trajciamus mare atque Amalech, vitiorum Principe fugiamus. Seducti igitur sunt qui sibi ipsis confidentes, nullo sibi duce opus esse arbitrati sunt; & illi quidem, qui ex Ægypto egressi sunt Moysem, qui verò ex Sodomis fugierunt, Angelum Dei habuere Ducem*; quod de Ducis necessitate haber hic auctor alibi expendo, & illustro; sanctus Ambrosius lib. 1. de Abel, & Cain cap. 9. passiones de Ægypto exeuntes quà tractandae his verbis docet: *Si crudiores sunt passiones tuae, nuper fortasse* DE ÆGYPTO EGREDIENTES, *aperito eas, & lento calore excoquo, ne fortiorem ignem dum ferre non possunt, semiustulentur potius, quàm coquantur*; sed quia Ægypti exitus pro seculi fuga accipi frequentiùs solet, Ægyptus de mundo dici, de Ægypto sub hac notione agendum nobis vberiùs est.

EXCVRSVS XXIX.

Mundi Ægyptus fugienda.

Vincula *habitatoribus suis mundi Ægyptus immittit.*
Relinqui *Ægyptus debet à Dei cultoribus.*
Non est amantis Deum *in mundi Ægyptum redire.*
Mundi mala *à mundo nos auocant.*
Sponte mundus *relinquendus.*
Suis mundus infidus.
Notati qui cum mundo pereunte *perire volunt.*
Inter malos *in mundi Ægypto viuere quàm noxium.*
Qui à peccati Ægypto alios liberare quaerit, hac sit liber.

MAlè audit Ægyptus, vt aegrè quis exire ex illa possit, quin aliqua mortalitatis vincula exuere non indigeat; hac fortasse de causa dictum Mosi est: *Solue calceamenta de pedibus tuis*, Exod. 3. quod dictum aliis Patriarchis non legimus, quod ad hanc mentem expendebat Origenes hom. 8. in Genesim his verbis: *Moyses cùm venisset ad locum, quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur, solue corrigiam calceamenti de pedibus* 239. *Vincula habitatoribus suis mundi Ægyptus immittit.* Exod 3. Orig.

tuis Abrahæ nihil horum dicitur, neque Isaac: sed ascendunt, nec calceamenta deponunt; in quo illa fortassis est ratio, quòd Moyses quamuis esset magnus, TAMEN DE ÆGYPTO VENIEBAT, *& erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa; Abraham verò, & Isaac nihil horum habent.* Sic ille.

Relinqui Ægyptus debet à Dei cultoribus.

Relinqui Ægyptus debet Domino seruituris; poterat Moses in Ægypto populum retinere, & cum ad Dei seruitutem allicere, vt inter malos bonitati litarent, & inter pios pietati; sed noluit tectè educens mente seculum nobis esse deserendum; scitè Origenes hom. 3. in Exodum; *Non vult Moyses, vt populus in Ægypto positus seruiat Domino, hoc est, quod ostendit: quia donec quis à tenebris secularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino, non enim potest duobus dominis seruire, non potest Domino seruire, & Mammonæ; exeundum igitur nobis de Ægypto, relinquendus est* MVNDVS *si volumus Domino seruire, relinquendus autem dico non loco, sed animo.* — Orig.

240. *Non est amantis Deum in mundi Ægyptum redire à quo quis discessit.*

In Ægyptum redire, qui ab Ægypto discessit, seculum cogitare, qui seculum dereliquit, non est hominis amantis Deum; est contemnentis, qui terrenis voluptatibus, qui vitiis nuntium remisit, non rursus illas quærat, his implicetur; ex Ægypto educens Deus populum Iudaicum, non statim duxit illum per viam Philistinorum; ne eorum armis sæuitiáque perterritus oculos, mentémque ad Ægyptum flecteret, faciliorem, tutiorémque viam indicauit, vt tacitè hoc nobis innueret, quod hic dicimus. Scitè rem versat sanctus Gregorius lib. 24. moral. cap. 7. his verbis: *Cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthym, quæ vicina est, reputans, ne fortè pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum, ex Ægypto itaque exeuntibus à vicino bella subtrahuntur: quia derelinquentibus* SÆCVLVM *quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine, & inchoatione turbati ad hoc territi redeant quod euaserunt. Priùs ergo suauitatem securitatis sentiunt, priùs pacis quiete nutriuntur: post cognitam verò dulcedinem tanto iam tolerabiliùs tentationum certamina sustinent, quanto altiùs, in Deo altiùs cognoscere quod amant.* — S. Greg.

Mundi mala à mundo nos auocant. — S. Aug.

Mala quibus scatet mundus, à mundi nos amore auocant, & altè inclamant, mundum non esse amandum; hinc illud sancti Augustini serm. 34. ex 40. nouis. *Abundant*, inquit, *mala, & Deus voluit, vt abundarent mala; vtinam non abundarent mali, & non abundarent mala. Mala tempora laboriosa tempora, hoc dicunt homines. Bene viuimus, & bona sunt tempora. Nos sumus tempora, quales sumus, talia sunt tempora. Sed quid facimus? Non possum ad bonam vitam conuertere multitudinem hominum? Pauci, qui audiunt, bene viuant: pauci bene viuentes, multos malè viuentes ferant. Grana sunt, in area sunt, paleas secum in area habere possunt: in horreo non habebunt. Terant quod nolunt, vt veniant ad quod volunt. Quare contristamur, & causamur Deum?* ABVNDANT MALA IN MVNDO, VT NON AMETVR MVNDVS. *Magni viri fideles sancti, qui contempserunt mundum speciosum. Nos non possumus contemnere, nec fœdum. Malus est mundus, ecce malus est, & sic amatur quasi bonus esset.*

241. *Sponte mundus relinquendus.* — S. Paul.

A mundo vt abiremus, scitè monebat sanctus Paulinus, ita canens:

SPONTE RELINQVAMVS MVNDVM,
non sponte carendum.
Sponte nisi fugimus, moriamur, ne moriamur.
Lethalem vitam, vitali morte tegamus,
Terrena intereat, subeat cœlestis imago,
Et Christo vertatur Adam, mutemur & istic
Vt mutemur ibi.

Suis mundus infidus est, suis non parcit, in suos sæuit, quid erit in illos, qui non sui? amicis amicus non est, & erit inimicis? *Ipsis mundanis*, aiebat ille, *qui illum constanter, & fideliter amarunt, intolerabilis est, &* INFIDVS, *& de illo queruntur, Qualis erit tibi qui ab eo defecisti.* — *Suis mundus infidus.*

Non floret mundus, sed flaccescit, & amatur, perit & diligitur cùm nec amandus cùm floret, cùm calcandus cùm non periret? *Quantum illi laudandi, atque prædicandi*, inquit sanctus Augustinus epist. 45. *qui dignati non sunt etiam cùm* MVNDO *florente florere, tantum increpandi, & accusandi sunt, quos* PERIRE CVM PEREVNTE *delectat.* — *Quàm increpandi, qui cũ mundo pereũte perire volunt.* S. Aug.

Malæ quoque consuetudinis Ægyptus relinquenda nobis est, quod licèt ægrè fieri possit, fieri tamen debet, vt propriæ saluti consulamus. Ægrè quis malum dediscit, quod inter malos viuens didicit à malis. Hebraicus populus, quia in Ægypto vixerat inter idololatras, cùm in solitudine esset vitulum adorauit, Didici more potuit, & præter naturam sisti, non populus ab impietate, qua in Ægypto imbutus fuerat, reuocari; tanti est inter malos malè vixisse, tantum nocet ad scelus propensis malorum consortium. Audiendus hic sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 6. vbi ait; *Apud Ægyptios superstitionis insanitas pro lege obtinuit, siquidem apud ipsos ibis Deus lege statuitur, & canis Crocodilus sacrificium offertur, & ouis adoratur, neque Hebræorum gens ab hac ægritudine deduci potuit; ipsa solitudo ægritudinem notificauit. Vitulum enim, quod & in Ægypto factum, in deserto loco adorabant, & mare ipsorum gratia præter naturam scindebatur; cùm interim populus ab impietate non rescinderetur: sed morum progressu transfugiebat in Ægyptum*; tantum malorum consuetudo nocet, tantas vires in bonos impiorum vita exerit. — *Inter malos in mundi Ægypto viuere quàm noxium.* S. Basil. Sel.

Denique qui à peccati Ægypto educere alios debet, non debet ipse animam suam peccati Ægypto adiicere; significatum est hoc in Moyse, cui in Ægyptum ituro Angelus apparuit, qui eum occidere volebat, Exod. 4. quia nimirum filium, vxorémque in Ægyptum ducebat, qui aliàs ab Ægypto erat liberaturus; tetigit istuc sanctus Augustinus lib. 99. ex veteri Testamento q. 16. *In Madian habitans filios suos minimè circumcidit, quos ducere secum ad Ægyptum non debuit, qui cæteros ibat inde educere*; quod appositè in eos quadrat, qui de externorum salute soliciti, suam negligunt, negligunt suorum. — 243. *Qui à peccati Ægypto alios liberare studes, te peccatis non implices.* Exod. 4. S. Aug.

ADAGIVM CCCXXII.

Vibices aliis obiectant, qui vulneribus sunt affecti.

Locus prouerbio erit, cùm aliqui leues aliorum labeculas & vident, & reprehendunt, & cùm grandia in seipsis scelera non vident, quibus inficiuntur; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni orat. 2. de pace: *Vbi sunt*, inquit, *qui vibices* VOBIS OBIECTANT, IPSI VVLNERIBVS AFFECTI; & in prima Apologia paulo aliter rem versat dum ait: *Hoc igitur primum ex his, quæ diximus, prouidendum est, ne eximiæ, admirandæque virtutis mali pictores appareamus, aut, vt rectiùs loquar, non mali fortasse pictores, sed malum plebis exemplar, atque in illud prouerbiale incurramus.* ALIIS MEDERI TENTANTES, *cùm ipsi vlceribus* 244.

vlceribus scateamus; his affine est, quod habet sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 196. *Absurdum vitijs obnoxium esse aliquem, quorum accuset alium ac medicum, quod aiunt, esse aliorum, qui* VLCERIBVS SCATEAT, *velle ea denique committere turpe, quæ acerbè reprehendat.*

ADAGIVM CCCXXIII.

Alter Tullius.

245. SIngulatis Ciceronis facundia, & eloquentia locum prouerbio fecit, vt *alter Tullius* audiat, qui cæteris eloquentia præit. Audiri hîc potest Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 11. vbi Ioanni in Galliis litterarum Professori scribens ait: *Debent igitur vel æquæui, vel posteri nostri vniuersalem feruentibus vobis alterum te, vt Demosthenem,* ALTERVM TE VT TVLLIVM, *nunc statuis (si liceat) consecrare, nunc imaginibus: qui te docente formati institutique iam sinu in medio sint gentis inuictæ, quod tamen aliena talium vetustorum signa retinebunt.* His affinia sunt, quæ alij habent; sanctus Petrus Damianus opusc. 45. cap. 7. de quodam qui Romæ viuebat: *Sicut* TVLLIVS *loquitur, vt Virgilius poetatur*; & lib. 5. epist. 5. *Si te cognoscerem, aurem talibus libenter apponere videretur mihi quòd* TVLLIVM *facilè possem in affluentia sermonis æquare.* Eodem lib. epist. 13. *Piscatorum sum planè discipulus, ideóque torrentem non commoueo Ciceronis; eloquentiæ fluctibus non fluctuo*; & serm. 60. *Statim* CICERONIS ELOQVENTIA *renouatur.* Fortunatus in vita sancti Albini: *Ante peritiam vestram ipsa* CICERONIS, *vt suspicor, eloquia currerent vix secura.* Sanctus Paulinus carm. ad Ausonium,

——Vix Tullius, & Maro tecum
Sustineant æquale iugum.

Sanctus Hieronymus cuiusdam facinus, & scelus exaggerans, ita loquitur epist. 48. quæ est ad Sabinianum Diaconum: *Proh nefas, non possum vltrà progredi. Prorumpunt lachrymæ ante, quàm verba, & indignatione pariter, ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Vbi mare illud* ELOQVENTIÆ TVLLIANÆ? *vbi torrens fluuius Demosthenis; nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret.*

Christi simplicitas, Tullianæ eloquentiæ præferenda est, monitum à probo calamo est; sanctus Petrus Damianus opusc. 49. cap. 11. ita loquitur: *Piscatorum sumus discipuli, non Oratorum, vt ex ore Christiano non latinitas* TVLLII, *sed simplicitas resonet Christi.* impetita Ethnica omnis eloquentia est Christianæ simplicitati compatata.

ADAGIVM CCCXXIV.

Fulicas cygnis conferre.

TOrquetur in eos, qui valdè dispatia inter se patiant, & maximè inæquabit ac si inæqualia essent conferunt inter se. Scitè sanctus Paulinus carm. ad Ausonium, vbi ita canit,

Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
Si confers FVLICAS CYGNIS, *& Ædona parræ,*
Castaneis corylos æques, viburna cupressis,
Me compone tibi; vix Tullius, & Maro tecum,
Sustineant æquale iugum.

ADAGIVM CCCXXV.

Phineem se exhibere.

QVi supero zelo correptus vitia, & malos hominum mores, è medio conatur auferre, 246.
seuerèque peccantes arguit, & punit, is Phineem se exhibere prouerbialiter dicetur. Rem variè versant sancti Patres; sanctus Petrus Damianus opusc. 17. dissert. 2. cap. 6. ita loquitur; *Alio quoque tempore, cùm Papa Stephanus, qui zeli* PHINEES *æmulabatur ardorem*; & lib. 11. epist. 11. *cùm* PHINEES TE ZELVS *ad æterni sacerdotij iura promoueat*; & opusc. 18. in prologo: *Tanto quippe zelo vidi te semper aduersus eorum perditos mores medullitus inardescere, vt* PHINEES *iudiceris incendia non agere.* Sanctus Bernardus lib. 4. de consid. *Qui regicus Ioannem exhibeant fornicantibus* PHINEES. Nicolaus sancti Bernardi Notarius epist. 16. *Quis dabit mihi gladium* PHINEES; & Petrus Blesensis epist. 15. *Exhibe te fornicantibus* PHINEEM; vniuersim, qui diuini honoris zelo corripitur, alter Phinees, aut Phinees æmulator dici poterit. Porrò tunc maximè Phinees zelo repleri debemus, quum Deum ab omnibus peccatis offendi conspicimus; scitè sanctus Bernardus serm. 44. in Cant. *Si amas*, inquit, *Dominum Iesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, numquid si videris eius iniurias, contemptúmque, ferre vllatenus æquo animo poteris? Minimè, sed mox arreptus spiritu iudicij, & spiritu ardoris, & tanquam potens crapulatus à vino repletus* ZELO PHINEES *dices cum Dauid: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*; *& cum Domino: Zelus domus tuæ comedit me.* Huc aduocati potest & illud sancti Gregorij Nazianzeni, apud quem orat. 42. ita Maccabæos mater alloquitur, illos ad fortiter pro lege Dei pœnas subeundas inhortans: *Tum cum* PHINEES *aggregabimur; nisi fortasse eo etiam maior gloria nostra futura est quòd ille vnus erat, vos contra permulti estis æmulatione flagrantes, ac stupratorum interfectores, non corporum, sed animarum scortationem gladio transfigentes.*

Phinees zelus eo Phineem rapuit, vt in ptimates quoque iustè sæuiret; ira in Principes se armauit, hincque factum ita Dei desæuierit, quia ita pro Deo Deique honore correptus est homo; rem luculenter, & suo more eleganter expendebat sanctus Petrus Damianus opusc. 17. cap. 1. vt religio fuerit, eius verba licèt pluscula hîc desiderari; sic ergo ille scribit: *Ecce hic* PHINEES *diuini spiritus zelo succensus, cùm totus penè Israëlitarum populus cum filiabus Moab fornicanda corrueret, sesèque Beelphegor sacrilegis ceremonijs initiaret, non in dispectos quosque, vel infimos diuinæ legis propugnator insiluit, sed excellentiores, & clariores in populo, quos ad terrendum cæteros trucidaret, elegit. Testante Scriptura, quæ dicit: Erat, inquit, nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis. De mulieris quoque nobilitate si quæritur, hoc in sequentibus inuenitur. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabitur Gozbi, filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum. Sanè post digestam fornicationis, & dignæ vltionis historiam, quid opus fuit Moysi, vt genealogiam fornicatoris vtriusque contexeret, & alterum ducem, alteram nobilissimi Principis filiam fuisse narraret: nisi vt diceret carnales illecebras in eminentioribus personis acriùs persequendas? Hinc est, quod & ipse Dominus, cùm omnis Israelitica plebs non dispari crimine teneretur obnoxia, de populo*

quidem

quidem tacuit, aduersus autem solos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. Planè & Moyses non ad alios, sed ad iudices Israel ait: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Dum ergo Phinees pro communi fornicatione totius multitudinis vlciscenda, in eos potissimum, qui Duces videbantur, insiliit, Principes similiter populi in patibulis suspendi, sententia diuina præcepit. Moyses quoque non quibuslibet infimis, sed iudicibus Israel, vt proximos suos occiderent, pro vindicta fornicationis iniunxit. Quid in his omnibus datur intelligi, nisi quia reatus adulterij in personis clarioribus debet durius vindicari? & qui tales commotus vlciscitur, pacem superni iudicis, & gratiam non modò sibi, sed & populo absque dubio promeretur. Vnde diuina vox, Phinees, inquit, *auertit iram meam a filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem eos in zelo meo.*

De sancto VVillelmo Archiepiscopo Pituricensi auctor illius ita scribit: *Noster VVillelmus* INSTAR PHINEES ZELO *inflammatus est.*

Ad Phinees zelum spectabat & sanctus Hieronymus epist. 48. quæ est ad Sabinianum Diaconum; *Caue*, inquiens, *ne te* PHINEES, *cum Madianitide fornicantem, suâ hastâ configat.*

Adeò zelus Phineem corripuit, vt zelatoris nomen sit indeptus; ita sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 81. qui & tituli huius causam affert, dum ait: *Zelatoris cognomentum hinc obtinuit* PHINEES, *quòd Madianitidem, vnà cum eo, qui stuprum ipsi inferebat, gladio transfixit, atque ex Israelitica natione probrum exemit.*

EXCVRSVS XXX.

Phinees exemplum zeli spiritum omnibus inhalat.

Paulus zelo alter Phinees.
Plusquam Phinees Christus.
Quantum Dei zelus in mente eo correpta valeat.
Suorum zelus vt Deus reueneatur.
Zelus Eliæ Eliam in cœlum rapuit.
Dei zelus quanta bona in eius mente parturiat, quem corripit.
Phinees quisque contra vitia sit.
Imitator est Phinees, qui Dei præcepta custodit.

247. *Paulus zelo alter Phinees.*

ZElo tactus Phinees, in eos sæuiit, qui diuino honori detractum ibant: pari zelo tangatur, qui paria in Deum videt committi; in exemplum eat, quod Phinees præstitit. Hic zelus in Paulo enituit, de quo ita scribit sanctus Chrysostomus hom. 8. de eius laudibus: *Paulus* ALTER PHINEES, *impietatem Iudæorum, atque Gentilium quasi fornicationem mentium vno fidei mucrone confodiens, suos hostes putans, qui Dei sunt inimici.*

S.Chrys.

Plusquam Phinees Christus. S.Cyr. Ierosl.

Phinees facinori comparabat, atque etiam præferebat sanctus Cyrillus Ierosolymitanus, illud quod pro nobis in Cruce Christus gessit; præstat hîc eius verba innectere, sic enim ille scribit Catech. 13. *Si* PHINEES ZELO DVCTVS, *& tollens de medio turpitudinis factorem, pacauit iram Dei; Iesus non alium tollens, sed se ipsum tradens in pretium, nunquid iram Dei contra homines non dissoluet? Non pudeat itaque nos Crucis Saluatoris, sed in ea potiùs gloriemur.* Iure ergo plusquam Phinees Christus, cuius vmbra ille fuit, nostrum est vtrumque pro viribus imitari.

Quid zelus iste possit vel ex vno Eliâ colligere est. Imperium vel in cœlum porrexit Elias, iubet ne cœlum imbrem emittat, ne ros cadat. Suæ pietatis zelo istuc obtinuit tanquam si religionis, & diuini cultûs candore nubium aquam exsiccasset; expendit hoc imperium, hanc Eliæ pietatem sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 11. dum ait: *O ira pietatis plena! ô lingua, quæ cœlum frenas! ô Domini in homines charitas! seruo permittis, res conditas gubernet.* REVERITVS *siquidem est* ARDOREM PIETATIS, *& Eliæ creatura habenas permisit.* Nec creatura tantùm zelanti Eliæ paruit, paruit & Creator, apud quem plus vnius Eliæ zelus potuit, quàm totius populi clamor, ac calamitas, quod expendebat idem sanctus Pater eodem loco, vbi expendens hanc à Deo Eliæ concessam potestatem ait: *Compulsus Eliæ potestatem facit Deus, miserant quidem eos, qui dignè puniuntur,* REVERITVS *tamen* PROPHETÆ ZELO, vt hinc colligatur quàm Deo gratus zelus iste sit.

Quantum Dei zelus in mente eo correpta valeat.

S.Basil. Sel.

Suorum zelus vt Deus reuereatur. Idem.

248. *Zelus Eliæ Eliam in cœlum rapuit.* S.Ambros.

Fuit & vtilis Prophetæ, hoc quippe non minus quàm curru igneo euectus in cœlum est, vt verus fuerit; sanctus Ambrosius qui in Psalm. 118. octon. 18. ait: *Zelus Dei vita est,* ZELVM HABVIT ELIAS, *& ideo raptus ad cælum est,* nimirum ad cœlum rapitur, qui corripitur, zelo æstuat, terram diu tangere non debebat, qui diuinæ gloriæ zelo tangebatur.

Dei zelus quanta bona in eius mente parturiat, quē corripit.

Explicari non potest quantum boni in illo Dei zelus pariat, quem corripit, quem inuadit, quem comedit, quem nutrit, quo Gentilium populus repudiato omni errore excussis vitiis omnibus ad puriorem sanctioremque vitam transierit prælatus Iudæis, quibus inferior erat, zelo maximè debet, qui tot tantaque in illo bona parturiuit; scitè rem expendebat sanctus Ambrosius in Psalm. 118. vbi ait: ZELO FIDEI *populus Gentilium vitam sibi aquisiuit æternam, quam negligentia, atque desidia Iudæorum populus amisit; ille populus, qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorem, contulit se zelus ad gentes, cuius tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit, & eruditissimus industriam superauit. Denique* ZELVS *apprehendens populum ineruditum fecit esse meliorem.*

S.Ambros.

249. *Phinees quisque contra vitia sit.*

Desunt Dei hostes, in quos Dei seruus zelo correptus sæuiat, sæuiat in se ipsum; in se hostes habet, quos insequatur; vitia habet, zelum Phinees quisque æmuletur, Phinees quisque sit contra vitia pugnaturus; à probo calamo probum hoc monitum est, sic enim scribit sanctus Gregorius hom. 15. in Ezechielem: *Rectitudinis zelo contra vitia accendimur?* PHINEES ANTE OCVLOS DEDVCATVR, *qui corruentes gladio transfigens castitati populum reddidit, & iram Dei ratus placauit.* Deferbuit ira Dei, quum zelo Dei correptus ira sæuiit in impios Phinees.

S.Greg.

Præterea Phinees imitator est, qui diuina præcepta seruat, & zelo tactus eius mandata diligentissimè custodit; hine illud sancti Ambrosij in Psalm. 118. *Ad* VITAM ZELVS EST *diuina præcepta seruare, & amore nominis eius custodire mandata, vt fecit Phinees.* O multos haberemus Phinees, multos diuinorum præceptores, custodes, vt habemus temeratores.

Imitator est Phinees qui Dei præcepta custodit. S.Ambros.

ADA

ADAGIVM CCCXXVI.

Secundus Ioseph.

250. QVi fame laborantibus prouidet, ne fame pereant, hic prouerbialiter *secundus Ioseph* primo illi similis, qui Ægyptiis in summa egestate positis succurrit, appellari poterit; hoc elogio donatus est sanctus Basilius, quem in hunc modum effert sanctus Gregorius Nazianzenus orat.20.de eius laudibus: *Pauperum corpora, & animas curabat, honorem nempè cum necessario alimento connectens, atque ipsorum calamitatem vtrinque leniens. Talis erat nouus noster procurator, &* SECVNDVS IOSEPH. Neo Patriarchæ Iosepho pariat tantùm sanctum Basilium, sed etiam præferat, dum statim pergit: *Imò etiam aliquid habeamus quod dicamus. Ille enim ex fame quæstum captat, ac per benignitatem Ægyptum emit, vbertatis tempus ad famis tempus disponens, & administrans, atque aliorum somnijs ad eam rem ordinatus: hic autem gratis benignus erat, neque in hoc tribuendi frumenti auxilio lucrum vllum captabat, id vnum spectans, vt misericordiam per misericordiam sibi compararet, ac per præsentem annonæ largitionem futura bona consequeretur. Accedebat insuper sermonis alimonia, & perfectius beneficium ac largitio verè cælestis & sublimis: siquidem Angelorum panis sermo, quo aluntur atque irrigantur animæ Deum esurientes, ac cibum non fluentem, & abeuntem, sed perpetuò manentem expetentes: cuius ipse dispensator erat, & quidem perquam locuples homo, alioqui omnium quos noui pauperrimus, & egentissimus, non panis famem, aut sitim aquæ sanans, sed verbi illius verè vitalis, ac vim alendi habentis, eúmque qui rectè nutritur ad spiritualis ætatis incrementum ducentis desiderium explens.*

Iosephi cautionem in frumentis distribuendis ita expendebat sanctus Ambrosius lib. 2. offic. cap.16. *Caue ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. Potuit donare Ioseph totas opes Ægypti, & effundere thesauros regios: noluit tamen de alieno effusus videri: maluit frumenta vendere, quàm donare esurientibus: quia si paucis donasset, pluribus defuisset.*

Iosephi prouidentiam æmulatus Paulus est, nisi quòd Iosepho in hoc præferendus, quia ille corpoream, iste spiritualem alimoniam præbuit, ille soli Ægypto, iste toti orbi; huc spectat illud sancti Chrysostomi hom. 8. de laudibus Pauli, vbi ait, *Paulus alter Ioseph spirituali fame tabescenti mundo veritatis alimenta distribuens.* Sequãtur suum ducem præsules, sequantur omnes, quos oues sequuntur.

EXCVRSVS XXXI.

Prælatorum in suos prouidentia, & cura.

Miserorum nomina *exscripta, quis præsul habuerit.*

Quàm prouidus *in suos præsul.*

Laudabilis Prælati mos conuiuium *Clericis, & aduenientibus quotidie præparandi.*

Suos ignotus Præsul quidam inuisebat, *vt eis succurreret.*

Superioris est *suis de rebus necessarijs prouidere.*

Superiores sine vlla spe lucri *inferioribus necessaria ministrent.*

Notati qui suorum bona *deuorant.*

Laboris refrigerium *in subditorum cura subditorum salus superiori est.*

Ad Pastores cura *pertinet, ad oues* obedientia.

OLim Præsules, qui eximiam suorum habebant curam, præsertim miserorum, & languentium, nomina eorum exscripta apud se habebant. Fecit istuc sanctus Ottu Balembergensis Episcupus, in cuius actis hæc leguntur: *Habebat autem cognitos, &* NOMINIBVS PROPRIIS NOTATOS *omnes paralyticos, languidos, cancerosos, seu leprosos de ciuitate sua, modum, tempus, & quantitatem languoris eorum per se inuestigans, congruaque subsidia omnibus prouidebat, & curabat.* 251. *Miserorū nomina exscripta quis præsul habuerit.* Acta.

Quàm prouidus, & sollicitus in suos fuit sanctus Eutychius Patriarcha Constantinopol. apparet ex hoc, quod de eo narrat Eustochius in eius vita, dum scribit: *Cùm fames grauissima regionem occupasset, non mediocre periculum erat; etenim cum ex horreo quod adhuc manet, totum esset frumentum exportatum, custos non ferens flagitium, impetum, ad sanctum Seleucum accessit, horreique claues reddidit: non est, inquiens, frumentum in horreo, & efflagitantis populi multitudinem ferre non possum; acceptas claues vir sanctus in lectulo suo posuit, & per totam noctem vt solitus erat precari Deum non destitit, vt admirabilem potentiam suam ostenderet quo populum suum alere posset, ac sustentare. Postridie igitur manè cùm ad sanctum Episcopum de more religiosissimi Clerici venissent, ipse ad custodem: Accipe,* inquit, *claues, frater, & subueni pauperum necessitati: at ille rursus iureiurando affirmauit, nihil in horreo esse frumenti. Cùm obstinatus in incredulitate perstaret, ad Clericos conuersus vir magnus: Benedictus,* inquit, *Dominus. Abite cum illo, & cognoscite, vtrùm verè dicat, nec ne. Cùm autem abyssent, & vellent ostium aperire, vix potuerunt introire præ frumenti multitudine: manet autem ad hunc vsque diem inscriptum testimonium. Centies mille frumenti modios ex horreo S. Seleuci precibus exportatos.* *Quàm prouidus in suos Præsul.* Eustoch.

Digna in hac re sancti Cæsarei Arelatensis Episcopi consuetudo, de eo quippe ita scribit auctor illius vitæ Cyprianus Presbyter: *In domo Ecclesiæ suæ sicut illo præsente, ita absente* CONVIVIVM *semper præparatum est Clericis, siue quibuscumque aduenientibus, nullus illo superstite, tanquam ad extraneam ciuitatem, sed tanquam ad propriam domum Arelata venit.* *Laudabilis Prælati mos conuiuiū Clericis, & aduenientibus quotidie præparandi.* Cypr.

Sanctus Meinuergus Episcopus subiectorum suorum saluti inhians mercatoris personam, habitúmque sumpsit, vt diœcesim suam exploraret, & ignotus circuiret; sub aliena nimirum personam propriam prodebat, in suos charitatem, vt dum se tegeret, suam proderet in suos sollicitudinem; quæ eo ampliùs notitia digna, quo cautiùs ipse aliorum se notitiæ subduxit, vt cunctis prodesset. 252. *Suos ignotus Præsul quidā inuisebat, vt eis succurreret.*

Superioris est suis de rebus necessariis prouidere; hinc Gen.6.21.ait Deus Noe; *Tolles tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt.* Inquirat hìc aliquis, cur istuc non iussum filiis Noë, qui tamquam fortiores præstare hoc aptiùs poterant? & aliò spectauit Deus, cibum, vt familiæ suæ, animantibus Noë prouideret iussit, quo exemplo citò ostenderet, hoc esse superiorum munus, prouidere, ne aliquid ex necessariis ad vitam suis desit; quod etiam verum in iis, quæ salutem animæ tangunt; hinc illud Lippomani in Catena: *Cura,* inquit, *Superioris est suis de rebus necessarijs prouidere.* Gen.6. Lippom.

omnium,

omnium, quæ in domo sua soluenda erant, iusto viro imponitur, cuius officium esse discamus, curare salutem proximi.

Superiores sine vlla spe lucri inferioribus necessaria ministrent. Oleaster.

Cogitent se præsules cœli luminaribus pariari, quæ terræ ipsi infimo omnium elemento seruire operámque suam locare, non dedignantur, ídque absque vlla vllius commodi spe; quòd scitè versabat Oleaster in cap.1. Genesis: *Vides*, inquit, *quot, & quanta terræ luminaria præstent ministeria; nihil lucri ex ea sperant, neque dedignantur, cùm tam sublimia corpora sint, tam lucida, tam pulchra infimo elemento terræ tot præstare ministeria; quo exemplo docentur Principes, nobiles, & sublimes inferioribus, cùm opus sit ministrare, quorum præcipuum munus est inferiores suo consilio dirigere, & illuminare*, vt maximè à munere suo superiores abeant, qui adeò suis non ministrant, vt pauperum bona deuorent, cogántque vice versa pauperes sibi ministrare, ex quorum sudoribus viuunt, & deliciantur, vt loquitur idem Oleaster, nollem nostro æuo plerosque, qui super alios, hac nota laborare.

253. *Laboris refrigerium in subditorum cura subditorũ salus superiori est.*

Vera hæc superioris consignatio est suos quærere, non sua, pro suis laborare in suorum profectum, & salutem. Pastori dulcis omnis labor euadet, si in ouium vtilitatem totus resiliat; leuis pastoris labor est, si ouis inuentio, & salus laborem sequatur. Diu pastor ille, qui vnam ouem perdiderat, per montes, syluas atque speluncas oberrauerat, lassus tandem, ouiculam inuenit, quam suis humeris imposuit, Luc.15. non lego paululum requieuisse, vt vires resumeret, non erat opus, ouis inuentio laboris leuamẽ fuit, ac æstuantis pastoris refrigerium. Præclarè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 26. vbi huc spectans ait: *Montes & syluas obire non recusat, obit præcipitia, cùmque deerrante venit, in partem errationis nec ob mores odio inflammatur, etsi morbidam comperiat; sed mali commiseratione mouetur, & subijciens humeros proprio labore, ouiculam curat laborantem, gaudet ipsa fatigatione,* OVIVM INVENTIONEM RATVS LASSITVDINIS ESSE LEVAMENTVM.

Luc.15. S.Basil.Sel.

Ad Pastores cura pertinet, ad oues obedientia. S.Aug.

Denique, vt pascunt oues suas pastores; sic oues suis pastoribus pareant; cura ad Pastores pertinet, ad oues obedientia. Scitè probus ille Pastor sanctus Augustinus de verbis Domini serm.62. *Si nos*, inquit, *cum timore pascimus, & timemus pro ouibus; ipsæ oues quomodo pro se debent timere? Pertineat ergo ad nos cura, ad vos obedientia.* Indignus maiorum curâ est, qui maioribus non paret.

ADAGIVM CCCXXVII.

Pedem pedi conferre.

254. Metaphora à pugnantibus sumpta hoc prouerbialiter significat, ad pugnam scilicet, & ad certamen descendere, & acriter inter se digladiari, quod ad litterarias concertationes elegantissimè torquetur. Scitè sanctus Hieronymus ep. 51. quæ est ad Dominionem, vbi ait: *Cùm ad libros venerit, &* PEDEM PEDI CONTVLERIT, *& vel proposuerit aliquid de Scripturis, vel audierit proponentem, tunc sudabit, tunc hærebit.*

ADAGIVM CCCXXVIII.

Quatitur cedrus, pinus nihil timet?

Vtemur, cùm meliores calamitatibus premuntur, mali nihil mali timent, tutos securósque, se putant; & fortioribus concussis imbecilliores non expauent, cùm maiorum virorum clades minoribus terrori esse debeant. Sanctus Gregorius Nazianzenus in Iambicis carm. 23. de se ipso, ita canit,

Ne tu quidem morbo manes
Hoc liber, id scio,
Amice, qui nunc ob mea
Et insolens mala
Gradu licèt firmissimo
Te stare censeas.
Turres labant, & proxima domus non labat?
Quatitur CEDRVS, *quomodo*
PINVS *nihil timet?*

Metum iniicere Episcopo, quem alloquitur, studet ne se ab omni periculo immunem existimaret. Scholiastes in hunc modum explicat hæc verba: *Magni viri in calamitatibus versantur, & Ecclesiæ optimè constitutæ hæretica flamma ardore conflagrant, & tu cum tua Ecclesia perpetuam incolumitatem tibi polliceris.*

ADAGIVM CCCXXIX.

Illi caput columbæ, cauda scorpionis est.

IN eos quadrat, qui sanctitatem, & simplicitatem prima fronte præseferunt, finiunt in dolos, vafritiémque. De Arnaldo de Brigia hæc habet sanctus Bernardus epist.196. *Cuius conuersatio mel, & doctrina venenum, cui caput* COLVMBÆ, *cauda* SCORPIONIS *est.*

ADAGIVM CCCXXX.

Dum vnum latus protego, in altero vulneratus sum.

QVo longiùs detorquebitur, eo venustior euadet prouerbialis sensus; hinc illud sancti Hieronymi epist. 50. quæ est ad Pammachium: 255.
Dum, inquit, *vnum* LATVS PROTEGO, IN ALTERO VVLNERATVS SVM, *atque vt manifestius loquar, dum contra Iouinianum presso gradu pugno, à Manichæo terga mea confossa sunt;* nuptiis enim Manichæi denubebant, quorum linguis quodammodo patuit, dum contra Iouinianum disputans, virginitatem nuptiis prætulit, nuptiarum referens incommoda, virginitatis laudes recensens; quoties igitur ab vna parte se aliquis munit, vt interim in altera vellicetur, toties vsurpari hoc prouerbium poterit.

ADAGIVM CCCXXXI.

Malo quod teneo, quàm quod spero.

TRitum vulgi sermone prouerbium; quo quia vulgus abuti solet, vt præsentibus hæreat bonis, futuris neglectis, quæ spectamus, vulgus premit. Sanctus Augustinus in Psalm. 123. his verbis; *Audiunt prouerbium illud vulgare, & vigilant in eo. quod prouerbium?* MALO QVOD TENEO, QVAM QVOD SPERO. *O infelix, quid tenes? Ecce dicis, Malo quod teneo, tene sic vt non amittas, & dic, Malo quod teneo; si autem non tenes, quare non illud tenes quod non potes amittere?*

Quid

Quid ergo tenes? Aurum. Tene ergo si tenes, non tibi auferetur inuito.

ADAGIVM CCCXXXII.

Lanam quærit ouis à capra.

CVm quis re aliqua refectus, eandem ab alio quærit, qui ea minus illo diues est, locus prouerbio erit; vt si doctior erudiri ab imperitiori postulet, & diues à paupere diuitias. Scitè vsurpat sanctus Bernardus epist. 86. in hæc verba: *Vbi qualiter post hac viuere debeas, à me doceri flagitas, egregio vtique doctore, & magistro incomparabili. Qui cùm cœpero docere quod nescio, vel tunc incipiet sciri, quàm nihil scio. Itáne* LANAM QVÆRIT OVIS A CAPRA? *aquam molendinum à furno: verbum sapiens à stulto?* Hac eadem prouerbiali formula vtitur Honorius Augustodunensis epist. ad Christianum, ait enim; *Cùm lectioni studiosius incumbas, ac totius Scripturæ medullam sitibundus exsugas; poscis à me amicissime, vt quemadmodum vulgo dicitur, quòd* OVIS A CAPRA PETIERIT LANAM. *Totius orbis tibi depingam formulam, in qua sic cultum corporis valeas reficere, sicut visum cordis soles in machina vniuersitatis depascere.*

ADAGIVM CCCXXXIII.

Gallinacei elationem habere.

256. QVi tumidam, elatam, superbámque mentem circumfert, aliósque despicit, & contemnit, is gallinacei elationem, nõn sine aliquo paræmiæ succo, dicetur habere. Sancti Irenæi hæc sunt verba lib. 3. aduersùs hæreses cap. 16. *Cum institorio, & supercilio incedit,* GALLINACEI ELATIONEM HABENS; vbi Scholiastes: Prouerbium hoc ex alio natum est; *Gallus in suo sterquilinio plurimum potest, sic enim & isti ob feces suarum quisquiliarum spiritus, atque animos tollebant.*

ADAGIVM CCCXXXIV.

Litteræ in arena conscriptæ.

REl alicuius labilitatem, ac fugacitatem hoc prouerbio circumscribemus, litteræ enim in arena conscriptæ facilè leui qualiber aura delentur. Sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres sese ornantes, & excolentes, ita in adscitam fucatámque earum venustatem inuehitur: *Hisce pigmentis nihil aliud mihi crede consequeris, quam vt forma illa, quam tu ingenij viribus viuam depingis, apertissimam tibi apud homines contumelia notam inurat. Venustas hac Adonidis hortus, è cito marcescens Polypi color,* LITTERÆ IN ARENA CONSCRIPTÆ. *An tu cùm graculi formam habeas, nónne detractis tibi alienis pennis risum tandem moueas?*

Nouarini Adagia SS. Patr.

ADAGIVM CCCXXXV.

Ætna impudicarum flammarum.



ÆTna flammis grauidus mons incendiis accolis grauis, ac perniciosus in prouerbium abiit, eleganter torqueri ad libidinis flammas potest, vt leuitas, quæ libidinis feruet, & impudicitiæ quoddam domicilium est, *impudicarum flammarum Ætna* prouerbialiter dicatur. Saluianus Episcopus Massiliensis lib. 7. de prouidentia Dei, *Quis,* inquit, *nescit Africam totam obscœnis libidinum tædis semper arsisse, non vt terram, ac sedem hominum, sed vt* ÆTNAM PVTES IMPVDICARVM FVISSE FLAMMARVM, quod & ad vnum etiam hominem potes coërcere, qui libidinis flammis totus ardeat.

Ætneæ flammæ etiam in honorum ambitu timendæ, nam illis æstuare ambitiosos monebat sanctus Petrus Damianus opusc. 22. initio: *Illud,* inquit, *intolerabilius arbitror, quia nonnulli dum honores Ecclesiasticos* ÆTNÆIS VAPORIBVS *æstuantius ambiunt, in clientelam potentium tanquam seruos se delitiis obscœnè substernunt.*

EXCVRSVS XXXII.

Libidinis flammæ quàm noxiæ, vtque coërcendæ.

Libidinis ignis animam absumit.
Ægrè quis à luxuriæ flammis liberari *potest.*
Quo igne *libidinis ignis possit extingui.*
Igne inferni *ignis libidinis extinguendus.*
Ignis *libidinis ad ignem gehennæ ducit.*
Libido hic quoque gehennam *suam habet.*
Luxuriæ flamma, *vt comprimatur comprimenda superbia.*
Mirum domandæ libidinis *genus.*

IGnis luxuria est, ignis adulterium, ignis concupiscentia, quæ animam exurit, quam corripit. Egregiè id euincit sanctus Augustinus in Psal. 57. vbi ait: *Concupiscentia mala quasi ardor est* IGNIS, *ignis consumit vestem, libido adulterij non consumit animam? De cogitatu adulterij cùm loqueretur Scriptura, ait: Alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet? Gestas in sinu prunas; perforatur tunica; gestas in corde adulterium, & integra est anima?* 257. *Libidinis ignis animam absumit.* S. August.

Ægrè quis à luxuriæ flammis potest liberari; Angelis par esse debet, qui à libidinis æstu homines auocat; in diuinis litteris repetimus Deum per Mosem ab Ægypti seruitate suum populum liberauisse, ac Loth à Sodomis per Angelum: *Qui Ægyptum sunt egressi*, ait sanctus Ioannes Climacus gradu 1. *Mosem, qui est Sodomis, Angelum habuere ductorem, & quidem alij animi vitia adhibita medicorum cura sanantibus similes sunt, cuiusmodi sunt; qui ex Ægypto proficiscuntur; alij verò infelicis corporis sordes abstergere cupiunt, hi* CÆLITE, *aut certè homine, qui* CÆLITIBVS, *vt sic loquar, par sit; indigent adiutore. Nam pro ratione vulnerum fœda peccatorum sanie scatentium, vulnerario, & medico indigemus.* *Ægrè quis à luxuriæ flammis auocari potest.* S. Ioã. Clim.

258. Ignis libido est, & igni extingui potest; extinxit puella illa, de qua ita legitur in actis sanctæ Brigidæ virginis apud Liuium: *Erat inter puellas eius, quædam turpi capta amore viri cuiusdam, in quem oculos incautè coniecerat, qui illius itidem impuro tenebatur amore: iamque pollicita erat, se certo tempore ad illum venturam. Itaque vbi sensit Brigidam sesè quieti dedisse, surrexit è lecto, & libidinis accensa* FLAMMIS *cœpit miro quodam cogitationum tumultu exagitari, at tamen præpotentis Dei, & sanctæ Brigidæ timore retenta obnixè Dominum precabatur, vt in tanto periculo, tantóque salutis suæ naufragio ipsi opem ferre dignaretur. Incidit tandem menti eius salubre consilium, accensóque igniculo, illi pedes admouit, igni usque extinxit ignem, & ardorem libidinis corporis dolore superauit. Nihil verò horum latebat sanctam Brigidam, cui diuinitus erant omnia reuelata: tacuit autem, vt puella posset constantia probari. Porrò manè illa sanctæ Brigidæ aperuit quid fecisset, audiuitque rursus ab ea: Quandoquidem hac nocte egisti viriliter, & pedes tuos adussisti, neque libidinis ignis in hac vita nocebit tibi, neque gehennæ flammis combureris, móxque eius pedes adeò sanauit, vt nullum adustionis vestigium in eis appareret.*

Quo igne libidinis ignis possit extingui. Acta.

Alio quoque igne extingui potest, illo scilicet, ad quem ducit; hinc illud sancti Chrysostomi monitum hom. 10. in 2. epist. ad Corinth. *Si libidinis* IGNE *flagras, ignem illum oppone (inferni,) atque hic confestim extinguetur, & euanescet, si quid quod turpe, & absonum sit, loqui gestis, dentium stridorem cogita: & freni instar tibi hic metus erit.* Eodem spectabat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 433. *Si carnis*, inquit, *tua cupiditas aduersum te furit, & rabido impetu fertur, eamque inertia ac desidia æstu inflammasti,* IGNIS *futuri memoriam ipsi refrica, & extinguetur. Siquidem libidinosum huius vitæ incendium ad fornacem illam tendit.* Non facilè libidinis flammis comburitur qui setiò non morituras flammas cogitat, quibus illa punitur.

Igne inferni, ignis libidinis extinguendus. S. Chrys. S. Isid. Pelus.

Alioquin nisi quis æternarum pœnarum cogitatione, & infernarum flammarum obiectu, à libidinis flāmis se cohibeat, per has ad illas curret; nutribit perpetuum ignem libido vt pix solet, vt iure inclamans dixerit sanctus Petrus Damianus epist. 6. *Veniet veniet profectò dies, imò nox, quando libido ista tua vertatur in picem, quæ se perpetuus* IGNIS *in tuis visceribus inextinguibiliter nutriat.*

Ignis libidinis ad ignem gehēnæ ducit. S. Petr. Dam.

259. Igne punitur Sodoma, quem sibi suis flagitiis accenderat, etiam inferno ignis in damnatos sæuit; luxuria infamis etiam hîc, gehennam suam habet, & per gehennam pergit ad gehennam; de Sodomis loquens Saluianus lib. 4. ait: *Diu profectò flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat quo peribat, & ideo completis iniquitatibus suis arsit flammis criminum suorum. Tam malè enim de Deo meruit, vt* GEHENNAM, *quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc sæculo sustineret.*

Libido hic quoque gehēnam suam habet. Saluianus.

Præterea libidinis flāmma extinguetur si elatio comprimatur, & superbiæ tumor detumeat; hinc apud Danielem prius decidit erecta à Nabuchodonosor statua, antequam in ignis fornace rorem sentiant adolescentes; & apud Dauidem frangi prius Dei voce cedri perhibentur, quàm ignis flamma intercidatur. Psal. 28. v. 5. *Vox*, inquit, *Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani*, & v. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; rectus ordo, nec inuertendus, erectæ priùs superbia mentes confringuntur, fastus, & tumor ponitur, deinde libidinis ignis intercidetur, vt ab hoc ordine disceremus reiiciendam prius superbiam esse, antequam flammæ luxuriæ extinguantur; opportunè rem premebat Richardus Victorinus, qui in Psal. 28. huc respiciens ait: *Priùs in Daniele electio in aurea statua despectione calcatur, postea in fornacis refrigeratione flamma libidinis extinguitur. Ita & hic priùs cedri franguntur, postea* FLAMMA IGNIS *interciditur. Nam si priùs non flectitur rigor elationis, absque dubio non extinguitur* FLAMMA *libidinis.*

Luxuria flāma vt comprimatur cōprimenda superbia. Psal. 28. 5. Rich. Vict.

Nouum domandæ libidinis genus; & dignum recensitu fuit illud, quo vsus legitur sanctus Iohannicius Abbas in eius actis; *Cum*, inquit, *auctor intelligeret turpes cogitationes eum ad facta non honesta impellere, inuenit draconem quemdam, ex serpentibus in quadam, quæ illic erat, spelunca, & se ipsum statim præbet ab eo excedendum, vel per vim cogens inuitum eius corpus tangere. malebat enim mori, quam animi sui nobilitatem voluntati carnis esse mancipatam. atque ille quidem se præbuit draconi: malæ autem cogitationes, quæ sunt semina draconis, qui cadit in intelligentiam, protinus recesserunt: & si qua voluntas carnis ei exhibebat molestiam, ea quodammodo tota flaccescebat, & morte afficiebatur. Simul autem morte quoque affectum fuit statim ipsum animal: & ex hinc aduersus omne genus feras tam quæ sub aspectu cadunt, quam quæ non cadunt, data est potestas decertatori.*

Mirum domandæ libidinis genus. Acta.

EXCVRSVS XXXIII.

Mulier ignem iaculatur, & flammas.

Igni mulier comparatur ob auiditatem, & auaritiam.
Mulier concupiscentiam, & carbones scintillam *emittit.*
Mulieris ignis flammæ *quàm noxiæ.*
In matre quoque ignem *quidam timuit.*
Etiam depicta mulier flammas *excitat.*
Muliebris ignis *si solum conspiciatur comburit.*
Fœminei ignis *conspectus fugiendus.*
A muliere se subducat, qui comburi *non vult.*

IN sequiori sexu timendus ignis est, timendæ flammæ, ignis mulier est, amburit obuios quosque, nulli parcere nouit, in omnes sæuit. 260.
Ignem mulierem esse etiam ille ab externa schola docuit, nam apud Terentium in Eunuch. hæc legis: *Accede ad ignem hunc*; quæ verba doctissimus, & antiquissimus scholiastes Donatus sic explicat: *Accede ad* IGNEM *hunc, quia auidæ, & auaræ sunt, vt ignis alimentorum*; verissimum istuc est, impuras impudicásque mulieres diuitiis consumendis natas, nonquam illis satiari; sed in hoc quoque ignem mulier præsefert, quia scintillas iaculatur; *de carbonibus* SCINTILLÆ *dissiliunt*, inquit sanctus Cyprianus de singularit. Clericorum, *& mulier fundit pestilentia concupiscentiam*; & sanctus Gregorius Nazianzenus in sententiis, IGNIS STIPVLÆ *propinquus parum tuta res, nihilo tutius ô Monache sibi fuerit mulierem virginem contabernalem habere.*

Igni mulier comparatur, ob auiditatē & auaritiā. Terent. Donat.

Huius ignis flammæ maximè timendæ, cùm mulier ætate floret, vt opportunè dixerit sanctus Nilus oration. 2. de luxuria: *Ad* IGNEM *potius ardentem, quàm ad mulierem iuuenem iuuenis appropinqua, nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter*

Mulieris ignis flammæ quàm noxiæ. S. Nilus.

ter resilies: at si fœmina verbis incensus fueris, haud ita facilè recedet. De Loth loquens Origenes hom.
Orig. — 5. in Genes. ait: *Vtitur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vrsit.* Ab igne nec Samson immunis fuit, de quo ita scribit sanctus Ambrosius
S. Amb. — in Apologia Dauid. *Samson,* loquit, *validus, & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit, vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum, messes incendit alienas, & vnius ipse mulieris* ACCSNSVS IGNICVLO *messes sua virtutis amisit.*

261. *In matre quoque igni quidam timuit.* — Cautior ille, qui & in matre eáque multis annis obsita hunc ignem timuit. in Apophthegmatis Patrum lib. 4. de continentia hoc legitur, dignum quod hîc recenseatur: *Frater quidam iter agens, habebat secum matrem suam iam senem. Qui cùm venisset ad quendam fluuium, non poterat vetula illa transire, & tulit filius eius pallium suum, & inuoluit exinde manus suas ne aliquo modo contingeret corpus matris suæ, & ita portans eam transposuit fluuium. Dixit autem ei mater sua: Vt quid sic operuisti manus tuas fili? ille autem dixit, quia* CORPVS MVLIERIS IGNIS EST. Nec in aquis ipsis ab hoc se igne securum putauit, nisi manus tegens se ab eius impetu quantum posset tueretur.

Etiã mulier depicta flammas excitat. Hebr. — Non mulier tantùm aut tacta, aut visa ignem accendit, sed & impuræ mulieris depicta. Achab dum esset in curru sagitta percussus est & occisus, 3. Reg. 21. sed cur in curru hoc merebatur? quia in curru, vt aliqui putant, duas meretrices habebat depictas, quarum aspectu in libidinem accenderetur; in exceptis Gemmaræ Sanhedum cap. 4. §. 16. *Achabus fuit frigidus in Venerem; curauit igitur Iezabel pingendas in curru eius imagines duarum meretricum* VT IPSARVM ASPECTV INCALESCERET.

262. *Muliebris ignis si solum conspiciatur comburit.* S. Nilus. Aristenet. — Ignis si conspiciatur tantùm, non ideo tamen accendit, mulier vel solo visu comburit, vt iuro mouerit sanctus Nilus orat. de Luxuria, *Caue ne diu ante oculos mulieris species obuersetur, ne cupiditatis* IONSM *accendat, & animæ suæ arcam exurat.* & Aristenetus lib. 2. epist. 1. *Tu visa* FLAMMAS *etiam absens saucias; Charidemus amat te, tuaque* FLAMMA *dulcissima perit;* amantium hoc euadit stultitia, vt flammas quibus pereunt dulcissimas vocent; non sunt dulces, quæ mortis amatorem afferunt.

Fœminei ignis conspectus fugiendus. S. Antioch. — Suas vires amittit hic ignis si à viri conspectu mulier submoueatur, submoueat se vir, videre, viderique nolit ne amburatur; quod scitè explicat his verbis sanctus Antiochus hom. 18. *Sicut lapides illi in monte Eoam plagam respiciente è venulis suis attritu, aut contiguitate eiaculantur ignem, ita mas, & fœmina si ab inuicem semotiùs disparentur, nequiquam exardescet* IGNIS, *sin mari se fœmina propius admouerit, ignis conflagrabit;* facilè comburetur, qui ab huius ignis conspectu non sibi cauet; quidni visa mulier comburat eùm mulieris pulchritudo ignis sit, & suas flammas habeat, vel sola venustas? sequenti excursu expendemus.

A muliere se subducat, qui comburi non vult. — In diuinis litteris habemus ignem in rubo, nec rubum combustum; notandum tamen hoc non in populosa ciuitate accidisse, sed in solitudine vbi nulla mulier erat, vt vel à loco disceremus, libidinis ardore non facilè consumi qui à mulierum consuetudine se subducit; scitè rem tetigit
S. Nilus. — sanctus Nilus orat. 2. de Luxuria, vbi ait: *Vt rubus in solitudine ab ignis flamma non est combustus, sic homo castus, à mulierum conuictu recedens,* ARDORS *libidinis non exuritur.* facilè exuretur si non recedat.

Nouarini Adagia SS. Patr.

EXCVRSVS XXXIV.

Ignis, & formositatis nexus, mulierum verborum, & flammarum.

Formosi *vnde dicti.*
Formæ *nexus, &* ignis.
Amor *ex forma natus facilè extinguitur.*
Concupiscentia ignis *vt per oculos accendatur.*
Pulchra mulier magis, quàm ignis *exurit.*
Comburit *mulier cùm loquitur.*
Impudica mulieris verba ignem *vt oleum alunt.*
Inhonesta mulieres verba omnia comburunt *si idoneam materiam reperiant.*
Colloquium impudicæ mulieris ignem *libidinis accendit.*

Latent sub forma flammæ, latet ignis, ipsa forma, decor ipse facit, ignis quidam est, quo — 263. *Formosi vnde dicti.*
spectantium animæ amburuntur, ni pudicè spectent; flammas pulchra mulier iacit, quóque formosior est, eo vehementiùs ignem iaculatur, magnus formæ, & ignis nexus, magna cohærentia est; *formum antiqui dixerunt calidum*, vnde & formosus dictus, quia excitauit amoris ignem, ait sanctus Isidorus lib. 20. cap. 13. & Donatus in Phorm. act. 1. scen. 2. ad illud, *Hac formam extinguerent*, ait: *veteres ignem, & calorem quiendum, quasi feruorem dixerunt formam, & ideo fornaces, forcipes, formam, & formosos, ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus ergo Terentius proprietate seruata, qui cùm formam prætulisset, subiecit,* EXTINGVERENT, vt ignem pulchritudinem esse colligeremus. — *Forma nexus, cũ igne.* Donatus.

Plutarchus in præceptis nupt. ait amorem conciliatum tantùm ex forma corporis, & speciei oris, neque constantem, neque firmum fore; quod illustrat hac comparatione, ὥσπερ τὸ πῦρ ἐξάπτεται μὲν εὐχερῶς ἐν ἀχύροις, καὶ θριξὶ λαγῴαις, σβέννυται δὲ τάχιον, id est: *sicut* IGNIS, *qui facilè quidem accenditur in stipulis, & pilis leporariis, citissimè verò extinguitur.* Vt citò extinguatur aliquando, semper tamen noxius hic ignis est, & multa inuehit damna. — *Amor ex forma natus facilè extinguitur.* Plut.

Concupiscentiæ igne animam exuri, vbi per oculorum intuitum elegantem faciem attigerit, venustam formam hac similitudine explicat sanctus Chrysostomus hom. de verbis Isaiæ: *Vt* IGNIS *vbi fœnum aliquod arripuerit, nihil moratur, sed simul, vt attingit materiam lucidam accendit flammam, itidem & ignis concupiscentia, quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum, elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animam.* — *Concupiscentia ignis, vt per oculos accendatur.* S. Chrysost.

Pulchram mulierem non igni tantùm comparat, sed etiam præfert Anacreon, dum canit Epigram. 2. — *Pulchra mulier magis quàm ignis exurit.* Anacr.

νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον
καὶ πῦρ καλή τις οὖσα. id est,
Ferrum, & IGNSM *vincit*
Si qua est pulchra.

H 2 Com

264. *Comburit mulier cùm loquitur.* Prou. 5. 3.

Comburit mulier cùm videt, comburit cùm videtur, comburit cùm loquitur, præsertim si impudica, & verecundiæ omnis expers sit; non vt mysterio viduum, quod meretricis labia mellis fauo componat Salomon, oleóque guttur eius; sic ille loquitur Prou. cap. 5. v. 3. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius*; faui, & olei meminit, vt ad ignem mentem dirigeres; in fauo cera est, quæ ignem fouet, oleum ignem nutrit, ab omni parte libidinis, ignem inflammat, quæ impudica est. De fauo ita philosophatur Hugo de sancto Foill. in alleg. prouerb. (Hugo.) *In fauo mellis duo sunt, idest, mel & cera: & in facie meretricis similiter duo sunt, decor, & gloria; hoc est, pulchritudo oris, & dulcedo sermonis: sic pulchritudo meretricis* IGNA LIBIDINIS INFLAMMAT CARNAM, *blandimento verò lenocinantis sermonis subuertit mentem*, oleo quoque eius guttur comparatur vt hæc quoque fouendis flammis alendis natum esse cognoscas.

Impudicæ mulieris verba ignem vt oleum alunt.

Verba quoque impudicæ mulieris igne grauida sunt, vt flammas euomat dum loquitur, ignem emittit, dum verba, ignem nutrit, & fouet blandos dum sermones serit. Quis crederet à tanta mollitie tantas flammas exire, támque nocituras? Oleum flammam nutrit, & fouet, idem verborum suorum nitore mulier præstat quæ pudore vidua, hostis castitatis ac pudicitiæ; dum verba fundit, oleum videtur emittere impudicitiæ ignibus nutriendis aptum; vt iure Salomon meretricis guttur oleo comparauerit, dum dixit Prou. 5. v. 3. (Prou. 5. 3.) *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius*; gutture, quo verba formantur, verba intelliguntur, vnde Syrus legit: (Lect. Syri.) *Molliora oleo, verba eius*; quidni verò oleo conferantur, impudicæ mulieris verba, cùm sicut oleum libidinis flammam nutriant, impuræ voluptatis ignem excitent? Sistendum hic sancti Antiochi dictum, qui hom. 17. ita scribit: (S. Antioch.) *Quemadmodum splendorem lucernæ alit oleum, sic &* COLLOQVIVM MVLIERIS IGNAM *redaccendit voluptatis*. Quot ignes iam sopitos, & interitui proximos hoc oleum reaccendit, & quot reminiscere impudicitiæ flammas fecit?

265. *Inhonestæ mulieres verba omnia comburunt, si deneam materiam reperiant.*

Et non ignem fornicationis accendere ea verba possunt, quæ impudica mulier inuerecundè euomit? possunt nisi mentem reperiant, quæ omni igne superior est, fortior omni flammâ; talis fuit Iosephus Patriarcha, cùm Ægyptiam mulierem loquentem audiuit, & inhonestum opus cum blandè allicientem, vt diceret, *Dormi mecum*, Gen. 39. Præclarè sanctus Gregorius Nissenus in illud Apostoli, (S. Greg. Nyss.) *Omne peccatum, quod fecerit homo*, ait quippe: *Dormi mecum* IGNITVM EST TELVM *fornicationis, sed quæ crematur non inuenit materiam, immo verò in veste fractum fuit, & dissolutum.*

Colloquium impudicæ mulieris ignis libidinis accendit. Eccl. 9. 11.

Impuræ mulieris verba ignea sunt, ignem vomit dum loquitur, & in auditorum mente libidinis accendit flammam; hinc illud Sapientis Eccl. 9. v. 11. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt, colloquium enim illius, quasi ignis exardescit*. Ambutet te si vacuas eius sermonibus aures exhibeas. Sanctus Chromatius in 5. c. Matth. (S. Chrom.) ita hæc verba expendebat, & explicabat. *Benè*, dixit: *quasi ignis ardescit; quia in huiusmodi mulieris* COLLOQVIO *desiderium libidinis* QVASI IGNIS *accenditur.* Vnde vitare debebas talem mulierem, ne te flamma cupiditatis exurat. Quot in omni æuo hoc igne combusti sunt; quot, nisi sibi caueant, comburentur?

EXCVRSVS XXXV.

Libidinis ignes dapes, & vina fouent.

Vina, & dapes libidinis ignes *accendunt.*
Pascitur libido conuiuiis, *vino accenditur.*
Satietatem *libido subsequitur.*
Gula impudicitiæ *mater.*
A mensa delitiis vir ad inhonesta *sternitur.*

Ostendi, quî libidinis ignes sopiri possint, & extingui, ostendam & quæ nutriant, quæ foueant, vt caueri noxius harum flammarum cibus, & fames possit. Dapibus, & deliciis libidinis ignis fouetur, vino, & ebrietate Ætna hæc ardet, & æstuat; hinc illud sancti Hieronymi epist. 10. quæ est ad Furiam de viduitate seruandâ: *Non* ÆTNEI IGNES, *non Vulcania tellus, non Vesenus, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medulla vino plena, & dapibus inflammatâ.* 266. *Vina, & dapes libidinis ignes accendunt.* (S. Hier.)

Non minus carnem conuiuia nutriunt, ac fouent, quàm conuiuia, & dapes libidinis flammas; verus in hac re sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnitentiâ cap. 14. *Pascitur*, inquit, *libido conuiuiis, nutritur delitiis, vino accenditur, ebrietate flammatur.* (*Pascitur libido conuiuiis, vino accenditur.* S. Amb.) Huc voceat illud, quod Noë accidit, Beatus Alcuinus; (B. Alcui.) *Noe quippe prius bibisse refertur, deinde femora sua nudasse*, Gen. 9. 21. *Bibensque vinum inebriatus est*, & nudatus in tabernaculo suo. Ab hoc ordine colligit hîc auctor satietatem ad libidinis viam esse; sic ille scribit, interrogat. 137. *Cur nudatio femorum post ebrietatem secuta est?* Respondit, *quia sæpius satietatem libido subsequitur.* (Gen. 9. 21. *Satietatem libido subsequitur.* Gen. 9. 21. B. Alcui.)

Non aberrauit, qui gulam impudicitiæ matrem appellauit: hoc eam titulo donat sanctus Nilus orat. 2. de luxuriâ, dum ait: *Pudicitiam parit temperantia, gula mater est impudicitiæ*; filia cui displicet, matrem non amat, hospitio non recipit matrem. (*Gula impudicitia mater.* S. Nilus.)

A mensæ deliciis via ad inhonesta sternitur, & impudica; certè post epulas Dæmon ad impura allicit, & opportunum tunc ruinæ tempus adesse nouit; sic Dauidem adorsus, cùm surrexisset à mensâ, & meridianâ se obambulatione oblectaret, obiecit ei tunc fœminam, vt eius intuitu caderet: non difficilè ratus luxuriæ flammam in eo suscitati, quî ferculorum copia ventrem onerauerat, cùm remissus animus deliciis erat; quod tetigit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 17. (S. Basil. Sel.) *Non prius*, inquit, *humani generis hostis iusti vitam insidiis petere destitit, quam cùm animaduertisset ipsum à recto paululum oculos deflexisse, subitò venustate mulieris obiectâ confixit. Cùm enim regiè Dauid epulatus esset, ac pollucibili mensâ emollitus animo, meridianâ sese oblectaret obambulatione, tunc diabolus, tunc animis, curaque neruum remissum conspicatus, & mentem passionum aurigam indiligenter frænis succinctam, at paruulâ quadam sui parte nudatum ab armis optimatum furtim cecidit ipsis iusti oculis vsus pro telo, & momento, à via virtutis abreptum in adulterii præcipitium deturbauit.* 267. *A mensa delitiis via ad inhonesta sternitur.*

ADA

ADAGIVM CCCXXXVI.

Graculi de aquilarum volatu iudicant.

268. IN præposteris ineptísque iudiciis,déque temerè iudicantibus Adagium vsurpandum; cuius meminit sanctus Gregorius Nazianzenus epist.ad Eudoxium Rhetorem, quæ inter Basilianas 121. recensetur; ait enim: *Sunt tibi quamplurimi istorum hominum negligendi, permittendúmque vt sint* INSTAR GRACVLORVM, *de aquilarum volatu indicantium.*

ADAGIVM CCCXXXVII.

Ex quercu, & lapide nutritus.

QVi non humana, sed lapidea habeat viscera, & misericordiæ omnis expers, omnis pietatis, aut qui malorum sensu non cotripiatur, vt lapideus esse videatur, hic, prouerbiali quadam hyperbole à quercu, & lapide nutritus dicetur. Sanctus Gregorius Nazianzenus in iambicis carm.23. de se ipso ita loquitur,

Æquè quis enim hæc ferat
Vel mente præditus,
Haud namque solum nutriit
Me QVERCVS, *aut* LAPIS.

Homines misericordiæ sensu carentes, si quis feris parcat, aut eos feris crudeliores asserat, habebit secum sentientem sanctum Asterium, qui hom. de diuite, & Lazaro ita scribit: *Is, quem alterius inopia, aut ægritudo commiseratione non tangit, fera fané est rationis expers, perperam humanam indutus formam, denique feris ipsis, & belluis immanior, siquidem fues iugulata sue sensu quodã doloris afficiuntur, & circa funus recens sanguinem triste murmur edunt.*

ADAGIVM CCCXXXVIII.

Ex capillo omnia illi pendent.

DE rebus vsurpabitur facilè casuris, quæ minentur exitium, & ruinam. Maximi Planudis orat. in Domini sepultura, hæc sunt verba: *Iam enim ex* CAPILLO *omnia ipsi pendebant.* Quid exilius capillo, quid fragilius?

ADAGIVM CCCXXXIX.

Paradisus voluptatis.

VSus obtinuit, vt locus amœnissimus Paradisus voluptatis prouerbialiter dicatur; potest ad mentis delicias voluptatésque eleganter porrigi. Porrexit sanctus Bernardus cap. 21. de Conuersione ad Clericos; *Nec verò*, inquit, *locum reputes* CORPORALEM PARADISVM *hunc voluptatis internæ.*

ADAGIVM CCCXL.

Hircanæ te tigres genuêre.

269. TEmur, cùm alicuius sæuitiam, crudelitatem, mentémque ab omni humanitate alienam significabimus; huc facit illud sancti Petri Damiani opusc. 20. cap. 6. *Quòd si*, inquit, *nos vel pudore, vel metu hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidi, & quos* HIRCANÆ GENVERINT TIGRES, *saxei iudicamur.* Paulò aliter extulit sanctus Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum; *Non ex silice natos Hyrcanæ nutriêre tigres.*

ADAGIVM CCCXLI.

Festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem.

HÆc duo prouerbia eodem respiciunt; significant exilia grandia putare, & leuia grauia; sancti Bernardi hæc sunt verba serm. 29. in Cantica, à leuibus offensis nos auertentis: *Cauenda sunt & leuia, si tamen leue debeat dici, quodcumque in fratrem præsumpseris, voluntate lædendi, cùm hoc solo si irasceris illi, diuini reus Iudicij tenearis. Meritò quidem; nam quod tu leue putas, & ob hoc leuiùs præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundùm faciem iudicans, paratus* FESTVCAM TRABEM SVSPICARI, *&* SCINTILLAM PVTARE FORNACEM.

ADAGIVM CCCXLII.

Gruum, anserúmque concilia, & congressus.

CVm plures in vnum coëunt, & omnia sine ordine, sine concordiâ, & pacè aguntur, omnia confusis pugnantium hominum vocibus perstrepunt, clamor rationis, & prudentiæ vice adhibetur, tunc coitio ista prouerbiali formulâ, gruum, anserúmque congressus dici potuit. Huc spectat illuc sancti Gregorij Nazianzeni carm. aduersùs falsos Episcopos:

Non ego cum GRVIBVS, *cum* ANSERIBVSQVE *sedebo*
In synodis, quæ se Marte furente petunt.
Hic rixa, hic fera pugna, priùsque abscondita probra,
Quæ feralè odium parte ab vtraque parit.

Huc aduocari potest & illud eiusdem sancti Patris de vitæ differentiis, ait enim: *Mihi certum est, deliberatúmque nunquam posthac anserum, & gruum intense pugnantium synodis interesse, in quibus omnia contentione, ac bello ardent.*

Talia falsorum Episcoporum coitiones, & conciliabula erant cū pacis Ecclesiasticæ detrimento; impetere enim veritatem studebant errorem fautores, defensorésque, talia & hæreticorum conciliabula sunt.

ADAGIVM CCCXLIII.

Nutu citiùs.

SVmmam celeritatem hac comparatione significabimus, & expeditam cuiuscumque rei absolutionem. Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 16. ita loquitur: *Nobilis animus, & de cœlestibus officinis ad imaginem Trinitatis elapsus, pudere debet putidis, & putridis artibus deseruire, & sicseruire in carnem suam, vt eam ad nutum,* NVTV CITIVS *& ducat, & reducat*; & sanctus Bernardus ipse cap. 4. meditationum, *Paratum*, inquit, *ad nostrum* CITIVS NVTV *obedire.*

ADAGIVM CCCXLIV.

Sicut gutta ad fluuium, lapis ad montem.

270. DE valde imparibus, & inæqualibus vsurpabitur. Scitè sanctus Bernardus sermone de quadruplici debito: *Cum ergo ei* (Deo) *donauero quidquid sum, quidquid possum, nónne illud sic est, sicut* STELLA AD SOLEM, GVTTA AD FLVVIVM, LAPIS AD MONTEM, GRANVM AD ACERVVM? obsequia nostra diuinis beneficiis comparata nihil sunt; quin & ipsa obsequia noua sunt Dei beneficia. donum accipit, qui se Deo donat.

ADAGIVM CCCXLV.

Silenus alter.

ES, cuius incultus sermo, simplex, ac plebeius infabricatus, qui verba imperitè euomit, Silenus alter dici prouerbialiter poterit. Ennodius lib. 7. epist. 21. *Ecce*, inquit, *inter ructationes Lyæo debitas, qualia* SILENVS ALTER *verba compono*. ad imperitos quosque, hominésque nullius facundiæ porrigetur.

ADAGIVM CCCXLVI.

Polymnestor.

IMpius, nullius fidei, nullius Religionis homo hoc titulo prouerbiali quadam figurâ traducetur. Hildebertus Cœnomanensis Episcopus epist. 33. *Quotidie*, inquit, *Nero nostris occursat aspectibus, quotidie Tarquinius, quotidie* POLYMNESTOR. Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 35. *Videbis illic fidem Polymnestoris, & pietatem Pygmalionis adhiberi*; & ante illum Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *Videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, Vlyssis argutias, & Sinonis fallacias, & FIDEM POLYMNESTORIS, & pietatem Pygmalionis adhiberi*. Polymnestoris perfidiam Hyginus describit fabula 109.

ADAGIVM CCCXLVII.

Thrasonis imitator.

271. IActabundus, qui se, qui sua inaniter, tumidéque efferat, prouerbialiter Thrason, aut Thrasonis dicetur imitator; hinc illud sancti Paulini epist. 7. ad Seuerum: *Ego statum Thrasonis ructantis effugio*. sic Thrasoniano fine aliquid concludere, est opus obsignare aliquâ re, quæ iactantiam aliquam præseferat, aut inanem gloriam; spectant huc Sidonij Apollinaris verba, qui lib. 1. epist. in calce ita loquitur: *Quapropter (si tamen tetrica sunt amœnanda iocularibus) volo paginam glorioso, id est, quasi* THRASONIANO *fine concludere, Plautini Pyrgopolynicis imitator. Igitur cùm ad præfecturam sub ope Christi, stili occasione peruenerim, iubeas ilicet pro potestate ciuilitari vndique omnium laudum conuasatis acclamationibus ad astra portare, si placeo, eloquentiam, si displiceo, felicitatem. Videre mihi videor, vt rideas, quia perspicis nostram cum milite comico ferocissimè iactantiam*. Hildebertus Cœnomanensis Episcopus epist. 53. *In dubium*, inquit, *venit, magis ne populus in te* THRASONIS GLORIAM *fastidiat, an crudelitatem Dionysij detestetur*.

ADAGIVM CCCXLVIII.

A Vertunno vexati.

QVi domi se coërcere nequeunt, sed huc, illuc quodam vertiginis spiritu acti vagantur, ij à Vertunno vexati prouerbiali quodam schemate dicentur; hinc illud sancti Petri Damiani opusc. 12. cap. 24. *Etiam ipsis sanctissimus Eremitis quidam videntur admixti, quos idem pestifera vagationis morbus exagitat; & (si dicere liceat) quasi* VERTVNNVS, *quoddam, scilicet Dæmoniorum genus, vexat*. 272. Vertunni siquidem apud antiquos dicebantur Dæmones, quorum instinctu homines in vertigine positi reddebantur instabiles, quibus nimirum illi non immeritò videntur obnoxij, qui solo quadragesimali tempore in cellulis commorantes, toto penè anni circulo, huc, illuc discurrunt, & sic vitam suam inaniter spaciando consumunt. Paria sunt, quæ idem sanctus Pater habet epist. 99. Qui inquit, *Vagationis morbo quidam laborantes inutiliter huc, illicque discurrunt, & velut mali* VERTVNNIS *obnoxij per impatientiam non quiescunt*.

EXCVRSVS XXXVI.

Secreti amor euagationis fuga.

Ab inutili euagatione *abstinendum*.
Quàm noxia religiosis viris euagatio.
Exempla *cum damno exeuntium*.
Perfectiora animalia *diutius clausa perficiuntur*.
Cellæ cultus *laudatus*.
Mariæ *exemplum huic rei persuadendæ*.
Extra Monasterij *septa exire, quàm periculosum religiosis viris*.
Vagi *reprehensi*.
Piscium *similitudine euagationis damna probata*.
Lupi vt *euagationis fugam Religiosis hominibus indicent*.
Plantæ *comparatione idem firmatur*.

EGi non semel de hoc argumento variis in locis, variis in libris, vt me à labore, labore surripuerim; aliqua hìc tantùm attingam, vt videar rem tantùm libauisse. Ab inutili, atque adeò noxiâ euagatione Religiosos auocat, quin & deterret, S. Bernardus tract. de modo bene viuendi ser. 66. vbi ait: *Lapides Sanctuarij designant Religiosos viros, qui nunquam debent foras vagari, sed in secreto monasterij ante oculos Dei semper commorari: sed dispersi sunt hodie lapides Sanctuarij in capite omnium platearum, quando Religiosi viri quærendo vana, & sæcularia foris vagantur in capite omnium platearum: lapides sunt dispersi, quando viri Religiosi plus desiderant in Palatio Regis versari, quàm intra claustrum monasterij commorari*. 273. *Ab inutili euagatione abstinendum.* S. Bern.

Religiosos à superflua euagatione multorum exemplis *Quàm noxia*

Religiosi viri euagatio. Vmbertus.

exemplis quibus noxia euagatio fuit egregiè reuocat Vmbertus lib. 4. erud. relig. part. 3. cap. 1. cuius verba licèt plusc ula hic in legentium fructum implantabo : *Vir,* inquit, *religiosus, qui in claustro manere non potest frequenter in mundo periclitatur: Semei, dum mansit in Hierusalem, vixit : postquam exiuit de Hierusalem, occisus est : & Dyna filia Iacob egressa, vt videret mulieres regionis illius, rapta est, & corrupta. Dyna ratione sexus infirmi significat Claustralem mente infirmum, qui de claustro egrediens, dum mundi concupiscibilia curiosè considerat, amore rapitur, & corumpitur. Piscis extra aquam positus, non diu viuit. Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Claustralis dum est in claustro bene ordinato, habet verba diuinæ Scripturæ, quibus vita spiritualis ipsius conseruatur. Cùm autem discurrit per mundum, aqua illa mutatur in sanguinem, scilicet in verba secularia: & sic occiditur. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Abel egressus in agrum, occisus est : simile accidit Claustrali a claustro egredienti. Claustrales inquieti, sunt sydera errantia, de quibus legitur in canonica Iudæ. Sydera verò ista errantia, aliquando fiunt sydera cadentia. Postquam enim discurrendo per mundum, delicijs mundanis assueuerunt, & asperitas religionis eis in dissuetudinem venit: redeuntes ad claustrum, claustralis vitæ asperitatem sustinere non possunt, & apostatæ fiunt : cadent stellæ de cœlo, stella de cœlo cadit, cùm Claustralis cœlestem conuersionem deserens, ad seculum redit.*

Exempla cū damno exeuntium.

Perfectiora animalia diutiùs clausa.

Claudit, & rem eandem naturæ ritu confirmat, quæ grandiora, atque adeò perfectiora animalia diutiùs in matrum visceribus tenet ; *Nascendi,* inquit, *hanc legem natura fecit, vt maiora animalia visceribus parentum diutiùs continerentur. Sic multum valet àd hoc quòd Claustralis proficiat, si in claustro diu moretur antequam exeat.*

Cella cultus laudatus.

De cella, & cellæ cultu ita quidem sentiebat in vitis Patrum lib. 5. libello 7. de fortitudine n.31. *Dixit senex, cella monachi est caminus ille Babylonius, vbi tres pueri filium Dei inuenerunt ; sed & columna nubis est, ex qua Deus loquutus est Moysi.*

Mariæ exemplum huic rei persuadendæ. Franco Abb.

A superfluâ, noxiâque excursione Religiosos viros Mariæ exemplo in hunc modum auocabat Franco Abbas tom. 6. de gratiâ Dei : *Maria secreti amica, quietis studiosa, in cubiculo assidua, in publico rarissima tumultus oderat, occursus fugiebat, ne sæpiùs visa, etsi non conscientiæ, vel famæ maculam contraheret, quam rarò effugit qui se turbis hominum vltrò immergit. Audiant Virgines, audiant cœnobialis palæstræ professores, qui professionis immemores, & quietis impatientes per Prouincias, per castella, per oppida discurrunt: & simulatâ vtilitate Ecclesiæ suæ, sed reuera proditâ salute animæ suæ tumultibus hominum, & cœno secularium actionum contra habitùs sui reuerentiam impudenter se immergunt. Sed quid seruis Christi cum cœno mundi? Quid ciuibus cœli cum inquilinis seculi? Quid margarita cum sterquilinio? Quid solitarius in populo?*

Extra monasterij septa exire, quàm periculosum religiosis viris. S.Petr. Dam.

Extra monasterij septa exire, quàm Religiosis noxium sit, Vriæ exemplo euincit sanctus Petrus Damianus opusc.12.cap.28. vbi ita disserit : *Vria si propriæ domûs hospitium placuisset, sententiam procul dubio Regiæ indignationis, & fraudis euaderet. Sed quia extrinsecus in alienis, quam in proprio dormire cubiculo maluit, auctores suæ mortis litteras, ad castrorum vrbem obsidentium Principem reportauit.*

Vagi reprehensi. Psalm.60. Vgo Car.

Vagos reprehendit Dauid cùm diceret Psal. 60. *Inhabitabo in tabernaculo tuo,* ad hæc enim verba ait Vgo Carensis : *Notandum, quòd dicens (inhabitabo) reprehendit vagos, qui domi se nequeunt continere.*

274. Intra Monasterij limites se coërceat, qui Religiosus audire vult ; à noxiâ euagatione sic nos exemplo piscium auocabat S. Bernardus serm. 1. in festo sancti Andreæ: *Sicut in stagno mundi pisces, qui in claustro Deo seruiunt in Spiritu & veritate ; merito si quidem stagnis monasteria comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces, euagandi non habeant libertatem.* Istuc idem luporum exemplo suadebat Beatus Ægidius de oratione, dum ait : *Sancti Religiosi, quadam ex parte lupis similes sunt, ægrè è sylua in publicum progregredientibus, nisi magna compellat fames, nec etiam tunc diu hærentibus extra syluam.* Plantæ similitudine huic rei firmandæ vtebatur sanctus Nilus orat. de tristitiâ : *Vt,* inquit, *planta, quæ crebrò sedem mutat, fructus proferre non potest, sic nec vagus monachus.* Et oratione 6. quæ est de accediâ : *Planta, quæ subinde transfertur, haud facilè coalescit, & Monachus vagus virtutis fructum non feret;* sed quia alibi de hoc argumento, (vt dixi superiùs) luculentiùs egi, non patiar calamum latiùs contra euagationem euagari.

Piscium similitudine euagationis damnu probatu. S Bernard.

Lupi, vt euagationis fugæ religiosis hominibus inducent. B.Ægid.

Plantæ comparatione idē firmatur. S.Nilus.

ADAGIVM CCCXLIX.

Infirmis non est lex posita.

QVia facilè cum infirmis dispensatur, indulgetur infirmis, vt iis minimè legibus coërceantur, quibus sani : hinc natum prouerbium istuc ; *Infirmis non est lex posita.* quod sanè intelligendum est, neque enim intelligitur, in iis, quæ ex naturâ suâ fieri licitè nequeunt. Meminit huius prouerbij Petrus Abelardus epist. 8. dum ait: *Quicquid infirmitas postulauerit, tam de cibis, quam de balneis, vel quibuscumque alijs, est eis indulgendum. Notum est quippe prouerbium in talibus,* INFIRMIS NON EST LEX POSITA. *Carnes enim nullatenus denegentur, nisi sextâ feriâ, vel præcipuis vigilijs, aut ieiunijs quatuor temporum, seu Quadragesimæ ; à peccato autem tanto ampliùs coërceantur, quanto ampliùs de exitu suo cogitandum incumbit.* 275.

ADAGIVM CCCL.

Infirmi otiosi non sunt.

VTitur hoc prouerbio sanctus Gregorius Nazianzenus epist. ad Anysium, dum ait: *Nos verò segnes, vt ipse sanè dices, vt aiunt, prouerbij veritas habet:* INFIRMI OTIOSI NON SVNT. Prouerbia hæc duo, quæ explicuimus, aurem nobis vellicant, vt ad aliquid de ægritudinis vtilitatibus morbisque patienter ferendis afferamus.

EXCVRSVS XXXVII.

Ægritudine affectus gratum Dei domicilium est.

Corpore infirmo *Christi gratia* liber in nobis habitat.

Habitatore Deo dignus facilè fit, qui corpore est infirmus.

Languens Timotheus à Christo haud negligitur.

Anima morbo affecta *Christo appropinquat.*

Morbus ingens beneficium.

Habitatore Deo dignus facilè fit, qui corpore est infirmus.
Stulta sanitas *sanctus* morbus.

276. *Corpore infirmo Christi gratia libenter in nobis habitat.*

ÆDes iam iam casuras, & ruinam parietum, & tectorum dilutione minantes inhabitare mortalium mos, mortalium cautio est, ne scilicet domicilium vertatur in sepulchrum, & ibi sepeliantur, vbi erant victuri, quin & hirundines domos ruinosas defugiunt, cauéntque ne nidum in illis ædificent, quæ ruinam minantur. Aliò Deus spectat, homines inhabitat, eius templum corpora nostra sunt; sed tunc gratior hæc illi habitatio, cùm videt præ infirmitate, & ægritudine corpus debilitatum, & ruiturum, vt iure lætitiâ Paulus exilierit hoc cogitans, ait quippe: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*; cur gloriaris Apostole? quia suâ gratiâ Christus infirma hæc domicilia inhabitat; *vt*, inquit, *inhabitet in me virtus Christi*, subeat Christi gratia meam mentem, quia corpus iacet.

Languens Timotheus à Christo haud negligitur.

Hinc est vt languentem Timothei stomachum sanare Apostolus noluerit, sed paululum vini vsum suaserit, ne prorsus laberetur; vt scilicet Christus ad illum libentiùs aduentaret, dulciùs in eius mente conquiesceret, quia corpore, & stomacho languebat. Timothei nempè debilitas firma Christi sui quies erat. Nequeo hîc supprimere Saluiani verba, qui lib. 1. de gubern. Dei, istuc versatus, ait: *Legimus Timotheum Apostolum carne infirmissimum fuisse: nunquid negligebatur à Domino, aut ob infirmitatem Christo non placuit, qui ad hoc infirmus esse voluit, vt placeret? quémque etiam ipse Apostolus Paulus, licèt nimis iam infirmitatibus laborantem, non tamen nisi pauxillulum vini sumere ac delibare permisit: hoc est, ita eum voluit infirmitati suæ consulere, quòd noluit tamen ad fortitudinem peruenire?* Infirmitas non arcet Christum, sed inuitat, carnísque debilitas, & stomachi languor parat Christo cordis hospitium, parat morbus corporis domum mentis. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. ad ciues Nazianzenos aiebat: *Anima morbo affecta Deo propinqua est*; hac mente senex ille apud sanctos Patres querebatur, quòd solitus singulis annis ægrotare, immunis à malo semel fuerit, & flens clamabat: *Dereliquit me Deus, & non visitauit me*; quam sententiam commendans Beatus Vinbertus c. 42. de vtilitate patientiæ, colligebat ingentis beneficij loco habendos morbos esse; hæc eius verba: *Si aduersitatum vtilitatem sciremus considerare, vix in centum annis Domino possemus pro infirmitatis vnius beneficio respondere; vnde sapienter bonus ille frater doluit plorando, quòd non eum Dominus omni anno per infirmitatis molestiam visitauit.*

Saluianus. *Anima morbo affecta Christo appropinquat.* S.Greg Naz. *Morbus ingẽs beneficium.* S.Vinb.

Habitatore Deo dignus facilè fit, qui corpore est infirmus. Salu.

Verè nunquam dignior Deo habitatore homo fuit, quàm cùm morbis obsidetur, ægritudinibus correptus lapsitat; hinc lętitiæ materia animæ præbetur, cùm caro ægrotat. Præclarè hæc omnia offert Saluianus Catturæ sorori suæ scribens in hunc modum: *Sola exultat anima læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato. Gaude ergo alumna Christi, semper quidem simplicis, & quieta, sed nunc magis defæcatæ tuæ mentis, & libera ostium aperiri, & adtrahe, vt legis Spiritum sanctum, nunquam, vt puto, habitatore Deo dignior extitisti, quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti.*

Stulta sanitas, sanctus morbus.

Sanitatem *stultitiæ* titulo notatam, *sanctam* dictam esse infirmitatem obseruabam, cùm illa plerumque ad scelera ducat, quæ certa stultitiæ consignatio, hæc sanctitatis amorem ingeneret, sanctos reddat, quos afficit. Sancti Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba orat. 27. de pauperum amore: S.Greg Naz. *Verùm*, inquit, *& stultam sanitatem, cuius fructus est peccatum aspernari, & morbum sanctum honore prosequi condiscamus.*

EXCVRSVS XXXVIII.

Corporis infirmitas ad animæ firmitatem, carnísque ægritudo ad animæ sanitatem.

Corporis infirmitas *ad firmitatem.*
Ægritudo corporis *robur, & firmitatem* menti addit.
Infirma caro *firmitatem* transmittit in mentem.
Vires corporis *in virtutes* transferantur.
Infirmitas corporis animæ *sobrietas*, & sanitas.
Infirmitas *virtutum* mater.
Morbus vitiorum *medicina.*
Mentis *fastũ* comprimunt corporis morbi.
In corporibus sanandis animæ salutem *quærebat Saluator.*
Ad Christum ducit *corporis infirmitas.*
Qui languentis serui *curam habet, habet & sui.*
Iacens seruus Dominum *erigit.*
Corporis *inualitudo sanitatem* mentis, vel in spectatoribus gignit.

ETiam corporis infirmitas ad firmitatem est, & ægritudo ad sanitatem, quod eleganter euincit Saluianus in epistola, quam ad Catturam sororem scribit in hæc verba: *Carnis fortitudo, (vt scis) menti semper inimica est, vt te iure nunc tanto fortiorem spiritu putem, quanto imbecillior carne esse cœpisti: Caro enim, inquit Apostolus, concupiscit aduersùs spiritum, spiritus aduersus carnem; hæc enim inuicem sibi aduersantur, vt non quæ vultis illa faciatis; ergo si repugnante corpore quæ volumus facere non possumus, infirmanda caro est, vt optata faciamus, & verum est: imbecillitas enim carnis mentis vigorem exacuit, & affectis artubus vires corporum in virtutes transferuntur animorum, vt mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.* 277. *Corporis infirmitas ad firmitatem.* Salu.

Corporis ægritudinem, & infirmitatem robur, ac firmitatẽ adijcere, etiam Iob in se ipso experiebatur, de quo ita scribit sanctus Ambrosius cap. 2. enarrat. in Iob, vbi ait: *Fortior æger, quàm cùm sanus esset se ipso inuentus est: fortior enim ÆGER Iob, quàm cùm sanus fuerat, secundùm quod scriptum est: Virtus in infirmitate perficitur; ergo & Iob cùm infirmaretur, tunc validior erat.* *Ægritudo corporis robur, & firmitatem menti addit.* S.Ambros.

Infirma caro firmitatem transmittit in mentem, infirma ferè mens, si caro firma, læta anima fit, caro prematur, hoc illi ad triumphum est, quod hostem subiugauit. Pulchrè ad hanc mentem Saluianus lib. 1. de gubern. Dei: INFIRMITAS *carnis*, inquit, *vigorem mentis exacuit: vt affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum, non turpibus flammis medullæ æstuant, non malè sanam mentem latentia incentiua succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiant, sed sola exultet anima, læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato.* 278. *Infirma caro firmitatem transmittit in mentem.* Salu.

Vt

Vires corporis in virtutes transferũtur.

Vt corporis robur, & sanitas, mentis infirmitas, & ægritudo est, sic & infirmitas corporis firmitas mentis est, & illius ægritudo valetudo istius; diceres vires corporis, in mentis vires transire, & conuerti, & perire illas, istas nasci. Pulchrè quidam apud Saluianum lib. 1. de gubern. Dei; *Infirmitas carnis vigorem mentis exacuit vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum*; & sanctus Ambrosius 1. Exaëmeron cap. 8. *Infirmitas*, inquit, *corporis sobrietas mentis est; sobrietas est, est & sanitas*; hinc scitum illud & verum: *Ægrotante corpore anima, cuique vel sanissima est*. & illud, *Curat ægritudo mentem, corpus etsi vulneret.*

Salu.

Infirmitas corporis animæ sobrietas, & sanitas.
S. Ambros.

Morbus vitiorum medicina.
Plin.

Medicum licèt quærat ægritudo, tamen & medicus est, medici partes agit, mentem ægrienti medetur; animæ morbi sunt vitia, hæc autem auferre corporis morbus solet. Scitè Plinius lib. 7. epist. 26. *Nuper me*, inquit, *cuiusdam amici languor admonuit optimos esse nos, dum infirmi sumus; quem enim infirmum aut auaritia, aut libido solicitat, non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit, tunc Deos, tunc hominem esse meminit, inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut accendit, aut alitur.* en quot bonorum parens morbus est, quot malorum medicina.

279.
Infirmitas virtutũ mater.
Salu.

Medetur vitiis infirmitas, virtutes inserit, quarum dicitur mater. Saluiani verba sunt lib. .. de gubern. Dei; *Nequaquam vobis dolenda est afflictio infirmitatum, quam intelligimus* MATREM *esse virtutum.* In vitis Patrum habetur senem infirmo discipulo dixisse: *Ne contristeris ex infirmitate, vel plagâ corporis, si enim ferrum es, æruginem per ignem amittis; si aurum es, per ignem probatus à magnis, ad maiora proueheris.* Vtilem menti corporis infirmitatem esse docuit quoque Antigonus Rex, qui è paruo morbo conualescens, *Nihil deterius morbis accidat*, inquit, *in memoriam enim reuocauit nobis* MORBVS, *ne mortales cùm simus* SVPERBIAMVS; quod refert Plutarchus in Apophthegmatis.

Mentis fastũ comprimunt corporis morbi.
Plut.

In corporibus sanandis ad animæ salutẽ spectabat Saluator.
S. Aug.

In corporibus sanandis ad animæ salutem spectabat Saluator, quod in hunc modum colligit sanctus Augustinus lib. 2. quæst. super Euang. q. 7. *Quod dicit Dominus Iudæis de eo, qui habebat manum dexteram aridam, Interrogo vos, si liceat sabbato benefacere, an malè animam saluam facere, an perdere? Quæritur, an cùm corpus curauerit, quare sic interrogauerit, si liceat animam saluam facere, an pedere: vel (dixit hoc) quòd illa miracula propter fidem faciebat, vbi salus est animæ: vel quòd ipsa sanatio manus dexteræ salutem animæ significabat, quæ à bonis operibus cessant, aridam quodam modo dexteram habere videbatur; vel animam pro homine posuit, sicut dici solet, Tot animæ ibi fuerunt.*

Ad Christum ducit corporis infirmitas.

Vtilis corporis infirmitas est, & plerumque ad Christum nos ducit, à quo nos auocauerat sanitas; insanus hic sit, qui sanitatem Christo non præfert; adeò ducit ægros, vt & spectatores possit; certè Cẽturionis seruus in lecto iacebat, & cùm iaceret, dominum ad Dominum duxit, Matth. 8. quod tetigit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 19. ait: *Puer membra dissolutus iacens domino ducatum præbet ad Dominum, serui morbus hero sanitatem conciliat, serui sanationem perquirens Dominum reperit, dúmque serui valetudinem venatur, fit ipse Domino præda.*

Matth. 8.
S. Basil. Sel.

Qui serui lãguentis curã habet, habet & sui.

Serui sui curam habet Centurio, cur non & sui ipsius? Sanitatis serui solicitus, cur non & suæ salutis? An eo ipso sui curam habet, quòd sui oblitus aliena curat? ita secum disserebat Centurio ex Origenis mente hom. 5. in diuers. *Si mei serui non misereor, quomodo mei miserebitur Deus: si ego huic non subuenio, quomodo mihi ille subueniet?* Itaque nunquam sic rem nostram agimus quàm cùm ex charitate curamus alienam.

Orig.

Iacens seruus dominum erigit.
S. Basil. Sel.

Iacet seruus, sed dominum erigit, & ducit ad Christum qui ambulare non poterat. Pulchrè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 19. *O miraculum modò non opinabile! Puer membra dissolutus, iacens domino ducatum præbet ad Dominum: serui morbus hero sanitatem conciliat. Serui sanationem perquirens dominum reperit, dúmque serui valetudinem venatur, fit ipse Domino præda. Seruus ægrotatione lethali ægrotat, sed dominus ante seruum persanatur; seruus æger est corpore, & domini anima sanctificatur.*

Corporis inualetudo sanitatem mentis, vel in spectatoribus gignit.

Porrò adeò sana corporis inualetudo est, vt non decumbentium tantùm menti medeatur, sed & spectantium, ac circumstantium; hinc est, vt Centurionis seruus in lecto decumbens sua infirmitate Centurionem ipsum ad Christum vrserit, & suo morbo domino conciliauerit sanitatem; seruus iacet, & malè torquetur, sed hic morbus ipsius etiam domini fit medicina. Cucurrit Centurio ad Christum, quia Centurionis famulus mouere se non poterat; sanus euadit herus, quia seruus iacebat ægrotus; ait enim Matthæus cap. 8. v. 5. *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* At serui infirmitate quam firmam sanitatem indeptus herus est? Præclarè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 19. *Puer*, inquit, *membra dissolutus iacens, domino* DVCATVM *præbet, serui morbus hero sanitatem conciliat*, morbus iacentis sanitatem Centurioni affricauit; vt postea in eius laudem Christus prosilierit, admirans tantam in eo animæ sanitatem, tantam fidem, tot virtutibus animatam.

Matth. 8. 5.

S. Basil. Sel.

ADAGIVM CCCLI.

Crinis vnus senem non facit.

VTemur quoties ab vno coniecturam de se aliquâ faciendam minimè esse docebimus, nec ex vnius lapsu, aut virtute ferendam de omnibus sententiam; eiusdem notæ est ac illud, *Vna hirundo non facit ver*; vtrumque refert sanctus Gregorius Nazianzenus in Iambicis carm. 19. vbi vitam mundanam, & spiritualem inter se comparat; aitque, 280.

Reputes & illud, quod grege ex nostro cadant
Pauci suorum, & infrequens vincat cohors.
At ver, vt aiunt, hirundo non facit,
Vt nec senectam crinis vnus.

ADAGIVM CCCLII.

Ars Pelasga.

QVi summâ calliditate, & astu pollet, & nectendis, suendísque fraudibus & paratus, & idoneus est, is prouerbiali schemate *arte Pelasgâ* agere dicetur, cùm hi populi hoc vitio laborarent; hinc illud S. Augustini lib. 3. contra Academicos cap. 14. *Nunquam efficiet, quamuis* ARTE PELASGA, *vt simul à me victus, victórque discedat*; huc spectat & illud Silij lib. 4.

Calliditas graia, atque astus pollentior armis.

ADA

ADAGIVM CCCLIII.

Tantùm non in nubibus sedere se putant.

281. IN eos iactabitur hoc prouerbium, qui se, qui sua nimium iactant, & qui cùm homines sint, supra homines esse videntur, omnes contemnentes. nam hos perstringens sanctus Basilius homil. de humilitate, vbi ait: *Dignitatibus ex populi consensu oblatis super naturam se extollunt, si plebs dignitatem dederit, si praeminentia dignitatem suis suffragijs decreuerit; atque hi sanè velut humanam naturam excedentes* TANTVM NON IN NVBIBVS SEDERE SE PVTANT, *subiectos homines tanquam puluerem ducentes, & contra eos, qui ipsis dignitatem dederunt, se attollentes.*

ADAGIVM CCCLIV.

Silentium consensus est.

VVlgarissimum dictum est, Qui tacet, consentire videtur; huc etiam spectat prouerbium, quod praefiximus, quo vsus est sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 13. dum ait: *Me hac vestrâ quiete, & silentio ad dicendum inuitare videmini. Nam* SILENTIVM, *paroemia quoque* CONSENSVM ASSE *docet*; qui verò coërceri hoc dictum debeat, in axiomatis luculenter doceo.

ADAGIVM CCCLV.

Narem contrahere.

NArem contrahit, qui aliquo offenditur, aliquid stomachatur; hoc sensu prouerbium hac formulâ extulit sanctus Hieronymus epist. 52. quae est ad Pammachium, vbi ita loquitur: *Quem cùm legeris, aut ipse pro vobis caeteris satisfacies, aut si tu quoque* NAREM CONTRAXERIS, *illam Apostoli ἐκφώνησιν, in qua de virginitate, & nuptijs disputat, aliter differere compelleris.*

ADAGIVM CCCLVI.

Offerre sermonem surdo.

282. CAssus labor iis sermonem impertiri, qui andiri non possunt; locus prouerbio etiam erit, cùm verba illis fiunt, qui audire possunt quidem, sed nolunt: & proba monita non audinot, dum exhibentibus non obaudiunt. *Certè*, inquit sanctus Cyprianus ad Demetrianum, *& labor irritus, & nullus effectus offerre lumen caeco, &* SERMONEM SVRDO.

ADAGIVM CCCLVII.

Manus Absalonis cum illis est.

HOc adagium in eos quadrat, qoi scelus, quod natum est ab Absalone, qui, (vt 2. Regum cap. 15. habetur) cùm patrem regno exturbare moliretur, hoc facinus per alios aggressus est, sic exponit Scholiastes haec sancti Gregorij Nazianzeni verba orat. 21. vbi ita loquitur: *Et quamquam alij tragoediae huius actores essent,* MANVS *tamen* ABSALONIS, *vt dicitur, cum illis erat.*

ADAGIVM CCCLVIII.

Fieri de lebete phiala.

TRansitum à vitae prauae nigrore ad nitorem sanctioris, hoc prouerbio significabimus; hoc sensu extulit Stephanus Cantuariensis lib. alleg. sup. Zach. vbi ait: *Lebes factus est phiala quando Saulus factus est Paulus*, hine est quod de Magdalenâ canitor,

Post fluxa vitae scandala
De LEBETE FIT PHIALA.

Respicit Auctor ad Zachariae Prophetae verba, qui cap. 14. v. 20. ait: *In die illâ erunt lebetes in domo Domini, quasi phialae coram altari.*

ADAGIVM CCCLIX.

Saliens antequam videat, casurus antequam debeat.

VSurpabitur in eos, qui nimium suae prudentiae fidunt, qui sioe duce, alteriúsque consilio magoum aliquid aggrediuntur; hi quippe dum temere ad culmen pergunt, currunt nescientes ad praecipitium antea ferè pereuntes, quàm periculum viderint, quòd in spirituali irioere maximè locum haber. Praeclarè sanctus Bernardns in declamationibus, vbi ita scribit: *Alius sine duce, & praeceptore spirituale studium apprehendere facilè cogitans ambulat in magnis, & mirabilibus super se, vt vulgò dicitur*, SALIENS ANTEQVAM VIDEAT, CASVRVS ANTEQVAM DEBEAT. 283.

ADAGIVM CCCLX.

Ouum, siue nucem apposui vobis, frangite testam, & inuenietis escam.

OPportunè vtemur hac formula, cùm rei alicuius, quae exhibetur, vtilitas, suauitas ita latet, vt & fruituri labor requiratur, requiratur industria, cura, studium, inquisitio. Praeclarè Guarrilus Abbas serm. 1. de resurrect. *Cur ergo tuum Ioseph nobis ingeris, cùm praeter Iesum quicquid loquaris non sapit nobis: praesertim hodie cùm Paschalis agnus comeditur, cùm Pascha nostrum immolatus est Christus?* OVVM, *siue* NVCEM *apposui vobis fratres:* FRANGITE TESTAM, ET INVENIETIS ESCAM. *Ioseph discutiatur, & Iesus inuenietur agnus Paschalis, quem esuritis: qui tàntò dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, & studiosius quaeritur, & difficiliùs inuenitur.* Poterit & venustè ad alia porrigi, quae dum nobis offeruntur, à nobis laborem postulant, vt eorum sapor degustetur, vt noo priùs sentiatur suauitas, quàm labor subeatur, & quidem, vt ait sanctus Valerianus homil. 2. *Parum laudis habet virtutum corona, qua ex labore non descendit.*

ADA

ADAGIVM CCCLXI.

Trabem portans alijs vanissimè de festucis insultas.

284. IN eos quadrat, qui grauioribus criminibus irretiti seuerissimè in alios arguunt leuiora. Inter hic possunt sancti Bernardi verba, qui in Apologiâ ad Gulielmum Abbatem ita scribit: *An non grandis, & grossa trabs est superbia qua te putas esse aliquid, cum nihil sis? Insanissimè tibi tanquam sanus exultas, & alijs vanissimè* TRABEM *portans de* FESTVCIS *insultas.*

ADAGIVM CCCLXII.

Grauia onera super humeros hominum ponere, & digito suo nolle ea contingere.

QVi præceptis grauibus alios onerant, omne onus laborémque defugientes, hoc prouerbio percelli poterunt, quod est ex Euangelio sumptû, illo enim Pharisæorum supercilium pressit Christus Matth. 23. v. 4. quod passim in vulgus sparsum est; huc spectauit sanctus Bacchiarius epist. de recipiendis lapsis, vbi ait: *Sed fortassè dicas; quia ego more Pharisæorum imponam* GRAVIA ONERA *super humeros hominum, & ipse* DIGITO MEO *nolim contingere ea.* Sanctus Petrus Chrysologus, *minimo digito* dixit; Adam Præmonstratensis, *extremo.* vbi alibi obseruaui, quod maiorem emphasim, & grauiùs præcipientium exaggerat mollitiem.

ADAGIVM CCCLXIII.

Cum aëre luctari.

285. QVi inanem laborem subit, sequitúrque illud quod assequi non potest, & frustrà perficere conatur quod perfici nequit, is *cum aere luctari* prouerbialiter dicetur. Sancti Ephræmi Syri verba huc spectant, qui suas expendens vires humiliter aiebat de natura Dei curiosè non sectanda: *Neque verò Dei sacramenta comprehendere potero, verùm imprudens, atque temerarius ero, &* CVM AERE *inanibus irritisque conatibus* LVCTANS, *siquidem ob tenuitatem suam prorsus tenere nequeo.*

ADAGIVM CCCLXIV.

Qui me amat, amat & canem meum.

PRouerbium istuc refert S. Bernardus serm. 1. in festo S. Michaëlis, vbi ait: *Dicitur certè vulgari prouerbio:* QVI ME AMAT, AMAT ET CANEM MEVM; nam rei vilioris honor in domum videtur resilire, vt viliora nobiliorum intuitu honoremus, & amemus.

ADAGIVM CCCLXV.

Vox populi, vox Dei.

VVlgi sermone tritissima hæc sententia est, vt videntur parœmiæ faciem induisse; vsurparíque solet cùm promiscua populi multitudo in vnum aliquid conspirat, vt Dei quodammodo vox censeatur; quæ ab innumerâ multitudine, quæ quodam impetu eò fertur, exertéque clamat, quod certò non nouit; rapi tamen se sentit. Refert etiam sanctus Damianus serm. 37. *Illico populi clamor exultantis attollitur. Tunc denique probatum est verum esse, quod dicitur:* VOX POPVLI, VOX DEI. Petrus Delphinus Camaldulensis lib.. epist. 37. *Quanquam si verum est, quod vulgò dicitur,* VOCEM POPVLI ESSE VOCEM DEI.

ADAGIVM CCCLXVI.

Talis esse, cui simpliciter dicere iurare sit.

DE fide dignissimo diceretur, & à quo falsitas, & leuitas omnis omnino exuler mendacium, atque periurium quoque, vt Pilatus, (quod scripsi, scripsi) dicat, (quod dixi, dixi.) Meminit sanctus Bernardus epist. 38. vbi ait: *At verò apud Comitem Theobaldum est, & non, nequaquam omninò patientur audimus, cui, vt dicitur,* SIMPLICITER DICERE, IVRARE EST, *& leue mendacium, graue periurium imputatur.*

ADAGIVM CCCLXVII.

Nudo capite ad flagitium prorumpere.

QVadrabit in eos, qui omni verecundiâ denudatâ, pudore omni exuto ad flagitia currunt; prouerbium esse indicat sanctus Gregorius Nazianzenus Apol. 1. vbi ait: NVDO CAPITE *vt est in prouerbio,* AD FLAGITIVM *omnia prorumpentes.* Et sanctus Chrysostomus hom. 43. in Genesim de Sodomitis loquens, qui verecundiam omnem exuerant, ita scribit: NVDO, vt aiunt, CAPITE *libidinis suæ verba dicentes accesserunt.* Præterea nudo capite aliquid præstare dicuntur, qui palàm exuto omni timore illud faciunt. Vitur ex nostris Theodorus Balsam. in epist. Cant. Thaumat. *Hostes,* inquit, APERTA FRONTE *&* NVDO, *vt aiunt,* CAPITE *bellum comparant, latrones, & prædones inopinatam cædem moliuntur.* 286.

ADAGIVM CCCLXVIII.

A statuis non differre.

IN tardos, & alicui muneri prorsus ineptos quadrabit; sanctus Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio suo æuo vulgò hoc prouerbium iactari solitum affirmat, quo ipse eos premit, qui Sacerdotis munere funguntur tantæ impar dignitati; hæc eius verba: *Quòd si fortè simulet tardo ingenio natus, & certaminum huiusmodi expers fuerit susceptâ Sacerdotij administrandi prouinciâ, nihil prorsus, quod nostrate verbo dicitur,* A STATVIS DISTABIT.

ADA

ADAGIVM CCCLXIX.

Cœlestis fistula.

287. VIr singularis eloquentiæ, suauissimique sermonis prouerbiali hyperbole, *Cœlestis fistula appellabitur*; hinc sanctus Bernardus in testimonium citans sanctum Ambrosium serm. de quadruplici debito, ita scribit: *At illa* COELESTIS FISTVLA, (*Ambrosius*,) *facilius inueni eos, qui innocentiam seruauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam.* Hoc eodem titulo donat Norbentum, idem mellifluus Doctor epist. 56. dum ait: *Cùm ante hos paucos dies, eius faciem videre, & de* COELESTI FISTVLA, *ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerit, hoc tamen ab ipso non audiui.*

ADAGIVM CCCLXX.

Profanis pedibus rebus sacratissimis se ingerere.

CVm quis indignè sacra, & diuina tractat, eum pedibus profanis in ea sese ingerere prouerbiali schemate dicemus. Vsus est sanctus Gregorius Nazianzenus in Apologia de fugâ suâ in Pontum, dum ait: *Illotis, (vt dici solet) manibus, ac* PROFANIS PEDIBVS *semet rebus sacratissimis ingerunt.* Illud de *illotis manibus* tritissimum est; *Illotis pedibus* eodem sensu dixit S. Gregorius Thaumaturgos orat. panegyricâ ad Origenem, dum ait: *Nunc omnem amentiæ modum implebimus, aut etiam impleuimus, qui* ILLOTIS, *quod aiunt,* PEDIBVS, *ad aures introire ausi sumus.*

ADAGIVM CCCLXXI.

In cœlum lapides iacere.

IN eos conueniet, qui rem inanem aggrediuntur, quæ laborantis temeritatem arguat tantùm, atque stultitiam; hinc illud sancti Chrysostomi in Psalm. 2. *Quemadmodum*, inquit, *qui in solem iaculatur, & in* COELVM IACIT LAPIDES, *rem vacuam, & inanem aggreditur.*

ADAGIVM CCCLXXII.

De vnâ filiâ duos generos facere.

288. VTemur quoties vnica re duobus volumus satisfacere, quæ vni tantùm par, vni debeti tantùm potest. Vsurpat vulgare hoc prouerbium sanctus Bernardus serm. de quadruplici debito, vbi loquitur in hunc modum: *Paulò ante vitam tuam pro vitâ tuâ Christo reddideras, & nunc iterum eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum. Nunquid, (vt vulgò dicitur) de* VNA FILIA DVOS GENEROS STATVISTI FACERE?

ADAGIVM CCCLXXIII.

Manibus vinctis linguam armare.

QVi linguæ prurigine laborat, nec operatur quod loquitur, qui multa effundit verba, dices in sermonibus est, operibus destitutus, hic prouerbialiter *manibus vinctis linguam armare dicetur.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 33. ita loquitur: *Illud prius expendendum est, quæ hæc tanta disputandi cupiditas, ac linguæ prurigo; quis nouus hic morbus, auiditásque inexplebilis, cur* MANIBVS VINCTIS LINGVAM ARMAMVS?

ADAGIVM CCCLXXIV.

Athenis loquacior.

LOquacitas Athenis visa est, suum domicilium posuisse, vt linguata ciuitas dicatur Tertulliano de animâ initio. *Athenis*, inquit, *expertus* LINGVATAM CIVITATEM, *cùm omnes ibi sapientiæ, atque facundiæ caupones degustasset*; vt iure Atheniensium loquacitas abierit in prouerbium, & Athenis loquacior homo loquacissimus dicatur. Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 6. *Si supradicti confirmor assensu*, ATHENIS LOQVACIOR *ero; aptè cuiusuis garrulitas hoc adagio memitur.* 289.

ADAGIVM CCCLXXV.

Viperea lingua, os vipereum.

HOc nomen illius linga meretur, quæ in omnes sæuit, errorum virus spargit, conuiciis, & blasphemiis omnespetit, omnibus detrahit, omnes carpit. S. Hieronymus aduersùs Vigilantium cap. 6. ait, *Nec à suo studio monachi deterrendi sunt à te* LINGVA VIPEREA. His affinia sunt, quæ habet idem sanctus Pater epist. 99. quæ est ad Asellam, ait enim, *Osculabantur mihi manus quidam, &* ORE VIPEREO *detrahebant.* Linguam à Deo non accepimus, vt noxia proferamus, sed vt proficua; linguæ abutitur instrumento, qui ad maliloquium, vt loquitur Tertullianus, adhibet; lib. de spectaculis cap. 2. ita loquitur: *Neque oculos ad concupiscentiam sumpsimus, neque linguam ad maliloquium, neque aures ad exceptaculum maliloquij.*

ADAGIVM CCCLXXVI.

Nec excisâ linguâ silere.

IN garrulos, & obstreperos iaci potest, quorum in loquendo profusus comprimi nullo modo potest, nulla ratione coërceri. Hirundinum garrulitatem ita cygni carpunt apud sanctum Gregorium Nazianzenum epist. 1. *Vos verò & in ædes admissæ fastidium hominis, & canentes aduersantur, idque optimo iure, quippe quæ* NE EXCISA QVIDAM LINGVA SILERE QVEATIS; quod in loquaces quosque homines optimè quadrat; ad laudem tamen facit, summique numinis gloriam, quòd aliqui excisâ linguâ non sine ingenti miraculo loquuti fuerint, quod non semel accidisse ex fastis Ecclesiasticis liquet.

Vinum vase includitur, ne virtutem exhalet, spiritúmque, inquit Vmbertus, sic & claustralis, rem ad quemcumque porrigo, silentium seruare debet, vt in eo deuotionis feruor non conseruetur tantùm, sed augeatur.

ADA

ADAGIVM CCCLXXVII.

Homo Subbasilicanis loquacior.

HOc prouerbio summa alicuius loquacitas traduceretur; ita Synesius epist. 127. *Ego verò hominem noui* SVBBASILICANIS OMNIBVS LOQVACIOREM. quod in pares torqueri pari ratione potest, qui nullâ linguæ coërcendæ lege se patiuntur teneri.

EXCVRSVS XXXIX.

Profusi sermonis damna.

Immane à linguâ non custoditâ periculum.
Dolij metaphorâ *oris custodia suadetur.*
Quod gelu *nouellis plantis, hoc hominum colloquia virtutibus.*
Balnei *similitudine oris fores claudendas docemur.*
Loquacitatis damna.
Vberum *nexus, &* verborum.
Immundo animali par, qui verborum fusu os inquinat.
Sermo coërcendus.
Gladius *vsu splendet, contrà in* linguæ gladio *accidit.*
Sermone labia *polluuntur.*
Mendacium à nimia loquacitate.

290. ÆGrè sermone exprimi profusi sermonis damna possunt, nec verbis explicari quàm noceant verba; à linguâ timenda multa pericula docuerunt Sancti, qui calamum in eam acuerunt, docuerunt sacrarum litterarum paginæ, quæ vbique monita exhibent ad verborum fusum coërcendum; quod expendebat sanctus Pertus Damianus serm. de vitio linguæ, vbi ait: *Nec credendum est, fratres mei, sanctos Doctores, noui scilicet, & veteris Testamenti, tot sine causà sententias aduersùs* LINGVÆ *vitium protulisse; nisi enim huic morbo immane periculum inesse cognoscerent, nequaquam aduersùs hunc tam austerè, tam acutè, tam multipliciter, tam uniformiter disputarent.* Implantabo hîc aliqua ex sanctorum Patrum monumentis euulsa, quæ linguæ non custoditæ damna significent. Sanctus Isaias Abbas dolij, quod operculo careat, similitudine vtitur; sic quippe ille scribit orat. 12. *Si dolij os apertum fuerit, culices ingrediuntur, & vinum corrumpunt; idem accidit in multiloquio, facetis, ac vanis sermonibus.* Sanctus Isaacus Presbyter gelu exemplo plantarum germina vrentis probat sermone, præsertim si nimius & ex loquendi quadam prurigine oriatur, virtutum radices vri, ne augeri queant, lib. 1. de contemptu mundi his verbis hanc rem exprimit: *Sicut* VEHEMENS GELV *comprehendens nouellas plantarum productiones, vrit eas, ita & colloquium hominum radices virtutum, quæ incipiunt sicut pascua pullulare.*

Immane à lingua non custodita periculum. S. Petr. Dam.

Dolij metaphora oris custodia suadetur.

S. Isa. Abb.

Quod gelu nouellis plantis, hoc hominum colloquia virtutibus. S. Isaac.

291. Balnei æstuantis similitudine, cuius pateant fores, euincit sanctus Antiochus, multa damoa ab effuso sermone oriri, etiamsi alioquin verba, quæ dicuntur, non sint mala. Audiendus ipse hom. 102. *Quemadmodum exæstuantis* BALNEI *fores continenter apertæ si sunt, imimum illorum calorem ociùs efflant, & expellunt in ea, quæ sunt extrinsecus: ita & anima si quando multa sermocinari volet, tametsi nihil non dicat decorum, & honestum, memoriam tamen sui ipsius perdit vocalis portæ organum.* Quid si leuia, indecora, inhonesta, & noxia fudisset, qui loquitur.

Balnei similitudine oris fores claudendas docemur. S. Antioch.

Loquacitatem ita traducebat sanctus Ioannes Climacus in sua scala gradu 11. *Loquacitas est sedes vanæ gloriæ, per quam se ipsam ostentare, & in scenam, ac theatrum solet deducere.* LOQVACITAS *est ignorantiæ argumentum, fenestra obtrectationis, scurrilium nugamentorum magistra, ministra mendacij, compunctionis abstersio, auctrix, & conciliatrix ignauiæ, somni nuncia, meditationis distractio, custodia cordis abolitio, feruoris diuini frigidarium, & gelicidium, orationis languor, seu potiùs extinctio.*

Loquacitatis damna. S. Ioã. Clim.

Qui verborum fusu os inquinat, is bruto illi pariari potest: quod circumscribi potius solet, quàm nominari. Audiri hîc potest Vmbertus lib. 2. erud. Relig. 3. part. *Qui ori suo ab inquinatione non parcit, ab homine quasi degenerauit, & in porcum transijt. Porcus non plus parcit ori ab inquinatione quam pedi, vbi ponit pedem, ponit & os.*

Immũdo animali par, qui os inquinat. Vmb.

Coërceri lingua debet, & restringi, sicut & vbera solent, & sicut ista à pectore pendent, sic & verba in aliorum salutem expromenda sunt. Magnus vberum nexus, & verborum, quod in vberibus à mulieribus fit, fiat & in loquendo à viris, mulieribúsque. Festiuè rem versat Gillebertus Abbas serm. 3. in Cantica; vbi ita loquitur: *Qui verba bona, verba spiritualia debet proferre, mulierum imitetur & studia, & industriam: castigato vtatur sermone verborum; non fluitent vbera, non sine lege ferantur, non pectus, quoddam secretarium mentis magis occupent, quàm ornent: non habeant plus materiæ, quàm gratiæ: non plus carnis, quàm lactis. purus, & prudens sit sermo pro tempore, accedat huc pietas, & pulchritudinis numeros teneat: non habeat plus oris, quàm pectoris: nec lactis fluxum patiatur: ex pectore debent vbera prodire, & inhærere illi, non ipsum conuerti in illa: ex abundantiâ cordis os loquitur, & illa non totum effluat; restringenda sunt* VBERA, *ne nimis exuberent.*

Vberum nexus, & verborum.

Gilleb. Abb.

Sermo coërcendus.

292. Gladio solet lingua, quà in sacris litteris, quà in prophanis comparari, vt hotum est, sed in hoc à gladio differt, quòd hic vsu nitescit magis, & magis splendet, si vagina cohibeatur, educatur, raro rubiginem contrahit, splendorem amittit; lingua contrà cohibita plus nitet, silentiíque vagina coërcita splendet magis si frequentius, quàm par sit, exeratur, rubiginem, maculámque contrahit, & peccatorum maculis polluitur; vt verus sapiens fuerit cùm dixit: *In multiloquio non deerit peccatum,* Prou. 10. 19. & R. Simeon apud Hebræos: *Omnis,* inquit, *qui verba multiplicat, peccatum adducit.*

Gladius vsu splendet, contra in lingua gladio accidit.

Prou. 10. 19. Rab. Sim.

Sermone labia pollui; ostendit Isaias cùm dixit: *Vir pollutus labiis ego sum,* cap. 6. Quis ab immunditia liberum se futurum putabit, si liberum se non esse fatetur Dei Propheta? quod ita vrgebat sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 3. *Si Propheta,* inquit, *Domini immunda habebat labia, quomodo nos* MVNDA *habemus?*

Sermone labia polluuntur. Isa. 6. 5.

S. Amb.

Denique inter alia damna hoc eriam loquacitas affert, vt mendaces reddat cultores suos; mendacium à loquacitate, & scurrilitate nascitur, vt ignis à ferro, & lapide. ita sentiebat sanctus Ioannes Climacus gradu 12. E FERRO, inquit, & LAPIDE *excutitur ignis: ex* LOQVACITATE *verò, & scurrilitate mendacia nascuntur. Mendacium extinguit charitatem: periurium verò negat Deum. Nemo mihi cordatorum virorum existimet mendacium esse*

Mendacium à loquacitate. S. Ioã. Clim.

lene peccatum; non facilè in mendacia labetur, qui non facilis ad nimium sermonis fusum.

EXCVRSVS XL.

Lingua non coërcita, etiam in loquentem pugnat, liquentem ferit.

Lingua non custodita, loquentem ferit, *& vulnerat.*

In verbis bellum habemus, *habemus à verbis.*

Victoria *ex silentio.*

Linguam comprimere, *quàm sit vtile.*

Athletarum *exemplo lingua custodia suadetur.*

Noster sermo noster aduersarius *est.*

Priùs vulnerantur, *qui maledictionis tela in alios iaciunt.*

293. *Lingua non custodita loquentem ferit, & vulnerat.* PLerique adeò lingua procaces sunt, vt Martem in lingua habere videantur, lites suscitant verbis, omnes vulnerant, omnes fodiunt, nulli parcunt lingua, quia linguæ non parcunt; & verò si rem iuste expendamus, inueniemus hos, non alios tantùm sæuire, sed in seipsum, & plus sibi nocere, quàm aliis; bellum inferunt aliis, sed & ipsi bellum à sua lingua patiuntur; ipse sibi infligit vulnera, qui incautè loquitur, nimis in sermone effusus est, in canibus inferiores, hi quippe sua vulnera sua lingua lambunt, & sanant; linguam verò non coërcentes lingua sibi vulnera infligunt; hinc (S. August.) illud sancti Augustini serm. 215. *quod bonum est*, inquit, *& honestum, loqui studeant, ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in sanctis festiuitatibus choros ducendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo de lingua sua, vnde debuerant Deum laudare, inde sibi* VVLNERA *videantur infligere.*

In verbis bellũ habemus, habemus à verbis. Præstabit ne à lingua vulneremur, linguam custodire, linguam coërcere, quæ bellum non minus iis infert, in quos armatur, quàm loquentibus ipsis, & noxiorum verborum effusoribus, hi quippe linguæ bellum sustinent, qui inferre aliis linguam student. Opportunè nos ad linguæ custo- (S. Chrys.) diam militum exemplo vocat sanctus Chrysostomus hom. 17. in epist. ad Ephesios, bellúmque à lingua esse monet, contra quod se munire loquuturum debere his verbis docet: *Vides eorum, qui bellum gerunt, multam modestiam, aptámque ac decoram moderationem, non dico, vt nullum verbum dicant turpe, sed neque loquantur omnino, multum inter se silentium coram, qui in castris instructam habent aciem. Nam si ij, qui bellum gerunt, aduersus hostes sensiles, & à verbis nihil læduntur, tanto vtuntur silentio; tu qui & in verbis bellum habes, & maiorem* BELLI PARTEM, *hanc partem tibi sinis esse nudam?*

Victoria ex silentio. Tacebant pugnaturi, vt vincerent. hic quoque à silentio gloriosa victoria est; sæuiant in nos linguis maledici, contumeliis nos afficiant, non sunt nobis conuiciis conuitia reponenda; bellum enim tunc crudelius fieret, & vterque victoria caderet; victoria donabimur si taceamus. Præclarè sanctus (S. Valer.) Valerianus hom. 12. de bono conseruandæ pacis; *Plena*, inquit, VICTORIA *est ad clamantem tacere, & non respondere prouocanti.* Obuium victoriæ genus in te situm, vt vincas visceris, si volueris, victoriam silentium parit, à linguæ custodia victoria est. Belli damna prior senties si bellum inferas, si lingua in sæuientem arietes, verba tanquam tela in alios vibres. Pergit sanctus Pater, & huius silentij vtilitatem recenset, quæ in hostem quoque porrigatur, *habes enim*, inquit, *mercedem. Et de tua patientia, & de fratris medela si obliuioni deputetur iniuria, vbi enim verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur. Sicut nihil est deformius respondere furioso: ita nihil vtilius tacere prouocatis.*

294. *Linguam comprimere quã sit vtile.* Idem.

Athletarum exemplo lingua custodia suadetur. Decertantium athletarum exemplo, qui os claudentes depugnabant, nos ad silentium vocat sanctus Ephræmus Syrus, vt non solùm victoria potiamur, sed perfecta etiam requie perfruamur; sic ille scribit tract. de imit. prouerbiorum: (S. Ephrem.) ATHLETA *decertans os suum obstruit, & tu à superfluis os tuum occlude, & habebis requiem*; ea cariturus si os custodia careat.

Noster sermo noster aduersarius est. Si contingat in reos lingua aliquos sæuire, nostræ linguæ parcamus, quæ non minus nobis aduersatur, quàm qua iis aduersetur, quos petit, & mordet hostis noster, noster sermo est, & loquentes prius ferit, quàm feriat hostem. Scitè sanctus (S. Ambr.) Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 4. *Non immeritò*, inquit, *Propheta dicit: Quia ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Symmachus irritationis verbum dixit, alij perturbationis. laqueus aduersarij est sermo noster, sed etiam ipse non minus* ADVERSARIVS EST *nobis.* Videatur pugnare pro nobis, in nos pugnat, & altiùs nobis vulnus in alium emissus sermo infligit, quàm alij.

Prius vulnerantur, qui maledictionis tela in alios iaciunt. Iniuriarum tela maledici in alios iaciant, vulnerantur prius quàm vulnerent, propriis magis ictibus figuntur, dum vulnera aliis conantur inferre, vt iure de his, similibúsque scripserit (Claud. Mamer.) Claudius Mamerius lib. 1. cap. 1. *Etsi maliuolentia in alios tela moliuntur, ipsi magis propriis transfixi ictibus* VVLNERA, *quæ inferre conantur, excipiunt, & sui hostes sunt, antequam suos hostes feriant.*

ADAGIVM CCCLXXVIII.

Sicut ignis in spinis.

Πῦρ ἐν ἀκάνθαις, idest, *ignis in vepribus.* De acri dissipatore vsurpauit prouerbialiter Nazianz. qui aduersariorum argumenta ignis instar absumit: ita (295.) enim de Basilio magno loquitur in monod. τοῖς δὲ γίνεται πέλεκυς κόπτων τὴν πέτραν, ἢ πῦρ ἐν ἀκάνθαις, ὅ φησιν ἡ θεία γραφή, ῥᾳδίως ἐκδαπανῶν τὰς φρυγανώδεις, καὶ ὑβριστὰς τῆς θεότητος. hoc est, *fit illis bipennis cotem discindens, aut* IGNIS IN SENTIGETO, *iuxta Scripturæ sacræ dictum, absumens haud difficulter sarmentitias quisquilias dictati violatoris.*

ADAGIVM CCCLXXIX.

Leonem euasimus, sed incidimus in draconem.

CVm periculum aliquod effugimus, & simile incurrimus, aut in maius, aut cùm ab alicuius hominis ira, atque sæuitia nos subducimus, & in alterum incidimus æquè sæuum, aut etiam magis, certè non minus dolosè nobis insidiantem, hoc citemur prouerbio, quo vsus est & sanctus Bernardus epist. 189. LEONEM, inquit, EVASIMVS,

MVS, SED INCIDIMVS IN DRACONEM, *qui non minus forsan docet sedens in insidiis, quàm ille fugiens de excelso.*

ADAGIVM CCCLXXX.

Senes Susannæ.

Senes, qui sola nequitiæ diuturnitate senectutem suam probant, qui in sceleribus vetustatem suam ostendunt, libidinibúsque ætatis decus maculant, hi *Susannæ senes* prouerbiali schemate dici solent, quod dictum tritum apud nostros est. Notissima historia est de senibus illis, qui Susannæ puritatem temerare ausi sunt; quidam ex nostris canebat,

Anne SVSANNÆIS *improbior* SENIBVS.

Senum est adolescentium mores colorare, & probitatis colore depingere, abeunt qui prauitatis cœno deturpant, & malitia sua inquinant, dum ad mala malo exemplo adolescentum animos flectunt, ac quodammodo impellunt; proba illa senum nota, quam nobis exhibet sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 43. vbi ait, *Sequatur conuersationis electio, vt adiungamur probatissimis quibusque senioribus. Namque vt æqualium vsus dulcior, ita senum tutior est; qui magisterio quodam, & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit.* Aberant ab hac nota senes Susannæ, alienæ quoque probitatis inuasores, vt prodigi suæ.

ADAGIVM CCCLXXXI.

Diligant homines, oderint vitia.

296\. SI quis auocare ab alterius odio quempiam velit, vt desinat sæuire in hominem, hominis tantum vitia persequatur, hoc prouerbium efferet; nam hoc illud titulo donat Arnoldus in vita sancti Godehardi, vbi ita loquitur: *In regendis ac commonendis fratribus, media claritate fuerat erat, & in toto virtutum exercitio coram Deo sollicitus; in admonitione sua illo prouerbio sæpius vtebatur:* DILIGANT, inquit, HOMINES, ODERINT VITIA. In malis igitur diligenda natura est, non vitia.

ADAGIVM CCCLXXXII.

Incus maxima ictus non pertimescit.

QVadrabit in hominem firmum, atque constantem, qui omni aduersitate, ac calamitate maior sit; ita ferè Scholiastes ad illud sancti Gregorij Nazianzeni in sententiis, *Vt incus* MAXIMA ICTVS NON PERTIMESCIT, *sic mens fidelis omne detrimentum extrudit.*

ADAGIVM CCCLXXXIII.

Aliorum scripta ad vnguem elimare, sua vix lippientibus oculis respicere.

QVi seuerè aliena opera litterariósque labores iudicant, & critica censura versant, leues quasque labeculas acutissimè adnotantes in sua scripta admodum mites, & in suos lapsus, & erro-

res veluti cæci, hi hac prouerbiali formola percellebuntur; hinc illud sancti Odonis epist. ad Fulconem; *Nonnullis*, inquit, *mos est*, SCRIPTA ALIORVM AD VNGVEM ELIMARE, CVM IPSI LIPPIENTIBVS OCVLIS, *si qua fortè ediderint, vix respectent.* quod multis familiare est, atque solemne.

ADAGIVM CCCLXXXIV.

Altera Niobes.

QVi nimium dolore, aut metu correptus, altero se silentio tegit, vt loqui nolit, saxo, quàm homine similior, is Niobem referre videbitur. nota fabula de Niobe est, quæ 297.
post amissos omnes labores nimis effuso fletu in saxum versa est; huc flexit sanctus Hieronymus, cuius hæc sunt verba epist. 83. quæ est ad Oceanum: *Respondere volebat; ego tamen id ipsum ingerere, & secundo, ac tertio suscitari;* NIOBEM *putares, quæ nimio fletu in lapidem versa est.*

ADAGIVM CCCLXXXV.

Mortuorum secare crines.

IN sordidos auaros, & lucrum vndecumque captantes, qui lapidem omnem mouent, vt ditescant, hoc prouerbium quadrat; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni in iambicis carm. 21.

Terra profundes excute, & maris sinus.
Vel MORTVORVM DESECA, *vt dicunt,* COMAS.

ADAGIVM CCCLXXXVI.

Pisoniano vitio teneri.

QVi linguæ balbutie laborat, oris hæsitantia, lapsitantia ac tertiata verba vix profert, & tamen loqui non cessat, quin verborum plaustra euomit, vt loqui nesciat, & tacere non possit, is *Pisoniano vitio teneri* dicetur; Pisoni quippe hoc vitium obiicit Tullius; hoc sensu extulit S. Hieronymus epist. 83. quæ est ad Oceanum, ait enim: *Primù spinosulus noster obmutuit, postea verò* PISONIANO VITIO, *cùm loqui nesciret, tacere non potuit.* Indocti quique, & imperiti multorum verborum fusu, atque adeò & errorum auditores onerantes percelli hoc eodem scommate iustè poterunt.

ADAGIVM CCCLXXXVII.

Per aërem ambulare.

QVi se nimium effert, tumidus sua iactat, 298.
aliis dum comparat præfert, superbus incedit & elata ceruice, humû elationis vitio signans, prouerbiali hyperbole *per aërem ambulare* dici poterit; sic non ferendum alicuius fastum describebat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 224. *Vir quidem*, inquit, *Philosophiæ nomine clarus mecum congressus, te quidem grauiter accusabat, mirum illud sibi videri dicens quòd tu, qui ne ingenuo quidem sanguine ortus es, supercilium efferas, ceruicémque attollas, atque extremis vnguibus incedas, & per* AEREM AMBVLARE *tibi videres.*

ADAG. CCCLXXXVIII.

Lapidi misericordiam persuades.

DE iis, quæ fieri nequeunt, vt operam ludat, qui circa illa laborat; coërceri ad illos potest, qui duri, & immisericordes sunt, lapidea, chalybeaque viscera erga pauperes habent; sanctus Gregorius Nyssenus in vita sancti Ephrem Syri ita hoc prouerbium versat: *In rebus fieri nequeuntibus illud passim vsurpant prouerbÿ:* LAPIDI MISERICORDIAM PERSVADES; *ac istud fieri posse nos experimento edocti didicimus; sanctus quippe hic senex, animos quos ob malam obstinatamque duritiem lapides dixeris, planè emolliuit ac fregit, flexitque vt voluit.*

ADAGIVM CCCLXXXIX.

Effigies cunctos viatores aspectans.

299. GRegorius Nazianzenus in funerali oratione Athanasij prouerbialiter statuam viatores omnes intuentem, appellat symbolum, aut dictum aliquod, diuersimode interpretari quod possis, & quod speciosis argumentis, in hanc, & in illam sententiam deflecti, & ad diuersa accommodari queat. Verba eius sunt: ἡ πρὸς πάντας ὁρῶσα τοὺς παριόντας εἰκών. id est, EFFIGIES, *aut simulacrum* CVNCTOS VIATORES ASPECTANS.

ADAGIVM CCCXC.

Ferocia Salmoneum superare.

PHotius Patriarcha in sua Bibliotheca ex Himmerio ita loquitur: FEROCIA SALMONEVM SVPERAT, *audacia superat Ixionem*; adagium posterior hæc formula refert, & illa prior, quæ in immitem quemque ferocemque quadrat.

ADAGIVM CCCXCI.

Dionysiaca dicteria.

DIcteria liberè, & omni licentia eiaculata, Dionysiaca dicentur. Synesius in Dione, τὸν βάλλοντα Σωκράτην, καὶ Ζήνωνα τοῖς ἐκ Διονυσίων σκώμμασι καὶ τοὺς ἀπ' αὐτοῦ ἀξιοῦντα πάσης ἐξείργεσθαι γῆς καὶ θαλάσσης. idest, *Non incessenti Socratem, in Zenonem* DICTERIIS DIONYSIACIS, *eorúmque sectatores terrâ marique proscindendos mandanti.* Suidas ex incerto auctore: ποτὲ μὲν βάλλων, καὶ σκώπτων τοῖς ἐκ Διονυσίων σκώμμασι. idest, *interdum conuicians, & Dionysiacis scommatibus debacchans.* Natum à prænimia licentia bacchantium feriarum, qui flagitiis & scurrarum dicacitate perstrepebant.

ADAGIVM CCCXCII.

Ei qui seruiuit ne seruias.

300. NOtatur hoc adagio eorum fastus, arrogantia, durities, qui à statu seruitutis in quo fuerant, ad imperium euecti sunt. Audiendus hic Beatus Thomas à Villanoua conc. de sancto Martino: *Videas*, inquit, *hos elatos, tumidos, austeros, & inaccessibiles, supra homines intumescere, quorum fastuosam superbiam nemo hominum portare sustineat; vnde & in vulgari adagio dici solet, Neque* EI QVI SERVIVIT, *aliquando* SERVIAS, *neque ab eo qui petiis, vnquam petas.*

ADAGIVM CCCXCIII.

Propter amurcam torcularia non detestanda.

ECclesia spernenda non est, licèt etiam malos admittat. Religiosæ familię insuper non sunt habendæ, licèt aliquos habeant vitæ haud religiosæ alumnos, ferendi nimirum mali bonorum causa: hoc si quis prouerbiali formula significare voluerit, proferre sententiam poterit, quam præfiximus; hoc sensu extulit sanctus Augustinus epist. 137. *Etsi*, inquit, *contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo* PROPTER AMVRCAM, *qua oculi vestri offenduntur*, TORCVLARIA DETESTARI, *vnde apotheca Dominica fructu olei luminosioris implentur; quod ad alios aliaque aptè flecti poterit.*

ADAGIVM CCCXCIV.

Impetitus sagittis festucis dimicare.

BEllè vsurpauit sanctus Bernardus, cùm quis verbis solùm respondet beneficiis; sic enim ille scribit epist. 81. *Si verbis*, inquit, *contendere velim ad beneficia, quibus me obruitis, idem erit ac si* IMPETITVS SAGITTIS FESTVCIS DIMICEM, *nisi quod hoc iocus videtur, illud dolus, facta factis compensari oportet*; hæc ille, quæ ad quamcumque transferrentur vbi res imparibus instrumentis agitur inæqualibus auxiliis.

ADAGIVM CCCXCV.

Offerre lumen cæco.

DE inito labore dicetur, cùm quis industria nihil profutura fatigatur, offerre rem alicui, cuius vel non est capax, vel esse non vult. 301.
Sanctus Cyprianus ad Demetrianum ita loquitur: *Certè & labor irritus, & nullius effectus* OFFERRE LVMEN CÆCO.

ADAGIVM CCCXCVI.

Demosthenis, & Tullij Philippicas scribere.

QVi seuerè in aliquem inuehitur, & calamo quodammodo dilaniat, is adagiali quadam saliua Demosthenis, aut Tullij Philippicas dicetur scribere. Philippicæ inuectiuæ dictæ sunt, quibus Demosthenes Philippum perstrinxit, cuius exemplo Cicero orationes quas in Antonium edidit, Philippicas inscripsit. Ex nostris sanctus Hieronymus epist. 101. quæ est ad Pammachium, ita

ita loquitur, *Opto, si fieri potest, commentarios potius Scripturarum, quàm* DEMOSTHENIS, ET TVLLII PHILIPPICAS TIBI SCRIBERE. hoc est, magis placet sacrarum litterarum studio incumbere, quàm in quempiam inuehere, & calamo eos, qui in me sæuiunt, lædere, & exagitare.

ADAGIVM CCCXCVII.

Istorum temporum Paulus simplex.

SIngularis fuit Pauli simplicis simplicitas, obedientia cæca, & parendi promptitudo, vt omnium admirationem vertere in stuporem possit, si ea quæ legantur, quæ ab ipso præstita esse litterarum monumentis consignatum est; nostrorum igitur temporum Paulus simplex vir, ab malitia, dolo, ac fraude alienissimus prouerbialiter dici poterit. Quemdam per ironiam perstringit sanctus Bernardus epist. 7. in hæc verba: *O* ISTORVM TEMPORVM PAVLE SIMPLEX, *si tamen & ille alterum se tibi exhibuisset Antonium, vt quidquid vel leuiter de labiis eius procederet, necesse non haberes discutere, sed sine cunctatione ad omnia nihil hæsitans obedires.*

ADAGIVM CCCXCVIII.

Lilium in medio spinarum.

302. PRobus, & iustus inter improbos, & iniustos si degat, vtemur hoc prouerbio: vsus est sanctus Chrysostomus hom. 2. in Iob, eius perfectionem efferens & sanitatem, licèt inter malos viueret; *Vt columba*, inquit, *in medio accipitrum, ouis in medio luporum*, LILIVM IN MEDIO SPINARVM, *germen iustitiæ in oppido iniquitatis.*

ADAGIVM CCCXCIX.

Asellus lapsus diuerticula quærit.

VEnustior sensus euadet si longiùs res vocetur, vtamúrque suadentes corpus non esse nimia abstinentia, nimio labore premendum, non viribus exhaustis pergere in Dei obsequium renuat. Huc flexit sanctus Hieronymus epist. 7. quæ est ad Lætam de institutiune filiæ, vbi ait: *Sic comedat, vt semper esuriat; vt statim post cibum possit legere, orare, & psallere: displicent mihi in teneris maximè ætatibus longa, & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades oleum in cibo, ac poma vetantur, experimento didici* ASELLVM *in via cum* LASSVS *fuerit*, DIVERTICVLA QVÆRERE.

ADAGIVM CCCC.

Oleum perdit, & impensas, qui bouem mittit ad ceroma.

BOuis tarditas inepta certamini, inepta palæstræ est, propterea, qui cautè bouem nutrit, & vngendum mittit ad locum in quo Athletæ vngebantur, qui ob id κήρωμα vocabatur, oleum operámque & impensas perdere; quod vniuersè de quocumque opere dicetur, in quo quispiam in cassum laboret; vtitur sanctus Hieronymus epist. 101. vbi ait: *Completur in me tritum vulgi sermone prouerbium:* OLEVM PERDIT, ET IMPENSAS, QVI BOVEM MITTIT AD CEROMA.

ADAGIVM CCCCI.

Piscibus indoctior.

ERudiri, & cicurari, aliquo disciplinæ vestigio exerceri bruta aliqua possint, doceantur aues, doceantur canes, pisces vix, aut ne vix quidem erudiuntur: imperitus igitur & omnis incapax magisterij, doctrinæ excipiendæ ineptus prouerbiali hyperbole PISCIBVS INDOCTIOR audiet; sic hæreticos perstringit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 22. *O*, inquit, PISCIBVS INDOCTIORES? 303.

ADAGIVM CCCCII.

Hyrcanarum tigrium lacte nutritus.

DE sæuo, & immisericordi, déque eo, à quo alterios calamitates, licèt magnæ, nullum doloris sensum exprimunt, prouerbium vsurpabitur; hinc illud sancti Hieronymi epist. 26. quæ est ad Pammachium super obitu Paulinæ vxoris: *Quæ*, inquit, *aures tam duræ, quæ de silice excisa præcordia, &* HYRCANARVM TIGRIVM LACTE NVTRITA *possunt sine lachrymis Paulinæ suæ audire nomen?*

ADAGIVM CCCCIII.

Ligna in syluas ferre.

CVm aliquid alicui exhibetur, quo affatim abundat, vt cùm diuitiis diuitiæ offeruntur, aptus huic prouerbio locus erit. tritum apud prophanos est; hîc sactorum auctotum verba producam, ex quibus varius prouerbij vsus colligitor. Petrus Blesensis epist. 14. sic versat. *Diuitiæ accumulantur diuitibus, nec est qui respiciat ad inopem, & mendicum. Helisæus implebat vasa vacua, & deficientibus vasis vacuis stetit oleum. In curia verò contemnuntur vasa vacua, & plena implentur; ligna in syluas deferuntur*; & epist. 102. ita loquitur, *Vbi est, quæso, verbum illud Prophetæ, Dispersit, dedit pauperibus. Porrò in diuitibus dare, nec nos* LIGNA FERRE IN SYLVAM *oportebat*. Et vniuersè cùm aliqua alicui offeruntur, quibus diues est, cùm doctior erudiendus, instruendus peritior, hoc prouerbium opportunè vsurpabitur; sanctus Hieronymus epist. 134. IN SYLVAM *ne* LIGNA FERAS. Stephanus in historia sancti Maurini: *Quid ergo mihi* IN SYLVAM FERRE LIGNA. Petrus Aruernus lib. 4. epist. 12. *& quamuis secundùm vulgare prouerbium stolidissimum videatur humeris ligna ad syluam deferre.* Idem lib. 5. epist. 16. *Nec, vt vulgò dicitur, Mineruam docere, vel* LIGNA AD SYLVAM DEFERRE; eodem lib. epist. 40. *Videor, vt dicitur, Mineruam docere; videor* LIGNA AD SYLVAS CONVEHERE. Sidonius Apollinaris lib. 7. epist. 3. *Petita transmisi, & quid modò dicemus? grandisne hæc obedientia? puto grandis est; grandior impudentia tamen; hac enim fronte possemus* SYLVIS LIGNA TRANSMITTERE.

ADAGIVM CCCCIV.

Instar pauonis se ostentare.

304. CONuenit prouerbium iis, qui nimio, superfluóque ornatu se iactant, séque superbè ostentant. Synesius de Regno, *Num ex quo purpurati, & inaurati estis, lapillósque ex montibus, & Barbaro mari quæsitos alios redimitis, alios subligatis, alios cingitis, alios appenditis, alios fibulatis, aliis insidetis? Quocirca in spectaculum euasistis mira varietate ac colorum diuersitate distinctum, paucorum instar Homericam imprecationem in vos ipsos trahentem, lapideam scilicet tunicam.* Idem de Dione Prusiæo, sophisticis, politicísque argumentis admodum delectato: ἐν ἐκείνοις ὑπτιάζει καὶ ὡρίζεται, καθάπερ ὁ ταὼς ἀγλαϊζων ἑαυτὸν, καὶ οἷον μυριζόμενος ἐπὶ τῆς ἀγλαΐας τοῦ λόγου. idest, *in illis resupinis gloriatur, in illis decorem ostentat, pauonis in morem se ipsum circumlustrans, & quasi superbiens orationis splendore.* Nicetas Chomates lib. 3. de Isaacio ad luxui deditos etiam flectit: *Pastillis*, inquit, *& vnguentis omnis generis delibutus* INSTAR PAVONIS *superbi* SE OSTENTABAT.

ADAGIVM CCCCV.

Aquam molendinum à furno quærit.

VTemur, cùm doctus ab indocto doceri postulat, sapiénsque insipientem consulit, & expertus inexpertum, & vniuersim, cùm re aliqua diues eiusdem rei indipiscendæ causa ea destitutum adit. Sanctus Bernardus epist. 8. ita rem versat: *A me doceri flagitas egregio vtique doctore, & magistro incomparabili; itane* AQVAM QVÆRIT MOLENDINVM A FVRNO? *verbum sapiens à stulto?* sic ille de se humiliter sentiens, qui eo aptior cæteris erudiendis erat, quo se ineptiorem putabat, & fatebatur; interim eius humilitas hoc prouerbium protulit. Pari mente, & sensu aquam dulcem ab amaro riuulo quærere dixit sanctus Paulinus, & ab arente copiosam; hæc illius verba epist. ad Desiderium: *De quo autem mihi per ipsum scripseras, aquam dulcem, & copiosam, in amaro, & arente riuulo quærens, tua potiùs gratia explicandum refundo. Nam me fateor tantorum nominum, & mysteriorum pondera, ne digito quidem ausum tangere.*

ADAGIVM CCCCVI.

Agrorum multi domini.

REmanent quippe agri, abeunt domini, & moriuntur; vulgò hoc prouerbium iactabatur, quod refert, & laudat sanctus Chrysostomus hom. 11. in 1. ad Timoth. his verbis: *Dic quæso, villa qualibet, quos habuis dominos? quos item habitura est? Dicitur quoddam vulgo prouerbium, & sapienter quidem, nec enim passim contemnenda sunt, quæ vulgò dicuntur, si quid in se recti habent:* AGER, *inquiunt, quam multos habuisti, & quàm* MVLTOS *habiturus es* DOMINOS? *hoc & ad domos, & ad pecunias ritè dici potest; sola virtus nobiscum migrare consueuit, & ad æternam vitam transire.*

ADAGIVM CCCCVII.

Nemo impunè in sanctum Antonium peccat.

LIcèt nullus in vllum Sanctum peccet impunè, in sancto Antonio tamen id miris euentibus non semel ostensum, vt in prouerbium res abire potuerit; cuius his verbis meminit Sigibertus Gemblac. in Chronicis sub ann. 1089. 305.
Cùm lues pestilentissima, maximè in parte occidentali Lotharingia, excreuit, vbi multi sacro igne interiora consumente computrescentes exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriebantur, aut manibus, ac pedibus putrefactis truncati miserabiliori vita reseruabantur: multi verò neruorum contractione distorti cruciabantur. Cuius causa (asseritur in historia Antoniana) frequentiori concursu creuit cultus sancti Antonij magni in prouincia Viennensi, vbi eius corpus translatum, à Iocellino ex stirpe Comitum Pictauiensium oriundo Constantinopoli, iussu Vrbani Papæ ab eius filio Guigone apud moram sancti Desiderij fuerat collocatum, vbi omnes eodem morbo tacti, mirabile dictu, confestim sanabantur. Auctus est eo amplius erga Sanctum reuerentia, quòd sicut eo morbo ægrotantes sanari consueuerint, ita sani in eundem Sanctum peccantes siue periuria, aliave irrogata in eum blasphemia, vel contumelia, eundem mox experiri solerent vltorem, eodémque confestim morbo ignis sacri percuti. quod pauendum cunctis prodigium hactenus perseuerat adeò, vt in prouerbium versum sit: IN SANCTVM ANTONIVM NEMINEM IMPVNÈ PECCARE. Hactenus ille.

ADAGIVM CCCCVIII.

Etiam Iupiter in Christum credidisset.

PRouerbialis hyperbole, qua significatur, iis auxiliis, exemplis, monitis aliquem fultum, vt licèt alioquin à Christi fide alienissimus, tamen ad Christi fidem vocari potuerit; hoc sensu videtur extulisse sanctus Hieronymus epist. 7. quæ est ad Lætam, vbi ait: *Sancta, & fidelis domus virum sanctificat infidelem. Iam candidatus est fidei quem filiorum, & nepotum credens turba circumdat. Ego puto* ETIAM *ipsum* IOVEM, *si habuisset talem cognationem, potuisse* IN CHRISTVM CREDERE.

ADAGIVM CCCCIX.

Viperinis oculis aliorum errata respicere, suas culpas nulla falce resecare.

QVi seuerè alios peccantes arguunt, & nulla misericordia peccatores tanguntur, in sua scelera admodum mites, ac remissi, hac prouerbiali sententia poterunt perstringi, qua vtitur Ennodius lib. 1. epist. 24. in hæc verba: *Quæ malum ratio est, vt sis parcus in gratia, prodigus in querela; & exigas frequentiam litterarum, quam ipse non tribuis* VIPERINIS OCVLIS, *illud quod alter deliquit inspiciens,* TVAS CVLPAS NVLLA FALCE RESECANDO.

ADA

ADAGIVM CCCCX.

Portum quæritans fluctus experitur.

306. Elices sibi euentus promittens reperit infelices; pacem,& quietem sperans,tumultus, & strepitus nanciscitur, & vniuersè, qui voto suo frustratur secunda,& tuta quærens, calamitatibus prouerbialiter dicetur, eum portum quærere,& fluctus experiri; quo pacto loquitur sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.19. PORTVM, inquit, QVÆRITANS FLVCTVS EXPERITVR.

ADAGIVM CCCCXI.

Factum stulti cognouerunt.

IN stupidos,& qui præuidere futura nesciunt,aut negligunt, opportunè iactabitur; prouerbium vulgò iactatum fuisse indicat Clemens Alexandrinus lib.1. stromatum in calce, dum ait: *Tunc, vt est in prouerbio,* FACTVM STVLTI COGNOVERVNT.

ADAGIVM CCCCXII.

Brennus nostri temporis.

SÆuus aliquis Tyrannus, qui victoria potitus in viuos criminum crudelitatem exerceat, hoc donari elogio poterit, vt NOSTRI TEMPORIS BRENNVS dicatur, ita loquitur sanctus Hieronymus epist.8.quæ est ad Demetriadem de seruanda virginitate, vbi Africæ Tyrannum BRENNVM NOSTRI TEMPORIS vocat,à Brenno Gallorum Rege, qui Romam, victis priùs ad Alliam tiuum Romanis, cepit.

ADAGIVM CCCCXIII.

Plautini Pyrgopolynicis imitator.

GLoriosus miles, & iactabundus fictitio à Plauto nomine ita vocatur,vt prouerbij speciem PLAVTINI PYRGOPOLYNICIS IMITATOR audiat,qui nimia,& non ferenda iactantia sua efferet, temerè effecit se. Aduocanda huc verba Sidonij Apollinaris, qui lib. 1. epist. 9. ita scribit: *Gaude, quòd hic ipse panegyricus, etsi non iudicium, certè euentum boni operis accepit. Quapropter (si tamen tetrica sunt amœnanda iocularibus) volo paginam gloriosò, id est, quasi Thrasoniano fine concludere,* PLAVTINI PYRGOPOLYNICIS IMITATOR. *Igitur cùm ad præfecturam sub ope Christi, stili occasione peruenerim, iubeas licèt pro potestate, actutum vndique omnium laudum conuocatis acclamationibus ad astra portare, si placeo; eloquentiam, si displiceo, felicitatem videre mihi videor, vt rideas, quia perspicis nostram cum milite comico ferocissimè iactantiam.*

ADAGIVM CCCCXIV.

Dæmoniacum odium.

307. MAgnum noxium,quodque sopiri,ac mitigari non facilè possit, ODIVM DÆMONIACVM dicetur; hinc illud sancti Basilij Seleuciæ Episcopi orat.27. ODIO DÆMONIACO *inse inuicem immolant, ciuitas, quæ priùs concordia erat insignita, in sententias secum pugnantes scinditur.* Apud prophanos Vatinianum odium, atque etiam nouercale,in prouerbium iuit,de vehementer acerbo ac irreconciliabili, ite & Dæmoniacum potest quod omni acerbius,& vehementius est,& ab omni reconciliatione alienius.

ADAGIVM CCCCXV.

Pater qui non potest corrigi,corrigit filium.

PRouerbij titulo hanc sententiam extulit Clemens Alexandrinus adhort. ad Gentes in hæc verba: *Hic licet eloqui id quod habet instar prouerbij,* PATER QVI NON POTEST CORRIGI, CORRIGIT FILIVM.

ADAGIVM CCCCXVI.

Spontaneis pedibus accurrere.

QVi promptè alacriterque ad munus aliquod obeundum cingetur, in spontaneis pedibus & sua se sponte mouentibus ad illud accurrere dicetur. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 28.ita loquitur: *Cæterùm ad vos redij, & qui à vobis inuitus discesseram, idem non inuitus, sed animo perquam alacris,* SPONTANEIS QVE *(vt dici solet)* PEDIBVS ACCVRRI, *spiritu scilicet me fluuij cuiusdam in modum agente, qui per accliuia quidem non nisi coactus fertur, per prona autem, & decliuia celerrimè labitur.*

ADAGIVM CCCCXVII.

In Hierusalem loqui lingua Ægyptia.

CVm quis locum sanctitati sanctitate verborum cùm respondear, sed prophana, & secularia euomat, sacrotum locorum inhabitat, hic adagiali hoc schemate perstringi poterit,quòd IN HIERVSALEM LOQVANTVR ÆGYPTIA LINGVA; hoc sibi voluit Guillelmus Abbas serm.16. in Cantica,vbi hæc habet: *Decentius multo in ore Clerici, in ore monachi sacra quàm secularis littera sonat. Quid* IN HIERVSALEM VIS LOQVI LINGVA ÆGYPTIA? *Non sic Esaias. Erunt*, inquit, *quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaam, scilicet quia penitus Hebræa non poterant, ea loquerentur, quæ est vicina Hebrææ, quia lingua sancta non poterant, vel ea loquerentur, quæ sanctæ affinis est.* 308.

ADAGIVM CCCCXVIII.

Quid facient tabulæ si tremunt columnæ?

SI fortes expauescunt, & timore concutiuntur, quid facient imbecilles? Si iusti securos se non putant,quid de impiis erit? Beatus Rupertus de diuinis offic.lib.6. cap.5. sic reus versat: *Si hic*

hic Dei colluctator fortis, & rigidus stans super custodiam suam, & figent gradum super munitionem, dum Christum in Cruce contemplatus & videt cornua in manibus eius, & ibi absconditam fortitudinem eius: Timui, ait, & expaui; quid nos longè impares longéque minorem in die iudicij fiduciam habentes, quando videbimus manifestam in nubibus cæli fortitudinem illam, quam hic timet absconditam in cornibus crucis, quæ erant in manibus eius? QVID FACIENT TABVLÆ SI TREMVNT COLVMNÆ? quod accommodari rebus aliis, personisque inter se inæqualibus eleganter poterit.

ADAGIVM CCCCXIX.

Bipes asellus.

HOmo rudis, & imperitus, donari hoc titulo solet; vsus hac formula, hoc sensu est sanctus Hieronymus epist. 102. quæ est ad Marcellam, vbi ait: *Reuertamur ad nostros* BIPEDES ASELLOS.

ADAGIVM CCCCXX.

Assuesce vnus esse.

309. ILle vnus est, qui vnam seruat vitæ imaginem, normam eandem, nec inconstans variúsque est, & qui institutum, quod semel arripuit, semper tenet; hoc sensu hoc dictum recensuit sanctus Ambrosius epist. 8. vbi ait: *Vetus dictum:* ASSVESCE VNVS ESSE, *vt vita tua quamdam picturam exprimat, eandem seruans imaginem, quam acceperat.*

ADAGIVM CCCCXXI.

Ne à Diogenis quidem pera sibi temperare.

IN eos quadrabit, qui omnes vellicant, nulli parcunt, omnes damnant, omnium studia proscindunt: aut etiam in eos, qui pauperes inuadunt, eorúmque inopiæ surripere student. Sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 197. ita loquitur: *Vos mihi* NE A DIOGENIS QVIDEM *Sinopensis* PERA, *si vestra tempestate essent,* TEMPERATVRI *esse videmini; verùm ipsi quoque manum iniecturi, artem ipsi obijcientes, philosophicum pallium, baculum, & hoc ipsum, quòd ex philosophiæ præscripto nihil possideret, verùm nunc in hanc, nunc in illam domum commearet, temere, atque vt sors ferebat victitaret, quippe cùm fratri quoque Theotreno damnum ex artibus irrogare conemini. Quid primum, aut quid maximum dicam ex ijs, quæ iustè pro eo proferri possunt; an quòd Diaconus est? an quòd inops? an quod extraneus? atque ad alios potius, quàm ad nos attinens? an quòd vita, & moribus venerabilis Martyrum Sacerdos, & inquilinus? quinme illud quidem vos fugit, quod etiam vltra vires hospitalitatis studium colit, atque hoc vnum fortasse peccat, quòd vnus ex omnibus, qui illic sunt, benignitatis officia sibi per vim arrogat. Horum quódnam maximum sit, vos ipsi perpendite, homini autem his omnibus de causis parcite; ne alioqui exiguum fisco commodum afferentes, magnum ipsi detrimentum accipiatis, nudum, vt dici solet, non vestientes, sed exuentes.*

ADAGIVM CCCCXXII.

Imperio digna forma.

ETiam corporis habitu regius animus ostenditur, regia mens, Reges, regia forma decet, regia pulchritudo, vt si alicuius singularis pulchritudo, aut augustus corporis habitus sit efferendus, prouerbialiter imperio digna illius forma dicatur. Memini huius prouerbij Photius Patriarcha in sua Bibliotheca de Olympiodori historiis agens, vbi Constantium describit, *Sic hæc*, inquit, *illud obliqui torquens oculos, vt quod veteri verbo dicitur,* IMPERIO DIGNA FORMA *omnis appareret.* 310.

ADAGIVM CCCCXXIII.

Alterum Gregorium, alterum Ambrosium exhibere.

SVmma horum Præsulum sanctitas, summus zelus, eruditio summa, pietásque nota vocis Præsulis esse potest atque character; vt alterum Gregorium, Ambrosiúmque exhibeat, qui sublimi dignitati vitæ celsitudine morúmque sanctimonia respondet, licèt & ad eos coërceri res possit, qui summo studio oblatas dignitates repudiant, à collatis honoribus se subducunt, in qua re insignes hi duo Præsules extiterunt; hoc sensu extulit Petrus Delphinus Camaldulensis lib. 1. epist. 37. dum ad Bellunensem Episcopum scribens, ait: *Egisti constantissimè aduersus delatos tibi honores, atque huius sæculi hominum de te opinionem, ciuiliter magnóque, & inuicto animo contempsisti. Benedictus Dominus, qui hac nostra temporum ferè,* ALTERVM *nobis* GREGORIVM, ALTERVM *vobis exhibere* AMBROSIVM *dignatus est.*

ADAGIVM CCCCXXIV.

Vita Monachum, non locus facit.

VT vestis Monachum non facit, ita nec locus; nemo sibi de loco blandiatur, nisi mores respondeant, respondeat vita; religiosum locum incolere, religiosum non reddit, sed religiosis moribus locum dare, vitaque sanctimonia cæteris prælucere. Sanctus Gregorius Nazianzenus carmine de vita sua ita canit,

Nam VITA MONACHVM, NON LOCVS *solus* FACIT.

Falluntur omnes, qui aliter sentiunt; errorem suum norint, & vitæ in meliorem mutationem aboleant, & expient dum locus, dum tempus est.

EXCVRSVS XLI.

De loci sanctitate nemo sibi blandiatur.

Sanctitatis neglector loci sanctitate *non excusatur.*

Etiam in templo *de sanctitatis suggestu deijcere homines Dæmon tentat.*

Locus nudus *non saluat.*

Aliunde quàm à loco sanctitas *mutuanda.*

Sanctitatis

Sanctitatis domicilium cor sit, *extima loci sanctitas non sufficit.*

Adamus in Paradiso *cecidit, tres pueri in* fornace *Deum laudant.*

311. *Sãctitatis neglector loci sanctitate nõ excusatur.* S. Hieron.

VErè ita est, locus sanctitatem non conciliat, nec sanctitatis neglector loci sanctitate excusatur. nemo sibi de loco blandiatur, Samaritana Messiam cognouit ad fontem, quem Iudæus in templo cognoscere noluit; hinc illud sancti Hieronymi epist. 4. quæ est de viuendi forma: *Quid,* inquit, *Samaritana vilius? non solùm ipsa credidit, & post sex viros vnum inuenit Dominum, Messiamque cognouit ad fontem, quem in templo populus ignorabat, sed & auctor fit salutis multorum.*

Etiam in tẽplo de sanctitatis suggestu decipere homines Dæmon tentat.

Quid tẽplo, in quo Deus auctor sanctitatis colitur sanctiùs? & tamen ad illud duxit Dæmon Christum, vt deciperet, & ad lapsum, præcipitiumque inhortaretur; statuit enim eum super pinnaculum templi, vt ibi ruinam sibi pararet, vbi salus, & vita solet experiri; certè quod in Christo tentauit, nec perficere potuit, in multis Christianorum obtinet, quos in templis vincit, cùm vincere extra illud illos non potuerit; ij sunt, qui in templis ea mala meditantur, quæ opere implent egressi è templo, quos iure perstringit Saluianus lib. 3. de gubernatione Dei, præstat hic illius verba plantati: *Si vult quispiam scire, quid in templo huiusmodi homines cogitauerint, videat quid sequatur, si quidem consummatis solemnibus sacris statim ad consuetudinaria omnes studia discurrunt: alij vt furentur, alij vt inebrientur, alij vt fornicentur, alij vt latrocinentur: vt euidenter appareat hoc eos esse meditatos dum intra templum sunt, quod postquam egressi fuerint exequuntur.* Vbi religio in cultoribus adest, religionis locus crimen aggrauat sanctitate, sanctitatem verò non affricat.

Salu.

312. *Locus nudus non saluat.* S.Greg.

In loco sancto sanctitas quærenda est, non à nudo loco speranda, non expectanda à solius loci ope salus; docuit hoc Angelus, qui nec in cœlo salutem reperit, è cœlo cadens; scite sanctus Gregorius hom. 9. in Ezechielem, *Si locus,* inquit, *saluare potuisset, satan de cœlo non caderet;* frustrà est, qui spem suam in loco ponit, si ipsemet sanctis moribus sanctitatis locus non fiat.

Aliunde, quã à loco sanctitas mutuãda.

Non mutuat sanctus locus inquilinis sanctitatem, nisi aliunde illam nanciscantur. Hierusalem olim dicebatur *Ciuitas sancta,* nec tamen suis habitatoribus sanctitatem inhalabat; vt enim, inquit sanctus Hieronymus epist. 13. quæ est ad Paulinum, *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est; singuli quique credentium non locorum diuersitatibus, sed fidei meritis ponderantur.* Addit, paucis interiectis, *Saluator ad discipulos loquens cùm esset in templo, Surgite,* inquit, *abeamus hinc;* in Dei templo esse ad sanctitatem parum est, nisi sanctitate, Dei templum quisque sit.

S.Hieronym.

Sãctitatis domicilium cor sit, extima loci sanctitas non sufficit. Idem.

Dei Regnum intra nos esse Apostolus affirmat, vt proinde parum referat, si sanctum alioquin locum incolamus, si intus corda vitiorum domicilia sint. Denique resurrectionis loco diu Iouis Idolum stetit, in Crucis rupe Veneris simulachrum, in Bethleem Adonidis lucus fuit constitutus, vt hinc colligatur in sanctis locis adolescere & vitia posse, sicut & in non sanctis sanctitas adolescere. Elegãtissimè rem versat idem sanctus Pater eodem loco, adiicit rei firmandę alia exempla vt nefas duxerim, eius verba, licèt pluscula, reperite; sic autem ille pergit, *Cæterùm, qui dicũt: Templum Domini, templũ Domini; audiant ab Apostolo, Vos estis templũ Domini, & Spiritus sanctus habitat in vobis, & de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cælestis. Regnũ enim Dei intra vos est. Antonius, & cũcta Ægypti, & Mesopotamia, Põti, Cappadocia, & Armenia examina Monachorum non videre Hierosolymam, & patet illis absque hac vrbe Paradisi ianua. Beatus Hilariõ, cùm Palæstinus esset, & in Palæstina viueret, vno tantùm die vidit Hierosolymam, vt nec contemnere loca sancta propter vicinia, nec rursus Deum loco claudere videretur: ab Adriani temporibus, vsque ad Imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis simulachrum Iouis, in Crucis rupe statua ex marmore Veneris à gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis, & Crucis, si loca sancta, & idola polluissent. Bethleem nunc nostram, & angustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit, Veritas de terra orta est, lucus inumbrabat Thamus, id est, Adonidis: & in specu vbi quondam Christus paruulus vagijt Veneris amasius plangebatur. Quantum, inquies, hæc tam longo repetita principio? videlicet ne quidquam fidei tuæ deesse putes, quia Ierosolymam non vidisti, nec nos idcirco meliores existimes quòd huius loci habitaculo fruimur; sed siue hic, siue alibi æquiualenter pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem.* Nihil poterat grauius dici, nihil ad rem nostram cohærentius.

313. *Adamus in Paradiso cecidit, tres pueri in fornace Deum laudabant.*

Iace in priora tempora oculos, & Adamum in Paradiso corruentem videbis, videbis tres pueros in camino ignis Deum laudibus efferentes; Adamus in Paradiso torpuit, & fœdissimè lapsus est; Iob in sterquilinio vigilans virtutem suam prodidit; quod eleganter ad nostram mentem expendebat sanctus Chrysostomus hom. 4. ad populum Antiochenum, vbi hoc vobis monitum offert: *Licèt in Paradiso sis, ne confidas, etenim in Paradiso erat Adam, & postquam Deum irritauit, nihil profuit Paradisus, in fornace erant isti tres pueri, & postquam se bona egerunt, nihil offuit fornax; in Paradiso erat Adam, & quia segnis erat, supplantatus fuit; fimo insidebat Iob, & quia vigilabat, superauit; atqui quanto Paradisus è fimo melior? sed nihil loci virtus inhabitanti profuit.* Nimirum in Paradiso segnis Adam euasit sterquilinium, Iob vigilans in sterquilinio Dei spiritibus Paradisus euasit, tanti refert non in quo loco quis degat, sed qualis.

S.Chrysost.

ADAGIVM CCCCXXV.

Alter Eurybatus.

FVr insignis, ac latrocinij nobilis, prouerbiali schemate alter Eurybatus dicetur. Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus lib. 2. de miraculis sanctæ Theclæ ita loquitur: *Ibi fur quidam* ALTER EVRYBATVS *thalamum inuadens, & quod in ornatu textili præstantissimum erat, secum auferens, recessit, zonam scilicet, rem eximiam, & pretij singularis, quippe ex solo auro, & lapidibus pretiosis confertam.* 314.

Adeò in arte furandi peritus EVRYBATVS fuit, vt deprehendi vix posset, vt in prouerbium abierit, si quis dolosus fur deprehensus esset, & conuictus, *victus est Eurybatus*; huc spectauit Libanius sophista serm. de vita sua in hæc verba, *Quin etiam nunc patet, quòd omnium ore enuntiatur, scitum fuisse Eurybatum;* & orat. 14. in Florent. ad Iul. Imper. ait idem Libanius; *At verò hic leuibus de causis hoste Æacos censuit,* ILLVM *autem* EVRYBATVM.

ADAGIVM CCCCXXVI.

Contra torrentem brachia extendere.



Vi factu difficilia, aut impossibilia molitur, eique se temere opponit, cui resistere nequeat, is prouerbiali schemate dicetur contra torrentem extendere brachia; sic extulit Theodoricus Abbas in vita sanctæ Andradæ Virginis, dum ait: *Dei voluntati nolle obedire* CONTRA TORRENTEM BRACHIA EST EXTENDERE.

ADAGIVM CCCCXXVII.

Aaronem te cupio, & Samuelem.

SI quis quempiam Dei seruitio mancipatum cupiat, diuinóque obsequio plenè addictum, is eum Aaroni, ac Samueli parem desiderabit; sancti Gregorij Nazianzeni pater ipsum, apud ipsum in carm. de vita sua ita affatur.

> Γνοίη σ' Ἀαρὼν, καὶ Σαμουὴλ πλήσιον
> Θεῖναι, θεῷ τε τίμιον παραστάτην

Quæ interpres ita carmine reddidit,

> *Cupio te Aaroni iungere, atque Samueli,*
> *Vt præpotenti semper assistas Deo.*

ADAGIVM CCCCXXVIII.

Euripus.

315. EVripi natura locum prouerbio fecit, vt quoties alicuius inconstantiam, rerum mutabilitatem significare volumus, aptè & illum & istas Euripo comparemus. Illustrarunt alij hoc prouerbium, nos alia afferemus etiam præter illa, quæ illis dicta, & nostros præcipuè aduocabimus; quod ab aliis minimè præstitum de Euripo scribit Liuius lib. 27. *Et fretum ipsum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat; sed temere in modum creati nunc huc, nunc illuc verso mari velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur*; hinc ad morum inconstantiam exprimendam Euripum auctores adhibent. Libanius Modesto; *Metuo me* EVRIPVM *existimes*, id est, leuem, inconstantem; & tom.2.orat.3. cui titulus Basilicus: *Quare*, inquit, *quod fiebat* EVRIPI *conuersionibus simile erat.* Nicetas Chroniates lib.3. de Isaacio: *Homines leues, consceleratí,* EVRIPO *mutabiliores.* Idem auctor de Balduino Flandro, *Exercitui* EVRIPO *concitatiori pontem substernit.* Sanctus Chrysostomus, vitæ præsentis inconstantiam, ac volubilitatem EVRIPI nomine notat, sic ille scribit in Psalm.119. *Quid verò,* inquit, *crassius ys, qui cælo proposito, & ys bonis, quæ sunt in cælis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, ore hiante vmbras stupent, nec volunt vitæ præsentis* EVRIPVM *traycere in perpetuis fluctibus, tempestatibus & naufragys volutati*; & hom. 7. in epist. ad Coloss. *Describamus vitam præsentem, vt videamus num omnia essent terra, & aqua, & quæ essent huiusmodi vt* INSTAR EVRIPI *fluerent, & refluerent*; & hom 28. in Matthæum, *Nam quoniam mutabilem, quasi* EVRIPVM *esse credebant, ideo falsam eorum de Ioanne suspicionem arguens ait: Quid existis in desertum videre calamum a vento agitatum?* Non fuit EVRIPVS Ioannes, fuere qui eum esse arbitrabantur. EVRIPI similitudine idem sanctus Pater in Psalm. 139. præsentis vitæ fugacitatem his verbis explicabat: *Quemadmodum enim, qui ad mare est accessurus, & aquarum violentarum impetum, vim immanium ventorum, & nubium concursum, rupésque & scopulos marinos, belluarum irruptionem, & piratarum incursionem, & famem, & sitim, & stationem non satis tutam nauibus, nautarum contentionem, viatici inopiam, & quæcumque sunt eiusmodi, debet considerare, & prospicere, & aduersùs ea omnia aciem instruere: ita etiam qui venit, in* EVRIPVM *vitæ præsentis, & aduersùs corporis affectiones, & aduersùs morbos animi, & aduersùs hominum insidias, & aduersùs inimicorum insurrectiones, & aduersùs fictorum amicorum fraudes, & aduersùs paupertatem, & aduersùs tormenta, & aduersùs contumelias, & Dæmonum phalanges par est vt se præparet, siquidem sit in vrbem Regiam peruenturus, & mercibus onustus in portum appulsurus*, huius vitæ vndis, fluctibus æstibúsque iactatus, quis nisi mente viduos, suæque salutis immemor, torpeat, ac dormiat? Sollicitè EVRIPVM hunc nauiga lector, vt enauiges, & felix ad patriæ littus transuehatis.

Denique & noster Agellius in Psalm. 29. ita loquitur; *Fluctuant enim humana omnia, & non secus atque in* EVRIPO *aliquo agitantur. Itaque, vt ille sustineat, & gressus nostros perficiat, assiduè precandum est.*

Sanctus Proclus orat. 6. EVRIPI nomen ad carnalium voluptatum æstum significandum traducit; *Vel nimium,* inquit, *mentis oculum impollutum repurgatúmque seruasse, ab insido, & ceu* EVRIPO *iactabundo carnalium voluptatum æstu.* Synesius eam translationem ita versat, dum canit hymno 6.

> EVRIPI *æstum sistito vagum,*
> *Sedato sanas tempestates Sylæ,*
> *Animæ, & artuum arceto morbos,*
> *Cupiditatum perditum sopito impetum.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus carm. 9. Euripo mortales similes dixit:

> *Quàm verè leuibus conferri possumus auris.*
> *Quàm sumus Euripo similes. namque illius instar*
> *Voluimur in terra, vano splendore tumentes.*

Et orat. 32. *Dicas* EVRIPOS *quosdam esse nunc exundantes, nunc reciproco fluctu subsidentes.*

In lurconem, & ventri deditum prouerbium torquet sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 41. *Tibi,* inquit, *ni fallor, istud continget, vt omnibus Israelis vrbibus cum huiusmodi ventre, atque animi instituto peragratis* EVRIPVS *quidam sis, omni nidoris ciborum vento circumactus, ac perpetua instabilitate laborans.*

ADAGIVM CCCCXXIX.

Alter Nicodemus.

SI quis alieni obsequium aliquod exhibeat, 316.
sed præ timore lucem, & spectatorum oculos fugiat, hic prouerbiali schemate ALTER NICODEMVS appellabitur, in illius similitudinem, qui noctu Iudæorum metu ad Iesum accedebat; sic nocturnum suum præceptorem indigitat Beatus Hieronymus lib. 2. epist. 65. ad Pammachium, & Oceanum, vbi ita loquitur: *Putabant me homines finem fecisse discendi, veni rursum Hierosolymam, & Bethleem; quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? timebat enim Iudæos, & mihi* ALTERVM *exhibebat* NICODEMVM.

Quid ei, qui Nicodemum refert, præstandum sit, scitè docet sanctus Gregorius Nazianzenus orat.

orat. 42. *Si Nicodemus sis nocturnus ille Dei cultor, funebribus vnguentis ipsum* (Christum) *vnge*; quæ verba eleganti paraphrasi exornat Nicetas dum ait: NICODEMVS *ille est, qui ad Christi agnitionem animo quidem firmus est, ac solidus, caterùm dum carni gratificatur, in mandatorum obseruationem acri animi contentione incumbere, velut meticulosus renuit, propter metum Iudaorum, hoc est, perturbationum animi, vel Damonum impetus. Huiusmodi autem viro ad laudem, & commendationem praclarum videtur rectè saltem de Christo sentire, nec contumeliosa verba proferre. Vnguentis autem Dominicum corpus ad sepulturam perfundit, qui sermones, & disputationes, quas de eo habet, piè tractat, easque fundit suaui odore stillantes, aut etiam redolentes.*

ADAGIVM CCCCXXX.

Ventis mobilior, fluctibus inquietior.

BEatus Ambrosius de Elia, & ieiunio, de mercatore loquens, qui lucri causa maria sulcat, ait: VENTIS *ipsis* MOBILIOR, *quibus voluitur*; quod & ad eos, qui vno loco stare nesciunt, aut nequeunt, aut variarum cogitationum fluctibus ita iactantur, vt in vna sententia consistere non possint, sed paulo momento huc illuc fetantur, porrigi poterit. Eodem spectat idem sanctus Pater eodem loco dum subdit: *Erubesce Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguit, cùm sis ipse* FLVCTIBVS INQVIETIOR.

ADAGIVM CCCCXXXI.

317. ### *Formica Elephanti comparata.*

VTemur cùm minima maximis conferuntur, vt si imperfectiores sanctissimis viris comparentur; in hunc sensum vsurpauit Beatus Thomas à Villanoua conc. 1. Dom. 3. Adu. dum ait: *Quòd si ad alia exemplaria Sanctorum attendas, quid est ad illos comparatus nisi veluti* FORMICA AD ELEPHANTEM? *In lib. Numerorum legimus missos exploratores ad terram promissionis redijsse, dicentes: Vidimus monstra de genere gigantao, quibus comparati quasi formica videbamur; sic omnino exploratores, & contemplatores cœlestis patria, quoties gigantum, id est, Sanctorum, qui sibi sunt, vitam, moresque considerant, si viuentes modò Christianos cum illis conferunt, quasi formica videbuntur.*

ADAGIVM CCCCXXXII.

Columba in medio accipitrum.

QVoties mitis quispiam vir, ac simplex inter immites, ac improbos inuenitur, tunc vsurpari hoc prouerbium poterit; vsurpauit sanctus Chrysostomus hom. 1. de patientia Iob, Iobi simplicitatem, & innocentiam afferens, licèt inter malos versaretur: COLVMBA, inquit, IN MEDIO ACCIPITRVM, *stella in medio nubium.*

ADAGIVM CCCCXXXIII.

Feles exuit crocoton.

FEli crocotôn dare, est parœmiographi mente, honorem indignis tribuere, & quos haudquaquam decet, aut cùm datur quidpiam iis, qui munere non norunt vti, velut si quis à Musis alienissimo bellissimum donaret librum. Crocoton vestis genus est rotundæ, ac fimbriatæ, qua diuites vtebantur matronæ; sed aliud adagium est, quod damus, & sensum alium continet; FELEM CROCOTON EXVERE dicemus, quoties alicuius simulatio detegitur, & qualis quisque sit summota hypocrisis larua prodit. Simeon Metaphrastes in actis sanctæ Euphemiæ ita loquitur, *Priscus propter hac ita repletus, breui enim deprehensa fuit simulatio, &* FELES EXVIT CROCOTON; *iubet Martyrem virgis verberari grauissimis.*

ADAGIVM CCCCXXXIV.

Fumantem de incendio titionem citò vorax flamma comprehendit.

DEgere separatos eos debere, quos libidinis 318.
flamma semel corripuit, ne iterum ambustus, prouerbialis hæc formula monet; huc videtur spectare sanctus Bachiarius epist. de recipiendis lapsis dum lapsum alloquens ait: *Quam habuisti in corruptela vitium collegam, habeas in pœnitentia labore consortem: non vt coniuncti pœniteatis, sed vt separati ab alterutrum, vnum opus agendo, iungamini, quia* FVMANTAM *adhuc* DE INCENDIO TITIONEM CITO VORAX FLAMMA COMPREHENDIT.

ADAGIVM CCCCXXXV.

Vita quoque emi pecunia potest.

MAgna auri vis, magna argenti, maximè in pauperes, & indigentes erogentur. hoc si quis affirmare voluerit, vtetur hoc prouerbio; quod offert Basilius Imperator Constantinopolitanus de eleemosyna cap. 5. vbi hoc fuisse vulgò tritum in eleemosynæ commendationem ostendit, dum ait: *Limitem mortis etiam mouet eleemosyna, secundùm id quod vulgò fertur*, VITAM QVOQVE POSSE EMI PECVNIA.

ADAGIVM CCCCXXXVI.

Fontes priùs sursum tendent, & flamma deorsum.

VBi aliquid nunquam futurum significamus, hac prouerbiali vtemur formula, qua impossibili rem non futuram ostendemus; ita loquitur S. Gregorius Nazianzenus in carm. de vita sua,

Natura SVRSVM FONTIVM TENDET PRIVS,
Partésque AD IMAS FLAMMA *labetur vorax,*
Quàm quid salutis perfidus prodam mea.

ADAGIVM CCCCXXXVII.

Muscarum Fuscinacensium maledictio.

VSurpari hoc prouerbium poterit cùm su- 319.
bitam aliquarum rerum ruinam, exitium, destructionémque significabimus, à mira-

culo

culo orta parœmia est, quod sancti Bernardi meritis accidit; tem his verbis effert VVilhelmus Abbas sancti Theodorici in vita sancti Bernardi cap. 9. *Venerat*, inquit, *aliquando Fusniacum, quæ est Abbatia vna de primis, quam ipse ædificauit, in Laudunensi territorio sita. Cumque ibidem Oratorij dedicatio pararetur, ita illud occupauerat muscarum incredibilis multitudo, vt earum sonitus improbusque discursus grauem nimis introeuntibus molestiam generaret; nullo ergo succurrente remedio, dixit sanctus, Excommunico eas: & manè omnes mortuas inuenerunt. Cumque pauimentum omne aperuissent, palis ejcientes eas ita demum basilicam inundauerunt. Hoc autem tam notum, & tam celebre fuit, vt inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem magna multitudo conuenit*, MVSCARVM FVSCINACENSIVM MALEDICTIO *in parabolam verteretur.*

ADAGIVM CCCCXXXVIII.

Nostri temporis Aristippus.

Doctrinæ mercibus diues, qui statim de qualibet re disserere possit, & cuilibet quæstioni satisfacere, qua in re insignis extitit Aristippus, in hunc quadrabit hoc prouerbium. Sanctus Hieronymus lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum ita loquitur: ARISTIPPVS NOSTRI TEMPORIS, *qui plenam cunctarum mercium nauem Romam inuehis portui.*

ADAGIVM CCCCXXXIX.

Salomonis sanguisugam æmulari.

320. Quicunque rei alicuius tanta cupiditate tenetur, vt expleri nunquam possit, nunquam satiari, is prouerbiali figura Salomonis sanguisugam æmulari dicetur. Conuenit hoc auaris, qui aggestis diuitiis nunquam satiantur; quadrat in ambitiosis, qui adeptis honoribus, nouis semper inhiant; verùm non prohibet in alicuius laudem istuc vsurpari, vt is tribuatur, qui virtutis alicuius tanta siti corripiuntur, vt in eius exercitio nunquam delassentur, nunquam expleantur; sic benignus, & liberalis commendabitur, qui diuitiatum copiosa largitione largiendi nouo semper amore flagret; hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 19. Nonnæ matris liberalitatem in pauperes celebrans his verbis: *Quam, & qualem mulierem dicam? Cui ne Atlanticum quidem pelagus, aut si quid aliud, maximum est, ad exhauriendum sufficere potuisset (tanto tamque immodico largiendi amore flagrabat) quæ* SALOMONIS SANGVISVGAM *in contrarium* ÆMVLATA EST, *nimirum per inexplebilem ad bonum cupiditatem, insaturabilem ad malum auiditatem vincens, tantàque ad benemerendum alacritate prædita, vt ea saturari non posset: quæ denique non opes solùm omnes, quas vel ab initio habuit, vel postea consecuta est, cupiditate sua minores existimabat, sed seipsam quoque, si fieri potuisset, & liberos, vt ex ipsa sæpe audiui, promptè ac lubenter vendidisset, vt in pauperum vsus expenderentur.*

ADAGIVM CCCCXL.

Minas euitans ad certa pericula confugit.

Prouerbialem saliuam sapit, quod bis versibus habet Petrus Abailardus epist. 1. MINAS, inquit, EVITARE CVPIENS AD CERTA CONFVGI PERICVLA; quod in eum quadrat, qui à dubio discrimine se subducit, certo se committit, & leuius damnum vitans, grauius eligit.

ADAGIVM CCCCXLI.

Alter Iephthe.

Qui imprudenter, temere, stultéque aliquid se facturos spondent, & vouent, & impudentiùs stultiúsque exequuntur, hi Iephthæ poterunt prouerbiali sale comparari, qui filiam vnicam interfecit, quòd nouit se Deo mactaturum illud, quod redeunti primum occurrisset, vt habetur Iudicum 11. Hoc sensu efferebat Petrus Abailardus epist. 3. dum ait: *Deus alius Propheta dicit: Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Attendant id, atque aduertant Principes terreni, qui occasione propositæ, & edictæ iustitiæ suæ obstinati magis, quàm iusti reperiuntur, & se remissos videri erubescunt, si misericordes fiant, & mendaces, si edictum suum mutent, vel quod minus prouidè statuerunt non impleant, etsi verba rebus emendent. Quos quidem rectè dixerim* IEPHTHÆ *comparandos, qui quod stultè vouerat, stultius adimplens vnicam interfecit.* 321.

ADAGIVM CCCCXLII.

Alienas festucas in trabes conuertere.

Qui aliorum lapsus non minuit, sed auget, leuésque culpas maiores facit, quàm sit, defectus alienos exaggerat, hic aliorum festucas in trabes dicetur commutare, ità loquitur Berengarius Scholasticus in Apologetico, ait enim: *Cùm trabes loquaris, quid* ALIENAS FESTVCAS IN TRABES COMMVTARE *moliris, non est negotium misericordiæ culpam augere, sed minuere*; in qua re peccatur à multis, qui grandia aliorum crimina reddere student, non narrant.

ADAGIVM CCCCXLIII.

In agno crudelitas desæuit.

Locus prouerbiali huic formulæ erit, quoties quis alioquin mitis, & mansuetus, durus, immitis, & immisericors euadit; hinc illud Petri Blesensis epist. 50. *Auditur hodie quod non est auditum à seculis, quia* DESÆVIT IN AGNO CRVDELITAS. *Nouit ferè vniuersitas orbis, quòd præ cunctis mortalibus, præcipuè, & singulariter pietatis gratia, & spiritu mansuetudinis abundatis; ideòque & omnibus vertitur in stuporem, quare G. Camerario Abbatis Cadomensis, qui in multa cordis contritione, & humilitate pænitentia omni satisfactioni se offert, ita vos durum, & inexorabilem exhibetis.*

ADA

ADAGIVM CCCCXLIV.

Labruscam bonæ viti præponere.

322. LAbruscam ille bonæ viti præfert, qui viliora præponit pretiosioribus, vtiliora inutilibus postponit. Sedulius in oper. Paschali lib. 1.cap.1.ita loquitur : *Quid adhuc* LABRVSCAM BONÆ VITI PRÆPONITIS? *quid nitidis saliuncam vosæuiis antefortis?*

ADAGIVM CCCCXLV.

In lupo sæuitia mansuescit.

CVm sæuus, durus, inexorabilis, flectique nescius, mitis, mansuetus, & pius fit, quodam schemate hæc sententia vsurpabitur, IN LVPO SÆVITIA MANSVESCIT, quo vtitur Petrus Blesensis epist.50. *Auditur*, inquit, *hodie, quod non est auditum à sæculis, quia* IN LVPO SÆVITIA MANSVESCIT, quia scilicet, qui crudelitate insignis erat, mitescit.

ADAGIVM CCCCXLVI.

Hirundines cygnos cauillis incessunt.

CVm loquaces silentij cultores arguunt, & solitudinis amicos in omnium conspectu, vel vsque ad fastidium se exhibentes damnant, & alicuius artis imperiti peritos, tunc huic prouerbio coogruus locus erit, natum ex fabula, cuius meminit sanctus Gtegorius Nazianzenus, qua HIRVNDINES CAVILLIS INCESSEBANT CYGNOS, propterea, quòd nec cum hominibus consuetudinem habere, nec canendi artem in publicum proferre vellent, sed circa prata solùm, & flumina canerent, ac solitudinem amplecterentur; quas tamen cygni de sua paratura repercusserunt: causa nostra, inquiunt, in solitudinem se quispiam libens contulerit, vt musicam audiat; vos autem & in ædes admissos homines fastidiunt, & canentes auersantur.

ADAGIVM CCCCXLVII.

Dum herba crescit, equus moritur.

323. VVlgare prouerbium, quod in eos conueoit, qui promissa reddere differuot, & sola spe expectantem, quin & indigentem nutriunt, vt interim præ inopia deficiat; ex Chrysologo citat hæc verba Ioannes Dereyroles in cap.1. Zachariæ v.13. q.1. *Timeo ne in nostra promissione illud vulgare prouerbium locum habeat:* DVM HERBA CRESCIT, EQVVS MORITVR; vbi hoc Chrysologus in suis operibus tradiderit non vidi, prouerbium tamen recipio, vnde vnde illud sit.

ADAG. CCCCXLVIII.

Promptum omnibus est de castrensi munimine pericula securo vultu conspicere.

QVi extra discrimina sunt, & contra pericula mmuniti, vultu securo poterunt videre qui-

bus alij obnoxij sunt; locus huic prouerbio erit, cùm aliquis in eo aliquem iudicat, & seuerè arguit, à quo se ille eximit; vt si quis scriptorem laceret, qui tamen à scriptionis labore se subducit, & iudiciorum alcam experiri non vult. Sedulius Presbyter in epistola ad Macedonium, quam operi Paschali præmittit, ita loquitur: *Proferant sua, si qui carpere nituntur aliena.* PROMPTIVS EST OMNIBVS *iudicare, quàm facere, &* DE CASTRENSI NVMINE PERICVLA SECVRO VVLTV CONSPICERE.

ADAGIVM CCCCXLIX.

Inter ignes Babylonios esse.

QVi in summo discrimine est, de vita, de nomine periclitatur; qui malorum hominum persecutiones sustinet, contumeliis eorum amburitur, is adagiali quadam forma INTER BABVLONIOS IGNES ESSE dicetur; hoc sensu vsurpauit sanctus Hieronymus epist.62. quæ est ad Theophilum aduersùs errores Ioannis Hierosolymitani, vbi de calumniis, & conuiciis, quibus obruebatur, loquens, ait tandem: *Poteram quidem liberè proclamare, & inter gladios quoque,* IGNESQVE BABYLONIOS *dicere.*

ADAGIVM CCCCL.

Clausis oculis aliquid agere.

QVi ptauo affectu in aliquid feruntur, nulla consideratione præmissa, temerè, sine vllo 324.
consilio, hi CLAVSIS AGERE OCVLIS prouerbialiter dicentur. Tertullianus in Apologetico cap. 1. *Quid? quòd ita plerique clausis oculis in odium eius impingunt, vt bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Caius Decius, sed malus tantùm, quòd Christianus*; tanta odij cæcitate in Christianum olim nomen Gentiles ferebantur. lib. de resurrectione carnis cap.51. ita idem auctor loquitur: *Si tam abruptè, vt quidam volunt,* CLAVSIS, *quod aiunt,* OCVLIS, *sine distinctione, sine conditione.*

ADAGIVM CCCCLI.

Plautino sale in quempiam ludere.

QVòd argutus sit Plautus, conuitiis, & scommatibus refertus, Plautino sale in quempiam ludere dicetur, qui eum scommatis petit, conuitiis obtuit, proscindit maledictis. Sanctus Hieronymus in Apologia aduersùs Ruffinum, ita scribit: *Audio te quadam de epistola mea philosophicè carpere, & hominem rugosæ frontis adductique supercilij* PLAVTINO *in me* SALE LVDERE.

ADAGIVM CCCCLII.

Momus omnes attingit.

CVm innuere voluerimus, neminem adeò magnum, & præstantem esse, quem aliqua macula non inficiat, defectus aliquis non afficiat,

tunc locus huic prouerbio erit. Huc spectauit sanctus Gregorius Nazianzenus hom. in laudem Basilij dum ait: *Neque viles tantùm, & plebeios, sed etiam præstantissimos quosque viros* MOMVS ATTINGIT, *vt solius Dei sit omni peccato, atque animi perturbatione vacare.* Quæ de Momo fabulantur, obuia omnibus sunt, cunctis nota, repetere redundantis operæ est; solo verarum virtutum cultu obstrui os Momo potest, eius morsibus non facilè patebit, qui virtutibus se tradit informandum; hinc illud Libanij sophistæ tom. 2. orat. 8. vbi ait: *Obturans etiam Momi os rabidum accurato virtutum cultu.*

ADAGIVM CCCCLIII.

A Nazareth potest aliquid boni esse.

325. VTemur hoc prouerbio quoties gens aliqua, aliquis populus adeò malis moribus est infamis, vt prodigium sit virum clarum, probum ex illo prodire. Nota Nazarenorum malitia locum huic prouerbio dedit, vt dixerit Nathanael Ioan. 1. 46. A NAZARETH POTEST ALIQVID BONI ESSE? Huc facit illud quod sanctus Eutychius dixisse refertur, de eo quippe ita scribit Eustachius Presbyter: *Cùm ageret vir sanctus in monasterio, contigit, vt omnes, qui Ponti prouinciam incolebant, venirent ad sanctum hunc virum, magnam ex illius sermone vtilitatem percepturi; cùmque, vt in colloquiis fit, alius aliam prouinciam laudarent, magnus vir Dei, cùm Arabisenorum mentiò fieret, venustè dicebat ad Principes, qui inde venerant: Magna est ciuitas vestra, & de illa meritò dici potest,* E NAZARETH POTEST ALIQVID BONI ESSE? *Id autem ita pronunciabat, vt non diceret se id affirmare, ne se sublimem, sed humilem ostenderet.*

ADAGIVM CCCCLIV.

Iuxta quem sedet aliquis, ab eo discit.

FAcilè, & obuium est, vt eorum mores moribus quis referat, cum quibus consuetudinem habet, iis facilè imbuitur, quæ fieri ab illo videmus, cui frequenter adstamus; hoc quippe sibi vult prouerbialis hæc formula, quam vulgò iactari solitam indicat Richardus Victorinus in librum Canticorum cap. 9. vbi ait: *Quod frequenter videtur, & auditur, ad hoc facile animus informatur, quia, sicut dicitur vulgò,* IVXTA QVEM SEDET ALIQVIS, AB EO DISCIT. in hoc Camæleoni pares homines sint, & eum colorem moribus referant, quem offert ille, cum quo versantur.

ADAGIVM CCCCLV.

Aliquem magis, quàm aërem spirare.

326. PAthetica loquutio, & tenerè alium amantis sententia, qua assidua alicuius memoria, amicus in amicum affectus, amor significatur. Sanctus Gregorius Nazianzenus sic ad sanctum Basilium scribit epist. 9. *Equidem ipse te* MAGIS QVAM AEREM SPIRO, *idque solum viuo, quòd tecum sum, vel coràm, vel absens per animi simulachrum.*

ADAGIVM CCCCLVI.

Angues inter anguillas.

CVm inter innocentes, & ab perfidia immunes nocentes perfidique versantur, tunc locus huic prouerbio erit; hinc illud Petri Blesensis epist. 142. *Sunt huius mali occasio quidam inter conuersos peruersi, inter columbas corui,* ANGVES INTER ANGVILLAS.

ADAGIVM CCCCLVII.

De veneno sibi facere theriacam.

CVm quod sua natura, aut certè communi quadam consuetudine noxium est, fit vtentis industria salutare, tunc huic erit prouerbiali figuræ locus; vt si quis diuitiis ad animæ salutem vtatur, eas pauperibus erogans, cùm plerumque exitium suis possessoribus creent, quia auaritiæ affectu corripiuntur, is de veneno theriacam sibi conficere dicetur; hinc illud Vgonis Charensis in cap. 11. Prouerb. *Benefacit animæ suæ vir misericors, quia* DE *alieno* VENENO SIBI CONFICIT THERIACAM.

ADAGIVM CCCCLVIII.

Coruus inter columbas.

MAlus inter bonos hoc prouerbio significabitur, quod sumptum ex Petro Blesensi epist. 142. *Sunt*, inquit, *huius mali occasio quidam inter conuersos peruersi,* INTER COLVMBAS CORVI; qui scilicet prauorum morum nigredine coruos referunt, qui malè in diuinis litteris audire solet.

ADAGIVM CCCCLIX.

Syluarum aures habere suspectas.

DE vehementer pauido, & meticuloso vsur- 327.
pabitur, in humilis laudem illud protulit sanctus Bernardus epist. 42. *Non potest*, inquit, *dicere nisi humilis, qui iuxta vulgare* SYLVARVM AVRES *soleat semper* HABERE SVSPECTAS, *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

ADAGIVM CCCCLX.

Judaica cæcitas.

DE supra modum magna; qua quis etiam in re nulli non certa caligat, & dubius hæret. Sanctus Bernardus epist. 240. in Henricum hæreticum scribens ait: *Quam certè manifestam omnibus veritatem solus esse suspendam, & prorsus* IVDAICA CÆCITATE *aut non videas, aut inuidens adimpletam.* quàm cæcus in fidei veritate cognoscenda, ac credenda populus Iudaicus sit, nemo non videt, nullus ignorat.

EXCVRSVS XLII.

Iudæorum cæcitas perstringitur.

Cæcitas, *&* incredulitas *Israëlitici populi.*
Nubis columna *cæcam populum ostendebat.*
Gentilis populus lumine perfusus tenebris *inuolutus Israëliticus.*
Iudæorum cæcitas quàm Christo *displicuerit.*
Iudæorum cæcitati vt occurrere Deus studuerit.
Perstricti, qui nominis sui celebritatem quærunt suorum salute *neglecta.*

Cæcitas, & incredulitas Israëlitici populi. S. Basil. Sel.

328. CÆcus Iudæorum populus est, & licèt Dei cognitionem nomine præferat, cùm Israël dicatur, appellationi tamen non respondet, cùm in incredulitate sua cæcutiat. Pulchrè eos perstringit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 19. vbi explicans illa verba Christi apud Matthæum cap. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel*, de hoc laudabili nomine illum repercutit; *Nomen*, inquit, *quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum est, vt amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitur appellationi cuius virtute cares, contumeliam irrogas? quid gestus cognomen quod personæ probro sit? factis appellatione impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.*

Nubis columna cæcum populum ostendebat. S. Zeno.

Vel nubis columna, quæ populum per desertum in die ducebat, cæcos Hebræos esse significare potuit, sicut columna ignis minabatur flammas; festiuè sanctus Zeno de Exod. serm. 2. *Columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet* CÆCVM; *ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum.*

Gentilis populus lumine perfusus tenebris inuolutus Israëliticus. Isa. 6.

Illustratus supero lumine Gentilis populi tenebris inuolutus Iudaicus est, voluit istuc Euangelicus Propheta Isaias cap. 6. vbi cùm dixisset, *Plena est omnis terra gloria eius*, postea addit, *& domus impleta est fumo*; ac si diceret, ex quo in terris visus Deus est, Iudæorum templum caligo impleuit, Hebræorum mentem ignorantię tenebrę inuaserunt; id quod notabat sanctus Hieronymus in huius capitis commentario: *Et quàm*, inquit, *pulcher ordo verborum postquàm terra repleta est gloria Domini: Sabaoth Iudæorum templum impletum est ignorantia tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius est oculis.* (S. Hier.)

Iudæorum cæcitas quàm Christo displicuerit. S. Zeno.

Tanta fuit Iudæorum cæcitas, vt Christi mentem mœrore compleuerit, qua factum, vt tandiu in suæ passionis decursu tacuerit; silentium illud tacitè mœrorem loquebatur, quo ob Iudæorum cæcitatem corripiebatur; spectauit huc sanctus Zeno serm. 2. de Abraham: *In certissimum*, inquit, *Dominum impia Iudæorum exarsere consilia, quem tacentem tanquam obnoxium, & pro ipsorum tantummodo cæcitate mærentem, vt Isaac non periturum ad aram, ita ad crucem Christum sublimandum nefarij perduxerunt.*

Iudæorum cæcitati, vt occurrere Deus studuerit. Gen. 1.

329. Iudæorum cæcitati occurrere semper studuit Deus, & caligauit maximè populus in filij Dei cognitione, vt idcirco ei Spiritus sanctus per Moysem in sacræ Scripturæ initio consuluerit, dicens: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, Gen. 1. v. 1. Cur non potiùs Dei nomen præmisit in tanti nominis honorem? Principium posuit præposuitque, vt in illo filium statim Iudæus cognosceret, nec aberraret; tanti à Deo hominum salus fit; scitè B. Bruno serm. 1. de Trin. *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum, & terram, & Spiritus Dei ferebatur super aquas, conueniens fortè fuerat, vt nomen patris priùs poneretur, qui vbique, maximè ab ipso filio, honoratur; sed noluit hoc Moyses, imò Spiritus sanctus, qui loquebatur in Moyse, sed primum nomen filij posuit, ne quærendo erraret Iudæus.* Illorum hic fastus arguitur, & superbia, qui nominis sui celebritatem tantùm quærunt, aliorum postposita, quin & neglecta salute; nomen suum vt iactent, omnia insuper habent, verorúmque bonorum iacturam nihili faciunt.

S. Bruno. Perstricti qui nominis sui celebritatem quærunt suorum salute neglecta.

ADAGIVM CCCCLXI.

Vidit illum Deus.

SI quispiam alicuius felicitatem efferre velit, hoc vtetur prouerbio, VIDIT ILLVM DEVS. Felices Deus reddit, quos conspicit, & donis omnibus cumulat, in quos oculos dirigit. Tritam hanc fuisse loquendi formulam indicat sanctus Petrus Chrysologus serm. 34. dum ait: *Hoc vniuersitas sentit ex vsu, de felicibus sic dicendo:* VIDIT ILLVM DEVS. in Sacris quoque illud habemus, *In monte Dominus videbit.* quo vti potetit, qui calamitate aliqua pressus, & in angustia constitutus, spem suam in Deum iactat, auxilium à Deo quærit; hac sententia vsus est Abraham cùm ad montem filium duceret immolandum; in prouerbium autem abiisse hic notauit inter alios Beatus Rupertus in hæc verba: *Hoc nempe*, inquit, *apud Hebræos exiuit in prouerbium, vt si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxilio subleuari, dicant, In monte Dominus videbit; & hoc est sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & nostri. Vnde & in signum dati arietis, solent etiam nunc cornu clangere.* Idem antea adnotauerat sanctus Hieronymus lib. quæst. Hebraicarum. 330.

EXCVRSVS XLIII.

A Deo aspici, quàm nobis salutare, quàm proficuum Deum aspicere.

Videre *amantis est.*
Visionis, & consolationis nexus.
Ante oculos aliquem habere, *est diligere.*
Videre miserentis *est.*
Iustos Deus videt vt protegat.
Dum nos respicit Deus, respici à nobis cupit.
Ob oculos Christus habendus.
Mentis oculos in Deum conijcere plurimum ad spiritualem profectum prodest.

VIdere amantis est, respicere diligentis, quos ex corde amamus, videre quærimus. *Morale est*, inquit sanctus Ambrosius lib. de Ioseph, c. 10. *vt quos diligimus, eos videamus præ cæteris, & quos animi intentio tenet, priores eos obtutus offendat oculorum*, & flectuntur oculi, quo & cor; id maximè Deus præstat, respicit quos amat, & amat quos respicit; respicere amare est, & amare respicere. 331.

Videre amantis est. S. Amb. *Visionis, & consolationis nexus.*

Amantis est oculos in aliquem conijcere, oculos ab aliquo auertere contemnentis, hanc formulam meminit sanctus Augustinus in Psal. 100. ad illa verba: *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam*, seu, vt ille habet, *malam*, quæ sic ille exponit, & illustrat: *Quid est, Non proponebam*

Ante oculos aliquem habere est diligere. S. Aug.

ante oculos meot rem malam? Non diligebam; solet enim dici quod nostes de homine, qui ab aliquo diligitur, Ante oculos illum habet · & ille qui contemnitur, sic solet queri, Non me habet ante oculos. Quid ergo est, ante oculos habere? Diligere. *Quid est non diligere? Non ibi corde habitare. Dixit ergo, Non proponebam ante oculos meos rem malam, non diligebam rem malam.*

332. Respicit nos Deus, vt nobis beneficia conferat,
Gen. 16. 13. vt videre sit benefacere, aspicere sit donis cumulare. Gen. 16. 13. *Tu Deus, qui vidisti me*; cur visionis solius meminit, nec alia beneficia recenset, quia ingentium bonorum grauidus Dei aspectus est;
Lyran. Lyranus, *Tu Deus, qui vidisti me consolando, & viuificando fœtum.*

Videre misericordiam indicat. Videre misericordiam indicat, misericordia visu significatur in illis etiam verbis
Ioan. 2. Ioan. 2. *Cùm esses sub ficu, vidi te.* Sic enim ea explicat sanctus
S. August. Augustinus enarrat. in Psal. 31. *Vidit eum ille, qui venit cum gratia; quid est, vidit eum? misertus est eius.* Pergit & rem ad vniuersum genus humanum transfert. *Cùm esset sub arbore fici, vidi te. Vidi te, quid magnum est, nisi intelligas aliquo modo dictum? Quid magnum est videre hominem sub arbore fici? Si non vidisset sub illa ficu genus humanum Christus, aut aresceremus omnino, aut quomodo Pharisæi, in quibus dolus erat, idest, iustificabant se verbis, factis autem mali erant, folia sola inuenirentur in nobis, non fructus.* Rem eandem, eandem phrasim formulámque idem sanctus Pater explicat enarrat. in Psal. 32. ad illa verba: *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum*; ait enim: *De cælo respexit Dominus, & cudit eos ille, qui ait, Cùm esses sub arbore fici, vidi te. Vidit enim eum qui miseratus est eum. Vnde plerumque egentes misericordia dicimus homini, Vide me, & de illo qui te contemnit; quid dicis? Non me videt. Est ergo quadam visio miserentis cordis, non visio punientis. Illa visio ad peccata, animaduersio est. quia ille peccata non vult videri, qui dicit, Auerte faciem tuam à peccatis meis. Quod vult ignosci, non vult agnosci. Auerte, inquit, faciem tuam à peccatis meis. Cùm ergo auertit faciem suam à peccatis tuis, non videbit te. Vnde alibi dicit, Ne auertas faciem tuam à me. Ergo auertat à peccatis tuis, non auertat à te. Videat te, misereatur tui, subueniat tibi. De cælo prospexit Dominus, vidit omnes filios hominum, pertinentes ad filios hominum.*

333. Quàm vtiliter Deus iustos aspiciat, indicat
Iustos Deus videt vt protegat. Propheta regius, dum dixit; *Oculi Domini super timentes eum, vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame,*
Psal. 32. Psal. 32. ad quæ verba hæc habet Saluia-
Saluianus. nus lib. 2. de gubernat. Dei; *Ecce cur aspicere iustos homines Deus dicitur, vtique, vt conseruet, vt protegat. aspectus enim diuinitatis propitia, munus est conseruationis humana.*

Dum nos respicit Deus, à nobis respici cupit. Respicit nos Deus, sed & à nobis respici cupit, cupit videri; hinc sponsę dicebat
Cant. 2. Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam*; nibil Dei oculis occultum, nihil non
S. Bern. manifestum est, ostendi tamen sibi sponsæ faciem postulat, non tam vt videat sponsam, quàm vt videatur à sponsa; festiuè sanctus Bernardus serm. 61. in Cant. *Vt mihi,* inquit, *videtur, se magis ostendere vult. Ita est, videri vult, non videre. quid enim ille non videt? Non ei opus, vt quis se ostendat, à quo nihil non videtur, nec si se abscondat. Vult ergo videri, vult benignus Dux deuoti militis vultum, & oculos in sua sustolli vulnera. Enim verò non sentiet sua dum illius*
S. Aug. *vulnera intuebitur.* Huc facit illud sancti Augustini, qui expendens illa Dei verba apud Dauidem Psal. 31. *Firmabo super te oculos meos*, sic Deum loquentem adducit, *Non à te auferam oculos meos, quia & tu non auferes à me oculos tuos*; videbo te, vt à te videar.

Ob oculos Christus habendus. Ob oculos Christus habendus, spectandus Christus, non retro reiiciendus. Pulchrè hoc in hunc
S. Bern. modum colligebat sanctus Bernardus serm. 43. in Cant. *Habete illum semper non retro in humeris, sed antè pra oculis, ne portantes, & non adorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote, quia accepit eum Simeon in vlnis suis, Maria gestauit in vtero, fouit in præsepio; sponsa sibi inter vbera collocauit, & ne quid prætermittam, factum est verbum Domini in manu Zacharia Propheta, nec non & quorumdam aliorum. Arbitror & Ioseph virum Maria super genua frequenter illi arrisisse. Hi omnes ante se eum habuerunt, & nullus retro. Exemplo ergo sint vobis, vt & vos similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, & leuiùs vestras portabitis.*

Vt ad perfectionis culmen quis euehatur, plu- 334.
rimum prodest, si Deus ante mentis oculos habeatur, addit hic aspectus vires, & ad labores sustinendos alacritatem; hinc videns Iacob scalam, quę suo culmine cœlum tangebat, vidit simul & Dominum scalæ innixum, vt ad ascensus laborem Dei quoque adspectu prouocaretur; quod scitè notauit etiam sanctus Hieronymus epist. 34. est ad Iulianum; *Iacob*, inquit, *ditissimi Patris filius, solus, & nudus in baculo pergit Mesopotamiam, iacet lassus in itinere: & qui delicatissimè à Rebecca matre fuerat educatus, lapide ad caput pro puluillo vtitur, vidit scalam de terra vsque ad cælum; & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lapsis manum porrigeret, vt ascendentes suo adspectu.* Quàm sublimiores essemus sublimior nostra vita esset, si Deum assiduè spectaremus.

Mentis oculos in Deum coniicere plurimum ad spiritualem profectum prodest.
S. Hier.

EXCVRSVS XLIV.

Oculi, & misericordiæ nexus videndi, & miserendi.

Oculi, *&* misericordiæ *nexus.*
Placido & miti oculo *misericordia.*
Respicere *pro miserere.*
Intueri *adiuuantis habitus.*
Ante oculos aliquem habere, *formula diligentis.*
Oculos in aliquem *coniicere.*
Videndi *verbũ ad alios sensus vt porrigatur.*
Videre *pro audire.*
Se se inuicem aspicere *torpentes dicuntur.*
Terra inuisibilis, *quia in ea non erat homo, propter quem in terram Deus aspiceret.*
Ab oculorum custodia *speranda est vita.*
Visus *nexus, &* lacrymarum.
Dæmon *super hominum oculos.*
Oculi *operum magistri, & doctores.*
Res mira de eo qui indignanti oculo *mulierem castitati insidiantem respexit.*
Oculorum *vaga natura coërcenda.*
Calcem, *&* acetum *in clericorũ oculos missa.*
Oculis *pares, qui corripi se non sinunt.*
Oculorũ paruitas, *& angustia quid efficiat.*
Claudendus oculus, *ne in pœnitẽda labamur.*
Corporis, & mentis oculi *cohærere debent, vt homo consolatione perfundatur.*

MAgna oculi, & misericordiæ, largitatis, ac 335.
munificentiæ cohærentia est, magna videndi,

Oculi, & misericordia nexus. *Prou. 22. 9.*

di, & miserendi; hinc in sacris litteris bonus oculus vir dicitur ad misericotdiam pronus, largus, munificúsque. Prou. 22. v. 9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*; in Hebr. *Bonus oculus ipse benedicetur.* Pagninus, *Benignus oculo.* Chald. *Qui* BONVM OCVLVM *habet, benedicetur*; ac si in idem recidat bonum oculum quempiam habere, ac esse in alios largum, ac liberalem.

Pagn. *Chald.*

Placido, & miti oculo misericordia. *S. Chrys.*

Placido ac miti oculo misericordia, & eleemosyna describitur; sic enim habet sanctus Chrysostomus hom. 12. in epist. ad Hebr. *Eleemosyna, ac misericordia volat tamquam viuens columba; placidum habens, ac* MITEM OCVLVM; *nihil est illo oculo melius.*

Respicere pro misereri. *Terent.*

Respiciendi etiam verbum misericordiam sonat, & auxilium. Terent. in Heaut. act. 1. scen. 1. *Nullum remittis tempus, neque te respicis*; idest, neque tui rationem habes, nec misereris tui. In Andria act. 1. scen. 6. *Méque in tuis secundis rebus respice*; idest, mei misereris, vt innuebat etiam scholiastes Donatus. *Donat.*

Horatius eodem sensu, *Respice Laertem*, dixit. *Horat.*

In sacris litteris frequens hæc phrasis, Psal. 24. 16. *Respice in me, & miserere mei*; vt posterius sit prioris exegeticum; Psal. 34. 17. *Domine quando respiciet?* opem feres, auxiliaberis? Psal. 21. *Deus Deus meus respice in me*; *Euthymius hîc, Respice in me, inquit, solent enim qui carnifici quempiam tradunt, oculos auertere.*

Psal. 24. *Psal. 34.* *Psal. 21.* *Euthym.*

336. *Intueri adiuuantis habitus.* *Virg.*

Vt vniuersè iuuare dicatur qui quempiam respicit, hoc maximè Dei est, cuius visus salutaris est, & singularium donorum pater; de falso Iouis numine Virg. 2. Æneid.

Iuppiter omnipotens precibus si flecteris vllis,
Aspice nos.

Seruius, *Aspice nos, quia intuentes Dij adiuuant*; De falsis numinibus hoc falsum, qui vt intueri cultores suos non poterant, ita nec adiuuare; verum de vero est.

Ante oculos aliquem habere formula diligentis. *S. Aug.*

Huc facit & illa antiquorum formula, quà se aliquem diligere significaturi, illum ante oculos se habere dicebant; meminit huius phrasis sanctus Augustinus in Psal. 100. ad illud, *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam*, seu, vt ille legit, *rem malam.* Subdit namque ad horum verborum explicatum, *Quid est, non proponebam ante oculos meos rem malam? Non diligebam. Solet enim dici, quod nostis, de homine, qui ab aliquo diligitur,* ANTE OCVLOS ILLVM HABET; *& ille qui contemnitur, sic solet queri: Non me habet ante oculos. Quid ergo est,* ANTE OCVLOS HABERE? *diligere.*

Oculos in aliquem conijcere pro amare. *Gen. 39. 7.* *S. Aug.*

Cùm mulier Ægyptia oculos in Iosephum misisse dicta est, impudicum eius in pudicum iuuenem amorem significare sacra Scriptura voluit; Gen. 39. 7. hæc leguntur, *Iniecit domina sua* OCVLOS SVOS IN IOSEPH. Sanctus Augustinus lib. 1. locutionum in Genesim legit, *& misit vxor domini eius oculos suos in Ioseph*, addit statim ad explicatum; *Solet & apud nos vulgò esse vsitata locutio, pro eo quod est,* AMAVIT EVM.

Videndi verbum ad alios sensus vt porrigatur. *S. Aug.*

Verbum VIDENDI notione sua ampliorem latitudinem habet, quàm prima fronte videatur. nam ad omnes alios sensus eam porrigit. Sanctus Augustinus serm. 33. de verbis Domini, *Ipsum videre per omnes quinque sensus solemus appellare*; &, *Vide per omnes sensus currit*; hinc illud Hierem. 2. *Videte verbum Domini*; LXX. verterunt, *Audite verbum Domini*; & Agellius in Canticum Abac. ad illa verba: *Viderunt te aquæ Deus*, ad hanc mentem ait: *Vidisse autem dicit, quamuis ea facta non viderint, sed audierint; quod enim tamquam certum audi-tur, id videri dicitur. Itaque de Iacob scriptum est, Vidit Iacob quòd essent alimenta in Ægypto: quod B. Hieron. vertit, audiens autem Iacob.* hoc sensu & voces visæ alibi dicuntur.

Videre pro audire. *Hier. 2.* *LXX.* *Abac.* *Agell.*

337. *Sese inuicem aspicere torpentes dicuntur.* *Gen. 42.* *Isid. Clar.*

Mutuò se aliquos aspicere negligentis habitus est, & formula nostris vsitata, vt carpentes aliquorum oscitantiam, ac torporem dicamus, illos se inuicem respicere, alterúmque alterum spectare; hinc illud Gen. 42. 1. *Audiens Iacob dixit filiis suis,* QVARE NEGLIGITIS? Isidorus Clarius, *Hebraismus habet,* QVARE *vos ipsos mutuo* ASPICITIS?

Terra inuisibilis, quia in ea non erat homo propter quem in terram Deus aspiceret. *Gen. 1. 2.* *S. Amb.*

Terra inuisibilis dicta est; nam quod Gen. 1. 2. habemus, *Terra autem erat inanis & vacua*, LXX. verterunt, *Terra autem erat inuisibilis, & incomposita*; sed cur inuisibilis dicta, an quia aquis operta videri non poterat? an quia nondum homo conditus erat, cuius præcipuè causa Deus in terrã respicit, suóque aspectu terram ditat, & beat; tanti a Deo homo fit, vt in terram respicere dedignetur, si terræ homo incola non sit; huc spectabat sanctus Ambrosius Exaëm. cap. 7. *Inuisibilem*, inquit, *terram legimus, quia hominem non habebat, propter quem Dominus respiceret in terram, sicut scriptum est, Dominus respexit super filios hominum.* Hactenus ille; sed quia hîc sumus, de oculis quoque aliqua adnectamus. *Psal. 13.*

Ab oculorum custodia speranda est vita. *4. Reg. 4.* *S. Bacchar.*

Ab oculorum custodia quærenda est vita, quia ab incustoditis oculis mors est; non est ab re, quòd Sunamitis filium suscitaturus Elisæus, 4. Reg. 4. super illius oculos suos posuerit; vt scilicet doceremur, peccatoris oculos à superflua euagatione inhibendos, vt reuocetur ad vitam. Huc spectauit sanctus Baccharius de recipiendis lapsis, dum ait: *Appone oculos tuos oculis ipsius, custodi oculos ipsius, ne in perditionem sui alterius euagentur, & spem capiant resurgendi.*

338. *Visus nexus, & lachrymarum.*

Singularis in hoc Dei nitet prouidentia, quod oculum & videndi instrumentum fecit, & lachrymandi, vt qui facilè per oculum peccet, in oculo essent lachrymæ, quibus crimen commissum deleretur, בת חוריך R. Dauidi est nomen spiritus mali, qui moratur super hominum oculis; vnus ex antiquis illis Patribus Dæmonem super dormitantium oculus vidit.

Dæmon super hominum oculos. *R. Dauid.*

Oculi operum magistri, & doctores. *S. Greg. Nyss.*

Oculi *ornatus capitis, speculum membrorum, totius corporis fenestra gratissima*, dicuntur Laurentio Honariensi hom. de pœnit. Operum magistri doctores oculi dicuntur à sancto Gregorio Nysseno homil. 7. in Cant. Cant. ait quippe: *Quid inter membra nostra præstantius est oculis? per quos nimirum lucis fit perceptio, quibus & amica, & hostilia agnoscimus, per quos ab alienis nostra secernimus, qui nobis omnium operum magistri sunt, & doctores.*

Res mira de eo qui indignanti oculo mulierem castitati insidiantem respexit. *Thom. Cãt.*

Bene ille vtitur oculis, qui mulieres castitati insidias struentes aut non videt, aut toruo videt vultu, oculo indignanti. De sancto Ludouico, aut, vt alij legunt, Ludomiro Catalaunensium Episcopo ita scribit Thomas Cantiprat. lib. 2. cap. 30. v. 33. *Sanctus Ludouicus Catalaunensium Episcopus, fuit vir corpore venustissimus, & pudicus; quem vt vidit quadam Galliarum Regina, oculos coniecit in eum, & opportuno loco vocatum, ad concubitum inuitauit. Quam ille toruo vultu, & oculo indignanti despiciens, verbis mirificis confutauit. Cuius oculus post mortem etiam in sicco cadauero extingui, vel caligari non poterat, vt mihi & multis aliis audientibus Magister Ioannes de Firmitate, Abbas quondam Regularium Canonicorum in eadem ciuitate, qui ipsum oculum quasi crystallum liuidissimum vidit, postmodum enarrauit. Et iustè quidem oculus etiam in mortuo corpore extingui non poterat, qui contra mortificantem hostem in fragili*

vasculo viuidus permanebat. Et verè meritò extrinsecus caligari non debuit, qui venenum corruptionis intrinsecè recipere non curauit.

339. *Oculorum vaga natura ecō-renda. 2.Esdræ 3.* In Ierusalem instauratione, cuius mentio fit 2. Esdræ cap. 3. ædificari statim perhibetur porta piscium, sic enim v. 3. legitur: *Portam piscium ædificauerunt filij Asnaa*; non caret hæc res mysterio; oculorum hic custodia rectè commendatur; quod in hunc modum probat sanctus Baccharius in epist. de recipiendis lapsis, qui huc spectans ait: *Restruatur porta Piscatoria; idest, visuum nostrorum vaga semper natura, ac per semitas maris, hoc est, vias mundi istius, oculorum velox ac fugitiuus semper aspectus, quia ipse visus pro sagena poterit æstimari: quicquid aspexerit, statim capit; & captum, ad cordis cellaria interiora transmittit.*

Calcem, & acetum in clericorum oculos missa. S. Aug. Calcem, & acetum in Clericorum oculos missa legi, quam crudelitatem Sanctis illatam queritur sanctus Augustinus epist. 122. *Ecce in regione nostra Hipponensi, quoniam Barbari non attigerunt, Clericorum Donatistarum, & Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias, vt Barbarorum fortasse facta mitiora sint. Quis enim Barbarus excogitare potuit, quod isti, vt in oculis Clericorum nostrorum calcem, & acetum mitterent, quorum membra etiam cætera plagis horrendis vulneribúsque sauciarunt? Deprædantur etiam domos aliquos, & incendunt, fructus aridos diripiunt; humidos fundunt; & talia cæteris comminando, multos etiam rebaptizari compellunt.*

Oculis pares qui corripi se non sinunt. Ægrè corripi se sinunt, quos passio aliqua tenet, licèt lenis, leuisque correctio sit, est tamen illis maximè grauis; mali errare malunt, quàm corrigi, id oculorum metaphora ita explicabat

S. Basil. sanctus Basilius epist. 388. *Quemadmodum vbi oculi laborauerint, alicui etiam illa, quæ mitissima sunt medicamenta, dolorem immunt, ita mea forsan in præsenti oratio te furore magis percellet, quàm demulcebit.*

340. *Oculorum paruitas, & angustia quid efficiat. S. Pet. Chry.* De oculorum paruitate ita philosophatur sanctus Petrus Chrysologus serm. 139. *Dei est quòd oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam quatenus moderate visum videat, non inuideat: prævideat, non proripiat: prospiciat, non despiciat. oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit, non introitus vitiorum.*

Claudendus oculus ne in pœnitenda labamur. S. Basil. Fugienda peccati occasio ne quis peccet, claudendus oculus, ne incautè videns miser in pœnitenda labatur; cecidit Adam, interdicto fructus esu, non facilè casurus, si oculos cohibuisset. Sanctus Basilius orat. 3. sic Deum cum Adamo, loquentem adducit; *Auerte oculos ne ad transgressionem traducant, fuge spectare, vt saluari possis.*

Corporis, & mentis oculi cohærere debent, vt homo consolatione perfundatur. Psal. 118. Corporis oculum aliud velle non debere, nec cupere, quàm velit, cupiátque mentis, colligit sanctus Ambrosius ex illis verbis Prophetæ Regis Psal. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando consolaberis me:* non dixerunt, *quando consolaberis nos*; vt verborum cohærentia exigere videbatur, sed *quando consolaberis me*, vt rectè moneremur, non aliud à carne, & carnis oculis quærendum, quàm spiritus, & ratio quærat.

S. Ambr. Inserenda hic sancti Ambrosij verba, qui ad hunc locum ita scribit: *Si oculi isti significati sunt, quibus cernimus, & videmus, dicere debuerunt, quando consolaberis nos? sed quia oculus mentis, & oculus carnis vnus oculus sunt, & tunc homo consolatione fulcitur, cùm caro, & mens diuersa non cupiunt, sed vnum desiderant, vnum requirunt, ideo vti quoque oculi vnum se esse confitentur, quia vno, atque eodem desiderio, officioque funguntur*; vidua vera consolatione mens est, cùm à mentis mente caro discrepat, & carnis oculi aliò spectant, quàm specter animus, & mens.

ADAGIVM CCCCLXII.

Internè Hecubam, externè Helenam refers.

Mulier parum honesta forma prædita, pigmentis, fucisque pulchritudinem mentiens INTERNE HECVBAM, EXTERNE HELENAM REFERRE dicetur, hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres ambitiosiùs sese ornantes, & excolentes, vbi ait: *Pictum ac fucatum corpus vel fuge, vel conserua, nec turpe atque obscœnum tibi forma adiumentum adscisce. Quid enim alioqui agis, quàm quod Penelopes instar telam noctu soluis, interdiu texis,* INTERNEQVE HECVBAM, EXTERNE HELENAM REFERS. 341.

ADAGIVM CCCCLXIII.

Hermagoram nobis exhibes, & Gorgiam Leontinum.

Qui scientiæ opes iactat, & publicè omnibus offert ostentator sui, is HERMAGORAM dicetur EXHIBERE, & Gorgiam Leontinum; hi quippe Rhetores fuerunt, qui sella posita profitebantur se, de quacumque re, quæ ab illis quæreretur, etiam ex improuiso responsuros. Huc spectauit sanctus Hieronymus lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum: *Sella, inquit, publicè posita* HERMAGORAM NOBIS, ET GORGIAM EXHIBES LEONTINVM.

ADAGIVM CCCCLXIV.

Coruina sponsio.

Cum in crastinum facturum se aliquid pollicetur, emendaturum se vita spondet, vt cras semper inclamet, nec re ipsa præstet, quod promittit, is sponsionem coruinam emittere prouerbiali quodam schemate dicetur. Osbertus perantiquus auctor in vita sancti Dunstani Archiepiscopi, ita loquitur: VOCE CORVINA *semper in crastinum correctionem sui pollicebantur*; & paulo pòst, *illi stupefacti more solito inducias petunt, id se facturos in futuro promittunt; tunc ille, Mihi credite, amplius non credam huic vestræ* SPONSIONI CORVINÆ.

ADAGIVM CCCCLXV.

Capite sano omnes sensus vigent.

Et dolente capite, quemadmodum tritum prouerbium habet, dolent cætera membra; ita & SANO CAPITE SENSVS OMNES VIGENT, cùm sanitatem in sensus caput transmittat, transmittat & in valetudinem. Venustior adagij vsus euadet, si longiùs transferatur; vt dicturi superiores inferioribus mores suos communicare, & maiorum exempla in subditos virtutem suam exercere, ac ob eorum, 342.

eorum, qui præsunt bonitate, bonitatem iis inhalari, qui subiiciuntur, dicamus, SANO CAPITE OMNES SENSVS VIGENT, vel bene se habente illo, quod in aliqua re præcipuum est, & veluti reliquorum fons, consequens esse, vt & ista bene se habeant. Sanctus Hieronymus epist. 13. ad Paulinum, ita scribit: *Facilè loqueris, & purè, facilitásque ipsa, & puritas mixta prudentiæ est*; CAPITE *quippe* SANO OMNES SENSVS VIGENT.

ADAGIVM CCCCLXVI.

Ne Atlanticum pelagus ad exhauriendum sufficere.

PRofusam, & largam matris suæ Nonnæ liberalitatem in pauperes parœmiali hac hyperbole extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 19. dum ait: *Quamuis opes ipsi, ac largiendi promptitudo cum vxore communis esset, quippe cum qua de pulcherrima quaque virtute contenderet: maiorem tamen ipse largitionis partem ei vt optimæ, & fidelissimæ huiusmodi rerum dispensatrici relinquebat. Quam autem, & qualem mulierem dico? Cui* NE ATLANTICVM *quidem* PELAGVS, *aut si quid aliud maximum est*, AD EXHAVRIENDVM SVFFICERE *potuisset* (*tanto támque immodica largiendi amore flagrabat.*

ADAGIVM CCCCLXVII.

Nouacula factus es contra te ipsum.

343. QVi sæuit in se ipsum, dum in alios putat, auctórque sibi ruinæ suæ est, suíque damni, is NOVACVLA CONTRA SE IPSVM FACTVS dicetur; sanctus Cyrillus Alexandrinus hom. contra Nestorium, dicto its in eum inuehitur: *Non es veritus Deum regno adæquare Persico?* & paulò pòst, FACTVS ES NOVACVLA CONTRA TE IPSVM *exacuta, dolúmque factura*; quod in malos omnes, & præsertim hæreticos quadrat, qui, quæ inferre mala parant, patiuntur primi, quin & eo maiora, quo pluribus suis erroribus, nuda falsitate confutis nocere quærunt.

ADAGIVM CCCCLXVIII.

Suo se iaculo percutere, suo se mucrone perimere.

QVi sibi ipsi causa damni est, qui sibi nocet, quique non aliunde quàm à se in se sæuiendi instrumenta desumit, is suo se iaculo percutere, seu SVO SE MVCRONE PERIMERE dicetur; quod signatè in eos quadrat, qui dum lædere alios volunt, lædunt se ipsos priùs; hine sanctus Prosper epigram. 2.

Nam quicumque alium molitur lædere, primum
Ipsum SE IACVLO PERCVTIET PROPRIO,
Et cùm fortè animum non sit secutura facultas,
Non dubium in cordis viscere vulnus habet;

Et Beatus Laurentius Iustinianus cap. 5. de patientia, de persecutoribus loquens ait: *Phrenetici sunt*, & SVO SE MVCRONE INTERIMVNT.

EXCVRSVS XLV.

In se ipsum prior sæuit, qui sæuit in alios.

Se ipsum *lædit, qui* alios *lædit.*
Id serpentis *similitudine, vt probetur.*
Igni *malitia pariata, quæ priùs in re ardet, alia comburenda admouetur.*
Lamechi *verbis id confirmatur.*
Parturientis dolores *patiuntur, qui alios afficere iniuria student.*
Premunt se ipsos, *qui premere innocentes volunt.*

VErè ita est, iniquus quilibet, qui sæuire in alios quærit, sæuit prior in se ipsum, & se priùs persequitur persequutor aliorum; id apis exemplo, quæ infixo in aliquem aculeo moritur, explicat sanctus Chrysostomus hom. 68. ad populum Antiochenum: *Nónne vides*, inquit, *apem, quemadmodum immoritur aculeo? Per illud nos alios docet Deus, ne proximos afficiamus tristitia, ipsi namque priùs mortem excipimus, & illam fortè paululum lædimus, nos autem non ampliùs viuemus, quemadmodum nec illud animal.* 344.

Se ipsum lædit, qui alios lædit.
S. Chrys.

Idem serpentis similitudine confirmat sanctus Athanasius serm. de passione; ait quippe, *Quemadmodum si quis serpentem apprehendat manu, dúmque conatur in alterum proÿcere, priùs ipse mordeatur: sic astutia militat aduersus eos, qui ipsa vtuntur, magisque lædit eos, à quibus habetur, quàm eos in quos intenditur.*

Id serpentis similitudine vt probetur.
S. Athan.

Igne malitiam pariat sanctus Augustinus, qui priùs in se ardet, quæ alteri comburendæ admouetur, sic & ipsa priùs eruciat eum, à quo exit; sic ille scribit conc. 1. in Psalm. 34. *Nemo malus, qui non sibi priùs noceat. sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud, illud quod admoues priùs ardet, nisi ardeat non incendit. Nunquid non ipsa facula, quam apponis, prior ardet, vt aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te, & quem priùs vastat nisi te.* 345.

Igni malitia pariata, quæ prius in re ardet, quæ alia comburenda admouetur.
S. Aug.

Lamechi verbis, qui occidit Cain, id probat sanctus Chrysostomus Gen. 4. sic loquitur Lamech: *Occidi virum in vulnus meum*, seu, vt legit sanctus Chrysostomus hom. 20. in Gen. *Occidi virum in vulnus mihi*; ac si diceret, eodem interprete, *Non tantum nocui illis, quos occidi, quantum mihi ipsi.*

Lamechi verbis id confirmatur.
Gen. 4.
S. Chrys.

Qui in alios sæuiunt, mulieribus parturientibus pariari possunt, cùm sæuissimos dolores sentiant, ingentésque cruciatus sustinere cogantur, dum inferunt iniurias; de talibus ait Propheta Regius Psalm. 7. *Ecce parturÿt iniustitiam*, scilicet parientibus similes, qui damno iniuriáque alios afficiunt, vt à dolore, cruciatúque eos immunes esse minimè credas; eruditè Euthymius hîc: *Parturitionis*, inquit, *nomine vsus est, volens ostendere quales, & quàm acerbos dolores ÿ patiantur, qui proximos suos iniuria afficere student.* Rem firmat etiam sanctus Chrysostomus in hunc eundem Psalmum. *Quemadmodum*, inquit, *mulieres parturientes à doloribus discerpuntur, ita etiam qui facit dolum, priusquam propinquum iniuria afficiat, ipse discerpitur, & non leui aliquo, sed vehementissimo dolore afficitur.*

Parturientis dolores patiuntur, qui alios afficere iniuria student.
Psalm. 7.
Euthym.
S. Chrys.

346. Premere innocentes mali videantur, premunt se ipsos, molestia alios videantur afficere, afficiunt priùs se ipsos. Psalm. 34. 13. quod LXX. habent, *Cùm mihi molesti essem*, in Hebræo iuxta Pagnini versionem est: *Dum ægrotarent ipsi*; Isidorus Clarius legit, *Cùm molestiam paterentur*; quæ versiones indicant aliquem in alios sæuire, & in se ipsum io idem ferè recidere, & verè qui fortis illatos ictus sustinet, non tam percutitur, quàm percutit, id quod tetigit sanctus Chrysostomus hom. 2. ad populum Antiochenum in hæc verba: *Aliquis iniuriam tulit non sensisti, nec doluisti? non es iniuriam passus, sed & magis percussisti, quàm percussus es?* Quis ergo tam fatuus, & emotæ mentis qui vulnera infligat, vt alios vulneret, & sui prior sit hostis vt sit alterius.

Premunt se ipsos qui premere innocentes volunt. Psalm. 34. 13. Pagn.

S. Chrys.

ADAGIVM CCCCLXIX.

Consilium Achitophel.

347. DE pessimo, & magnorum malorum grauido, consiliis malis exhibendis infamis extitit Achitophel, vt in sacris litteris habetur, vt proinde in prouerbium res abierit, & ad quoscunque malos consultores deuoluta sit. Sanctus Bernardus epist. 270. *Non veniat*, inquit, *anima tua in consilium eorum; dissipetur consilium Achitophel.* Petrus Blesensis epist. 20. *Abrahæ dictum est: Egredere de terra tua, & de cognatione tua: & ego quare non egrediar, aut quare ad parentes meos regrediar, apud quos non inueni nisi manus Harpyiarum, consilia Achitophel, vulpium dolos, aculeos scorpionum.* Rursus sanctus Bernardus epist. 124. *Solus*, inquit, *adhuc ignorat Achitophel suum iam patefactum, ac dissipatum consilium. Frustra molitur miser super populum Dei malignare consilium.*

ADAGIVM CCCCLXX.

Ad tui consilia Phalaris cruentior esset, Mida cupidior, Nero impurior.

PErditissimæ mentis hominem, & qui pessima propinet consilia, hac prouerbiali comparatione traducemus. Audiendus hic Sidonius Apollinaris, qui lib. 5. epist. 7. multos aliorum nequitia, & perfidia infames recensens, ait: *Ad* QVORVM CONSILIA *Phalaris cruentior, Mida cupidior, Ancus iactantior, Tarquinius superbior, Tiberius callidior, Caius periculosior, Claudius socordior, Nero impurior, Galba auarior, Otho audacior, Vitellius sumptuosior, Domicianus truculentior redderetur.* Eadem habet Nicolaus sancti Bernardi Notarius epist. 35. quæ ex Apollinari proculdubio sumpsit.

EXCVRSVS XLVI.

Proba consilia magni facienda, magnis sunt noxia, maximè cauenda.

Aliorum consiliis *indigent qui alios regunt.*
Magnus Moses *Iethro consilia audit.*
Sapientum prudentúmque consilia *à principe quærenda.*
Consilium actionem *anteeat.*
יעץ *quid; consilium actionum* basis.
Multorum consiltorum vtilitas.
Optimorum consiliorum vis, & virtus.
Malorum *consilia, quàm noxia.*
Malorum *consiliorum dant pœnas mali.*
Mali Consiliarij *vt in principes immigrare quodammodo videntur, sic pares cum illis pœnas debent timere.*

NEmo adeò sapiens, qui aliorum consiliis non indigeat, nemo adeò magnus, qui ad infimorum etiam monita demittere se non debeat. incipit esse minimus, qui inferiorum consilia minimè quærit; optimus nauis gubernator sit, vt remigum opera indiget optimus non esset, si neglectis istis solus regendæ nauis gloriam vellet non remigibus tantùm, sed & mente indigeret si remiges respueret. idem hic gubernator, qui Reipublicæ clauum tenet, Princeps est, sed Consiliariorum remigibus aget. Scitè Symmachus lib. 4. epist. 7. *Summis*, inquit, *imperij moderatoribus pia, & decora suadentes, instrumenta sunt boni sæculi, est quidem rectori nostro diuini fontis ingenium, & omnium virtutum prompta natura; sed vt imagine vti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus viuat.* 348.

Aliorum consiliis indigent qui alios regunt. Symmach.

Optimus gubernator Moses erat, & multorum facinorum fama clarus, non tamen probè consulentis Iethro monita neglexit, nec magnorum operum notam putauit, quod & à non magno moneretur, & monentis pareret consiliis. quod in rem nostram expendebat sanctus Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Corinth. vbi ait: *Mose nihil fuit humilius, qui cùm tantum duceret populum, regémque & exercitum Ægyptiorum tanquam muscas maris obruisset, & tam multa fecisset in Ægypto, & tam multa in mari rubro, & deserto, & tam pulchrum assecutus esset testimonium, perinde erat affectus, atque vnus ex plebe, erátque socero gener humilior, & quod ei dedit accepit consilium, & neque ægrè tulit, neque tale quid dixit; post tot, & tanta rectè, & præclarè à me gesta venis mihi consilium daturus? Quod quidem multis accidit, qui si quis vel optimum dederit consilium, despiciunt propter personæ humilitatem; sed non sic ille.*

Magnus Moses Iethro cõsilia audit. S. Chrysost.

Quærat Princeps consilia, sed sapientum, prudentûmque virorum; quibus salutem regno pariat, exitium pariturus, si imprudentum regatur consilium. Præclarè Ioannes Sarisberiensis lib. 1. Policr. cap. 5. *Magna parte regni mutilatur Roboam, quia hæserat consilijs iuuenum, contemnens vias, & præcepta prudentiæ, impossibile enim est, vt salubriter disponat principatum qui non agit consilio sapientum.* 349.

Sapientum, prudẽtúmque consilia à Principe quærenda. Ioan. Sarisb.

Proba consilia quærenda essent, probos in rebus dubiis viros consulendos, probè docebat hac gnome Illel apud Hebræos in Pirke-Auoth cap. 2. dum diceret, מרבה נגצה מרבה תבונה *Marbeh neghiezàh marbeh thenunah*, id est, *qui multiplicat consilium, multiplicat intelligentiam.*

Multorũ consiliorum vtilitas. Illel.

Nihil temerè, inconsultéque geratur, consilium opus omne comitetur, quin & anteeat præcipuo decore, viduum est si proborum consilio viduetur. Scitè monebat Leo Imperator cap. 4. *Omnem actionem consilium anteeat, inconsulta enim rerum tractatio haud satis tuta est.* Infirma fabrica est, quæ necessario fundamento destituatur, casura statua est, & mole sua ruitura, si opportuna basi careat, & quælibet rerum moles, quo maior, eo maiori præcipitio, ruinæque maiori subiecta est, si consilij base innixa non sit.

Consilium actionem anteeat. Leo Imp.

Magna basis, & consilij cohærentia est, vt in idem 350.
verbum

יעץ quid consilii actionum basis. verbum etiam copulentur יעץ *iangbaz* apud Hebræos ad vtrumque transfertur, ex aliquorum mente vt à nexu colligatur, actionum basim, ac fundamentum consilium esse; scitè Forerius in cap.32.Isaiæ: יעץ, inquit, *est propriè sternere, quia verò consilium, & stratum, seu basis actionum, verbum consulendi reddi solet;* ac si hoc verbum esset idem, ac יצע *iazangh*, quod significat sternere, & litterarum transpositione different tantùm.

Forerius.

Optimorum consiliorum vis, & virtus. De optimis consiliis, optimóque Consiliario, cuius ope quis eredat, se ab omni periculo subduci posse, scitum prouerbium est, quo vtitur Libanius tom.2.orat.10.dum ait: *Credentes se per ignem incolumes transituros illius consilijs.* Absunt qui suis consiliis alios in pericula eoniiciunt, & flammis tradunt comburendos.

Liban.

Malorū consilia quàm noxia. Vt quærenda proba consilia à bonis sunt, sic vitanda mala à malis. quàm noxium à peccatoribus consilia quærere innuebat Dauid cùm diceret: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum,* Psalm.1. Signatè dixit, *abijt*, vt hine disceremus quanta timeri mala à malorum consiliis, quæ illi sedentes, & seriò exhibent, eùm & illa quoque maximè noxia sint, quæ prætereuntes aliòque abeuntes exhibent. Rem ad hanc mentem opportunè vrget noster Agellius hic: *Docet nos Dauid ne à peccatoribus prætereuntibus, & aliud agentibus discere aliud, & consilium capere velimus, & de vijs eorum doceri; quod si periculosum est à peccatoribus etiam properantibus, & aliò festinantibus consilium capere velle, quanto periculosius cum ijsdem sedentibus sermonem serere, & per summum orbium remissie, ac dissolutè colloqui, eorum consilia quærere, & quæsita sequi?*

Psalm.1.

Agell.

351\. *Malorū consiliorum dant pœnas mali.* Caueat, qui mala consilia offert, ne eorum damna ipse prior sentiat, plerumque enim author suis consiliis captus est; hine illud Libanij tom.2.orat.3. cui titulus *Basilicus*; vbi ait: *Machina eos non vexauit, aduersùs quos excogitata est, sed ei, qui construxerat, ad exitium, sufficit vt constiterit adagij effectus, cùm auctor suis consilijs caperetur.*

Liban.

Mali consiliarij, vt in Principes immigrare quodammodo videntur, sic pares cum illis pœnas debent timere. Plectentur iusta pœna mali consiliarij, qui vt malis consiliis mentes Principum inficiunt, sic eosdem cum illis subibunt pœnas; certè per Mosem Deus Pharaoni mala comminaturus ait, *Ingredere ad Pharaonem, & dic ad eum*, Exod.8. in fonte pro *ingredere*, est בא, in quibus litteris latere duos Pharaonis Consiliarios, & magnos, putant Hebræi ב בלעם *balebam*, א verò איוב *Iob*, vt tantundem fuerit ad Pharaonem eum ingredi, ac ad Consiliarios Pharaonis. non Consiliarij in Principes tantum possint, vt in eos immigrare videantur, eorúmque mentem regere.

Hebr.

ADAGIVM CCCCLXXI.

Alcmæonis auaritia.

352\. AB opum diuitiarúmque amore possidebatur Alcmæon, & insignis auaritiæ nota adeò notus fuit, vt abierit in prouerbium. De illo ita scribit sanctus Gregorius Nazianzenus in iambicis carm.18. de virtute,

Illud quis autem laudet vnquam ALCMÆONIS,
Qui cum suorum ciuium esset maximus,
Et stirpe clara generis, & potentia,
Tam tædo amore victus est pecuniæ,
Quàm vinci ab illo par erat fluxas opes.

ADAGIVM CCCCLXXII.

Elisæum auaris se exhibere.

QVàm seuerè Giezi auaritiæ œstro correptum Elisæus coargnerit, ex sacris litteris dilucet, vt ELISÆVM AVARIS SE EXHIBERE transire in prouerbium iure possit. hue facit illud sancti Bernardi lib.4. de consid. *Qui Regibus Ioannem exhibent, Eliam idololatris,* ELISÆVM AVARIS; Elisæi hie ego munus exercebo, calamum in auaros acuam, acuam in auaritiam, vt ab ea eos auocem, qui illius sordibus sunt infecti.

EXCVRSVS XLVII.

Auaritiæ fera, sæuus lupus auarus.

Auaritia fera sæuissima *est.*
Tanquam biceps coluber *mordet auaritia.*
Auari ab auaritia, vt à dipsade *mordentur.*
Auarus parricidis *sæuior.*
Multorum capitum Dæmon *auaritia.*
Lupus *auarus est.*
Auari lupos *imitantur.*
Lupus *diues*, agnus *pauper esto.*
בצע *quid*, rapinæ, *&* cupiditatis *nexus.*
Auari latronibus *sæuiores.*
Quænam furta *probata.*
Notati qui nummum *Deo præferunt.*
Lupos *auaritia gignit.*

HVe quoque hominum stultitia euadit, vt feras, gladios vulneraque defugiant, non verò auaritiam, quæ omni fera nocentior, possessores suos mordet, omni gladio acutior auarorum mentem fugit, & vulnerat; ad modum feræ se auaritiam habere, habet sanctus Asterius hom.3. aduersùs eam dum ait: ἀφέντες δὲ τὴν παλαιὰν ἱστορίαν, τὴν πεῖραν ἐξετάσωμεν, τὴν συνεληλυθῦσαν τοῦ βίου, οἷον οὐδὲν θηρίον τὴν πλεονεξίαν, καὶ ὧν ἂν λάβηται δὶς ἀπάλλακτον ἀκμάζον ἀεὶ, καὶ οὐ μαραινόμενον, συγγηράσκον δὲ τοῖς ἄλλοις καὶ εἰς τέλος σῶον. id est, *Quare missam faciam veterem historiam, & quotidianam vitæ experientiam interrogabo, cuiusmodi fera sit auaritia, quam ægrè quos semel prætenderit, elabi sinat, vt vegeta semper ac valida nunquam debilitetur, atque deficiat, sed cum ijs, quos sibi subiecerit, consenescat, & perennet.* Tenet auaros auaritiæ fera, nec tenet tantùm, sed & assiduè mordet. 353. *Auaritia fera sæuissima est.* S.Aster.

Tanquam biceps coluber mordet auaritia. Mordere ad modum colubri affirmat sanctus Petrus Damianus epist.23. in hæc verba: *Amatur acquisita pecunia, amatur nihilominus acquirenda,* AVARITIA *quippe quasi* BICEPS EST COLVBER, *vtroque consueuit ore mordere, vtroque pestiferum virus influere, dum aut aliena ret quæritur, aut habita delectabiliter possidetur.* S.Petr.Dam.

Auari ab auaritia vt à dipsade mordentur. Diuites auaros iis comparari solent, qui à dipsade serpente mordentur, & ad fontes currunt, vt extinguant sitim, qua laborant; scitè Nicetas Choniates lib.de Isaacio Angelo: *Qui, inquit, cùm sequebatur exercitus, sæpissimè ex aureo fulmine haurire cupiebat, veluti morsi à dipsadibus inexplebili siti ardens.* Nic.Chon.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in iambicis carm. 22. in opum amatores inuehens, auaros ipsos ipsi dipsadi comparat, dum canit, S.Greg Naz.

Est viperarum quodpiam dipsas genus,
Quas solitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale sit nomen docet.
Huic namque morbus, quem parit, nomen dedit.
Perit bibendo, quisquis hac ictus fuit,
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quousque nimio turgidus potu crepet,
Vita cadente sana sic cadit sitis.

Auarus quidam parricida. S. Petr. Dam. Sanguinem in pecunia alibi notaui, sanguinis effusori par auarus est, alienarum opum inuasor, parricidis æquari potest. Sanctus Petrus Damianus opusc. 21. cap. 2. *Auarus*, inquit, *non est melior parricidis, non præfertur incestis, æquatur hæreticis, assimilatur idololatris.*

Multorū capitum Dæmō auaritia. S. Io. Clim. Multorum capitum Dæmonem auaritiam vocat sanctus Ioannes Climacus gradu 16. *Post tyrannum corporis, & carnis subyciunt hunc præsentem auaritiæ Dæmonum innumeris capitibus redundantem.*

354. *Lupus auarus est.* Marcell. Pal. Auarum hominem, si quis non hominem, sed lupum referre dixerit, plures in suam sententiam venire comperiet, reperiet multos illi in hac re præiuisse. Dabo hîc aliquos & ex prophana schola, & ex sacra. Marcellus Palingenius ita cecinit,

———— *Auarus*
Heu quid non audet sceleris? LVPVS *iste cruento*
Ore furens nulli non insidiatur ouili.
It preceps quocumque rapit scelerata Cupido.

Ælian. Ælianus lib. 5. epist. 4. de animal. cap. 20. lupi præ fame omnia nugas putant, quemadmodum scelerati homines nihil non præ pecunia præclarè contemnunt. Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib. 4. strom. *λύκος ἄγριος ὁ πλεονεκτικός, efferatus lupus auarus.* Sanctus Basilius in Hexaëm. hom. 10. *ὁ δὲ πλεονέκτης οὐκ ἔστι λύκος ἅρπαξ,* AVARVS *nonne est* LVPVS *rapax?* item, *ὡς λύκος ἅρπαξ ἐφεδρεύων τοῖς ἀλλοτρίοις, vt lupus rapax insidiatur alienis.* S. Chrys. Sanctus Chrysostomus hom. in terræmotum: *vbi diuitiæ, ac rapinæ* LVPVS EST *is, qui cernitur.* S. Greg Nyss. Sanctus Gregorius Nyssenus hom. 1. in ea verba, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* idem habet dum ait: *Quid auarus ipse?* NONNE LVPVS EST RAPACISSIMVS? auaros referre lupos rapinis inhiantes explicat in hunc modum sanctus Ambrosius serm. 13. de sanct. *Auari qui lupos imitentur.* S. Ambros. *Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longe ab eorum venatibus aberrare, scilicet, in rabiem suam rapina satient aliena: & quod leonum saturitate remanet, id luporum rapacitate consumatur; sic & isti auaritiæ* LVPI *prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitati superauit, horum cederet feritati.*

Lupus diues, agnus pauper est. S. Chrys. Lupus auarus diues est, agnus pauper, lupus autem ille agno isti semper insidiatur, semper in pauperem diues sæuit, vt ferre eum non possit; hinc illud sancti Chrysostomi serm. de Adam, & Sodomitis: *Vt enim neque lupus agnum, aut hædum Pardus patitur, ita nec peccator fert iustum, neque pauperem diues.*

Magna rapacis lupi, & auari diuitis cohærentia est; hoc ipso quod quis diuitiarum cupiditate tenetur, statim aliena tentat diripere, statim pauperes inuadit, hinc est vt diuinis litteris auaritiæ, & cupiditatis nomen in rapinam quandoque migrat; Mich 4. 13. *בצעם quid rapina & cupiditatis nexus.* Micheæ 4. v. 13. *Interficies Domino rapinas eorum,* in fronte est בצעם, quod vertit Pagninus in lexico, *cupiditatem eorum, seu auaritiam,* vt colligeremus facilè à cupiditate, & auaritia ad rapinam transitum esse, latro vt auarus sit, & quocumque *Auari latronibus sæuiores.* S. Cypr. latrone audacior; quod voluit sanctus Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum, vbi auaritiam latronibus, & sicariis ita componit, vt præferat: *In latronibus*, inquit, *est vtrumque aliqua verecundia, auras, fauces, & desertas solitudines diligunt, & sic illic delinquitur; ac tamen delinquentium facinus tenebris, & nocte velatur; auaritia palàm sæuis, & ipsa audacia sua tuta in fori luce obrupta cupiditatis arma prostituit; inde falsarij, inde venefici, inde in media ciuitate sicarij tam ad peccandum præcipites, quàm impunè peccantes.*

Placet rapina? placent furta? alia ostendo, quæ 355. *Quænam furta probata.* sine crimine, quin & cum laude præstabit auaro, si neglectis terrenis diuitiis non aliena ampliùs inuadat, non terram rapiat, sed cœlum, probandum hoc rapinæ genus est; res ab aureo ore, sed auri contemptore est. S. Chrys. Sanctus Chrysostomus hom. super illud: *Astitit Regina à dextris tuis*, hoc monitum exhibet: *Quid rapto extorques alienum vbi inuidia? Rapito vbi proponitur corona, ne rape terram, sed cœlum, nam violenti rapiunt illud. Quid rapinam exerces in pauperem, vt te criminetur? Rapito Christum hoc rapinæ genus approbantem. Vidisti malignitatem, & insaniam Regis, pauperem exiguum quid possidentem, Christus dicit, me rapito, & gratias tibi habeo rapinæ istius; admitere per vim rapere meum Regnum.* Felix *Notati qui nummū Deo præferunt.* hæc rapina, quæ raptorem cœlo cumulat, Deo ditat; quis tam fatuus, vt nummum Deo præferat, pecuniam pluris faciat, quàm Christum? hanc amentiam iure damnat sanctus Augustinus in Psal. S. Aug. 51. ad illud, *Et præualuit in vanitate sua*; ait quippe, *quid enim vanius eo, qui putat plus valere nummum, quàm Deum.*

Rapere vis nummum, non vis Christum? si ra- *Lupos auaritia gignit.* pina placet, placeat illa, quæ rapientem beat, & in cœlum rapit, displiceat illa, quæ rapit ad tartara; qui diuitias rapit, lupus est, agnus, qui Christum. Denique, qui vitiorum lupos auersatur, auaritiam in suo sinu, ne nutriat, hæc quippe crimina tanquam lupos gignit, fouet, & nutrit; quò spectauit Prudentius in Psychomachia dum canit, Prudent.

Nec minus interea rapidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo
Matris auaritiæ nigro de lacte creata.

EXCVRSVS XLVIII.

Auri tyrannis, tyrannis auaritiæ.

Regina *pecunia.*
Aurum sæuus tyrannus.
Occultus tyrannus *aurum.*
Asperum pecuniæ iugum.
Auari auri possessores ab auro possidentur.
Auri dominus *diues sit, non* seruus.
Pecuniarum cupiditas quocunque tyranno *grauior.*
Durum auaritiæ imperium.
Auaritiæ tyrannis.
Suos in seruitutem *redigit auaritia.*
Christi seruus seruire cupiditati *diuitiarum nescit.*

Videatur dominari qui auro abundat, abun- 356. *Regina pecunia.* dat argento; verè tamen miserè seruit, & sub imperio est, licèt videatur imperare. Pecunia REGINA quibusdam dicta est, sic ille ab externa schola, Horat. 1. epist. 6.

Scilicet vxorem cum dote, fidémque, & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.

Mitius

Mitius de illa loquutus, quàm res exigat, non regina tantùm est, sed & tyrannus, illeque sæuissimus. Præclarè Constantinus Manasses, dum inclamat: *O aurum* TYRANNE CRVDELIS, *hominum persequutor audacissime, fraudulente, arx malorum omnium, castellum perniciei, vastator vrbium, propugnaculorum euersor, qualibus malis immortales dignus?* & potest iste tyrannus amari dum ita sæuit?

Tyrannus aurum est, durè eos opprimens, qui dum illud possident, possidentur. Sancti Gregorij Nazianzeni hæc mens, hæc verba orat. 24. initio: *Aurum est* OCCVLTVS TYRANNVS, *per quem multa sursum deorsúmque veluti in talorum ludo iactantur: vbi Elias Cretensis, tyrannum vocat, quod auri cupidis vim afferre, eósque veluti tyrannide opprimere possit.*

Signatè *auri cupidis* dixit, in hos enim solos suam aurum tyrannidem exercet, non in eos, qui illud negligunt, & calcant; cupiditas in homines auri sæuitiem excitat, sùbque dura illius seruitute mortales demittit; iugo se pecuniæ subiicit, qui pecuniæ tenetur amore; amor ipse iugum asperum est. *Reuera*, inquit sanctus Chrysostomus hom. 23. in epist. ad Ephesios, *te subiecisti duro, &* ASPERO IVGO *amoris* PECVNIÆ. Cupidos nummo famulari innuit etiam Tertullianus lib. 4. aduersùs Marcionem, vbi de nummis loquens ait: *Cui famulatam videns Pharisæorum cupiditatē amentauit hanc sententiam: Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Non seruit auru, qui auri cupiditate non tenetur; seruit, qui tenetur, aurique mancipium est. Sanctus Cyprianus de lapsis pecuniæ, mancipatos hus vocat, ait quippe, *Possidere se credunt, qui* POTIVS POSSIDENTVR *census sui serui, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati.*

57. Excute, si sapis, hoc iugum, te ab hac seruitute exime, ab hac tyrannide; auro vtere, vt aurum possideas, auri seruus eris, si nimio auri amore correptus aurum reuerearis. Mouentem audi sanctum Augustinum, qui in Psalm. 123. ita scribit: *Ille habet aurum, qui nouit vti auro: qui autem auro vti non nouit, habetur, non habet; possidetur, non possidet. Estote domini auri, & non serui auri; quia & aurum Deus fecit, & te super aurum ipse fecit. Aurum fecit ad subsidium tuum, te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, & calca quod infra te est.*

Ipsa cupiditas omni tyranno durior, & sæuior est; quod voluit etiam sanctus Chrysostomus hom. 58. in Ioannem, vbi ita loquitur: *Omni* TYRANNO GRAVIOR *est pecuniarum cupiditas. Nullam enim voluptatem habet, sed curas, inuidiam, insidias, odia, calumnias, & innumera virtutis impedimenta.*

58. Durum in eius mente exercet imperium auaritia, quem corripit: grauis, & seuera auari domina est, vt cogat eum ad eius legem viuere, ac regimen; verus in hac re Plutarchus de cupiditate diuitiarum, vbi de auaritia loquens ait: ὥσπερ βαρεῖα καὶ πικρὰ δέσποινα, κτᾶσθαι μὲν ἀναγκάζει, χρῆσθαι δὲ κωλύει, καὶ τὴν μὲν ἐπιθυμίαν ἐγείρει τὴν δ' ἡδονὴν ἀφαιρεῖται. id est, *veluti molesta, & morosa domina, parare cogit, frui prohibet, & concupiscentiam cùm excitet, voluptatem adimit*; nulla sub hoc imperio voluptas, nullum gaudium, grauia omnia, acerba, molesta.

Adeò durum, asperúmque hoc auaritiæ in suos imperium est, vt nullam illi requiem permittat, nullum refrigerium, semper eos exercet, semper premit, quis adeò sæuus in suos seruos, vt vel paululum interquiescere eos non sinat? auaritia sæuitiam omnem imperantis superat, quę suis requiem omnem negat. Præclarè sanctus Gregorius Nyssenus de vita Mosis paulo ante medium: *Alia*, inquit, *non minus crudelis domina auaritia, quippe nulla vnquam requiem seruientibus ei præbere solet, sed quanto plura diei, ac noctis laboribus, & cruciatus imperio dominæ quæritant, cupiditatémque suam explere conantur, tanto magis anguntur, quasi nihil fecerint, magisque inanes ac famescentes reperiuntur.* Et auari seruitus ista potest quæri dominium istuc, emi iugum istuc?

Verè auari domina auaritia est, ad cuius ille nutum seruit, nec dominium tantùm, sed & tyrannidem in illum exercet; hinc illud sancti Chrysostomi hom. 21. in Matthæum: *Propter quandam* AVARITIÆ TYRANNIDEM, & hom. 21. in Genesim, *Isti, qui* TYRANNIDI AVARITIÆ *subiecerunt, nullum concupiscentiæ finem sciunt*; de huius tyranni sæuitia & crudelitate ita loquitur idem sanctus Pater hom. 14. in Ioannem: *Grauis morbus est auaritia, grauis, inquam, & qui oculos cæcat, & aures obstruit, & feris sæuiores reddit, non conscientiam, non amicitiam, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere sinit; sed semel ab omnibus dirimens* IN SERVITVTEM SIBI, QVOS CEPIT, MORE SÆVISSIMI TYRANNI VENDICAT. Dura hæc seruitus, & ipsa Ægyptiaca infelicior: ab hac nos redimere studet sanctus Augustinus, dum in Psalm. 128. ait: *Noli velle possideri ab auaritia*; verus Christi seruus auaritiæ iugum excutit, nescit cupiditati famulari; Regnum cœleste qui cogitat, & indepturum se sperat, ab auaritiæ tyrannide se eximet; *Qui concupiscit*, inquit sanctus Chrysostomus homil. 9. in Matthæum, *illius regni gloriam, facilè irridebit auaritiam; qui semel Christi seruus effectus est, non erit mammonæ famulus.* Celsiorem mentem circumferat, quàm vt tam vili, tam vilium rerum seruituti, se subiiciat.

Aurum sæuus tyrannus.
Const. Man.
Aurum tyrannus auri.
Greg. Naz.
Elias Cret.
Aurum potentium iugum.
S. Chrys.
Auri seruos ab possid.
S. Cypr.
Dominus sit, non seruus.
S. August.
Pecuniarum cupiditas quouis tyranno grauior.
S. Chrys.
Dura auaritiæ imperium.
Auaritia tyrannis.
S. Chrys.
Suos in seruitutem redigit auaritia.
S. Chrys.
Christi seruus seruire cupiditati diuitiarũ nescit.
S. Aug.
S. Chrys.

EXCVRSVS XLIX.

Auaritiæ ignis nunquam satiatur.

Ignis *auaritiæ semper indiget diuitiarum alimento.*
Cupiditatis Ætna.
Opum affluentia auaritiæ flammam *nutrit.*
Subtrahendæ opes, vt auaritiæ ignis *extinguatur, non augendæ.*
Opibus videatur auaritiæ flamma *comprimi, reuera augetur.*
Auarus insatiabilitate infernus *quidam.*
Fœtor *ab auari rebus vt exhalauerit.*

IGnis auaritia est, eget semper alimento, omnia depascitur, absumit omnia. Scitè sanctus Basilius hom. in Lacizis habita, quæ est vigesima prima ex 29. *Ne adaugeas*, inquit, *tibi peccatum auaritiæ, namque malum stare nescit, aut quiescere, sed ignis naturæ simile. Ignis enim postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam. Nec prius desistere poterit, quàm materia defecerit. Auarum autem quid retinere poterit?* IGNE VEHEMENTIOR *est, omnia continuando finibus suis occupat: ea quæ sunt vicini, sibi aufert. Mox vbi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, de se rapit, non ea, quæ retrò sunt, attendit, sed quæ his desunt, quæve ante prospicit, à vicinis possessa desiderat.* 359.

Ignis auaritiæ semper indiget diuitiarũ alimento.
S. Basil.

Ætna

Cupiditatis Ætna.
Boëth.

Ætna non adeò ardet, nec tam ingentes euomit flammas, vt ardet auaritia, & habendi cupiditas æstuat, vt verus fuerit Boëthius lib. 2. consol. Philosoph. metro 5. dum cecinit,

> SÆVIOR IGNIBVS *Ætnæ*
> *Feruens amor ardet habendi.*

Ex diuitiarũ copia cupiditatis incendium crescit.
Seneca.

Quò plura quis ligna igni subiicit, igni offert, eo magis crescit, & acriùs ardet. idem in auaritia accidit, quo maiores adiiciuntur opes, plus cupiditatis augentur flammæ, incendium addit, qui auaro diuitias offert. Elegantur Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 27. vbi ait: *Eo maiora cupimus, quo maiora venerant: multòque concitatior est auaritia, in magnarum opum congestu collocata, vt flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiori incendio emicuit.* Felicior ipse, & ditior, si suum calamum sequutus fuisset, vt ducem. Meliores nostri qui non aliud docuerunt calamo, aliud exemplo; sed illos audiamus. Theodoretus 6. de prouid. ἀγαθῶν ἡ ἀπορία γίνεται τῇ τῆς πλεονεξίας φλογὶ, καὶ συμπυρσὸν τὸν πλοῦτον ἡ πονηρία λαμβάνουσα, μέγιστον ἀνάπτει πυρσόν. id est, *opum affluentia materiæ vice* ALIT *auaritia* FLAMMAM, *& nequitia diuitijs adiuta maximam facem succendit.* Et sanctus Augustinus serm. 250. de tempore, *contemnenda,* inquit, *est auaritia, quæ velut* IGNIS *quanto magis acceperit, tanto amplius quærit.* Paria ferè habet sanctus Chrysostomus hom. 31. in Genesim, vbi cupidos, & auaros ita premit: *Qui se* TYRANNIDI AVARITIÆ *subiecerint, nullum concupiscentiæ finem sciunt, sed quanto plura affluunt, tanto magis* FLAMMA *crescit, & caminus ardet validus.* non igitur augeas diuitias, & opes,
360. sed minue cupiditatem.

Opum affluẽtia auaritiæ flammam nutrit.
Theodor.
S Aug.

Subtrahenda opes vt auaritiæ ignis extinguatur, non augenda.
S. Isid. Pelus.

Ignis vt extinguatur, non ligna adiicienda sunt; sed subtrahenda. idem in auaritia fiat, non augendæ sunt opes, sed minuendæ; spargantur in pauperes, sic auaritiæ flamma minuetur. A probo calamo hoc monitum est sancti Isidori Pelusiotæ lib. 5. epist. 113. hæc sunt verba, *Qui extinguere volunt ignem, non aridam quandam materiam imponunt, neque aliud fomentum prabent, quo ignis augescat, fiatque indomabilis, sed quæ extinguere nata sint flammam, flammam adijciũt. si itaque & ipse extinguere auaritiæ desideras fornacem, non adiectis alijs facile te posse perficere speres, sed detrahendo. Auaritiam autem restinguit eleemosyna, atque in agentes munificentia.*

Opibus videatur auaritiæ flamma comprimi, re vera augetur.
S. Greg.

Lignorum aggestu videatur prima facie ligna comprimi, & ignis vis coërceri, tamen paulò pòst acrior surgit, & vehementior; istuc idem in auaritiæ igne accidit, non sopitur diuitiarum augmentis, licet videatur, quin nonnihil compressus altiùs erigitur, ampliùs dilatatur, vehementior sæuit, quò spectabat sanctus Gregorius lib. 15. moral. cap. 12. in hæc verba: *Liquet quia auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. nam more ignis cum ligna quæ consumat acceperit, excrescit, & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò pòst cernitur dilatata.* ne excrescat hæc flamma, opes subtrahendæ, subtrahenda opum cupiditas.

Infernus quidam auarus.
S. Aug.

Infernus auarus quoque dicitur, infernum insatiabilitate sua refert; S. Augustinus lib. de salutaribus documentis cap. 30. *Auarus enim vir inferno est similis. Infernus enim quantocumque deuorauerit, nunquam dicit, satis est. Sic si omnes thesauri confluxerint in auarum, nunquam satiabitur.*

Ab auari rebus fœtor.
S. Hier.

A parci, auarique rebus auaritiæ fœtorem exhalare sensit sanctus Hilarion, de quo istuc monumentis consignauit sanctus Hieronymus in eius vita. *Detestabatur præcipuè Monachos, qui infidelitate quadam in futurum reseruarent sua, & diligentiam haberent vel sumptuum, vel vestitus, vel alicuius rei cum sæculo transeuntis. Denique vnum de fratribus in quinto ferè à se milliario manentem, quia compererat hortuli sui nimis cautum, timidumque custodem, & pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat. Qui volens sibi reconciliari senem, frequenter veniebat ad fratres, & maximè ad Hesychium, quo ille vehementissimè delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat, detulit. Quem cùm Hesychius posuisset in mensa ad vesperum, exclamauit senex, se putorem eius ferre non posse, simúlque vnde esset, rogauit. Respondente autem Hesychio quòd frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset: Non sentis,* inquit, *putorem teterrimum, & in cicere* FOETERE AVARITIAM? *Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide si comedant. Quòd cùm ille iuxta præceptum in præsepe posuisset, exterriti boues, & plus solito mugientes, ruptis vinculis in diuersa fugerunt. Habebat enim senex hanc gratiam, vt ex odore corporum, vestiumque, & earum rerum quas quis tetigerat, sciret, cui Dæmoni, vel cui vitio subiaceret.*

EXCVRSVS L.

Auaritia metropolis improbitatis, omnis malitiæ mater.

Amatur *facilè auaritia, licèt facilè arguatur.*
Auaritia vitiorum regina.
Improbitatis mater *auaritia.*
Metropolis improbitatis *auaritia est.*
Omnia vitia *vna auaritia excipit.*
Peccator *per antonomasiam de auaro.*
Diuitiarum possessor peccator *dicitur.*
Malorum radix *cur dicta sit auaritia.*

Facile est & auaritiam argui, difficile verò est 361.
auaritiam non amari, vt falsa quadam dulcedine diuitum animis illabatur, vt ægrè reiici postea possit vbi mentem infecerit, quam corripuit, vt optimè hîc cadat votum illud sancti Zenonis Episcopi serm. 2. de auaritia in illam inuehentis; *Auaritia quàm facilè arguitur ab omnibus, vtinam possit tam facilè non amari, est enim artifex ac dulce malum, & hominibus vniuersis semper infestum.* Damnanda tamen semper est, quia semper noxia, & illius mala recensenda vt vitentur.

Amatur facilè auaritia, licèt facilè arguatur.
S. Zeno.

In auaritiam plerique calamos exacuerunt. Cassiodorus lib. 12. vers. 1. vitiorum REGINAM auaritiam vocat. Phocylides μητέρα κακότητος ἁπάσης, MATREM TOTIVS IMPROBITATIS. Bion sophista apud Stobæum serm. 10. auaritiam dixit μητρόπολιν ἁπάσης κακίας, METROPOLIM OMNIS IMPROBITATIS. Coëunt in vnam auaritiam omnium vitiorum fæces, omnia scelera, vna recipit, omnia fouet ac nutrit. Succinit Palingenius dum canit:

Auaritia vitiorum Regina.
Cassiod.
Improbitatis mater.
Phocyl.
Metropolis improbitatis.
Bion.
Paling.

> *Namque vbi auaritia, habitant ferme omnia ibidem*
> *Flagitia, impietas, periuria, furta, rapina,*
> *Fraudes, atque doli, insidiæque & proditiones,*
> *Iurgia, & infandæ cædes, quid singula narrem?*
> *Denique sordidius nil est, nil peius auaro.*

Suo nempe sinu omnia vitia vna auaritia exci- 362.
pit, omnia fouet, ac nutrit.

Omnia vitia vna auaritia excipit.

Hinc est, vt in diuinis litteris καθ' ἐξοχὴν auarus PECCATORIS nomine signetur, vt peccata, & auarus in idem recidant, cùm auarus peccatorum omnium sit delubrum; ita explicanda illa verba Prophetæ regij Psalm. 111. v. 9. *Peccator videbit,*

videbit, & irascetur, hoc est, diues auarus, & ab opibus possessus, quas videtur possidere metu, videbit piorum felicitatem, & ira corripietur; eiusdem mentis est & doctissimus interpres Agellius, hic dum ad hæc verba ait: PECCATOREM *quem* AVARVM *hominem intelligimus, sanum in pauperes, & impium dicit metu, atque pauore tabescere.* Vbi auarum hominem dedisti, statim omnium vitiorum domicilium cense, peccatoris titulo insignitur, peccatoris sibi nomen vendicat, ob insignem eius malitiam, ac improbitatem.

...cator per ...onomasiā ...auaro. ...l. 111 9. ...elli.

Opes, & diuitiæ materiam vitiis omnibus præbent, sceleribus omnibus famulantur, vt diuitiarum possessor peccator dici potuerit. hinc Psal. 81. v. 2. *Facies peccatorum sumitis*, idest, diuitum, & opulentium, qui diuitiarum copia in omnia scelera facilè labuntur, cum vitiis obituri ab hac vita opibus destituti, quæ in vitia, & scelera impulerunt; hinc illud sancti Chrysostomi hom. 23. in Genesim, *Diuites his omnibus relictis nudi hinc migrant, tantùm malitia vestiti*, PECCATORVM *oneribus inde collectis.* O fatui diuitiarum terrenarum amatores, qui dum in diuitias feruntur, feruntur in vitia; diuitum cor auaritia subit? subeunt cum illa omnia, iustitia abit, abit innocentia. nam, vt ait sanctus Leo serm. 9. de passione Domini, NVLLVM EST *in illo corde* IVSTITIÆ VESTIGIVM, *in quo sibi auaritia fecit habitaculum.*

...iuitiarum ...ssor pec... ...r dicitur. ... 81. 2.

...hrys.

63. Denique velut à radice pullulant ab auaritia omnia vitia, vt iure omnium malorum radix ab Apostolo dicta sit, quæ virtutum germina inficit, & necat, & omnia scelera gignit. Accinit sanctus Petrus Chrysologus serm. 162. vbi ait: *Auaritia fratres, sicut dicit Apostolus*, RADIX *est* OMNIVM MALORVM, *quæ cùm radicari cœperit in corde, sic morum dissipat ornamenta, sicut arbor noxia feralibus radicibus nexa soluit, & dissipat monumenta maiorum.* Luculentiùs rem versat sanctus Asterius hom. aduersùs auaritiam, vbi hæc habet: AVARITIA *iuxta Apostolum* IDOLOLATRIA *est, omniúmque radix malorum, innumera ex sese vitia progignens; sicut enim ij, qui aurum in sinu visceribúsque terræ scrutantur, auream glebam circa principem, & proprium generationis locum cumulatim repositam inueniri narrant, & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci sicut arborum à stipite latè sese explicant, ac diffundunt radices: ad eundem modum imagine non minus impropria auri, & auaritiæ multa video germina, multósque surculos vna eadémque stirpe auaritiæ coniunctos*; euellenda hæc radix, ne in corde vitiorum germina pullulent, peccatorum rami dilitentur.

...um ra... ...r dicta ...ritia. Chry.

EXCVRSVS LI.

Ægrè sanari auaritiæ morbus potest.

Opum Cupidini alæ *tributæ quia ægrè auolat à corde quod tenet.*

Sine pedibus *quoque hic amor est.*

Difficile auarus ab auaritiæ morbo *sanari potest.*

Ab insano auaritiæ pelago *ægrè quisque emergere potest.*

Eo magis Deo dissimilior *homo est, quo magis terrenas opes amat.*

Nouarini Adagia SS. Patr.

VBi quis aditum auaritiæ dederit, dedetit cupiditati, ægrè postea excludet quod semel admisit, subit Cupido mentem, & aureis auri amore eam vincit, & ligat Cupidini, & amori pedes, alæque tributæ à Poëtis fuere, quia facile aliò abit, aliò auolat, pecuniæ, opúmque Cupido sine pedibus est, quia difficile ab eo migrat, quem semel corripuit, quin auribus caret, quia gemitus non audit, nullius precibus flectitur. Præclarè rem versat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 235. vbi ita pecuniarum, & corporum amorem inter se confert: *Corporum amorem, vt qui acris quidem sit, verùm celeriter extinguatur, ob eam causam pictores cum facibus, & pennis depingunt: quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursùm ob saturitatem* AVOLAT. *At pecuniarum amorem nemo vnquam aut fingere, aut scribere ausus est, cuius rei hæc fortassè causa est, quia ne amor quidem est, sed insanabilis furor. Aut hæc fortasse, quia nec fingi, nec describi potest.* Addit statim, *quin ne* PENNAS *quidem* HABET, *satiari enim, atque expleri nescit*; & paucis interiectis: *Porrò*, inquit, *aures vsque adeò septas, & obturatas habet, vt nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes habeat. Tantum verò ab eo abest, vt* PENNAS HABEAT *(quæ saturitatem designant) vt ne pedes quidem ipsi vir vllus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo, qui captus est, secedere potest.*

Opum Cupidini, alæ tributæ, quia ægrè auolat à corde quod tenet.

S. Isid. Pelus.

Sine pedibus quoque hic amor est.

Alis, pedibúsque diuitiarum amor caret, licèt pedes, alasque habeant diuitiæ ipsæ, statim enim, ac possidentium mentem ferierint, vulnerauerint, aliò auolant, neque diu apud vnum possessorem manent; hinc illud sancti Chrysostomi hom. 5. in Gen. *Diuitiæ multa pericula dominis suis præstantes statim aliò* AVOLARVNT; facilè aliò se conferunt diuitiæ, non facilè aliò auolat diuitiarum cupiditas, & amor. 365.

Verè ita est, facilè quis diuitiarum amore capi potest, difficile verò ab eius laqueis liberatur. Rem exemplo firmo, corripuerat habendi cupiditas Ananiam, eóque eum traxit vt coram Petro mentiretur. quid egit peritus medicus? non correxit, sed puniuit, damnauit eum morte, nam coram Petro expirauit Ananias, Act. Reponat hîc aliquis, & quærat cur non potiùs auaritiam sanauit? præstabat cupiditatem extinguere, quàm Ananiam; an morbi huius curandi difficultate territus est? putauit facilius esse auarum mori, quàm eius auaritiam. Bene sanctus Ambrosius serm. 59. *In Anania Petrus auaritiam*, SI POTVISSET CORRIGERE, NON PVNISSET. Pergit, *sed dum illum punit, alios corrigit*; docétque ne sinant se hoc auaritiæ morbo corripi, ægrè hanc ægritudinem excursuri, si semel eam admittant.

Difficile auarus ab auaritia morbo sanari potest.

Acta.

S. Amb.

Sanctus Chrysostomus, *Insaniæ pelagus* indigitat auaritiam, in quod qui se proiecerit, ægrè exire deinde poterit; sic ille loquitur hom. 12. in epist. ad Roman. *Si sensim in huius insaniæ pelagus illapsus fueris, semel ingressus difficile regredi poteris*; nulli pelagi huius malitia imponat, nullum decipiat, eius vndis abripi ac sepeliri facilè quisque potest, ab earum vi, ac impetu se eximere non est cuiuslibet.

Ab insano auaritiæ pelago ægrè quisq; emergere potest.

S. Chrys.

Quid hætenus terræ, quid terrenis inhiamus, & mutabilibus, cœlo à cœlestibus nati? Hominem pudeat ad Dei imaginem factum, rerum temporalium amore corripi, quæ eum à Dei similitudine longiùs trahunt, quo magis in sui amorem, cupiditatémque alliciunt, vt verus fuerit S. August. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 16. dum ait: *Incorporali illi, æterno, & incommutabili tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium mutabiliúmque cupi-*

Eò magis Deo dissimilior homo est, quo magis terrenas opes amat.

S. August.

dior. Valde similis erit ab opum terrenarum amore liber, & expeditus.

ADAG. CCCCLXXIII.

Aureum seculum.

366. FElicia, & sanctitatem redolentia secula aurea adagialiter dicentur; hanc appellationem primùm illud fidelium seculum indeptum est, in quo pietas, & fidei ardor in fidelibus vigebat, virtutes vernabant; ita loquitur sanctus Petrus Damianus epist. 1. *Reparetur nunc*, inquit, *aureum Apostolorum seculum, & præsidente vestra prudentia, Ecclesiastica restoreat disciplina*; & opusc. 12. cap. 3. *post illud aureum Apostolorum sæculum.* In vita quoque sancti Romualdi, disciplinæ rigorem religionis obseruantiæ vigorem, qui illius æuo, illius exemplo, & institutione vigebat, efferens, hæc habet cap. 64. *Sed cur ego de monachis loquor, cùm & ipsi monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum ieiunarent, silentium tenerent, disciplinas inter se inuicem facerent, & de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi sæculum, quod etsi tormenta persecutorum non nouerat, spontaneo tamen martyrio non carebat. Aureum, inquam, sæculum, quod inter montium, & syluarum feras tot cœlestis Hierusalem ciues alebat.* Absalom serm. 306. *Si redirent*, inquit, *aurea illa sæcula, & sicut in priuatiua Ecclesia.*

ADAGIVM CCCCLXXIV.

Pomum Sodomiticum, seu pomum Gomorrhæum.

QVæcumque extima sui specie spectatores decipiunt, & præter externam quandam pulchritudinem, ac venustatem nihil intus boni continent, nihil solidi, nihil suauitatis, scitè pomis Sodomiticis, seu Gomorrhæis poterunt prouerbiali schemate comparari, ita sunt terrenarum deliciarum, & corporearum concupiscentiarum fructus similes pomis Sodomæ, quæ cùm ad speciem fulgeant, & maturitatem præferant, mandi tamen non possunt, vt Solinus inquit. Sic enim ille de pomo Sodomitico scribit Polyhistor. cap. 39. *Longo ab Ierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum: apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licèt maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus fauillaceam, ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ leui tactu pressa, fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem.* Et sanctus Cyprianus in Sodomis v. 126. ita canit,

Semiperempta etiam si qua illic ingera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima sese
Promittunt oculis, pyra, persica, & omnia mala,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.

De hoc pomo ita loquitur sanctus Petrus Damianus opusc. 24. *Quid est*, inquit, *quòd in arua Sodomæ poma gignuntur, quæ ad maturitatis quidem speciem vsque perueniunt, sed morsu pressiue tentata in fumum, vel fauillam corio fatiscentem euanescunt?*

Porrò in famosarum ciuitatum fructibus, iræ diuinæ monimentum agnouit sanctus Chrysostomus, cuius hæc sunt verba hom. 8. in 1. epist. ad Thessal. de ista Regione, ad quam Loth se recepit loquentis: *Ipsa, quæ erat adeò florida, & cum omnibus certabat regionibus, quæ fertilitate antecellebat Dei Paradisum, est nunc quibus desertis desertior, & stant arbores, & habent fructum. Fructus autem est iræ Dei monimentum, stant enim mala punica: lignum, inquam, & fructus, quæ præclaram habent speciem, & exteriore superficie, & ignoranti præbent bonam spem. Si sumpta autem fuerint in manus, fracta nullum quidem fructum, sed multum ostendunt puluerem & cinerem intus repositum.*

ADAGIVM CCCCLXXV.

Nouus Dathan, nouus Abiron.

NOta ex sacris litteris horum hominum 367.
temeritas, & impietas, qui Moysi se opponentes seditionem contra illum suscitauerunt, vt in pœnam viuos eos terra deglutierit; mentio huius rei fit Num. 16. Possunt & ad pares abominanda hæc nomina transferri, vt prouerbialem vestem induant; qui igitur Dei seruis Ecclesiæ Doctoribus resistit, qui insurgit in eos, qui veritatem prædicant, vera docent, Dei & Ecclesiæ Catholicæ partes tuentur, & bene sentientes vellicat, *hic nouus Dathan, nouus Abiron meretur* compellari. hac formula vsus est sanctus Gregorius Nazianzenus Philosophum quemdam perstringens, qui sancto Basilio, eiúsque doctrinæ obganniebat. hæc sancti Gregorij verba epist. 26. vbi post recensitas tumentis Philosophi calumnias subdit: *Hic ego: Vnde hoc ô homo vane atque arrogantia nomine noue Dathan, & Abiron? vnde vobis dogmatum promulgator venis?* quæ iustè non minus, quàm appositè, in nostri temporis hæreticos torquentur; quibus Dathanis, & Abironis pœna imminet, quia in temeritate, & arrogantia sunt illis pares.

ADAG. CCCCLXXVI.

Inter sydera nidum collocare.

QVi ad perfectionis, & sanctitatis culmen videntur peruenisse, cœlo proximi facti, hi prouerbiali quodam modo *inter sydera nidum dicentur collocasse*; quos tamen à discrimine immunes non esse, nec à casu, testatur sanctus Augustinus lib. soliloquiorum cap. 29. dum ait: *Vidimus multos Domine, ex Patribus nostris, quod vtique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsque ad cœlos, & inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsque ad abyssos, & animus eorum in malis obstupuisse; vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis.*

ADAG. CCCCLXXVII.

Qui scalmum in lacu regere nescit, Euxini maris fragoribus creditur.

CVm qui impar minoribus est, maioribus 368.
adiicitur, & ei, qui ineptus facilioribus est, difficilia committuntur, tunc hæc sententia prouerbij loco poterit adhiberi; adhibuit sanctus Hieronymus epist. 49. quæ est de muliere septies icta,

ista, qui de se humiliter sentiens, déque viribus suis, ait: *Homo, qui nec dum scalmum in lacu rexi, Euxini maris credor fragoribus*; quod iustiùs in eos quadrabit, qui verè inepti alicui operi sunt, quod facilius est ineptiores futuri, & magis impares difficiliori.

ADAG. CCCCLXXVIII.

Nullus Dauid sine Saule.

IVsti malos persequutores habent, cùm deberent imitatores habere; cùm igitur quispiam insigni sanctitate insignis, impij alicuius insidiis, conuitiis, iniuriisque petetur, vsurpari hoc prouerbium poterit, quod à doctis viris vsurpatum reperi; scilicet, *Nullus est Dauid sine Saule*, qui eum persequatur.

ADAGIVM CCCCLXXIX.

Nullus Moses sine murmuratore.

NEc summa vitæ sanctitas, nec illustrium operum, miraculorúmque editio Mosem à murmurationis iaculis exemit; non populum rantùm murmurantem sensit, sed, quod peius, Mariam, Aaronem, vt defensorem Deum habuit; cùm igitur etiam in iustos pióśque sæuire murmuratores viderimus, aptè hoc prouerbio vtemur, *nullum Mosem sine murmuratoribus esse*, quo nostri vti solerent.

ADAGIVM CCCCLXXX.

Nil tam bene dictum quod non possit deprauari.

369. IN deteriorem plerumque partem rapiuntur, quæ poterant in meliorem; si quid à bona alicuius mente fluxerit, & alio malè torqueatur, afferri prouerbiali schemate præfixa sententia poterit. Attulit Petrus Abailardus, cuius opera, à censura vendicata ex codicibus mss. habemus; sic autem ille loquitur in Apologia sua, *Notum prouerbium est: Nil tam bene dictum, quod non possit deprauari.*

ADAGIVM CCCCLXXXI.

Noster Antiochus.

QVi sæuus in omnes, in omnes crudelis est, quoslibet inhumaniter tractat, nulla misericordia tangitur, hic Antiochi nomen merebitur, sumptum ab illo, qui immanem crudelitatem in Iudæos exercuit; hoc sensu, hoc nomen extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de Maccabæis in hæc verba: *Filij sacrosanctorum filiorum exemplo permoti, atque adolescentium cum in fœdus & obscœnus affectibus, sed in certaminibus aduersus animi vitia suscepitis conterentes, strenuéque cum quotidiano nostro Antiocho confligentes, qui membra omnia nostra lacessit, variisque modis persequitur.* Noster Antiochus Satanas est, noster Antiochus cato, noster Antiochus mundus.

ADAG. CCCCLXXXII.

Pulicis, & Leonis comparatio.

CVm exigua magnis comparantur, & vilia cum perfectis conferuntur, adhiberi prouerbialis hæc sententia poterit, quæ exculpitur ex epist. 1. Petri Abailardi; si vir minimæ sanctitatis sanctissimis parietur, minimè peritiæ peritissimo, huic erit prouerbio locus, & vniuersè cùm valde inter se disparia, & inæqualia comparantur.

ADAG. CCCCLXXXIII.

Ponere in cœlum os.

TOrquebitur in eos, qui lingua in omnes sæ- 370.
uiunt, nulli parcunt, in Deum, Deique seruos contumeliosi; Adam Præmostratensis serm. 4. ad Pontifices coërcuit dum ait: *Nec ab officio Pontificali propter hanc ipsi desidiam atque negligentiam suspenduntur. Certè nec hoc scio si eas ipsi saltem monent vbi se emendent. Sed de illis finamus modo, ne videamur os nostrum ponere in cœlum, si tamen in cœlum*; & serm. 12. *Nimis frontosè*, inquit, *Christos Domini tangis, nimis superbè ponis in cœlum os tuum.* Addit statim, & monet: *Caue ne dum nimium de tuo robore confidens archam Domini manu temerarie contingere præsumis, percussione etiam ab eo mortifera feriri merearis.*

Amentiæ certa consignatio est diuina intra oris nostri angustias coërcere, & diuinarum rerum magnitudinem intra sermonis nostri limites sperare posse concludere, quod eleganter vrgebat sanctus Maximus hom. 3. in natali Domini: *Perabsurdum est*, inquit, *fratres, vt ineffabilem Deum infirmissimo fragilitatis nostræ sermone pensemus: amentiæ res est, vt operationes maiestatis immensæ inter exigua corruptibilis oris nostri conemur verba concludere.*

ADAG. CCCCLXXXIV.

Laua os tuum, & sic memineris.

CVm de probo viro, & virtutibus insignito non temere, sed cum reuerentia loquendum significare volebant, hoc olim prouerbio vtebantur; quod habet sanctus Chrysostomus hom. 9. in Matth. seu auctor operis imperf. in eos inuehens, qui Dei nomen frequenter, & inconsideratè iurantes vsurpant. hoc eius verba: *Quoties de viro quopiam virtutibus prædito loquimur, dicimus, Laua os tuum, & sic memor sis; nomen autem Dei simpliciter distrahimus.*

ADAGIVM CCCCLXXXV.

Cedit punctioni acus, qui mucroni se arbitratur posse resistere.

IN illos cadit, qui minimis succumbunt, & 371.
tamen grauiora se passuros iactant; egregiè hos premit sanctus Bernardus serm. de sancto Clemente, his verbis: *Vt quid ergo non possumus & nos cum Beato Clemente Christi bibere calicem? sed*

fortè respondent aliqui, Possemus si opportunitas non deesset, sed persequutionis tempus cessauit. At ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus; quid enim? quotidie ceditis punctioni acus vnius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quàm viriliter in maiori certamine stare possitis. Plerumque vnius durioris verbi auditu victi sternuutur, qui fortes contra integras acies state se posse confidebant, videbant tela, contemnebant arietes.

ADAG. CCCCLXXXVI.

Mari mutabilior.

Alicuius inconstantia, & mutabilitas prouerbiali hac comparatione traducetur; hinc illud sancti Chrysostomi hom. 12. in epist. ad Ephes. *Mari*, inquit, *crebrius mutantur*; maris fluxus, refluxus, notus omnibus est, licèt non ita causa.

ADAG. CCCCLXXXVII.

Sagitta de pharetra Satanæ educta.

Improbissimus homo cæteris sua importunitate nocens, prouerbiali metaphora, *sagitta de pharetra Diaboli educta*, vocari poterit; sortitus hunc titulum est impius Cadalous apud sanctum Petrum Damianum lib. 3. epist. 6. ait quippe: *Cadalous ille sanctæ perturbator Ecclesiæ, Apostolus Antichristi, sagitta nimirum educta de pharetra Satanæ.* Nihil obest, quin in similes hoc dictum torqueatur.

ADAG. CCCCLXXXVIII.

Præsumere ex æquo currere cum Gigante.

372. Temut quoties quis in aliqua re cum aliquo contendit, cui multis partibus sit inferior. elicui ex sancto Bernardo, qui serm. 83. in Cantic. ita scribit: *Quia non valet ex æquo currere cum Gigante*; si quis igitur currere præsumat, atgui poterit nimiæ temeritatis.

ADAG. CCCCLXXXIX.

Fumo infirmius, leuius.

De re, quæ nulla nitatur firmitate, consistentia nulla, sed quæ facilè dispergatur, in nihilum abeat. Sanctus Chrysostomus hom. 17. in epist. ad Romanos, *Preconium humanum fumo infirmius*; & hom. 20. *Arrogantia fumo leuius dissoluitur.*

ADAGIVM CCCCXC.

Rete subtili haurire aquam.

Irritum laborem, operámque cassam, aut rem factu difficilem hoc prouerbium notat; quo vsus sanctus Ambrosius lib. de arca Noë cap. 21. vbi ait, *Tanquam in prouerbio si quis rete subtili haurire cupiat aquam, sic qui malitiam ex pectoribus hominum conatur auferre.*

ADAGIVM CCCCXCI.

Contentionis pomum in medium proiicere.

De eo, qui seminarium litium, & rixarum spargit, dissidij author; prouerbialiter dixit Nicephorus Callistus lib. 14. τὸ μῆλον ἔριδος ἐς μέσον βάλλειν. idest, *contentionis pomum in medium proiicere.*

ADAGIVM CCCCXCII.

De Delphica vmbra contendere.

Est de nihili magnas rixas excitare; Synesij verba sunt lib. 1. de prouidentia, *Phanaticis similis esse videretur, de Delphica vmbra pertinacissimè contendens*; in eos torquebitur qui lites vel de re leuissima mouere sunt parati.

EXCVRSVS LII.

Amatori veritatis cauenda contentio est.

Superæ doctrinæ verba sine contentione *excipienda.*

Desideriorum, *non* contentionum *vir sit, cælestium mysteriorum cognitione donandus.*

Apud Ascetas benedictione *contentiosus carebat.*

A contentione, vt ab aspide *timendum.*

Qui contentiones serit, *nil boni* metet.

Qvi amator veritatis est, non sit litium, & contentionum; hoc rectè Christus innuere voluit, dum non semel paruulos discipulos suos esse debere dixit, vt scilicet ab omni contentione liber esset, qui eius doctrinæ excipiendæ se sistit; scitè Beda Venerabilis in cap. 10. Marci, *Regnum*, inquit, *Dei, idest, doctrinam Euangelij sicut paruuli accipere iubemur, quia quomodo paruulus in discendo non contradicit Doctoribus, neque rationes, & verba componit aduersus eos resistens, sed fideliter suscipit quod docetur, & cum metu obtemperat, & quiescit; ita & nos in obediendo simpliciter, & sine vlla retractatione verbis Domini fauere debemus*; ineptus excipiendæ superæ doctrinæ mentis aget est, qui contentionum spinis scatet. 373. *Superæ doctrinæ verba sine contentione excipienda.* B. Beda.

Contentio omnibus cauenda, sed præcipuè iis, qui diuina inquirunt, qui diuinæ legis studio vacant; doceri hi postulent quæ ignotant, non temerè alios impugnent, contendant cum aliis: scitè id colligit Sedulius in cap. 9. epist. ad Romanos, ex eo quòd Daniel *desideriorum vir* dictus est, Dan. 9. *Cum Daniel*, inquit, *Propheta voluntatem desiderasset agnoscere, vnde & vir desideriorum appellatus est, non est ei dictum, Tu quis es? sed missus est Angelus, qui eum de omnibus Dei dispensationibus & iudiciis edoceret, & nos si aliquid de secretis Dei, & reconditis desideramus cognoscere, desideriorum, & non contentionum viri simus; occultius in diuinis litteris inserta Dei iudicia fideliter, & humiliter requiramus, propterea namque & Dominus dicebat: Scrutamini Scripturas.* *Desideriorũ, non contentionum vir sit, cælestium mysteriorum cognitione donandus.* Sedul.

Olim

374. Olim apud Ascetas qui contentiosè de Scripturis disputabat benedictione priuabatur: in pœnis incerti auctoris, qui tamen in sancti Basilij operibus inseritur Num. 21. hæc habet: *Si quis ex Scripturis contentiosè disputat, careat benedictione; si verò commonitus perseueret, veluti inobediens excommunicetur.*

Benedictione contentiosus carebat. Anonym.

A contentione vt ab aspide timendom est, hinc illud sancti Ephræmi de imit. Prouerb. *Qui*, inquit, *contentiones amat, similis est ei, qui assiduè manum suam in foramen aspidum immittit.*

A contentione, vt ab aspide timendum est. S. Ephrem.

Qui contentiones serit, nihil metet boni; præmium pauperibus, & mitibus decernens Christus Matth. 5. illis cœlum dedit, istis terram, vt qui contentionis sectator est, nihil vbi relictum sciret. Scitè Isaac in allegoriis noui Testamenti ad hæc verba: *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; subdit statim, *Cælum pauperibus, terra mitibus; quid relictum contentiosis? quid amplius volunt, qui diuites fieri volunt?* cœlum, terrámque auferant, & aliquid inueniant, quod possideant.

Qui contentiones serit nil boni metet. Matth. 5. Isaac.

ADAGIVM CCCCXCIII.

Prouocare ventos ad flandum.

375. EST ad aliquam rem quempiam vrgere, ad quam paratissimus est; hinc illud Ennodij lib. 1. epist. 2. *Hac fiducia* PROVOCASSEM VENTOS; *Faustum meum ad facundiam.*

ADAGIVM CCCCXCIV.

Rota Ixionis tibi non deest.

QVm quis cupiditate torquetur, & iactatur, & rapitur ad illicita, iactari in illum poterit hoc prouerbium; hinc illud Petri Blesensis epist. 91. NON DEEST TIBI ROTA IXIONIS, *dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis.*

ADAGIVM CCCCXCV.

Risus leuitate Democritum ostendere.

PRodigiosus in risu Democritus fuit, vt effusissimi risus hominem Democriti possit nomine prouerbialiter non insigniri tantùm, sed & notari; notauit sanctus Petrus Damianus opusc. 15. cap. 17. vbi ait, *Cùm in censura silentij & in abiecta vestis austeritate Antonium prabeas, ne in* LEVITATE RISVS, *vel faceta dicacitatis vrbanitate* DEMOCRITVM OSTENDAS.

ADAGIVM CCCCXCVI.

Crucem portare vt Simon Cyrenaus.

376. QVi crucem suam non portat, sed alienam, quique ad illam ferendam aut vi adigitur, aut amore gloriæ, humanæque laudis trahitur, hic prouerbiali schemate PORTARE CRVCEM dicetur, VT SIMON CYRENÆVS, quem angariauerunt, vt post Iesum Iesu crucem portaret; huc spectauit sanctus Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem, vbi ait: *Vt* PORTANTIBVS CRVCEM *non sicut Saluator suam, sed sicut* SIMON CYRENÆVS *alienam*; serm. verò de sancto Benedicto, ita scribit: *Arbores, quæ fructum faciunt, sed non suum, hypocritæ sunt,* CVM SIMONE CYRENÆO CRVCEM PORTANTES, *non suam: qui religiosa intentione carentes, & angariantur, & quæ non amant, amore gloria, quam desiderant, facere compelluntur.*

Huc facit & illud, quod habet auctor vitæ Beati Antonini Abbatis: CRVCEM, inquit, *Christi* NON TANQVAM CYRENÆVS *ille in agonia deferentes, sed velut Athleta Paulus Crucem, & stigmata Iesu in suis corporibus exprimentes.* Huc spectabat etiam Absalon Abbas, serm. 43. qui est in dedicat. Ecclesiæ, vbi ita scribit: *De primo obedientium genere sunt, qui portant quidem Crucem Domini ieiuniis, vigiliis, & cæteris disciplina institutis, sed ad omne id quod fieri oportet, nihil faciunt voluntariè, sed quasi seruientes ad oculum, non spiritus libertate, sed sola feruntur ordinis districtione. Vnde & dicitur; & hunc angariauerunt, idest, coegerunt, vt tolleret crucem Domini.*

Præterea BONVM CYRENÆVM SE EXHIBERE, est aliqua in parte Christum imitari, & Crucis eius saltem portionem exiguam post eum ferre; hoc sensu extulit B. Thomas à Villanoua conc. 3. de vno Martyre, vbi Christum ita loquentem adducit: *O peccator, & tu, qui perpetrasti, tu qui commisisti, videns, videbis, & lætaberis? neque huius tanti oneris participem fieri dignaberis? non (inquam) te mihi* BONVM CYRENEVM EXHIBEBIS, *vt vel à tergo exiguam crucis meæ portionem sustineas?*

Simones Cyrenæos nos in cruce deferenda nolebat sanctus Cyprianus, dum tract. de Passione Christi aiebat: *Da nobis in vita præsenti, vt simus sine angaria bainli crucis tuæ.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus nos Simonis Cyrenæi exemplo ad crucem ferendam sic inhortatur orat. 42. *Si* SIMON CYRENÆVS SIS, *crucem tolle, ac sequere*; quæ verba sic explicat Nicetas; *Simon, si quis interpretetur, obedientiam significat, Cyrene autem animi promptitudinem. Quisquis igitur ad obediendum Euangelium paratus est, ac prompto animo per membrorum, quæ super terram sunt, mortificationem, philosophia in actione posita ærumnas, & afflictiones pro virtute subit,* ILLE SIMON FIT CYRENÆVS, *vltrò nimirum virtutem colens, atque humeris crucem gestans, ac Christum sequens, hoc est, distractam prorsus à terra piæ vitæ rationem ostendens. Eodem modo tu quoque si animi obedientia præditus es, alacri animo ad gestandam carnalis voluntatis oppressionem accingere. Nam interemptrix quoque corporis, crux erat. Ita fiet vt Christi mandata sequaris.*

ADAGIVM CCCCXCVII.

Noctua imitator.

QVi in luce caligat, in apertis errat, in diuinis cæcutit, in errorum verò obscuritate acutus est, in tenebris videt, sapit in mundanis, ad superstitiosa subtilis est, qui errores amat, odit veritatis lucem, hic adagiali quadam forma NOCTVÆ IMITATOR audiet, quæ noctè videre perhibetur, in luce caligare; hoc ferè sensu extulit sanctus Maximus hom. 2. de non timendis hostibus carnalibus, additque hunc hæreticorum notam esse hunc charactęrem; quibus magis amica errorum, ac falsitatis tenebræ, quàm sit læta veritatis lux. 377.

ADAGIVM CCCCXCVIII.

Domus fundamentis concußis parietes depingere.

Congruit in eum, qui alterius formam, noménque funditus euertere maledicentia conatur, licèt extimè laudibus eum exornet; hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus epist. ad Eusebium, quæ inter epistolas sancti Basilij n. 29. recensetur, ait enim, *Tu mihi videris dum illud vilipendis idem facere, atque si quisquam* FVNDAMENTIS DOMVS CONCVSSIS PARIETES DEPINGAT, *& quæ exteriora sunt exornet.* Porrigi & ad eos omnes poterit, qui deiiciunt illud, quod in re aliqua præcipuum, quare ruinæ damna resarcire possint, si nimis operam suam locent, quæ ab illo pendent, minúsque præcipua sunt.

ADAGIVM CCCCXCIX.

Nabel Carmelus.

378. Si stultam, & irrationabilem alicuius auaritiam premere quis voluerit, NABAL CARMELVM indigitabit, is quippe erga Dauid, & Dauidis socios, qui aliquid alimenti loco benedictionis postulabant, dare nihil voluit, vt habetur lib. 1. Reg. 15. Sanctus Hieronymus, in cuiusdam auaritiam inuehens, huc spectans ait, epist. 4. quæ est ad Rusticum de viuendi forma: *Vidimus nuper, & planximus Crœsi opes vnius morte deprehensas, vrbísque stipes quasi in vsus pauperum congregatas stirpi, & posteris derelictas; tunc inter palmarum arbores myrrhæ amaritudo monstrata est, nec mirum, talem & socium, & magistrum habuit, qui egentium famem suas fecit esse diuitias, & miseris derelicta in suam reseruauit miseriam, quorum clamor tandem peruenit ad cælum, & patientissimas Dei vicit aures, vt missus angelus pessimus* NABAL CARMELO *diceret; Stulte hac nocte auferent animam tuam à te, quæ autem præparasti, cuius erunt?*

ADAGIVM D.

Latro vitam dedit.

Latronum hoc beneficium est, vt magni beneficij loco censeant, si minus efficiant, & vitam se illis dedisse dicant, quibus non ademerunt; quod prouerbium sapere auctor est Saluianus Massiliensis Episcopus lib. 8. de Gubern. Dei, vbi ait: *Latrones hoc prouerbio vti solent, vt quibus non auferant, vitam dedisse se dicant*; quod in eos omnes torqueri potest, qui quòd aliquem omnino non perimant, beneficio, & dono aliquo ingenti se cumulasse iactant; sic idem auctor de Carthaginensium in Dei cultores sæuitia, *Intra Carthaginem apparere, in plateis, & compitis Dei seruos sine contumelia, atque execratione vix licuit; persecutionem hoc quidem fuisse non putant, quia non & occisi sunt.*

ADAGIVM DI.

Noster Orpheus.

379. Qui suorum operum harmonica suauitate lectores suos afficit, & permulcet, is ORPHEVS NOSTER dici adagialiter poterit; indeptus hoc nomen est lyræ suæ dulcedine Propheta regius, de quo ita Euthymius in præfat. Psalmorum: Dauid NOSTER ORPHEVS; & Georgius Pisides: ὁ σὸς γὰρ Ὀρφεὺς τὴν θεόφθογγον λύραν κρούων ὁ Δαβίδ. hoc est, *namque* TVVS ORPHEVS *Deum canentem lyram pulsans David.* Orpheum fabulati SVNT POETÆ SVO CANTV, & citharæ sono tantum potuisse, vt flumij ad eius cantum sisterentur, aduolarent aues, feræ feritatis oblitæ accurrerent; feliciùs, veriúsque NOSTER ORPHEVS harmonia sua non fluuios sistit, sed cogitationum vndas sedat, & æstuantis mentis tumultus, vel vsque ad miraculum compescit; hinc illud sancti Basilij hom. 1. in Psal. 1. *Psalmus tranquillitas animarum, gubernator pacis, tumultus, & vndas cogitationum sedans, ac compescens;* feras etiam coërcet, dum iratum impetum frangit; quod præstare Psalmorum dulcedinem testatur sanctus Nilus, cuius hæc sunt verba instit. ad monachos: *Iracundiæ impetum mitigat Psalmorum cantus.*

ADAGIVM DII.

Manna.

Vt nectar, & ambrosia in prouerbium abiere, iustiùs abire potest manna, & verò iuit, vt nihil sit vulgo frequentius, quàm rem summa suauitate ac dulcedine refertam, manna vocare. Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus in sanctorum Basilij Gregorij, & Chrysostomi panegyri ita loquitur: *Ambrosiam quandam, & nectar, seu (vt ex diuina Scriptura potiùs dicam) orationes eius panem Angelorum, & sacrum* MANNA *existimarent, quibus sapientissima, & humana superior mens, atque lingua tam sacrosanctu illa de Theologia, & diuinitate tam mirificè edidisset.*

Hoc præcipuè titulo diuinæ litteræ gaudent, quod satiatissimè libro primo sactorum electorum toto capite probaui, & præter ibi dicta hæc quoque adiicio; sanctus Hieronymus in Psal. 147. ad hanc mentem, *Quicquid,* inquit, *volueris ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi, quoniam* MANNA *quando comedebant secundùm vniuscuiusque voluntatem sic sapiebat in ore*; & sanctus Bernardus serm. 4. super Psalmum, Qui habitat: *In vno, id est, verbo Dei potes omnia hæc inuenire,* MANNA *enim est omnem saporem habens, & odoris delectationem, & requies est vera & sincera, suauis, & salubris, iucunda, & sancta*, & sanctus Gregorius lib. 31. moral. cap. 10. MANNA *est verbum Dei, & quidquid bene voluntas suscipientis appetit, hoc profectò in ore comedentis sapit*; & de Psalmorum dulcedine loquens Radulphus Decanus Tungren. lib. de canonum obseruantia, propositione 9. ait: *Sicut olim* MANNA *habuit omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis, ita nunc Psalmi habent effectum omnium orationum, & sensum cuiuslibet intentionis.*

ADAGIVM DIII.

Carnea turris.

Ingentis molis homo, & qui magnitudine alios superet CARNEA TVRRIS hyperbole prouerbiali poterit appellari, ita dictus est 380.
Gigas Goliath, qui certamen cum Dauide iniit à Dauide

Dauide superatus; dehinc illud sancti Chrysostomi hom. 45. ad populum Antiochenum: *David cùm arma induisset, neque poterat sustinere, hoc agebatur, vt nuda Dei virtus appareret, quæ per eum operabatur, ne armis gesta tribuerent; postquam enim his indutus claudicabant, arma deposuit, & peram sumens pastoralem, sic in illam* CARNEAM TVRRIM *prodibat.* TVRRIM Goliath vocat etiam sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 15. vbi ait: *Sternitur mortuus Goliath, sternitur alienigenarum* TVRRIS. Aduocati & hue potest illud Poëtæ probæ notæ, licèt non antiquæ; qui hac formula vtens à superbia nos coërcet:

Sis Typhon, Antæus, Atlas, sis CARNEA TVRRIS;
Si tamen ipse tibi nitere, Pappus eris.

Vis omnis sibi relicta exigua, aut nulla est magnitudo omnis, quæ sibi fidit.

ADAGIVM DIV.

Viam sibi construere ad gehennam.

QVi suæ sibi perditionis est causa, labitur in pœnitenda, ruinam sibi fabricat, & ea operator, quibus exitium sibi paret, is prouerbialiter dici poterit AD GEHENNAM VIAM SIBI CONSTRVERE; hac formula vtitur Petrus Blesensis epist. 9. dum ait, *Effœminari otio, & torpere pigritia, nihil aliud est, quàm* VIAM CONSTRVERE AD GEHENNAM; quod porrigi ad eos omnes potest, qui extrema sibi mala inuehunt.

ADAGIVM DV.

Hortis sitientibus in flumine aquam spargere.

381. QVadrabit in eos, qui indigentibus re aliqua illam denegant, offerunt illa minimè indigentibus; vt si quis pauperibus opes, opémque denegaret, diuitibus, & locupletibus daret. Sanctus Gregorius apud Vgonem Catensem in cap. 21. Isaiæ ita loquitur: *Vecordem se asserit, qui* HORTIS SITIENTIBVS IN FLVMINE AQVAM SPARGIT.

ADAGIVM DVI.

Arcam Domini iuxta Dagon ponere.

TOrqueri parœmiæ vice hoc dictum potest in eos, qui sacra prophanis admiscent, qui temporalia spiritualibus patiant, aut etiam præferunt, qui diuina terrenorum vicinitate temerant, dum vtraque inter se æquant. Petrus Blesensis epist. 16. ita loquitur monens terrenorum negotiorum curas, solicitudinésque Præsuli, qui spiritualibus rebus addictus est, respuendas: *Abigendæ omnino sunt mures ebullientes de terra, vt corrodant extales eorum, qui* PONVNT ARCAM DOMINI, *id est, administrationem, Ecclesiasticam,* IVXTA DAGON, *qui temporalia non minus, quàm spiritualia, & fortè diligentius administrant.* Respicit ad historiam, quæ habetur 1. Reg. 5.

ADAGIVM DVII.

Neronis discipulus.

PEtrus Blesensis epist. 15. malos præsules arguens ait: *Non collegæ Petri, sed Simonis; non Christi* DISCIPVLI, *sed* NERONIS; quod in impios quosque, & solis sceleribus nobiles quadrat.

ADAGIVM DVIII.

Adæ perizomata præferre.

QVi errores suos operiunt, lapsus excusant, hi prouerbialiter ADÆ PERIZOMATA PRÆFERRE dicentur; hoc fortè sensu extulit Petrus Blesensis epist. 14. dum ait, *Quidam allegantes excusationem in peccatis, veteris* ADÆ PERIZOMATA PRÆFERVNT. 382.

Qui deleri peccatum suum vult, peccatum sibi tribuat, non inani excusatione in alium reiiciat. Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* LXX. *Quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius*; veræ pœnitentiæ vera consignatio, vt error ad illam conuertatur, qui errorem commisit, peccati dominatur, qui humiliter peccatum sibi tribuit, nec grauius excusando facit. Scitè Freculphus tom. 1. Chron. lib. 1. cap. 8. qui hanc lectionem ita expendens ait: *Quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Potest quidem sic intelligi, ad ipsum hominem conuersionem esse debere peccati, vt nulli aliy quàm sibi sciat tribuere, quod peccat, hæc enim est salubris pœnitentia, medicina, & venia petitio congrua, tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo præposuerit, sed pœnitendo subiecerit.*

Non est quod inutili, cassóque labore peccata nostra tegamus, reteget omnia Deus, omnia reuelabit, maior pudor suorum scelerum velatores corripiet, cùm diuelabuntur. huc spectant illa Euangelici Prophetæ verba cap. 3. 17. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion*, vt scilicet nihil occultum sit, nihil ab aliorum notitia subducatur. Scitè sanctus Hieronymus in cap. 3. Isaiæ ad hæc verba: *Hoc & nobis accidet, quorum peccata celantur: cùm impletum fuerit illud, quod scriptum est, Nihil occultum quod non reuelabitur. Quandiu enim protegimur crine, & veste ignorantia; & homines nos putant sepulchra dealbata, qui intus sumus pleni ossibus mortuorum.*

Ab inani peccatorum velamine nos egregiè auocabat sanctus Petrus Damianus serm. 17. in hæc verba: *Plus delinquit quis defendendo peccatum, quàm faciendo peccatum. Peccare quippe humanum est, peccatum verò defendere diabolicum est: vnde & Psalmista diuinum adiutorium humiliter implorat, dicens: Non absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Profundo quippe absorbetur, qui in grauis peccati præcipitium labitur. Sed tunc super eum puteus, ne exire valeat os suum claudit, cùm se peccator in defensionis audaciam pergendo profundius mergit.*

Pergit deinde, & Adami exemplum fatuo velamine lapsum suum tegentis inserens in hæc verba: *Vnde & primus homo tunc quasi in profundum corruit, cùm vetitum pomum per inobedientiam comedit. Tunc*

super eum os suum clausit, cùm culpam suam defendere audacter præsumpsit, ait enim: Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comedi. Qui quidem per timorem semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen requisitus innotuit, quantum etiam timens tumescebat. Cùm etenim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum si liceat non puniri, non deserit, sed potius defendere tumida elatione præsumit.

Vbi peccauit Adam, vestimentum sibi ex ficulneis foliis texuit, vt innueret post lapsũ ea vitanda, quæ corpori nolit amplectenda, quæ aspera, & mordentia; folia ista mordent, & pungunt, contegit se illis post peccatum Adamus, vt statim ineundam pœnitentiam innueret. Digna sunt, quæ hic sistantur sancti Irenæi verba lib. 3. cap. 37. sunt autem huiusmodi, *Per succinctorium in facto ostendit (Adam) suam pænitentiam, folys ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alys folys quæ minus corpus eius vexare potuissent: condignum tamen inobedientia amictum fecit; conterritus timore Dei, vt retunderet petulantem carnis impetum: quoniam indolem, & puerilem amiserat sensum, & in cogitationem peiorem venerat, frenum continentiæ sibi, & vxori suæ circumdedit, timens Deum & aduentum eius expectans, & velut tale quid significans: quoniam, inquit, eam, quam habui à spiritu sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem, & pungit corpus. Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semeptisum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro folys ficulneis induisset eos.*

ADAGIVM DIX.

In ripa fluminis dormire.

383. QVi periculo proximus est, nec periculi vicinitate terretur, sed segnitiei indormiens, discrimini se committit, is in ripa dormire dicetur. Sanctus Cyprianus ita loquitur de singularitate Clericorum: *Incerta est victoria, inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Verendum est* DORMIENTI IN RIPA, *ne cadat in hac parte*, *expedit plus bene timere, quàm male fidere*, quod in eos torqueri potest, qui discrimina non timent, non verentur præcipitia.

ADAGIVM DX.

De auro, & argento Domini adificare Baal.

VNiuersi, qui à Deo acceptis bonis abutuntur, & vitiis Deique hostibus sacrant; quæ Deo deberent, hi DE AVRO, ET ARGENTO DOMINI BAAL ÆDIFICARE dici possunt. Huc spectant Petri Blesensis verba, epist. 14. quæ sic se habent: *Nonne* FABRICANT BAAL DE AVRO, ET ARGENTO DOMINI, *quibus sapientiam, & eloquentiam dedit Deus ad dandam scientiam salutis plebi eius, ipsi verò talentum Domini terra infodiunt, atque* BAAL CONSTRVVNT, *dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub iactu alea vitam, & animam ponunt?*

ADAGIVM DXI.

Ædificaturus turrim futuri operis sumptus supputet.



QVi rem quampiam magni laboris molitur, suas vires expendat, qui rem grandem aggreditur, consideret priùs, an ei sit par futurus; ne perficere non possit, quod aggreditur, aliorúmque ludibrio pateat, qui laudem parare sibi poterat. Sanctus Hieronymus ita suum Heliodorum alloquitur epist. 1. ÆDIFICATVRVS TVRRIM FVTVRI OPERIS SVMPTVS SVPPVTA; quod sumptum ab Euangelica parabola, Luc. 14.

ADAGIVM DXII.

Amazonia audacior.

AVdacissimæ AMAZONES extitere, fœmineum exuerunt animum, virilem induerunt, quia verò tãta audacia in muliebri sexu impudentiam quandam præsefert prouerbium, in eos quadrabit, qui audaciam impudentia temerant, & temeritate inficiunt. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 1. *Marcion, inquit, Massageta immanior,* AMAZONIA AVDACIOR. 384.

ADAGIVM DXIII.

In medio stadio à cursu deficere.



QVi post inceptum melioris vitæ cursum deficit, & sistit, notari hoc prouerbio poterit; quod desumptum ab iis, qui in stadio currunt, ij quippe si IN MEDIO CVRSV DESISTANT, ridendos se præbebunt, nullo præmio donandi, nulla laude. Ita humiliter de se sentiens dicebat sanctus Ephræmus Syrus tract. de Beatitudinibus: *Ego, meique similes inertia, ac voluptatibus dediti, gementes, ac flentes contuebimur fratres nostros in gloria incomparabili; nos ipsos autem in tormentis, atque ista in se dum mecum ipse perpendo in lachrymas prorumpo, quippe qui post cursum inceptum, mox deficiam,* VT IN MEDIO, *quod aiunt*, STADIO A CVRSV DESISTAM, *miserandum spectaculum adspicientibus me prabens.*

ADAGIVM DXIV.

Altera manu alterius caput demulcere, altera illius maxillam ferire.



QVi alicui blanditur, aut adulatur, vt interim in illum aut sæuiat, eique nocere studeat, aut qui ita aliquem efferat, vt contumelia afficiat, is hoc prouerbio percelletur, quo vtitur sanctus Gregorius Nazianzenus ad Eusebium Episcopum scribens, quæ epistola inter Basilianas recensetur n. 29. ait igitur: *Tu mihi videris dum illum vilipendis idem facere, atque si quispiam vnius viri* ALTERA *quidem* MANV CAPVT DEMVLCEAT, ALTERA *verò* MAXILLAM FERIAT.

ADA

ADAGIVM DXV.

In tenebris positus alijs veritatis lumen ostendere.

385. TOrquebitur in eos, qui alios erudiunt, & scientiæ lumine perfundunt, cùm ipsi & ignorantiæ, & vitiorum tenebris corripiantur, quod maximè incongruum, & absurdum est. Abire ab hoc errore cupiebat Beatus Laurentius Iustinianus in procem. lib. de casto connubio, dum ait: *Loqui de affectibus charitatis absque experimento, temeritatis nota est; quemadmodum autem nullus, quæ in lumine sint, scire valet nisi hominis spiritus, ita nemo quæ sunt Dei, nisi ipso Dei spiritu reuelante. Proinde ô melliflue amor, ô Dei ineffabilis sapientia, oro te, per te vt prius erudiar experientia, quàm proferam lingua, prius cordis palato degustem, quàm voce pronunciem; ne æs efficiar sonans, aut cymbalum tinniens. Incongruum quippe est, vt* IN TENEBRIS POSITVS ALIIS VERITATIS APERIAM LVMEN, *atque externæ vitæ demonstrato verbi fonte ipse ariditate deficiam.*

ADAGIVM DXVI.

Aristide iustior.

ADeò celebris ARISTIDIS IVSTITIA, æquitásque apud Græcos extitit, vt *iusti* nomen indeptus sit; si alicuius igitur iustitiam efferemus, prouerbiali hac vtemur formula, quod desumptum ex Tertulliano cap. 11. Apologetici.

ADAGIVM DXVII.

De silice excisa præcordia.

SÆuus, & immisericors, quíque dolentibus aliis non condoleat, de silice excisa habere præcordia, prouerbiali hyperbole dicetur; hinc illud sancti Hieronymi epist. 26. ad Pammachium super obitu Paulinæ vxoris: *Quæ*, inquit, *auris tam dura, quæ* DE SILICE EXCISA PRÆCORDIA *possunt sine lachrymis Paulinæ tuæ audire nomen?*

Veri Christiani vera nota est, si proximi malis, damnis condoleat, quod in hunc modum explicabat sanctus Augustinus lib. de salutaribus documentis cap. 52. *Charitas, quæ colligat, & viuificat omnia membra Ecclesiæ, si nos videat de ruina alterius gaudere, statim nos præcidit à corpore. Fortè igitur non dolemus de ruina proximorum nostrorum, sed insidiamur, quia præcisi sumus à corpore: si enim ibi essemus, sine dubio doluissemus. Consideremus charissime, & diligenter attendamus, quia tamdiu dolet membrum, quamdiu in corpore continetur: si autem abscisum fuerit, nec dolere poterit, nec sentire. Cùm enim manus, aut aliquod aliud membrum abscisum fuerit à corpore, si totum corpus tunc in multis partibus diuidatur, manus illa non sentit, quæ iam reliquorum membrorum societate diuisa est. Talis est omnis Christianus, qui de alterius damno, afflictione, aut etiam morte non dolet, sed, quod peius est, fortè etiam subsannat, & gaudet. Ideo affectum charitatis non habet in corde, quia iam alienus est à corpore: cùm Apostolus præcipiat, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipsum inuicem sentientes.*

ADAGIVM DXVIII.

Cor Iudaicum.

DVra, & obstinata huius populi mens abiuit in prouerbium, CORQVE IVDAICVM habere dicetur, qui flecti, molliri tractaríque nullo modo possit durus, & obstinatus, hinc illud sancti Bernardi serm. 1. in dedicat. Ecclesiæ: *Se pollicitus est oblaturum* COR *lapideum, & carneum cor esse daturum, id est, non durum, non obstinatum,* NON IVDAICVM, *sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed deuotum.*

EXCVRSVS LIII.

Iudæorum perfidia, peruicacia, durities.

Signis, & miraculis *emolliri Iudæorum durities non potuit.*

Lex Iudæorum *peccata non concremauit.*

Rubus non combustus Hebræorum duritiam *legi Dei reluctantem significabat.*

Iudæorum durities Prophetas à veritatis prædicandæ *munere deterrebat.*

In Christi passione *Iudæorum duritia, vt enituerit.*

In cæcitate, & duritie cæteros *anteeunt Iudæi.*

Quamdiu Deus expectauerit *Iudæos vt resipiscerent.*

Legis lucerna *sub Iudaica cæcitatis, & duritiæ modio.*

POpuli Hebraici durities, & peruicacia ex eo colligitur, quòd & tot prodigiis, & miraculis, quæ per Moysem Deus fecit, emolliri, & vinci non potuit; quod expendebat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 19. his verbis: *Quid tibi Israel, lucri, & miraculis in Ægypto editis? ecquæ vtilitas ex facinoribus Moysis virgâ perpetratis? aër per ignem in ætherem transiit, quo tuum cor transmutaret: dies diei spacia concessit, quo te Domino parere doceret: extans mare supra naturæ leges fingebatur, vt te fidem doceret: igne ad mentem meliorem Deus vocat, duritiem contumaciámque tuam reuerentia mollire machinatus supernè cælum alimentis tibi parandis vacabat: infernè rupes inexpectatas, aquarum compotationes adornabat: quo tibi cessit talium rerum cognitarum fructus? vnicus Gentilis supra totam Iudæorum multitudinem fide se extulit. Esto Gentilis discipulus: nam Moysem legem ponentem non audijsti: incredulos vt credas sequere.* 386.

Signis, & miraculis emolliri Iudæorũ durities non potuit.

S.Basil.Sel.

Hæc lex Hebræorum duritiem mollire potuit, non potuit eorum incredulitatem malitiámque absumere; hoc enim significabat rubus, quem flamma corripuerat, nec tamen ambussit, Exod. 3. Huc spectauit Venerabilis Beda in cap. 3. Exod. *Flamma*, inquit, *lex Dei est, rubus autem peccata Iudæorum, quæ* LEX NON POTVIT CONCREMARE.

Lex Iudæorũ peccata non concremauit.

Exod. 3.

B. Beda.

Iudæorum duritiam rubus significabat, quem ignis corripuerat, nec tamen comburebatur. 387.

Rubus non

Pulchrè

Rubus Hebræorum duritiam legi Dei reluctantem significabat. S. August.

Pulehtè sanctus Augustinus tract. de eo, quod dictum est: *Ego sum, qui sum. Ideo rubus non cremabatur, quia duritia Iudæorum, sicut dixi, legi Dei reluctabatur. Nam si ille populus spinis non significaretur, non ab eo spinis Christus coronaretur.*

Iudæorum durities Prophetas à veritatis prædicandæ munere deterrebat. S. Basil. Sel.

Iudaici populi duritiam, & incredulitatem illud etiam probat, quòd ægrè Prophetæ veritatis prædicandæ apud illos munus obibant, refugiebat id Ieremias, excusabat se Moyses, se sui populi duritie à munere absterriti; quod tetigit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 31. in hæc verba: *Apud Iudæos ventura antedicere inevitabile erat, nec Prophetis optabile monita dare. Si quidem Domine*, inquit, *quis credidit auditui nostro? Ieremias quidem speciosam detrectati officij excusationem ætatem prætendebat: Puer ego sum, nescio loqui. Moyses ad populi ducatum vocatus eam dignitatem refugit, & sibi refragatur: Impeditioris, & tardioris linguæ ego sum. accusat enim lentam ingenij Iudaici credulitatem eorum, qui ad eos legabantur, deprecatio.*

In Christi passione Iudæorum duritia vt enituerit. Pseud. Cypr.

Iudæorum durities inde etiam colligitur, quòd in Domini passione dum omnes creaturæ concuterentur, & velut contremiscerent, solus Iudaicus populus in sua perfidia firmus stetit; hinc auctor illiu tract. aduersùs Iudæos, qui inter opera S. Cypriani recensetur, ita inclamat: *O nouam crudelitatem! commota est omnis natiuitas in Domini passione; populus mansit immobilis sine trepidatione; conuersa sunt elementa, & confusa Israel securus durauit. O duritia noua! ò audacia singularis! ò perfidia cruenta! Tremebat terra, plebs lætabatur.*

In cæcitate, & duritie cæteros antecunt Iudæi. S. Cypr.

388. Iudæis facilè in cæcitate, duritiæque aliis à via veritatibus errantibus præferendi sunt, hinc sanctus Cyprianus, si illius illud opus est, de Iudaica incredulitate, *Etsi*, inquit, *plurimos Gentilium, ab ordine, atque ratione veritatis auersos, quæ minus Dominum noscant cæcitate mentis errare, tamen magis Iudaica plebis insaniam noui aduersùs nomen Domini pertinacia etiam nunc duritia cordis, ingenita patrum iniquitate perstare*; Iudæus esse non videtur, qui cæcus, qui durus, pertinaxque non est.

Quandiu Deus expectauerit Iudæos vt resipiscerent. Niceph.

Non statim post peccatum puniri fuere Iudæi, quadraginta annos diuina eos pietas expectauit, vt resipiscerent, & pœnitentiam obirent, quæ temporis diuturnitas eorum doritiem ostendit, quam frangere Dei bonitas studuit; quod obseruauit etiam Nicephorus lib. 3. cap. 3. *Annis*, inquit, *quadraginta post ascensionem Saluatoris, Iudæi aperto bello oppugnati non sunt, quòd Deus illis pœnitentiæ tempus præberet, eosque ad resipiscendum, vita, doctrina, admirandisque operibus Apostolorum inuitaret. Cùm autem minimè vt conuerterentur, curarent, internecionem in se ipsos pertraxerunt.*

Legis lucerna sub Iudaica cæcitatis, & duritiæ modio. S. Ambros.

Legis lucernam habuerint Iudæi: at eam sub modio tenent, perfidia sua contegunt, cæcitate sua, sua duritie; S. Ambrosij hæc sunt verba in Psal. 118. octon. 14. *Lex Iudæis lucerna est, sed lucerna sub modio, lucet lex, sed non videtur, quia operta eorum doctrina est & contagione, & cæcitate perfidiæ.* Addit monitum istuc vtile, quod præcipuè Doctores tangit: *Non sit otiosus sermo tuus, non feriatur, & vacet verbum tuum, ne fiat lucerna sub modio*; ne doctrinæ splendorem prauorum morum tegmine contegas.

ADAGIVM DXIX.

Secundam vecturam facere.

389. CVm quis, quod primù cupiebat, perficere nequit, aliud aggreditur, aut idem alia ratione, locus huic prouerbio esse poterit; cuius meminit Zacharias Episcopus Metylenes disp. de mũdi opificio, his verbis: *Cùm eos immortales facere non posset*, SECVNDAM, *vt in prouerbio est*, VECTVRAM FACERE.

ADAGIVM DXX.

Genuinum infigere.

PRouerbiali schemate est quempiam lacerare, cuidam detrahere, hoc sensu extulit sanctus Hieronymus in Apologetico ad Dominionem: *Possum* GENVINVM *dentem lasus* INFIGERE; & aduersùs Ruffinum: *è quibus prima est, me hominem maledicum omnium detractorem, in prædecessores meos* GENVINVM *semper* INFIGERE. Aimoinus, *Omnibus detrahunt, &* GENVINVM INFIGVNT *dentem.*

ADAGIVM DXXI.

Multa inter calicem, & summum labium.

CVm significamus in rebus omnibus multa imminere pericula, nullibi securitatem hîc coalescere, timenda ab omni parte discrimina, hoc prouerbialiter efferemus: *Multa inter calicem, & summum labium*, scilicet, cadunt, vt prophanus Poëta dixit. Audiendus sanctus Chrysostomus oratione ad viduam iuniorem, *Quocirca*, inquit, *quamuis propè adesset tempus; tamen, vt in prouerbio est*, MVLTA INTER CALICEM, ET SVMMVM LABIVM. *At sanè Scriptura ipsa inquit: A manè vsque ad vesperam immutatur tempus: sic, & Rex qui hodie est, cras moritur.*

ADAGIVM DXXII.

Filo gracili similis.

DE tenui ad summam paupertatem reda- 390.
cto, qui rerum terrenarum onus à se excusserit, hoc prouerbiali figura dicetur; hinc illud sancti Gaudentij serm. 18. *Expeditos quærit Dominus, ac tenues, & vt* FILO GRACILI SIMILES, *qui foramen illius mystica acus transeant, spirituales effecti.*

ADAGIVM DXXIII.

Suauiter nectat, cuius alter sustinet mentum.

VVlgare prouerbium à natationis ritu desumptum, in qua quis tutò in aquis ludit, à submersionis periculo liber, si alterius manu iuuetur; vtemur quoties in aliquo discrimine præsentissimum adest alicuius auxilium, quo timor omnis tollitur. Sanctus Bernardus hoc prouerbio vtitur, vt Angelorum erga nos custodiam euehat & commendet; hæc eius verba serm. 12. in Psalm. *Qui habitat. In manibus tollent vt pertranseas offendiculum qua facilè transit, qui illis portatur manibus.*

Quod

Quod SVAVITER, iuxta vulgare prouerbium, NATAT, CVIVS ALTER SVSTINET MENTVM.

ADAGIVM DXXIV.

Iudas hodie, qui heri Eliam moribus exprimebat.

A Sanctitatis culmine si quis repentè in vitiorum foueam labatur, vsurpari hoc prouerbium poterit, quod habet sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace: IVDAS, inquit, HODIE, QVI HERI ELIAM MORIBVS EXPRIMEBAT. Desumptum est à summa Iudæ proditoris nequitia, & Eliæ summa sanctitate.

ADAGIVM DXXV.

In ignem prudens manum mitto.

391. Vsurpatur cùm quis volens, sciénsque euidenti se discrimini committit, extulit hoc sensu Philippus Abbas Bonæ-spei prologo in Cantic. dum ait: IN IGNEM *itaque velut* PRVDENS, *& conscius* MANVM MITTO, *vel per alta maris discrimina cymba fragili me committo, in eo solùm fidens, qui suos vult labore atteri, non in cassum, qui bonus, & misericors de ipso loquentibus, pro ipso laborantibus, dicit, Adsum.* Desumptum prouerbium est à nota Mutij historia; de Murio ita scribit Tertullianus ad Martyres cap. 4. *Mutius manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius famæ haberet*; hine res in prouerbium abiit. Guibertus de Tornaco in tract. de opisic. Episcop. in præf. illud ita extulit: *Sciens, quòd* IN FLAMMAM *more Mnty* MITTO MANVM *dum simplicitatem meam ceruicis exposuo rictibus erodendam*; eodèm sensu eandem formulam antea adhibuerat sanctus Hieronymus epist. 10. quæ est ad Furiam, vbi ait, *Sciens, & videns* IN FLAMMAM MITTO MANVM, *adducentur supercilia, extendetur brachium.* Petrus Delphinus lib. 8. epist. 51. *Volens, ac sciens* IN FLAMMAM MISSVRVS ES MANVM. & lib. 9. epist. 6. *Nunc lege perspecta si quid contra illam attentarem, sciens ac prudens* IN FLAMMAM MITTEREM MANVM.

ADAGIVM DXXVI.

Messageta inhumanior.

Hvmanitatis omnis expers MESSAGETA INHVMANIOR prouerbialiter dicetur; feris, quàm hominibus Messagetæ similiores fuere, adeò efferti, vt senio confectos in frusta conciderent, illorum carnes bonorum earnibus admiscerent, & admixtas comederent; hospitibus infestissimi fuere, nulla nouere diuturnæ amicitiæ fœdera, nulla pacis. Marcion hoc titulo traducitur à Tertulliano lib. 1. contra ipsum cap. 1. *Marcion*, inquit, *Scytha tetrior*, MESSAGETA INHVMANIOR.

ADAGIVM DXXVII.

Qui somnijs, & augurijs credit, nunquam erit securus.

Apte his verbis à somniorum, & augurio- 392.
rum obseruatione auocari quilibet poterit, ne fidem illis adhibeat, quin nec mentem ad ea flectat, ea obseruet. Audiendus hîc Ioannes Sarisbariensis lib. 2. cap. 1. de nugis Curialium, vbi ait: *Rusticanum, & forte Offelli prouerbium est*, QVI SOMNIIS, ET AVGVRIIS CREDIT, NVNQVAM FORE SECVRVM. *Ego sententiam & verissimam, & fidelissimam puto. Quid enim refert ad consequentiam rerum, si quis semel, aut amplius sternutauerit?*

ADAGIVM DXXVIII.

Caiphas hodie, qui heri Ioannem moribus exprimebat.

Maximam morum subitámque mutationem hoc prouerbium notat, cùm quis à sanctitate, qua erat insignis, in malorum, vitiorúmque profunda præceps ruit; & vitiis sepelitur, qui virtutibus ornabatur; ita loquitur sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace: CAIPHAS HODIE, QVI HERI IOANNEM MORIBVS EXPRIMEBAT, & illius improbitas, & istius innocentia cuilibet nota est, quæ locum prouerbio dare potuerunt.

ADAGIVM DXXIX.

Super inane pingere.

Qvadrabit in eos, qui inani, cassóque labore aliquid conantur efficere, & cuiuspiam rei perfectionem tentant, sine iis, quæ necessariò requiruntur; hinc illud sancti Bernardi ep. 190. *Horum duorum priora sine vltimo sic sunt, ac si* SVPER INANE PINGAS.

ADAGIVM DXXX.

Stentoreus vagitus.

De supra modum magno. ita Arnobius lib. 2. 393.
Non infantes sub vberibus matrum STENTOREOS *legitis edidisse* VAGITVS. Stentorea vox de maxima apud prophanos prouerbialiter dicitur.

ADAGIVM DXXXI.

Phryx.

De supra modum ignauo prouerbialiter dicetur; Synesius epistol. *Interea* PHRYX *Ioannes nunsquam erat*; si indidem esset oriundus, prouerbij faciem exuet hæc sententia, induet, si non sit, nam ignaui hoc nomine appellabantur, hinc prouerbium apud Suidam,

——————φρὺξ ἀνὴρ
πλαγεὶς ἀμείνων, ϗ διακονέστερ@
Ἐπὶ δεῖπνον ἀργότερος, ϗ ποικιλώτερος ἐν ὀργαῖς
εἰκαστέ.

ADAGIVM DXXXII.

Eleazaris victoria.

CVm quis eo ipso quod vincit sternitur, tunc ELEAZARIS VICTORIA cum potitum adagiali schemate dicetur; Eleazarus quippe, vt in lib. 1. Machabæorum c. 6. habetur, *Elephantem feriens strauit, sed sub illo mortuus, quem morte affecit.* Eleganter ad eos transferetur, qui post deuicta vitia superbia intumescunt, hi enim ita victoriam consequuntur, sternuntur vt victi; festiuè rem versat sanctus Gregorius Nazianzenus lib. 19. moral. cap. 13. vbi ait: ELEAZAR *in prælio Elephantem feriens strauit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit; quos ergo iste significat, quem sua* VICTORIA *oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsa, quæ subijciunt, superbiendo succumbunt, quasi enim sub hoste quem prostrauit moritur, qui de culpa, quam superat, eleuatur*; & Petrus Blesensis per hunc elephantem superbiam intellexit, & iactantiam; de illa enim loquens epist. 3. ait: *Hæc est turris in Siloe, quæ suos ædificatores interemit. Hæc est elephas in libro Machabæorum, qui Eleazarum sua mole occidit.*

ADAGIVM DXXXIII.

Orbis Deucalion.

394. SAnctus Hieronymus Dialogo contra Luciferianos Hilarium quendam perstringens ORBIS DEVCALIONEM eum vocat, quasi totus mundus in hæreticorum baptismate, velut in altero orbis diluuio, esset periturus, nisi ab vno Hilario seruaretur qui altero baptismate baptizatos abluendos imperitè volebat. De Deucalione nota fabula est diluuij tempore in Parnassi montis vertice cymba seruatum, humanum genus restituisse; sancti Patris verba hæc sunt: *Est præterea aliud quod inferemus, aduersus quod ne mutire quidem audeat Hilarius* DEVCALION ORBIS. Porrigi res poterit ad quoscunque, qui fatua, & impia temeritate mundi salutem quærere profitentur, cùm interim in errorum præcipitia ducere studeant, aut ironicè ORBIS DEVCALIONES dicantur, tales hæretici omnes sont.

ADAGIVM DXXXIV.

Fungi vice cotis.



QVi ea virtute viduus, ad quam alios sermonibus inhortatur, is ausum suum excusare prouerbiali hac formula poterit, quæ frequens apud nostrus auctores est. Absalon Abbas ser. 29. in Annunc. B. Virginis: *Et ego*, inquit, *quidem virtutis omni modo vacuus, dum vestræ charitati qualecumque compellor exhortationis ministerium impendere prudentis illius dicto me excusabo; quia* FVNGOR VICE COTIS, *acutum reddere, quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.* Huc spectat & illud sancti Petri Damiani, hæc sunt verba opusc. 31. cap. 8. *Cotis functus officio dum ipse non incidam, incidentis aciem ferri magis, ac magis exacuam*; obtusa cotis sit, fit secandi nescia; ferrum tamen exacuit, rebúsque aliis incidendis reddit idoneum, si plerumque & auctor imperitus edocet, qua aliquid peritè præstetur, & probitate viduus ad probitatem cæteros acuit, & vrget.

ADAGIVM DXXXV.

Icarum imitari.

QVi se temerè efferunt, & inconsultò aliquid quod supra vires, extraque prudentiam sit, 395.
aggrediuntur, daturi suæ temeritatis pœnas, hi adagiali quadam formula Icari, seu Icari dicentur imitatores; huc facit illud Petri Blesensis, qui epist. 101. ita scribit: ICARVS *dum elatus iuuenili leuitate fertur in cælum, fluctibus marinis immergitur; tales etiam dum se in actibus temere eleuant, alliduntur.* Potest & in inconstantes, instabilésque iactari, qui sublimis vitæ genus ineuntes statim se demittunt ad ima, & fœdissimo lapsu priorem celsitudinem commaculant; huc spectant sancti Petri Damiani verba, qui opusc. 15. cap. 27. ita loquitur: *Vitæ modum, quem semel arripueris, perseueranter tene, constanter exequere; nolo malè volantis* ICARI *sequaris* EXEMPLVM, *quia nimirum dummodo demissis alis in ima declinat, inconstantia sua effrænata libertas inhiantis cum pelagi profunda præcipitat, ne fortè, quod dicitur, multicolorem te mutans mutabilitas reddat, sed vniformem potius statum grauitatis exhibeat.*

Icari formam præfert, qui viribus maiora molitur, & dum altiora quærit, parat se præcipitio. Opportunè ab Icari nos volatu auocabat Philippus Abbas Bonæ-spei lib. 1. in Cant. cap. 25. *Non Dædalus*, inquit, *sed pater spiritum doceat nos volare, iter regat incognitum, itinerandi gratiam velit dare, ne luto, & fæcibus immergamur, dum tenemus terra instar carnalium propiora, vel ne à gloria deprimamur dum ad* FORMAM ICARI *inuadimus altiora.* Multos habuimus Icaros, multos habemus; cauendum nobis est, ne numerum augeamus.

ADAGIVM DXXXVI.

Talarem tunicam Ioseph induere.

SI cuipiam perseuerantiam suadeamus, iubebimus eum Iosephi talarem tunicam in- 396.
duere; quæ perfectam cuiusque operis consummationem innuebat; huc spectabat Petrus Blesensis epist. 159. in hæc verba: INDVE *quæso charissime*, TVNICAM TALAREM IOSEPH, *& sicut hucusque fecisti, perseuera, vt consummes, pugna legitimè, vt triumphes.* sumptum est ex illo Genesis cap. 37. 23. Huc spectauit etiam sanctus Bernardus epist. 78. *Tene*, inquit, *quod tenes, &* TVNICAM *Dei gratia, iam polymitam cura facere, &* TALAREM, *quoniam cœpisse nil proderit, quod absit nisi perseuerare contigerit.*

Talarem tunicam, quam vestitus Ioseph perhibetur ad perseuerantiam significandam, elegantissimè transfert sanctus Eligius hom. 11. in Cœna Domini in hæc verba: *Hinc* IOSEPH *inter reliquos fratres* TALAREM TVNICAM *habuisse describitur. Tunica quippe vsque ad talum est opus bonum vsque ad consummationem, & tunc placet Domino*

nostra

nostra conuersatio quando bonum, quod inchoamus, perseueranti fine complemus. Bonum ergo non cœpisse, sed perfecisse virtus est.

Perseuerantia virtutum sit comes, sit anima, sit virtus, & decor. in amoris Cantico cap. 3. 9. hæc habentur: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*; per hæc ligna etiam virtutes intelliguntur, quæ cedro similia, corruptioni obnoxia esse non debent, debent perennare, alioquin olera referrent, non ligna. Scite Gilleb. Abb. serm. 17. in Cant. ad hæc verba: *Ligna hæc*, inquit, *ligna cedrina sunt, nulli obnoxia corruptioni, momentaneæ virtutes, & quæ ad horam subsistunt, mihi non videntur tam ligna, quàm olera, quæ citò decidunt.* Plura de perseuerantia diximus superiùs ad prouerbium illud, Caudam in Dei tui sacrificiis appone, quod est 170.

ADAGIVM DXXXVII.

Bellum mihi Persicum mouent verba.

SAnctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 92. ita loquitur: *Plerique magnopere veriti sunt, ne inimicitiarum occasionem hac mea præmonitione caperent; fore enim, vt insinuationis amicæ specie tibi videar contumeliam irrogare voluisse. Non igitur mirandum esse dicebant, si verba mihi* BELLVM *velut* PERSICVM MOVEANT; quæ postrema verba prouerbij faciem præseferre etiam doctus interpres in libri margine monuit, vtemur quoties litium, & grauium inimicitiarum causæ verba, quæ fundimus, sunt.

ADAGIVM DXXXVIII.

Ne transuerso pedis ab aliquo elongari.

397. EST assiduè alicuius lateri adhærere, nec ab illo vel paululum abiungi ac separari; licèt flecti & ad alia possit, si aliud verbum adhibeatur; adhibuit istue sanctus Bernardus epist. 7. vbi in hunc modum scribit: *Quid ergo? Tu ille obedientissimus discipulus illum patrem, & præceptorem tuum quem ne puncto quidem temporis, vel* TRANSVERSO, *vt dicitur*, PEDIS A TE *quandiu vixit, passus es* ELONGARI: *ita vt foueam quoque post eum, non quidem cæcus, sed apertis, more Balaam, oculis cadere non cunctatus sis.*

ADAGIVM DXXXIX.

Sinonis fallacia.

DE supra modum vafro, & peritissimo fallaciatum artifice, & astuto proditore dicetur; nobilis in fallendi arte fuit SINON, vt non immeritò locum prouerbio fecerit. Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 35. huc spectans ait; *Videbis illic Vlyssis argutias, &* SINONIS FALLACIAS; quod exscripserat ex Sidonio Apollinari, qui lib. 5. epist. 7. ita loquitur; *Videbis illic Laomedontis periuria*, SINONIS FALLACIAS *adhiberi.* Gregorius Turon. in præfat. lib. 1. Miraculorum: *Non Ithaci*, inquit, *ingenia, non Achillis argutias, non* SINONIS FALLACIAS *adhibere.*

ADAGIVM DXL.

Mare cœlo confundere.

PRouerbialis hyperbole pro eo quod est, omnia perturbare, susque dèque miscere omnia. Zacharias Episcopus Matylenes disput. de mundi opificio ita loquitur: MARE COELO CONFVNDVNT, *qui Corybantum instar insaniunt, & omnia perturbant.*

ADAGIVM DXLI.

Neque intus, neque foris.

PRouerbium est, quod iis eleganter accommodatur, qui nec verè probi Christiani sunt, nec apertè ad contraria castra se conferunt; & vniuersè ita media in re aliqua pergant via, vt variè pro arbitrio agitati in neutram partem manifestè ferantur; in nostri temporis pollicitos hanc formulam conuenire affirmat scholiastes sancti Irenæi, ad hæc huius sancti Patris verba lib. 1. aduersùs hæreses cap. 9. *Quædam in totum abscesserunt, quædam autem inter vtrumque dubitantes, & quod est prouerbij passæ sunt, neque intus, neque foris existentes*; pleríque nec verè Dei se cultui mancipant, nec ex toto mundo seruiunt, hi neque intus sunt, neque foris. 398.

ADAGIVM DXLII.

In prætoriis leones, in castris lepores.

QVi extra prælium fortis, pauidus, imbellis, & fugax in prælio est, hoc prouerbio premi iure poterit; vtitur Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 7. *Cum sint*, inquit, IN PRÆTORIO LEONES, IN CASTRIS LEPORES; quod ad eos omnes extendetur, qui in re tuta fortes sunt, in dubia fugaces, & strenui, extra discriminis aleam timidi, cum alea subeunda.

ADAGIVM DXLIII.

Omni lapide magis mutus, & elinguis.

COnueniet in hominem immodicæ taciturnitatis, qui iofans sit, & infacundus, aut qui casu aliquo repentino ita sit perculsus, vt vocem videatur amisisse, & linguam. Zacharias Episcopus Metylenes dispur. de mundi opificio ita loquitur; OMNI LAPIDE, *ac pisce* MAGIS MVTVS ET ELINGVIS *factus est.*

ADAGIVM DXLIV.

Salum incolere.

TRansferri ad adagialem formam facilè poterest formula ista, vt dicatur SALVM INCOLERE, qui sistere nequit, neque quiescere, procellis, motibúsque quatitur & agitatur. Procopius in cap. 4. Gen. SALVM INCOLIT, *perturbatam gerens conscientiam.* 399.

ADAGIVM DXLV.

Albæ gallinæ filius.

DE maximè felici solet hoc prouerbium vsurpari; ex nostris paulo aliter vsurpat Beatus Petrus Damianus opusc. 43. cap. 3. vbi ita loquitur: *Et verò tui pulli sunt coruorum, qui Domini sui portare gloriantur opprobrium: tu, sicut dicitur,* FILIVS GALLINÆ ALBÆ, *gaudes ornatus, ac nitidus apparere. Sed dum coruorum contemnis superbiendo nigredinem, lepra, quam lex antiqua denunciat, incurris alborem.*

ADAGIVM DXLVI.

Deus velut è machina respiciens.

VBi ad futurum Dei auxilium significabimus, adagiale istuc efferemus, extulit priùs sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 482. dum ait: *Ad vota, & preces vertamur, vt vtriusque respiciendi, in suámque redeundi facultatem,* VELVT E MACHINA RESPICIENS EOS DEVS *largiatur.*

ADAGIVM DXLVII.

Anser post olores.

SI imperitus, ineloquens, & infacundus, eloquentium, & facundia præditorum agmen claudat, postquam eorum suauem orationis vim obstrepat, ipsè inculta, rudi & impolita oratione, prouerbiali schemate ANSER POST OLORES obstrepere dicetur; eloquentissimus Ennodius de se humiliter sentiens, quin & loquens lib. 6. epist. 23. *Quasi*, inquit, POST OLORES ANSER *obstrepui*.

ADAGIVM DXLVIII.

Bonum seruat castellum, qui custodiuit corpus suum.

400. FRequens olim hoc prouerbium in ore vulgi; hinc illud sancti Bernardi serm. 2. in assumpt. Beatæ Mariæ, *Est*, inquit, *vulgare prouerbium, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur.* BONVM, *inquiunt,* SERVAT CASTELLVM QVI CVSTODIERIT CORPVS SVVM. Cui succinit Petrus Blesensis epist. 15. dum ait: BONVM CVSTODIT CASTRVM, QVI SERVAT *cum diligentia* CORPVS SVVM. Sed addit sanctus Bernardus, non minus corporis, quàm cordis nobis habendam custodiam. nam post producta superiùs verba subiicit: *Sapiens tamen non sic, sed magis, inquit, omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit*; falluntur qui neglecta cordis custodia solius corporis, carnisque cura tanguntur. Idem sanctus Pater serm. 46. ex paruis, & nimia corporis custodia omnes auocans ait: *Solent dicere homines huius sæculi,* BONVM CASTELLVM CVSTODIT, QVI CORPVS SVVM CVSTODIT. *Nos autem non sic, sed sterquilinium vile custodit, qui custodit corpus suum, Apostolo teste, Quoniã, qui seminat in carne, metet corruptionem.*

Abutuntur hoc prouerbio, qui in carnis nutriendæ patrocinium afferunt, afferebant aliqui apud Petrum Blesensem epist. 15. *Propitius, inquiunt, sis tibi Domine, ieiuna capiti sunt importuna; nimia carnis afflictio morbos parit.* BONVM CVSTODIT CASTRVM QVI SERVAT *cum diligentia* CORPVS SVVM; *temerarium est se citra necessitatem affligere*; audiendi minimè sunt huiusmodi corporis, & carnis protectores, & aduocati.

Animæ vobis potior sit cura, corporis sit posterior, qui ordinem inuertit, euertit ordinem. Christus quoque in primo aduentu huic rei operam præcipuam dedit, vt animæ morbos tolleret; vt iure Beatus Ioannes inclamarit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioan. 1. 29. peccata dixit, quæ mentem inficiunt, non morbos corporis; hoc in secundo aduentu plenè est præsentaturus, tunc quippe reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; tunc corruptibile hoc induet incorruptionem, vt loquitur Apostolus; interim prior senatur, quæ prior dignitate est. Præclarè hanc mentem fulciebat sanctus Bernardus, cuius hæc sunt verba serm. 6. de Aduentu: *Si Christi membra*, inquit, *volumus inueniri, sequendum nobis est sine dubio caput nostrum, vt videlicet prima nobis reparandum sit solicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit: & quarum prius mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reseruemus, & differamus in illum diem, quò reformandi corporis gratia est venturus, sicut meminit Apostolus dicens, Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. In priore siquidem aduentu tamquam præco, vel magis verè præco ipsius, Ioannes Baptista clamat. Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dicit morbos corporis, non molestias carnis: sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis*; & nonnullis interiectis tandem in eandem sententiam addit: *Ipse Dominus Sabaoth Dominus virtutum, & Rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, & configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit illa gloria, quàm ineffabilis exultatio, quando creator vniuersitatis, pro animabus iustificandis humilis antè venerat, & occultus, pro te glorificanda ô misera caro: sublimis veniet, & manifestus, non iam in infirmitate, sed in gloria, & maiestate sua? Quis cogitabit diem aduentus illius, quando descendet cum plenitudine luminis: præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de puluere corpus inops, & rapientibus illud obuiam Christo in aera.*

Corpus ita moderandum est, ita regendum, non secus ac infirmus, cui vtilitet, & iustè noxia denegantur, infirmus hostis est, qui infirmæ voluntati obsequitur, etiã in nociturus; idem in corporis cura fit. Beuè Vmbertus lib. 2. erud. Relig. part. 2. cap. 1. *Nouitius docẽdus est sic habere corpus suum, sicut agrum commendatum: cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, vtilia verò etiam nolenti ingerenda: sic agere de eo, sicut nõ de suo, sed eius à quo pretio magno empti sumus.*

Porrò quî possit cum laude, etiam corporis haberi custodia, egregiè mellefluus Doctor sanctus Bernardus edocet serm. 2. de assumptione post citata superiùs verba, sic enim ille scribit: *Esto tamen cedendum sit multitudini,* BONVM CASTRVM CVSTODIET QVI CVSTODIERIT CORPVS SVVM. *Illud sanè quærendum, quænam huic sit adhibenda custodia castro. Rectè ne custodisse tibi videtur anima illa corporis sui castrum, cuius membra velut coniuratione facta inimico eius dominium tradidere? sunt enim qui cum morte fœdus inierunt, pactum*

pepige

pepigerunt cum inferno. Incrassatus est, inquit, dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Hæc planè custodia, qua laudatur in peccatoribus, in desideriis carnis suæ, quid vobis videtur fratres? num & in hac parte cedendum est multitudini? Absit. Paulum magis interrogemus, vtpote ducem strenuum militiæ spiritualis. Dic nobis Apostole, quæ sit tui custodia castri. Ego, ait, sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar; & alio in loco: Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius. Vtilis profectò custodia, & felix anima, quæ sic custodierit corpus suum, vt nunquam sibi vendicet illud inimicus. fuit enim aliquando, cùm hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subiecerat sibi potestatem, membris imperans vniuersis. Quantum eo nocuerit tempore, præsens adhuc indicat desolatio, & egestas. Heu nec continentiæ murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminauit vineas, messuit segetes, arbores extirpauit, quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam.

ADAGIVM DXLIX.

Plumbo hebetior.

401. DE supra modum stupido, & tardo, & qui ea ignoret, quæ obuia sunt; hinc illud Ioannis Satisberiensis lib. 7. de nugis Curialium cap. 12. vbi ita loquitur: *Accede vt docearis, quid in scriptis suis auctores senserunt, diligenter inquire, excute litteram, statim increpabit duritiam tuam, & asino Arcadiæ te dicet tardiorem.* PLVMBO HEBETIORES, *dum quid in litera lates interrogas.*

ADAGIVM DL.

Luto margaritam committere.

QVi imperfectis, ineptísque sublimia, & perfecta committunt, quibus recipiendis non sunt pares, ij LVTO MARGARITAM COMMITTERE dicentur; sic loquitur sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 49. *Haud satis prudentes, vtpote, qui* LVTO MARGARITAM, *& imbecillæ auri tonitrui sonum, & solem infirmis oculis, & lacte adhuc vtentibus, solidum cibum* COMMITTANT; *cùm eos paulatim ad vlteriora promouere, atque ad sublimiora prouehere conueniat.*

ADAGIVM DLI.

Seruitus grauior, quàm seruitus Iudæorum.

GRauis, dura, miseraque seruitus, qua Iudæorum populus premitur, orbis ludibrium factus, ire in prouerbium potuit, vt GRAVIOREM QVAM IVDÆORVM SERVITVTEM sentire dicatur, qui miserrimum iugum sustinet, & vbique dominum prementem reperit; huc afferri potest quod habet sanctus Bernardus lib. 1. de consideratione; *Nulla*, inquit, *turpior* SERVITVS, GRAVIORVE, QVAM SERVITVS IVDÆORVM, *quam quocumque ierint post se trahant, & vbique dominos offendunt suos. Tu quoque, dic, quæso*

Nouarini Adagia SS. Patr.

vbi vnquam sis liber, vbi tutus. Vbique strepitus, vbique tumultus, vbique iugum tuæ seruitutis te premit.

EXCVRSVS LIV.

Verè liber, qui verus Dei seruus est.

Vera libertas *Deo seruire.*
Sola libertas *apud Deum non seruire peccatis.*
Libera *apud Deum seruitus.*
Dei seruitute vera libertas *comparatur.*
Omni libertate *nobilior Christi seruitus.*

MIsera IVDÆORVM SERVITVS est, quia Christi iugo excusso seruire omnibus coguntur; verè infelix premitur seruitute, qui seruire Christo detrectat, sicut è contra verè liber est qui Christo seruit; libera apud Deum seruitus est, cui non necessitas seruit, seruit charitas. Scite sanctus Prosper lib. epig. n. 83. 402. *Vera libertas Deo seruire.* S. Prosper.

Libertas nulla est melior, maiórve potestas,
Quàm SERVIRE DEO, *cui bene seruit amor.*
Absque iugo posita est ditionis amica voluntas,
Quæ viget affectu, non gemit imperio.

Proba libertas est seruitus ista, qua ita Deo seruimus, vt vitiis non seruiamus, vt enim ait sanctus Hieronymus epist. 14. quæ est ad Celantiam: *Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis*; alioquin non est liber, qui vitiorum mancipium est. *Sola libertas apud Deum non seruire peccatis.* S. Hier. Cùm igitur, qui Christo seruit, seruire peccatis simul nequeat, fit vt vera libertas sit Christo seruire; hinc illud sancti Paulini ad Romanianum: S. Paulinus.

Hæc bona libertas, CHRISTO SERVIRE, *& in ipso*
Omnibus esse supra: non dominis hominum,
Non vitiis seruit, non regibus ille superbis
Tantùm, qui Christo se dederit Domino.

403. Insanit, qui libertatis amore ab hac se subducit seruitute, Christi iugum excutit, reiicit compedes. magnæ fidelitatis loco haberi debet compedes habere. *Libera apud Deum seruitus.* S. Aug. Scitè sanctus Augustinus in Psal. 99. *Magna*, inquit, *felicitas est, fratres, esse in ista domo magna* SERVVM, *etsi cum compedibus. Noli timere serue compedite, confitere Domino. Meritis suis attribue compedes tuos, confitere in compedibus tuis si vis in ornamenta vertantur; non frustrà, nec sine exauditione dictum est, Intret in conspectu suo gemitus compeditorum. Seruite Domino in iocunditate,* LIBERA SERVITVS *est apud Dominum.*

Qui Deo seruit, legique diuinæ, liber fit, alioquin misera seruitus est, quam noxiæ libertatis amor parit; quò spectabat sanctus Chrysostomus serm. in illud Isaiæ: *Dei seruitute vera libertas comparatur.* S. Chrys. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, ait enim; *Si beata voluntas est, quæ seruiendo comparat libertatem, misera seruitus, quam generat libertatis excessus, beata, inquam, libertas, quæ seruit legi*, quæ seruit Christo. Seruire Christo quisque debet, vt liber sit, liber esse non potest, qui eius non est seruus, hæc seruitus veram libertatem parit, quin vera libertas est. Paulus suum nomen epistolæ præfigens ad Romanos aiebat: *Paulus* SERVVS IESV CHRISTI; seruum se vocat, & tamen à spiritu seruitutis alienus erat. *Omni libertate nobilior Christi seruitus.* Quod de aliis affirmabat: *Non enim accepistis spiritum seruitutis*, ad Gal. 5. proculdubio, & de illo verum erat; Ad Gal 5. quid igitur seruus erat, & spiritum seruitutis non habebat? ita est; hinc illud Sedulij in c. 1. epist. ad Romanos, qui duo hæc loca cōciliāns ait: Sedul. *Seruit ergo Christo, nō in spiritu seruitutis, sed in spi-*

ritu adoptionis, quia omni libertate NOBILIOR EST SERVITVS CHRISTI; libera hæc seruitus est, & liber nullus esset, nisi esset hoc modo seruus.

ADAGIVM DLII.

Lazarus.

404. SVmina paupertate, quin & mundicitate laborans, & morbo insuper grauatus, aliisque calamitatibus pressus, LAZARVS audire potest; quod desumptum ex illo, quod apud Lucam cap. 16. Christus narrat; huc spectauit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 27. dum ait, Ne LAZARVM tuum hîc asperneris, vt ne te ipse in futuro æuo diuiti illi similem reddat; huc spectat & illud sancti Isidori Pelusiotæ lib. 1. epist. 215. vbi hoc diuiti monitum exhibet, *πολλοί σε Λάζαροι κυκλοῦσιν εἰς αὐτὺς τὴν φλόγα τῶν χρημάτων ἐπίταξον, καὶ μετ' αὐτῶν ἐκεῖ τὴν κληρονομίαν ἀνάψυξον.* idest, *multi te* LAZARI *circundant; in eos pecuniarum flammam excute, & cum his illic refrigerationem, ac solatium consequêris.* Eadem ferè mente sanctus Gregorius Magnus hom. 41. in Euang. *Multos nunc* LAZAROS *habetis, ante ianuas vestras iacent, quotidie mica de mensa cadunt, quotidie* LAZARVM, *si quærimus, inuenimus.*

LAZARI mendicitatem, miseriámque spectandam nobis offert sanctus Asterius hom. de diuite, & Lazarô, vbi ait; *Iacebat ærumnosus ille gratúsque mendicus in magnis doloribus pedum vsu priuatus (alioquin enim Alastorem illum atque superbum declinasset, aliúmque pro ianua illa hospitium interfectrice, & pauperibus semper occlusa locum delegisset) ac manibus etiam penè carens, neque palmam protendere valens ad rogandum: sed & præclusa habens ipsa vocis organa, stridulúmque, & asperum pectore sonum emittens.*

Et verò in Lazari mendicitate diuitiæ latent, latent in eius vulneribus thesauri; certè hos in illis vidit sanctus Chrysostomus orat. in illud, Nolo vos ignorare; ait enim: *Quemadmodum thesauri spectabilis superficies spinis, tribulis, ac terra asperiore obsepitur, tamen si quis terram defoderit altiùs, multa opes ac diuitia apparent: sic* LAZARO *vsu venit, vt foras ei vulnera erumpant, magnas verò intus conditas diuitias habeat*; explicat thesauri huius opes, dum eodem loco hæc habet: *Dies quatuor in explicanda vobis* LAZARI *parabola consumpsimus, thesaurúmque adeò exhausimus, quem inuenimus in corpore vulneribus scatente: thesaurum, inquam, in quo non aurum quidem, non argentum, non lapilli, & gemma latebant, sed Philosophia, & Religio, multa tolerantia laborum, & malorum patientia.*

Lazarum ad ianuam diuitis stantem considerabat sanctus Petrus Chrysologus serm. 66. sic igitur diuitem alloquitur diuitis verba expendens: *Rogo te Pater; quid? vt mittas* LAZARVM *in domum patris mei. Ante quam bene iacuit* LAZARVS: *ad illam ianuam, in qua fame sua inhumanitatis tua titulos fixit, vbi postes tuos suis vlceribus laureauit, vbi sanie sua pinxit micas tuas. Patere ergo stare ciues, iam deponere dolos licet, quia tu Lazarum non potes videre: scitur, quia plus te felicitas* LAZARI, *quàm gehenna torquet incendium.*

Expendo illud, *Postes tuos suis vlceribus laureauit*; in festis olim in lætitiæ signum ianuas coronis exornabant, de qua re alibi scripsi, & scriptum etiam ab aliis est vtiliùs, sanctiúsque præstari id potest pauperum & infirmorum ad ianuas excubantium præsentia nobilis ianuæ ornatus, cùm ad diuitum fores mendici adstant, opem auxiliúmque postulantes.

Eum qui infirmitate, paupertateque Lazarum refert, ita alloquitur, ita consolatur Thomas à Kempis in opusc. 6. cui titulus, Consolatio pauperum, & infirmorum, num. 4. *Gaude in Domino frater Lazare, qui multis vulneribus modò repleris; quia tibi praparatur æterna requies, pro modico, & vili cibo, maléque parato, & pro breui dolore in corpore. Pro micis tibi negatis, habebis splendidas epulas in conuiuio cælestis Regis, & comedes semper panem cæli de mensa Iesu Christi, in regno Patris sui. Pro vulneribus tibi inflictis, habebis coronam miræ pulchritudinis, ornatam floribus immensa suauitatis. Pro canibus lingentibus vulnera tua, habebis Angelos tibi seruientes in cælestia magna, laudantes Deum pro tua multiplici inopia, & benigna patientia.*

Benignè excipiendi pauperes sunt, non asperè tractandi, conuitiis officiorum loco repositis, quod quàm Deo displiceat, docuit in epulone diuite, qui totus flammis sepultus potissimum linguæ refrigerium postulauit, tamquam illa magis cruciaretur, quæ in pauperem sæuierat, pauperem maledictis momorderat. Audiri hîc debet sanctus Paulinus epist ad Alethium: *Crede illum in Euangelio diuitem, cùm totus, vt clamat, miser cruciaret, solius tamen lingua refrigerium postulasse, qua sine dubio ideo vehementiùs cruciabatur, quia in Lazarum ante ianuam suam stratum, & canibus relictum, sæpius superba manus ore peccauerat.*

ADAGIVM DLIII.

Nemo repentè fit summus.

SI quis alicui suadeat paulatim proficiendum esse, & per gradus ad perfectionem eundum, is vti hoc prouerbio poterit; vsus est sanctus Bernardus serm. 2. de sancto Andrea, vbi ait: NEMO REPENTE FIT SVMMVS, *ascendendo, non volando apprehenditur summitas scala*; in eundem sensum eadem ferè verba profert Richardus in Cant. cap. 21. NEMO, inquit, REPENTE FIT SVMMVS, *nec scala summitas volando, sed gradatim ascendendo scanditur.* Respiciunt ambo ad celebrem illum Iacobi Patriarchæ scalam, per quam Angeli ascendebant, & descendebant, vt habetur in Genesi. 405.

EXCVRSVS LV.

Et in bono, & in malo paulatim, & per gradus ad grandia itur, itur ad culmen.

Per gradus *eundum ad magna.*
Ad perfectionem paulatim *pergendum.*
In vitiis paulatim *ab exiguis ad immania itur.*
Cauenda leuia, *ne in maiora labamur.*
Diaboli mos, vt à leuioribus *ad grauiora trahat.*
Nihil leue *æstimetur, quo Deus læditur.*

IN bono per minima ad magna eundum, docuit Deus Mosis exemplo, quem in pastorale priùs exercuit arte, vt præparet ad principatum; quod 406. *Per gradus eundum ad magna.*
expen

S.Basil.Sel.

expendebat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 9. his verbis, *Oues in monte pascenti conspicuus Deus obiicitur. illi enim concessit Deus pastorem agere,* VT EX PECORVM PASTORE ISRAELIS PASTOR CREARETVR, *vtque post artem pastoricam in modicis exercitam tribuum suorum principatum ei crederet.*

Ad perfectionem paulatim pergendum.
S. Ambr.

Per gradus adeunda nobis perfectio est, docuit istuc exemplo suo Deus, dum in prima mundi molitione non simul omnia creauit, sed sensim, creauitque priùs, deinde perfecit. Sanctus Ambrosius lib.1.Exaëmer. cap... *Accedit illud, quòd imitatores sui Deus nos esse voluit, vt priùs faciamus aliqua, postea venustemus, ne dum simul vtrumque adorimur, neutrum possimus implere, fides autem nostra quadam* GRADV CRESCIT, *ideo, &c.*

In vitiis paulatim ab exiguis ad immania itur.
Rich. Vict.

Vt in Virtutibus ab exiguis initiis paulatim ad grandia itur, idem & in vitiis accidit, quod eleganter ex statua illa Nabuchodonosor colligit Richardus Victorinus lib.de erudit. interioris hominis cap.23. in hæc verba, *Statua, quæ ex auro incipit, in testam desinit. Puto, quia* NEMO REPENTE TVRPISSIMVS, *sed qui minima negligit, paulatim defluit, sicut quibusdam profectuum gradibus ad alta conscenditur; sic rursum gradatim ad ima descenditur. Attende quomodo in hac statua priùs aurum, postea argentum, post hæc mediante ære sequitur & ferrum.*

407. *Cauenda leuia ne in maiora labamur.*
S. Hier.

Cauenda leuia sunt, ne labamur in grauiora: timenda parua sunt, ne grandioribus inquinemur; in minimis cogitetur eius magnitudo, qui læditur, & vix quidpiam, vt leue contemnemus. Scitè sanctus Hieronymus epist. 14. quæ est ad Celantiam; *Nos*, inquit, *etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus: tamen satis prodesse ad cautionem dicimus etiam minima pro maximis cauere, tanto enim faciliùs abstinemus à quocumque delicto, quanto illud magis metuimus. Nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat; & sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quàm illum, qui iusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem.*

Diaboli mos, vt à leuioribus ad grauiora trahat.
S.Basil.Sel.

Hic Diaboli mos est, vt à leuioribus abstrahat ad grauiora; quod Herodis exemplo probat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 18. in hunc modum. *At mihi crede Diaboli artem, vt ad impietatem ex leuioribus erratis extrahat, primum* FRATERNI CVBILIS PROFESSOREM *fecit, & subsessorem, vt ex adulterij fossa ad Baptistæ cædem transilire faciat; malum verò tempore altum creuit in quamuis libertatem. Vini igitur, videntisque fratris vxorem suam facit, regni potestate abusus in auxilium intemperantiæ, & cum ausu inconsueto nefarium animi propositum conglutinari.*

Nihil leue æstimetur, quo Deus læditur.
Saluianus.

Occurrendum igitur exiguis, ne ad immania decurratur. proderit, si culpa ex iniuria pensetur Dei, sic grauior apparebit, quæ videtur leuis. Audi monentem Saluianum lib. 6. de gubern. Dei: *Nihil leue æstimetur, quo Deus læditur*; nimis leuis est, quo quamlibet Dei iniuriam leuem putat.

ADAGIVM DLIV.

Geometricis demonstrationibus probatum.

408. FIrmæ, & euidentes probationes, quæque omni dubitatione, ac calumnia superiores sunt, geometricæ prouerbialiter dicuntur; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni orat.51. *Hoc nunc velint nolint, demonstratum est* GEOMETRICIS, *vt ipsi aiunt, ac necessariis* DEMONSTRATIONIBVS. Vbi Elias scholiastes, *Firmas porrò, & irrefutabiles* DEMONSTRATIONES *parœmia* GEOMETRICAS *necessitates appellauit à linearibus, atque ab omni falsitate alienissimis Geometriæ methodis.*

ADAGIVM DLV.

Non attingit cor meum.

FVisse hanc formulam vulgò iactatam de re quam non admodum curamus, nec ægrè ea priuari patimur, affirmat Vgo Victorinus in Gen. vbi ait, *Cum amittimus rem, de qua non curamus, dicimus;* NON ATTINGIT COR MEVM; vt facilè redigi in adagiorum sensum posse doctus lector admittat.

ADAGIVM. DLVI.

Inter malleum, & incudem positum esse.

QVi malorum hominum sæuitia obsepitur, vt effugere nequeat, & ea calamitate premitur, quam euadere non possit, INTER MALLEVM INCVDEMQVE POSITVS, prouerbiali figura, quæ trita, & obuia est, dicetur. Petrus Blesensis epist.22. *Video, quòd* POSITI *estis* INTER MALLEVM, ET INCVDEM, *& assiduè supra dorsum vestrum fabricant peccatores.*

ADAGIVM DLVII.

Clauam de manu Herculis extorquere.

QVoties à potentiori aliquid, quod tenet, eripitur exculpitúrque ex alicuius manibus, quod difficile obtineri ab eo alioquin potuisset, tunc huic prouerbio locus erit, quo & prophani vsi fuerunt. nostros hîc dabo dumtaxat; Sanctus Bernardus epist.180. in hunc sensum illud adhibuit; *Recuperauit sedi Episcopali monasterium, tanquam* CLAVAM DE MANV HERCVLIS EXTORQVENS *in manu fortiori*; & epist. 226. *Scio, scio difficile posse* EXTORQVERI CLAVAM DE MANV HERCVLIS, *& ideo multum insto, quia rem peto difficilem.* Sanctus Petrus Damianus lib.6. epist. 5. *Tuendum me credo per vos à versutiis Dæmonum qui vibratam in vos* CLAVAM HERCVLIS RAPVI *de manibus clericorum.*

ADAGIVM DLVIII.

Nouus nostri temporis Philisthæus.

SI quis superbia tumidus Christianas Catholicorum acies prouocet, qua in re insignes effrontes hæretici solent esse, is NOSTRI TEMPORIS NOVVS PHILISTHÆVS 409.
audiet. Henricus Abbas Claræuallensis in epistola quadam, quam recenset Rogerus de Houeden parte poster. Annalium, ita loquitur: *Stat contra*

phalangas Israël NOVVS NOSTRI TEMPORIS PHILISTNÆVS, *hæreticorum ordo, exercitus peruersorum, qui agminibus Dei viuentis irreuerenter exprobrat.*

ADAGIVM DLIX.

Pedem alterum in Paradisum posuisse.

QVi ad summum perfectionis, & sanctitatis culmen peruenerunt, aut se putant peruenisse, PEDEM ALTERVM IN PARADISVM POSVISSE prouerbialiter dicentur. Sed his quoque lapsus timendus, timenda ruina. Si retro respiciant, retrorsum abeant; hinc illud sancti Bernardi serm. 3. in vigil. natiu. Domini, *Ne abeant*, inquit, *retrorsum, qui iam* PEDEM ALTERVM IN PARADISVM POSVERVNT; nemo adeò in virtutibus profecit, qui si socordiæ indormiat, & tepori fœdissimè labi non possit, qui lapsus eo grauior erit, quo celsior erat, qui cecidit.

ADAGIVM DLX.

In aquis defluentibus ponere fundamentum.

QVi labentibus rebus fidit, petituris se credit, & instabilibus, is prouerbiali hoc schemate percelletur, vt fundamenta super defluentia fluenta iacere dicatur; hoc sensu efferebat sanctus Gregorius Magnus lib. 22. moral. cap. 2. vbi ait, *Quasi* IN AQVIS DEFLVENTIBVS FVNDAMENTVM PONERE, *est in rebus labentibus sibi fiduciam velle solidare.* Poterit absque vlla violentia ad personas quoque transferri, quorum labilis fides infirmum auxilium, nec firma iuuandi voluntas.

ADAGIVM DLXI.

Heri Simon Magus, hodie Simon Petrus.

PRouerbio locus erit, cùm quis ex praua ad meliorem vitam, & perfectionis culmen transit; quod si per ironiam accipiatur, notabitur nimia celeritas, quæ nec in bono bona est, si nimis præpropera, & præceps. nam repentè nemo fit summus ascendendo, non volando summitas scalæ apprehenditur, eundum ad perfectionis culmen est. Sancti Gregorij Nazianzeni carminum ligneorum libro hæc sunt verba: HERI SIMON MAGVS *erat*, HODIE SIMON PETRVS. *Heu nimiam celeritatem, heu quoque vulpecula leo prodiisti.*

ADAGIVM DLXII.

Data est illi anima pro sale.

410. PRouerbium quod de anima vsurpari solet, ad lasciuos, & impudicitiæ mancipia in hunc modum flectit Isidorus Clarius tom. 2. hom. 103. *Nihil ita obruit animum, vel lasciuia carnis, nam auaritia tamum abest, vt obruat animum quatenus pertinet ad solertiam, & malitiam, & prudentiam huius sæculi, vt etiam faciat astutissimos in eundem modum ambitio; quid non circumspicit? quàm lynceos habet oculos? quid non cauet? at quisquis lasciuiis se, & vitiis carnis dedit, & illud naturæ acumen, quo cælesti etiam homines vti consueuerunt, etiam amittit, vt de eo dici possit, quod de se prouerbiò dicitur,* DATAM ESSE ILLI ANIMAM PRO SALE, *homines enim huius modi animum habent, & inflexum in ventrem.*

ADAGIVM DLXIII.

Ab vnguibus leonem laudare.

SI quis in probatissimi viri laudem excurrens ad leuia quædam, & exilia calamum, aut linguam flectat, neglectis insignioribus eius virtutibus & operibus, is prouerbialiter dicetur AB VNGVIBVS LEONEM LAVDARE; hoc ferè sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Gregoris; *Ego verò*, inquit, *si ab his rebus laudanda sororis argumenta peterem, similiter facerem, ac si* AB VNGVIBVS LEONEM LAVDAREM, *relictis maioribus, & excellentioribus.*

ADAGIVM DLXIV.

Suauiter corrigitur, qui exemplo aliorum emendatur.

VVlgò iactari solitum esse hoc prouerbium, ostendit Petrus Abbas Cellensis lib. 2. epist. 15. vbi ait, *Prouerbium est*, SVAVITER CORRIGITVR, QVI EXEMPLO ALIORVM EMENDATVR.

ADAGIVM DLXV.

Os Sibyllinum.

QVi non tam verba, quàm oracula promit, sapienter prudenterque loquitur vt auditores rapiat in stuporem; is os Sibyllinum prouerbiali schemate dicetur habere. Sanctus Petrus Damiani. pusc. 22. cap. 1. sic nobis adulatorem describit: *Oculis gliscit, gestibus innuit, pendet ad nutum, vt sic herile præceptum tanquam per* SIBYLLINVM OS *Phœbi præstoletur oraculum.* poterit ironicòs in eum iaci, qui putidè verba funditet, tanquam diuinitùs afflatus diuina promat.

ADAGIVM DLXVI.

Terra insensibilior.

QVi nulli rei alicuius sensu afficiatur, prouerbialiter terra insensibilior dicetur; premit his verbis Iudæos Beatus Amadeus hom. 5. de landibus Virginis, de Christi passione loquens; *Terra*, inquit, *tremuit; Iudæus* TERRA INSENSIBILIOR neque Dominum sensit, nequam fidem adhibuit.

ADA

ADAGIVM DLXVII.

Alterum Saulem, ſe alteri Samueli exhibere.

411. Vi ſalubria probi Doctoris negligit, monita is ALTERVM SAVLEM reſeret, ERGA ALTERVM SAMVELEM; exculpſi ex verbis ſancti Bernardi epiſt. 232. vbi ait, EXHIBEBO *tibi quandiu vixero* ALTERVM SAMVELEM, *tu vtinam non* ALTERVM SAVLEM *mihi, Samuel quippe Samuelis verba audiuit, ſed audita poſtea temerauit.*

ADAGIVM DLXVIII.

Deeſt ſemper aliquid culturæ Dei.

CVm in Dei obſequio, & cultu laborandum ſemper eſſe, ſemper proficiendum ſuadebimus, tunc opportunus prouerbio locus erit. Petrus Abbas Cellenſis lib. 2. epiſt. 4. ita ſcribit: *Dicam, ſed cum licentia dicam; quid? quia* DEEST SEMPER ALIQVID CVLTVRÆ DEI. *Hoc fortè apud vos prouerbium eſt, ſed faciam verbum de prouerbio.*

ADAGIVM DLXIX.

De ſilice natus.

CRudelis, & immiſericors, cuius viſcera moueri in aliorum calamitatibus neſciunt, prouerbialiter DE SILICE NATVS dicetur. Sanctus Paſchaſius Radbertus in vita ſancti Adelardi huc ſpectans ait: *Quis non fleret etiamſi* DE SILICE NATVS *eſſet ea hora, cùm inclitus Dei paſtor hinc abiens cælos peteret.* Mens more ſilicis obdurata compunctionis prorſus expers dicta eſt Beato Petro Damiano lib. 1. epiſt. 12. vbi humiliter de ſe loquens ait: *Vt mens mea tot oppreſſa negotijs, more* SILICIS OBDVRATA, *nec per imbrem ſe compunctionis emolliat, ne ſe quantumlibet ſuper ſe gratiam intimæ contemplationis attollat*; huc etiam ſpectant ſancti Paſchaſij Radberti verba, qui in vita ſancti Adhelardi ita loquitur: *Quis tunc, vel ſaxeum pectus habens non fleret? quis præciſius, vel* DE SILICE *non doleret?* & poſt multa: *Quis enim non fleret, etiamſi* DE SILICE NATVS *eſſet ea hora, cùm inclitus Dei paſtor hinc abiens cælos peteret?*

ADAGIVM DLXX.

Spelunca Dæmoniorum.

FAmiliam, & congregationem, quæ vitiis ſordeſcat, SPELVNCAM DÆMONIORVM vocat ſanctus Bernardus ſerm. 3. in dedicatione Eccleſiæ: *Omnino,* inquit, *proditorem ſeſe nouerit, ſi quis fortè, quod abſit, vitia qualibet in hanc domum conetur inducere, & templum Dei* SPELVNCAM *facere* DÆMONIORVM. Porrigi, & ad cuiuſque mentis domicilium poteſt, quæ vitiis, & ſceleribus non affecta tantùm ſit, ſed & obruta.

ADAGIVM DLXXI.

Aſino Arcadiæ tardior.

ITa alicuius obtuſitas, & ſtoliditas adagiali 412.
hyperbole traducetur: hinc illud Ioannis Sariberienſis de nugis Curialium lib. 7. cap. 12. *Accede,* inquit, *vt docearis, quid in ſcriptis ſuis auctores ſenſerunt diligenter inquire, excute litteram, ſtatim increpabit duritiam tuam, &* ASINO ARCADIÆ *te dicet* TARDIOREM.

ADAGIVM DLXXII.

Ventos extringere.

SI quis eum perſtringat, & premat, qui inani labore diſtenditur, operam inaniter ludit, VENTOS eum PERSTRINGERE prouerbialiter dicet; hoc maximè præſtant, qui terrenorum bonorum amore corripiuntur, ſeculi voluptates amant, luxus, libidiníſque mancipia ſunt. Audiendus hîc ſanctus Chryſoſtomus hom quòd nemo læditur niſi à ſe ipſo; ſic autem ille loquitur: *Qui voluptatis vinculis alligati ſunt, quos obtine: libido captiuos, quibus omnis vita in luxu teritur, ſuperflua videntur hæc, & inepta: quandoquidem ſumma auiditate amplectuntur vmbras,* EXTRINGVNT VENTOS. *hæc enim, quæ eis videntur carnis, & ſeculi bona, & manibus eorum tanquam ventus & vmbra effugiunt, & labuntur.*

ADAGIVM DLXXIII.

Guttulis aquæ me petunt.

QVi hoſtium morum iniurias inuidet, terrena ab illis illata ſpernit damna, prouerbialem hanc ſententiam promet. Prompſit etiam ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 18. *Veriùm è ciuitate eycient? At non etiam ex ea, quæ in cælo ſita eſt; hoc ſi efficere potuerint, hi qui nos inuiſos habent, verè bellum inferent; quandiu autem minimè potuerint,* GVTTVLIS AQVÆ PETVNT. iacturæ omnes, omnia detrimenta, nihili putanda ſunt, dummodo nobis cœleſtes diuitiæ non ſurripiantur, non ſurripiatur cœlum, non ſurripiatur ille, qui cœlum condidit, nos cœlo deſtinauit.

ADAGIVM DLXXIV.

Seculi noſtri Catilina.

DE homine perditiſſimo, qui omnium vitæ 413.
inſidias ſtruat, & malorum ſe conſortio adſtringat in communem aliorum perniciem. Nota Catilinæ coniuratio, qui facinoroſorum hominum ſocietatem inierat, vt omnes perimeret; illius imitator SVI SÆCVLI CATILINA dicetur; hinc illud Sidonij lib. 2. epiſt. 1. *Redijt ipſe* CATILINA SÆCVLI NOSTRI *nuper à Turribus, vt ſanguinem fortunáſque miſerorum, quas ſibi ex parte propinauerat, hîc ex aſſe miſceret.* Sanctus Hieronymus Catilinam Ruffinum vocat, Origenis hæreſim propagare conantem, epiſt. 55. quæ eſt ad Ripatium, ita loquitur: *Suis in hanc prouinciam nullis humanis*

humanis auxilijs, sed propriè Christi sententia pulsum non solùm de vrbe, sed de Palæstina quoque finibus CATILINAM.

De nequissimo quodam sene quidam ex nostris loquens ait:

Tu nostri Natta es CATILINA, *& Clodius aui,*
Et laci sibi sunt Arctolycique manus,

ADAGIVM DLXXV.

Vitis non sinenda sarmentis noxijs syluescere.

PRouerbium, & prouerbij explicationem habet sanctus Basilius hom. 3. in Hexaëmeron, hisce verbis: *Opus proinde sit iuxta prouerbij allusionem, vt* NE VITEM *hanc nostram* SINAMVS SARMENTIS NOXIIS SYLVESCERE, *& eluxuriari, id est, ne quid in obeundis vitæ huius nostræ munijs, per ostentationem designemus, neu laudem venemur, captemúrve ab istis externæ conuersationis hominibus; magis verò adnitamur, fructuosi, vt simul & interim piam quandam ostentationem operum nostrorum vero illi agricolæ, siue ianitori asseruemus.*

ADAGIVM DLXXVI.

Intus sumus.

414. RAtionem corpori præferendam, & mentem quæ intus latitat carni, quæ extimè videtur, ab internóque homine, non ab externo hominem denominandum, formola hæc indicat, quam vulgi sermone tritam indicat sanctus Basilius hom. 4. in Hexaëmeron, vbi expendens illa Dei verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* ait, dicens, *Faciamus hominem, vtique illum insinuat, quo internus est. Dixeris fortasse tu; quî possim istos duos internosse homines? Planè vnum, qui in conspicuo est omnibus: alterum, qui tectorio corporis istius palam cognobili concelatus delitescit, inuisibilis ille interior homo. Introclusum itaque hunc habemus, & arcanum hominem, deprehendimur hinc quodantenus esse duplices; ac proinde fit verum, quod in omnium versatur ore,* INTVS SVMVS. *Ego enim sum id quod ad interiorem attinet, isthæc enim externa non ego, sed mea: neque enim ego manus hæc sum, sed id quod rationale est anima: manus porrò hominis particula est. Corpus igitur hoc organum est hominis, organum animæ. Homo namque id peculiariter censetur esse quod secundùm animam est.*

ADAGIVM DLXXVII.

Aquam postulat fons à riuo.

CVm peritus imperitiorem consulit, eruditi animus erudito eruditior postulat, & vniuersè cùm re aliqua abondans eam ab eo, qui non adeò diues est, quærit, locus huic prouerbio erit; hæc Petri Blesensis verba sunt in prologo ad librum de Confessione: *Rogastime, vt tibi aliquid de virtute confessionis recisiori stilo in schedulis, sicut soleo, exararem,* SIC AQVAM POSTVLAT FONS A RIVO, *magister à discipulo scientiam, sapiens ab ignaro.*

ADAGIVM DLXXVIII.

Sub Esau tegumento latet Iacob.

PRouerbialem hanc formulam vsurpant nostri, cùm quis aliud ex vero est quàm extimè videatur scientiæ, atque adeò sanctimoniæ thesauro intus diues, licèt extrà 000 facilè appareant hæ diuitiæ.

ADAGIVM DLXXIX.

Antichristus.

EXtrema hominis impietas, crudelitas, & malitia locum prouerbio dedit, vt ANTICHRISTVS dicatur proiectissimæ improbitatis, & immanitatis homo, quales censet Bernardus, qui animarum cura suscepta apud eos de animarum salute nouissima cogitatio est, aut nulla, sic serm. 1. in conuersione sancti Pauli: *Multique sunt,* inquit, *nostris temporibus* ANTICHRISTI. 415.

ADAGIVM DLXXX.

Apostolus Antichristi, Antichristi præcussor, seu præambulus.

PErditissimæ vitæ homo, & cæterorum ruina, ac pestis, quíque doctrinam euomat Christianæ veritati aduersantem, is ANTICHRISTI APOSTOLVS dicetur, hoc titulo notauit impium Cadaloum pseudo-Pontificem sanctus Petrus Damianus lib. 3. epist. 6. dum infit: *Cadalous, ille sanctæ perturbator Ecclesiæ, ille, inquam, radix peccati, præco Diaboli.* APOSTOLVS ANTICHRISTI *velut Draco teterrimus adhuc sufflat.* In hæresiarchas quoque hic titulus quadrabit, cósque omnes, qui prauæ doctrinæ seminatores non Christi partes tuentur, sed Antichristi. Et lib. 1. epist. 12. *Satanæ prædicator* APOSTOLVS ANTICHRISTI; & lib. 4. epist. 8. *Filius autem eius,* APOSTOLVS *videlicet* ANTICHRISTI, *multas calamitatum, atque contentionum amaritudines pertulit,* & ante illum sanctus Hieronymus epist. 48. ad Sabinianum; *Nouus est* ANTICHRISTI APOSTOLVS.

Petrus Cardinalis titulo sancti Chrysogoni in quadam epistola ad Rogerum de Houeden part. post. Annalium ita loquitur: *Ea propter vniuersitatem vestram monemus, vt ipsos tanquam hæreticos, &* ANTICHRISTI PRÆAMBVLOS *à sinceritatis vestræ consortio, & vestris finibus longiùs expellatis.*

Et sanctus Gregorius Nazianzenus de impio quodam loquens orat. 21. quæ est in funere sancti Athanasij, ait; *Tantum valuit ille Diaboli administer, ille zizaniorum sator, ille* ANTICHRISTI PRÆCVRSOR.

Denique, qui peccata peccatis inædificat, nouas culpas veteribus adiicit, & de scelere in scelus labitur, hic prouerbiali quadam forma Antichristi viam sternere dicetur; hinc illud sancti Petri Damiani opusc. 12. cap. 32. *Dum,* inquit, *veteribus noua semper augentur, quid aliud agitur, quàm* ANTICHRISTI VIA *proculdubio* STERNITVR; *vt iam vltra finem sæculi in mundum veniens, sine offendi-*

culo liber ingrediatur? & vniuersè, qui impia dogmata euomunt, aliis decipiendis, quo morbo omnes laborant hæretici, hi Christi præcursores, & anteambulones dici iure poterunt.

ADAGIVM DLXXXI.

Tenui è funiculo vita suspensa est.

VIta discrimini proxima, interitui vicina, & morti, prouerbiali figura, & funiculo suspensa dicetur; hinc illud Synesij epist. 4. *Eiusmodi porrò nauigatione vtentibus*, TENVI, *vt aiunt*, È FVNICVLO VITA SVSPENSA *est*. Etiam extra talem nauigationem, tot periculis obnoxia hominum vita est, vt È FVNICVLO PENDERE vniuersim videatur.

ADAGIVM DLXXXII.

Planctus eius sicut planctus Adadremmon.

FActarum vulgò de magno planctu hoc prouerbium olim fuisse asserit Petrus Blesensis epist. 2. vbi ait, *Iosia Rege mortuo, scriptum est, quia vniuersus Iuda & Hierusalem luxerunt eum, & præ omnibus Rex* ADADREMMON: *ita quod in prouerbium versum est, & populariter dicebatur*, PLANCTVS EIVS SICVT PLANCTVS ADADREMMON.

ADAGIVM DLXXXIII.

In petras semen iacere.

416. IN eos vsurpabimus, qui frustrà laborant, vt si quis quempiam arguat, qui corrigi nolit, vt verba nullum fructum factura proferantur. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 67. ita secum loquitur: *O Isidore, quid frustra te fatigas* IN PETRA SEMEN IACENS? *quid laboras, & excubas, cùm is, propter quem excubiæ aguntur, ea quæ scribantur exequi recusando, inanes eas reddat? quin tu vano labore te ipsum cruciare, atque Æthiopem dealbare, ac laterem coquere desinis? quia nempe Zosimus, ad quem scribebat, & quem ad meliorem frugem vocabat, cassum eius laborem vitæ prauitate reddebat.*

ADAGIVM DLXXXIV.

Foueam fodis, in quam præcipiteris.

TOrquebitur in eum, qui ipse sibi ruinam creat, præcipitium fabricat & exitium struit dum in alios parat; hinc illud sancti Bernardi epist. 126. *Videtis, quòd de impossibili calumniam struitis matri vestræ, imò vobis* FOVEAM FODITIS, IN QVAM PRÆCIPITEMINI? & sanctus Ambrosius lib. 1. exaëm. cap. 8. *Non tibi ipsi foueam prauus interpres effodias.*

ADAGIVM DLXXXV.

Tempore niuis peruestigatur fera.

CVm nix terram operit, tunc opportunum ferarum excutiendarum, ac capiendarum tempus est, vt norunt venatores; quod eleganter ad tentationis tempus, quo satanas tanquam fraudulentus venator homines insequitur, flectit sanctus Ephræmus de timore Dei; ait quippe: TEMPORE NIVIS PERVESTIGATVR FERA, *& tempore tentationis inuestigat satanas monachum.*

ADAGIVM DLXXXVI.

Alter Daniel, Daniel noster.

DE eo, qui supero spiritu afflatus falsorum testium nequitiam deprehendat, & seuerè puniat; hoc sensu extulit sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 20. *Sed nunquid*, inquit, *deerit etiam* DANIEL, *cuius repente spiritus suscitetur, & falsorum testium nequitias vlciscatur.* Nota est Susannæ historia, quam à falsorum testium calumnia Daniel diuinitus exemit.

Daniel noster dici etiam potest, qui malorum hominum calumniis impetitus victor, & liber fit, & à leonum lacu rediuiuus exit. De sancto Cæsario Episcopo Arelatensi iniuste accusato ita loquitur Cyprianus Presbyter, qui vitam illius conscripsit: DANIEL NOSTER, *id est, sanctus Cæsarius è lacu leonum educitur, satraparum accusatio publicatur*; omni doctrinarum genere excultus NOVVS DANIEL audiet, Daniel quippe omnibus Chaldæorum disciplinis Nabuchodonosoris iussu eruditus est; hoc titulo donatus est sanctus Basilius, & sanctus Gregorius Nazianzenus, de quibus ita scribit Gregorius Presbyter in vita sancti Gregorij Nazianzeni: *Quin etiam numerorum supputationes & Geometriæ æquitatem astrorúmque situm, ac motum veluti noui Moyses &* DANIELES *edocti sunt.*

DANIEL quoque dici potest, qui innocentium causam tuetur, & eos ab iniustis vindicat calumniis; sanctus Augustinus epist. 48. ita loquitur: *Conuertantur leones ad comminuenda ossa calumniantium, nec* DANIEL *ipse intercedat innocens comprobatus*; sed Danielis iniecta mentio nos monet, vt aliqua de hoc Propheta producamus.

EXCVRSVS LVI.

De Daniele aliqua in lucem producuntur.

Danielem pudicum *Susannæ pudicitia Iudicem promeruit.*
Danielis iudicium *Pilati iudicio comparatur, & præfertur.*
Danielis modestiam *leones etiam honorant.*
Vir desideriorum *cur dictus Daniel.*
Daniel à terrenis opibus, deliciisque *ieiunus.*
Terrenarum deliciarum contemptus aditum ad rerum diuinarum *notitiam aperit.*
Danielis *exemplum in hac re.*

De

417. DE Daniele aliqua sepofueram, hîc, quia locus, & occasio fert, pauca afferam, quæ subiicio, in eius laudem, lectorisque profectum.

Daniel pudicum Susannæ pudicitia iudicem promeruit. S.Max.

Felix Susanna, quæ Danielem iudicem habuit, & defensorem, nimirum eius pudicitia meruit, vt pudicum habetet iudicem, quod tetigit sanctus Maximus hom. 1. de accusato Domino; *Iudicem*, inquit, *meretur castitas* DANIELEM: *multum de Deo pudicitia cōsequitur, cùm iudicem virginem promeretur, secura enim est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas. Pudicitia autem causam nisi vir pudicus audire non debuit, talem enim, arbitror, meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.* Purè causam non puram egit, honestè inhonestam accusationem tractauit.

Danielis iudicium Pilati iudicio comparatur, & præfertur. Idem.

Danielem in iudicio cum Pilato comparat, & Pilato præfert idem sanctus Maximus hom. 1. de iudicato Domino, hisce verbis: *Cognito* DANIEL *Susannæ negotio cùm eam falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare*, ait idem: *Mundus ego sum a sanguine huius. Quo dicto peccantis populi reuocauit errorem. Hac ergo voce circa Susannam* DANIEL *vtitur, qua circa Dominum vsus est & Pilatus: Mundus ego sum à sanguine huius iusti. eadem igitur sententia soluitur pudicitia, qua est absoluta iustitia. Sed* DANIEL *melius, quam* PILATVS. *ille enim pudicum sanguinem non condemnat, sed liberat: hic autem iustum sanguinem & confitetur, & tradit.*

Danielis modestiā leones etiam honorant. S.Chrys.

Danielis modestiam, vel immites leones visi sunt honorasse, cur non reuereantur homines, atque adeò imitentur? De illo ita scribit sanctus Chrysostomus orat. 6. in illud Euangelij, collegerunt Iudæi concilium, dum ait: *Etenim leones in* DANIELE *quamquam nullam signum intuebantur, sed virum tantum spectantes, & modestiam honore prosequentes, immansueta ora sua refrænarunt.*

418. *Vir desideriorum cur dictus Daniel.* S.Hier.

Magnam Danielis continet laudem, quod vir desideriorum dictus est; latet in hoc titulo eius temperantia, & abstinentia desideriorum vir fuit, quia desiderium illud vicit, quo electiones epulæ expetuntur. Alienus hic sensus videatur, non est, cùm auctorem habeat sanctum Hieronymum, qui epist. 22. quæ est ad Eustochium, ita scribit: *Potuit* DANIELI *de regys ferculis opulentior mensa transferri: sed Abacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum, ideòque & desideriorum vir appellatus est, quia panem desidery non manducauit, & vinum concupiscentiæ non bibit.*

Daniel à terrenis opibus, deliciisque ieiunus. Idem.

Daniel *vir desideriorum* dictus est, quia scilicet pauper, & terrenis deliciis ieiunus extiterat, pauper erat, vel leonibus terribilis. Sanctus Hieronymus lib. 2. aduersùs Iouinianum cap 10. quo noster habet, *vir desideriorum*; ipse habet, *homo miserabilis*, hæc eius verba, *Scriptum*, inquit, *est, quod* DANIEL *tribus hebdommadibus ieiunauerit, panem suauem non comederit, caro, & vinum non intrauerit os eius, oleo vnctus non sit; & venerit ad eum Angelus, dicens:* DANIEL *homo miserabilis est, qui Deo miserabilis apparuerat, post ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. quam pulchra res, quæ placat Deum, leones mitigat, Dæmones terret.*

419. *Res mira de Danielis sepulchro.* Beniam.

De Prophetæ Danielis sepulchro hæc censio Iudæorum mentes subiit, vt putarent eius vicinitate se diuitias, opésque indipisci; rem his verbis narrat Beniamin in suo itinerario, vbi de Susan Habira loquens ait: *Sunt in hac vrbe Iudæi septies mille, qui in synagogis congregantur numero quatuordecim; & ante vnam ex illis* DANIELIS *sepulchrum est: interfluit autem Tigris fluuius vrbem ipsam, & habitationem etiam Iudæorum diuidit: atque altera ex parte fluminis ditissimi omnes sunt, quicumque inhabitant, forásque habent negotys, & mercibus instructissima: ex altera verò tenuiores pauperioresque omnes, nulla fora, commercia nulla habent, neque hortos, aut pomeria, adeò vt aliquando inuidiam conceperint aduersum alteros, existimauerintque diuitias, & vbertatem, illis ex* DANIELIS *Prophetæ ibidem sepulti vicinia effici; quamobrem ab illis postularunt, vt* DANIELIS *sepulchrum ad suam regionem transmitti permitteretur. Quod cùm constanter negatum esset, ad contentionem primum, deinde ad dimicationem, atque pugnam deuentum est, magna cum vtriusque partis clade ad multos vsque dies, donec tandem lassi vtrique in conditiones & pacta conuenere, vt alternis annis* DANIELIS CIPPVS *ad alteram partem transferretur: idque aliquandiu factum repetitumque fuit.*

Addit hanc conuentionem à Rege Senigar ablatam, vt quæ huius Prophetæ reuerentiæ non conueniret; *Accidit*, inquit, *interim, vt Senigar Saa filius Saa Regum omnium Imperator summus eo veniret; is igitur cùm in hac vrbe aliquando commoratus Danielis cippum ex altera in alteram vrbis regionem transferri, atque cum illo complures ex Iudæis, & Ismaelitis commigrare vidisset, causa rogata, & cognita, indignum iudicauit, vt huiusmodi aduersum Danielem irreuerentia toleraretur: verùm spacium inter vtramque partem diligenter dimensus, Danielis cippum in arca magna vitrea, impositum in medio illo loco ex trabe maxima æneis catenis suspendit, ædémque construi iussit, magnam synagogæ vsui dicatam, omnibus totius orbis hominibus patentem, neminique negatam mortali siue Iudæo, siue Aramæo eò precationis causa ingredi volenti. Pendet autem arca illa ex trabe vsque in hodiernum diem.*

Nec hîc legis edictum stetit, vetuit præterea ne in illo flumine iuxta Danielis cippum piscari cuiquam liceret. Pergit Beniamin: *Porrò Imperator ille edicto vetuit ne quis pisces è fluuio caperet ad vnum ex inferiori parte, alterum verò ex superiori miliare, propter Danielis reuerentiam, & cultum.*

Corporalium delectationum contemptus aditum ad diuinarum rerum notitiam aperit. S.Petr.Dam.

Ad diuinarum rerum notitiam aditum nobis aperit delectationum contemptus, & iis præcipuè superæ scientiæ secreta aperiuntur, qui alios ad carnis illecebras spernendas excitant, & spernunt ipsi; rectè hoc nobis Danielis exemplum innuit, qui idcirco somniorum interpretatione nobilis, & admirandus euasit, quòd tribus pueris auctor fuit, vt à regiis epulis abstinerent; rem acutè tetigit sanctus Petrus Damianus opusc. 49. cap. 8. *Pueri illi, qui se Regis decreuerant epulis abstinere, omnium librorum sapientiam, & scientiam grata meruerunt talique recipere. Danieli quoque quia censura huius auctor extiterat, hoc est insuper additum, vt visionum omnium, atque somniorum notitiam percepisset; digno videlicet retributionis diuinæ commercio, vt qui se à carnalis edulij voluptate reprimerent, ad spiritualis intelligentiæ dapes mentis ora laxarent. Arescat igitur caro, vt mens saginata pinguescat*; alioquin si corpus saginetur, arescit quodammodo mens.

ADAGIVM DLXXXVII.

Phalarica animaduersio.

PHalaris Agrigentinorum tyrannus immanis crudelitatis fuit, vt ab hac causa in prouerbium abire potuerit, atque adeò vbi quis in aliquem summa sæuitie animaduertit, vt soli crudelitati, humanitatis omnis oblitus, licèt præfixa prouerbialis formula adduci potest. Sanctus Petrus Damianus opusc. 21. cap. 1. ita quosdam perstringebat: 420.

ſtringebat ; *Repugnantibus* PHALARICA *ſpirat* ANIMADVERSIONE *vindictam* ; φαλαρισμὸν apud prophanos hac figura pro immani crudelitate ſumptum legimus.

ADAGIVM DLXXXVIII.

Nemo aliis naſcitur, moriturus ſibi.

VEtus dictum, quod in prouerbiorũ cenſum facilè recipi poteſt, tunc vſurpandum, cùm quis alienæ ſaluti conſulit, neglector ſuæ, réſque alienas curat, non curat ſuas. Tertulliani hæc ſunt verba lib. de pallio cap. 5. *Errat enim iſta ſententia,* NEMO ALII NASCITVR, MORITVRVS SIBI; alioquin ſi quis alienæ ſalutis cauſa mortalem hanc vitam prodigat, tunc verâ vitâ viuit, cùm amittit vitam, quod multi cum laude præſtiterunt.

ADAGIVM DLXXXIX.

Agere mercatorem.

FAmiliare noſtris prouerbium, adhiberi ſolitum, quum quis rebus ſuis intentus negligit ea quæ ab aliis dicuntur, fingitque ſe non audire quæ audit, aut non intelligere quæ intelligit; huius formulæ meminit Oleaſter in cap. 4. Geneſis : *Non aduertunt ad ea, quæ ſibi dicuntur operi, aut cogitationi intenti, vnde noſtri in prouerbium habent, cùm quis non vult audire, aut attendere*; AGIT, *inquiunt*, MERCATOREM; noſtri eleganti Italiſmo dicunt, *far l' orechi di mercante.*

ADAGIVM DXC.

Ferreum ſeculum.

421. VT aureum ſeculum in prouerbium iuit, quod ſuo loco explicuimus, ſic ire & ferreum potuit ; vt ferreum ſeculum dicatur, à quo aurei mores exularint, in quo vitia vexillum efferant, virtutes dura ſeruitute premantur, ſeculum ferreum, in quo candidi mores deſiderentur, quódque à ſua felicitate degenerarit. Sanctus Petrus Damianus opuſc. 22. cap. 4. *Hoc* FERREO SECVLO *& ij, qui regimine digni ſunt, fugiunt, & ij, qui meritò reprobandi ſunt, irreuerenter accedunt*, ferreum ſeculum eſt, in quo aurum amatur, negligitur aurea virtus.

ADAGIVM DXCI.

Zacheus.

SOlet hoc nomen ad ſtaturas puſillas traduci, ſolet ad illos qui ſua pauperibus diſtribuunt, quod legimus Zachæum præſtitiſſe, cùm domo ſua Dominum excepiſſet ; rem ita verſat ſanctus Bernardus ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum : *Zachæus certè, cuius laus eſt in Euangelio, dimidium bonorum ſuorum dedit pauperibus : ſed ego multos* ZACHÆOS *hic video, qui nihil ſibi ex omnibus reliquere. Quis mihi ſcribat hoc Euangelium de* ZACHÆIS *iſtis, imò de Petris iſtis? quis fiducialiter loquatur Domino : Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te? Sed ſcriptum eſt iam in Euangelio æterno, in libro vitæ ſcriptum eſt, & ſignatum.* Feliciora ſæcula, ſi plures habemus Zachæos ſua Chriſti amore relinquentes, quin & ſe.

ADAGIVM DXCII.

Vmbras amplecti.

INanem caſsúmque laborem hoc prouerbio 422.
ſignificabimus. Beato Chryſoſtomo VMBRAS AMPLECTVNTVR, qui terrenis voluptatibus inhiant, corporearum deliciarum inanitatem ſectantur, temporalia quærunt bona. hæc eius verba hom. quòd nemo læditur niſi à ſe ipſo, *Qui*, inquit, *voluptatis vinculis alligati ſunt, quos obtinet libido captiuos, quibus omnis vita in luxu teritur; ſuperflua videntur hæc, & inepta : quandoquidem ſumma auiditate* AMPLECTVNTVR VMBRAS, *& ſtringunt ventis. Hæc enim, quæ eis videntur carnis, & ſeculi bona, è manibus eorum, tanquam ventus, & vmbra effugiunt, & labuntur.*

Dæmon quoque, tanquam Æſopici eſſemus canes, vmbras nobis rerum terrenarum obiicit, vt ſolidum virtutis auferat ; *Diabolus*, inquit Procopius in Gen. VMBRAM PRÆTENDIT, *vt virtute nos extrudat.*

ADAGIVM DXCIII.

Gypſum exhibere pro lacte.
Lacte gypſum malè miſcetur.

QVadrat prouerbialis hæc formula in eos, qui boni ſpecie alios fallunt, & ſub rerum vtilium ſimilitudine noxia offerunt, & valdè nocitura. Vtile lac eſt; gypſum præſtas venenum eſt, vt gypſum lacti mixtum extima coloris ſimilitudine, fallat. Sanctus Irenæus lib. 5. cap. 19. aduersùs hæreſes rem ita verſat : *Si quis aqua mixtum gypſum dans pro lacte, ſeducat per ſimilitudinem coloris, ſicut quidam dixit ſuperior nobis de omnibus qui quolibet modo deprauant quæ ſunt Dei, & adulterant veritatem Dei*, LACTE GYPSVM MALE MISCETVR.

ADAGIVM DXCIV.

Cygnea cantio.

DE dulci, & ſupra modum ſuaui ſcriptione, 423.
aut compoſitione, præſertim ſi morti proximus quis illam ediderit; hine illud ſancti Hieronymi epiſt. 1. ad Nepot. *Ad Poëtas venio Homerum, Heſiodum, Simonidem, Steſichorum, qui grandes natu* CYCNEVM *neſcio quid & ſolito dulcius, vicina morte cecinerunt* ; & in epitaphio eiuſdem Nepot. *Vbi eſt ille ἐργοδιώκτης noſter, &* CYCNEO CANORE *vox dulcior?* Sidonius Apollinaris Pontio Leontio in carm. *Nos veſtigia doctrinæ ipſius adorantes coram* CANORO CYCNO *raucum anſerem profitemur.*

ADAGIVM DXCV.

Nec parentis nomen edere poſſe.

DE obſcuro, ignobilique dicetur. Syneſij hæc ſunt verba epiſt. 57. *Is qui* NE *aui*

quidem

quidem NOMEN EDERE POSSIT, IMO NEQVE PARENTIS, *vt aiunt, nisi quantum coniectura assequi potest.*

ADAGIVM DXCVI.

Conscientia indemnis sibi ipsa testis est.

PRouerbio hanc sententiam iactari solitam, ostendit Isaac Archiepiscopus in catena Græca Lucæ cap. 5. vbi ait: *Iuxta id quod prouerbio dicitur;* CONSCIENTIA INOEMNIS SIBI IPSA TESTIS EST.

ADAGIVM DXCVII.

Aureo pugno non frangi.

424. ESt anro in iudicio non corrumpi; de Abalodo Abbate Corbeiensi, ait auctor eius vitæ: *Non enim*, inquit, *in iudicio alicuius personam accipiebat, nec* AVREO, *vt dicitur*, PVGNO FRANGEBATVR, *sed pacem, & æquitatem infractus colebat*; qui auri vi a iustitiæ, & æquitatis tramite discedit, is aureo pugno frangitur, & vincitur.

ADAGIVM DXCVIII.

Non fuerunt, qui dicerent: Ditauimus Abraham.

CVm quempiam ab omni auaritiæ corde alienum esse significabimus, vt nec muneribus decipi posset, nec oblatis flecti, hanc sententiam prouerbialiter vsurpabimus; quod sumptum verbis Mosis Gen. 14. vbi refertur Abraham nihil à Rege accepisse: *Ne dicas*, inquit, *Ego ditaui Abraham*; addit Caietanus, *vt reseruetur Deo gloria, quòd Abraham fuerit diues*; sed nihil obest quin istuc idem ad eos omnes porrigatur, qui ab omni auaritia sunt immunes. Huc flexit elegantissimè sanctus Bernardus lib. 4. de consideratione, vbi Ganfridi Carnotensis Episcopi exemplum afferens, ait: *Sed ô mihi locum suauem, vbi incidis occasio memorandi, & nominandi suauissimi odoris virum, Episcopum loquor Ganfridum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ proprijs sumptibus strenuè administrauit, idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cùm à quodam Presbytero præsentatus illi est piscis, quem vulgò vocant sturgionem; percunctatus Legatus quanti veniret, Non accipio*, inquit, *nisi receperis pretium, & resignauit solidos quinque inuito, & verecundo. Item cùm essemus in quodam oppido, dominus illius oppidi obtulit ei pro deuotione, cum manutergio duas, vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen. Quas aliquando intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudauit eas, sed non acquieuit accipere. Quando argenteas recepisset, qui ligneas refutauit? non fuerunt, qui possent Legato dicere:* DITAVIMVS ABRAHAM. Simili sensu Petrus Blesensis epist. 20. *Nemo mihi de cætero obyciet: Ego* DITAVI ABRAHAM; *iam non bibo de puteo Samariæ.*

ADAGIVM DXCIX.

Procul Ioue, & fulmine.

SI potentiorum vim tyrannorúmque violentiam vitandam esse docebimus, vtemur 425.
hoc prouerbio; in hunc ferè sensum extulit Synesius de Regno, vbi ait: *Contraria omnia tyrannus supperunt, propter quas scitum id prouerbium inualuit,* PROCVL IOVE, ET FVLMINE.

ADAGIVM DC.

Ex quercu natus, aut ex picea.

IMmitis, immisericors, & humanitatis expers, prouerbiali hac hyperbole significatur, qua vsus est Theophylactus Archiepiscopus epist. 5. vbi ait hanc à se notam amoliretur, ita loquitur: *Non equidem ita purum elegans, vt omnino sordidus est, sancte Domine, & Pater, neque* EX *dura* QVERCV, AVT EX PICEA *tuus Theophylactus effictus est, & efformatus, & inclytis sancti Gregory virtutibus, & spiritus gratiarum radyś, non vincatur, non inflammetur.* Huc spectat & Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gentes, vbi hos versus refert: *Annosa haud geniti sunt, quercúve, petrâve, sed sunt ex genere hominum.*

Sanctus Asterius hom. in illud, an liceat homini dimittere vxorem suam, homines verè ex robore, & saxo genitos exponit; *Qui rebus omnibus obliuioni traditis æquo animo, & absque sensu doloris segregantur.*

ADAGIVM DCI.

Maccabæus.

STrenuus vir, ingentísque animi, qui non 426.
facilè timore corripiatur, Maccabæus dici poterit. Synesius ad Euoptium de quodam Iudæo; *Nec minus, quàm* MACCABÆVS *aliquis mortem comminatam contemnebat.* Maccabæorum strenuitas, & animus à diuinæ legis obseruatione abduci nescius iure locum prouerbio poterit exhibere. Ille quoque qui strenuè dimicans mortis contemptor mortem obit, alter Maccabæus dicetur; hoc sensu extulit auctor Chronici Fuldensis ad annum 867. *Ruodbertus*, inqoit, *Caroli Regis Comes apud Ligerim fluuium contra Nordmannos fortiter dimicans occiditur*, ALTER *quodammodo de nostris temporibus* MACCABÆVS.

Maccabæos effert sanctus Gaudentius, vt Antiocho Regi in nobilitate præferat; sic ille scribit tractatu in eorum die natali: *Quanto nobiliores isti septem pueri Rege Antiocho: quinimo, quàm clara in istis nobilitas Dei, & quàm ignobilis in illo, ac pœnalis nota perfidiæ? Isti Deum Patrem colunt, ille Diabolum: isti venerantur legem patriam, ille contra Deum rebellans, filium se fatetur esse Diaboli.*

ADAGIVM DCII.

Ignem igne extinguere.

IGnis ignem fouet, & excitat, non extinguit, aut sopit; si quis alterius iram duris operisque

que verbis, aut irrisione extinguere conetur, hic prouerbialiter ignem igne dicetur extinguere; aduocari hîc potest sãcti Ephræmi Syri cantio, quippe parænesi 32. docens iram non risu, sed charitate sopiendam, ita scribit: *Caeterùm est etiam risus, qui excitas animum ad iram contra proximum si ad alterum irritandum rideas. Verùm non de illo hæc dico, fratres, sed vt tanquam bonus, & probatus medicus charitatis admisceas pharmacum in vinculo pacis*; IGNIS *enim* IGNEM NON EXTINGVIT.

Ignis igne quî vtiliter extingui possit, B. Ioannes Climacus gradu 2. *Importunum cordis incendium grauioris, & nunquam finiendi incendij metu extinguamus*; vbi Græcus scholiastes, *Importunum ignem vocat, quod cupiditatem, & affectum erga cognatos, & res mundanas accendat, & inflammet nos, vt in eorum affectu hæreamus.*

ADAGIVM DCIII.

Nec minimo digito aliquid attingere.

427. ESt nec leuiter quidem attingere aliquid, aut tractare; Gillebertus Abbas serm. 22. in Cantica, ita loquitur: *Quæ vir vtrùm eruditior, aut eloquentior nescio suis disputauit in homiliis*, NEC MINIMO, *vt sic dicam*, DIGITO, *decuit à vobis ad discutiendum* ATTINGI.

ADAGIVM DCIV.

Filij, seu filiæ Babylonis.

MAlè audit Babylon, malè & qui ab ipsa aut dicuntur, aut ducuntur filiæ, filij Babylonis, seu filiæ dicentur impij, inuidi, superbi, scelesti. S. Bernardus serm. in natiuit. S. Ioannis Baptistæ, ita loquitur: *Quid existis in desertum videre*, FILII BABYLONIS? etiam filiæ Babylonis malè audiunt, vt præterea magnæ laudi sponsæ tribuatur, quòd detrahentes socias humiliter alloquatur, eásque non filias Babylonis, sed Hierusalem indigitet, dicens; *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem*, Cant. 1. v. 4. quod explicatè premit idem mellifluus Doctor serm. 25. in Cantica, sic igitur ille scribit: *Ecce, quia æmulis lacessentibus sponsa respondere cogatur, quæ corpore quidem de numero adolescentularum esse videatur, animo autem longè sunt; ait nempe, Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem. Patet quòd detraherent ei, nigredinem improperantes, sed aduerte sponsæ patientiam, & benignitatem. Non modò enim non reddidit maledictum pro maledicto, sed insuper benedixit, filias Hierusalem vocans, quæ magis pro sua nequitia* FILIÆ BABYLONIS, *vel filiæ Baal, aut si quod aliud nomen improperij accurrisset, appellare meruerant. Digna est, quæ in exemplum eat, vt contumeliis contumelias non reponamus.*

De filia Babylonis hæc habet sanctus Augustinus in psal. 136. eius infelicitatem, miseriámque explicans: FILIA BABYLONIS *infelix, infelix ipsa exultatione tua, ipsa præsumptione, & inimicitiis tuis, filia Babylonis infelix. Ciuitas ipsa dicitur Babylon, &* FILIA BABYLONIS; *quomodo Ierusalem, & filia Ierusalem? Et quomodo, Sion, & filia Sion? hoc more appellatur Ecclesia, & filia Ecclesia propter successionem dicitur filia, propter præfationem dicitur mater. Fuit prima quædam Babylonia, numquid ipse populus in ea permansit? per successionem Babylonia facta est* FILIA BABYLONIS, *ô* FILIA BABYLONIS *infelix tu.*

ADAGIVM DCV.

Nouus Caiphas.

QVi non meritis, sed argento gradum sibi ad Ecclesiasticos gradus facit, & pecunia obtinet, quod morum sanctitate non posset, honoris ludibrium futurus hic NOVVS CAIPHAS adagiali quadam facie vocabitur. re ab impio illo Caipha ducta, ad quem ductus tanquam reus pietas ipsa, & innocentia Christus. Grauiter Zosimum Presbyterum premit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 111. vbi ait: *Nemo prophane prophano modo accepisti sacerdotium, rem videlicet cælestem pecunia suffuratus*, NOVVMQVE CAIPHAM *te præbens, vt qui res arcanas, ac mysticas argento tibi compararis.* Poterit in eos porrigi, qui licèt indignis ordinem, & gradum artibus non inuaserint, malis tamen motibus exercent malè & iniquè iniquis. Huc faciunt etiam eiusdem sancti Patris verba epist. 315. *Illud*, inquit, *vnum animaduerto, quòd Caiphas etiam sacerdotium emeras, cùm aduersùs Christum illud armauit. Quocirca quisquis sacerdotium emercatur, hunc Christi carnificem* CAIPHAM *esse constat.* 428.

ADAGIVM DCVI.

Ananias.

QVi auaritiâ laborans ea sibi retinet, & reseruat, quæ sponte emisso paupertatis voto reliquerat, is ANANIÆ nomine traducetur, illi ferè par, qui de venditi pretio agri fallere Petrum voluit, cui pretium offerebat. Ait Actor. 5. sanctus Bernardus cap. 48. de modo bene viuendi, ad sororem ita rem versat, & ad Religiosos torquet: *In Monasterio sunt sancti Apostoli Iesu Christi, est etiam ibi* ANANIAS, *cum sua vxore Saphira, qui de seculari vita ad seruitium Dei conuertuntur, de his, quæ de seculo habuerunt, vnam partem sibi reseruant, alteram verò in Monasterio tradunt, cum Anania, & Saphira sententiam maledictionis merentur.* Pergit sanctus Pater: *Illis, qui cum Anania, & Saphira ex his, quæ in seculo habuerant, vnam partem Monasterio tradũt, alteram verò sibi in proprium retinent, conuenit illud: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua.* 429.

In cæterorum exemplum punitur Ananias, & cum eo eius vxor, vt illis alij discerent integrum Deo offerre, quod spoponderunt Deo: grauiter rem vrget sanctus Hieronymus epist. 8. quæ est ad Demetriadem, dum ait; *Ananias, & Saphira, dispensatores timidi, immo corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea vouerant, partémque sibi iam alienæ substantiæ reseruauerunt, metuentes famam, quam vera fides non timet, præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correptionis exemplo. Denique est Apostolus Petrus nequaquam calumniator, sed Dei iudicium prophetico spiritu annunciat, vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum.*

ADAGIVM DCVII.

Ananiæ, & Saphiræ piscatorium ingredi.

430. ANaniæ, Saphiræque auaritia nota ex sacris litteris est, qui nempè de promissis Deo facultatibus aliqua sibi subdolè retinere tentaoerunt, vt apparet Act. 5. qui igitur mundo, terrenísque rebus daturus repudium, aliqua sibi retinet, quibus adbæret, is prouerbiali schemate INGRESSVS PISCATORIVM ANANIÆ, ET SAPHIRÆ dicetur; hoc sensu hæc verba protulit Philippus Abbas Bonæ-spei epist. 8. *Processu temporis cùm ad fidem conuolant, nonnulli saluandorum* PISCATORIVM ANANIÆ, ET SAPHIRÆ SVNT INGRESSI; *ipsámque religionem voce magis, quàm opere sunt professi, dum non parum sibi retinent de pannosa pristina consuetudinis facultate; cùm enim sermo Euangelicus perfectionis inuitin venundari, & dari præcipiat omnia, quæ habentur, satis est incongruum si fraudolenter eadem retinentur.* Addit nonnullis interiectis: *Mendacium deposuit, & veritatem loquitur, qui assumptam professionem probabili professione morum exequitur, qui sic iuxta promissum studet mandatis perfectioribus inhærere, vt non sicut Ananias, & Saphira quicquam sibi velit proprium retinere*; qui ex eo quod Deo voluit, aliquid sibi contra ius surripit, Ananiam referens, & Saphiram vtriusque piscatorium ingressus, vtriusque pœnam subire pertimescat.

Ananiæ, & Saphiræ exemplo sic eos perstringit sanctus Petros Damianus opusc. 12. cap. 3. qui iu religiosam familiam sub paupertatis vexillo militaturi nomen dederunt, & pecuniarum amore legati pecunias coaceruare satagunt; *Quis, rogo, Ananiam, & Saphiram rebus propriis abrenunciare coegit? sed quia partem pecuniæ vterque pro sustentanda quasi longa vita retinuit, repentinæ mortis sententiam non euasit. Et quia nequaquam iuxta abrenuntiatorum regulam contenti sunt viuere, iuxta præuaricatorum animaduersionem coacti sunt immaturo exitu infeliciter expirare. Et quidem illi, vtpote rudes, & ad fidem denuo venientes; necdum fortasse ad plenum Euangelica præcepta didicerant, necdum sacri nouæ doctrinæ codices ad publicum in commune processerant; attamen qui in ipso fidei tyrocinio quodammodo simpliciter peccauerunt, districto quidem, sed pio iudicio, sola, vt credimus, sunt corporum morte mulctati. Nos autem qui cuncta sacri eloquij volumina nouimus, qui innumerabilium sanctorum Patrum vitas, atque præcepta post illum aureum Apostolorum sæculum existentium, præ oculis assidua discussione versamus, ante tribunal Christi quid excusationis ostendere, quod tergiuersationis argumentum poterimus inuenire? Ecce longè nobiliores quæstus, & lucra quæque terrena non modò reliquimus, sed & perpetuam eorum abrenunciationem non homini, sed Deo potiùs professi sumus. Si ergo adhuc marsupio nostro nummus includitur, si ad interni spectatoris iniuriam quantumlibet pecuniæ reseruatur, quid illi in reddenda ratione dicemus? qua nos defensionis arte purgabimus?*

ADAGIVM DCVIII.

Fidem Dæmonum habere.

431. QVi credunt, sed credunt tantùm, bonis operibus destitutam fidem habent, hi DÆMONVM FIDEM HABERE adagiali quodam schemate dicentor; hinc illud S. Aug. ser. 38. de Sanctis: *Tu, inquit, credis quòd Deus vnus est, bene facis. Et Dæmones credunt, & contremiscunt. Ac si qui credunt, & opera bona non faciunt,* FIDEM DÆMONVM *videntur* HABERE. *Qui verò non credunt, peiores Dæmonibus comprobantur.*

Non sit operibus destituta fides, fidei conformis actio sit, & fides actioni, ne pares Dæmonibus simus, qui credunt, sed noo operantur; scitè ille in hanc rem: *Qui ambulare in veritate vult, sua gressus vitæ, & actiones conformes faciat suæ fidei, nec tantùm vera credat, sed verè, ne ridiculus Angelus sit, & socius Dæmonum, qui etiam credunt sine operibus. Quid prodest scire viam cæli, si non ambulas? sciunt melius spiritus mali, & tamen quia consistunt, sunt* DÆMONES. *Dicito mihi, quid vtilius tibi: nolle benè operari, aut Dæmonibus non posse? Perinde est in plerisque nolens, atque impotens: imò tibi est damnabilius, & turpius, nolle cùm possis. Dæmones credunt, & contremiscunt: vtinam tum, cùm credas, timeres? cur non contremiscis ad iudicia Dei, considerans certitudinem eorum, & ambiguitatem tuæ sortis, vel ad supplicia æterna, vel ad gaudia? Quid est, si credimus magnitudinem diuinæ bonitatis in se, immensi amoris erga nos, & summorum beneficiorum eius, cùm non respõdeamus nostro, fidelitate, & obsequiis? sed potiùs audeamus offendere, vel venialiter, & non colimus, & amamus omnibus nostris viribus, & infatigabiliter Deum, qui omnibus viribus omnipotẽtiæ suæ creauit, & fouet nos, & perfectè, ac æternè amat, & dilexit vsque in finem, & vsque ad mortẽ amauit? Quid est, quòd semper amãtes nobis, & inuerecundi in suam maiestatem sumus, siue credamus, siue non credamus, dum segnes, & torpidi manemus.*

EXCVRSVS LVII.

Fidei, & operum nexus.

Christus in fide credentium requiescit.
Fides sine operibus flos sine fructu, *& spica inanis.*
Annulus *in manu* fides cum operibus.
Non satis est vera *credere, nisi credamus &* verè.
Fidem olim conceptis verbis in designato loco *profitebantur.*
Nuda figura *fides operibus destituta.*
Fidei *&* operum *nexus, qui collectus.*
Fidei aratrum *ad operum messem.*
Fidei fructus *non viriditas nuda quærenda.*
Fides nostra *Hæreticorum sermonibus ardentior fiat.*

PLacet Christo fides fidei auctori, inque fidelium cordibos veluti in lectulo per fidem quiescit. Sanctus Maximus hom. 2. in natiu. Domini expendens illa verba, *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet*, Matth. 8. ait: *Vnde aduertimus, quia vnicus Dei filius non in speciosis domibus, auratisque laquearijs, sed* IN FIDE CREDENTIVM *requiescit.* 432. *Christus in fide credentium requiescit.* S. Max.

Tantùm, qui fide placere Deo quærit, & Christo parare hospitium, fidem solam non habeat, fidem suam bonis operibus animet & exornet; quàm vilis fides sine operibus sit, ita explicat Hildebertus Episcopus serm. synodico: Fides sine opere flos est sine fructu, manipulus sine grano; & sanctus Petr. Damianus serm. de sancto Anthimo: *Caueamus,* inquit, *dilectissimi, ne* FIDES *nostra superducto nos solius professionis colore decipiat, & tanquam inanis spica vacantibus culmis absque dilectionis medulla follescat.* *Fides sine operibus flos sine fructu, & spica inanis.* Hildeb. S. Petr. Dam.

Noctem

Annulus in manu fides cū operibus. Luc. 15. B. Raban.

433. Nectenda fidei opera indicat anulus, qui reuertenti prodigo filio exhibitus est, qui nempe iussus est in manu eius poni, ait enim Pater Luc. 15. *Date anulum in manu eius*, & non satis erat offerre, illiúsve arbitrio committere, si vellet digito suo inserere? non satis erat. nam per anulum fidei character significatur, qui manui admouendus, iungendus operibus. Pulchrè Rabanus in allegoriis: *Annulus est signaculum fidei; & in Euangelio, Date annulum in manu eius, idest,* FIDEM IN OPERE SVO.

Non satis est vera credere nisi credamus & verè. I Eus. l. 1. c 7.

Parum prodest fides, si sola est, non satis est verum credere, si falsi fideles nos simus, quia non boni, Pulchrè ille, *Quid refert credere verum, si simus nos falsi? salutaris veritas est bona actio, & verbum verum factum verbi. Verbum Dei caro factum est, vt opus hominis fiat veritas, quia veritas Dei opus facta est. Mendacium, & vanitas est, quod non est iuxta doctrinam Iesu: cur vsum huius beneficij negligimus, solùm contenti mortuo modò credere? Magnum fructum fidei haberemus, si sciremus vti, & iuxta illam operaremur, vt debemus, plusquam si acie oculorum viderentur ea, quæ affirmat. Omnes per fidem credunt vera: sed oportet credere verè; quod non videntur omnes facere. Si credis, ô proterua anima, quæ Christus dixit, consequenter operare.*

Fidem conceptis verbis in designato loco olim profitebantur. S. Aug.

Fidem olim conceptis verbis, eísque memoriter pronunciatis de loco eminenti coram populo Romæ profitebantur; moris huius meminit sanctus Augustinus lib. 8. confess. cap. 2. dum ait: *Denique vt ventum est ad horam profitendæ fidei: Quæ verbis fertis, conceptis, retentísque memoriter de loco eminentiori in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris, vt secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.* Bonum istuc, sed melius erit, si moribus, & operibus vbique quilibet fidem suam adstruat.

Nuda figura fides operibus destituta. S. Chrys.

De fide operibus destituta ita censet sanctus Chrysostomus hom. 8. in epist. 2. ad Timoth. *Fides sine operibus figura solùm absque virtute est. rectè ergo pulchro, & venusto corpori virtute destituto, picturæque assimilari,* FIDES *recta absque operibus comparatur.*

Fidei, & operum nexus qui collectus. Vgo Vict. Deut. 6.

434. Hunc operum, & fidei nexum ex illis verbis colligit Vgo Victorinus, quæ habentur Deut. 6. & sunt ista; *Deum adorabis, & illi soli seruies*; non verè Deum per fidem adorat, qui Deo operibus non seruit; sic ille scribit cap. 1. in Decalogum: *Ipsum adorabis, hoc pertinet* AD FIDEM, *& ei soli seruies, hoc pertinet ad operationem,* FIDES *enim operans, ex dilectione perfectum facit.*

Fidei aratrū ad operum messam. Euthym.

Fides aratro comparatur, quo scinduntur, & parantur ad messem agri; Euthymius in Psal. 28. *Arans Deus gentes* ARATRO FIDEI; operum ergo messem producere ille debet, qui hoc aratro colitur.

Fidei fructus non viriditas nuda quærenda. S. Pasch.

Fructum operum dixi, nec enim nudum germen sufficit, non nuda folia, non nuda viriditas, quod arborum metaphora sic explicabat lib. 2. in Matthæum, sanctus Paschasius Radbertus; *Sint*, inquit, *nonnulli, qui fidei viriditatem tantùm habent; sed quia fidei fructum non habent, steriles terram occupant, & ideo securis ad radices arborum rectè commemoratur, vt qui meliorem vitæ fructum ferre noluerint, excidantur, & æternis ignibus præparati atrociùs concrementur.*

Fides nostra hæreticorum sermonibus ardentior fiat. S. Paulinus.

Talis sit fides nostra, vt sermonibus, quæ in illam armantur, firmior fiat, fiat ardentior; hoc grani sinapis similitudine, in hunc modum explicabat sanctus Paulinus epist. 6. ad Seuerum: *Memento si granum sinapis conteratur accendi magis, & tamen magis virtutem suam excitari. Quamobrem debemus quasi naturæ nostræ in hoc respondere, & aduersis sermonibus contriti* INARDESCAMVS AD FIDEM, *& eos ipsos, qui nos quasi granum sinapis frangere conantur, vramus.* Vera hæc veræ fidei consignatio vera nota est, alioquin parum, aut nihil eius fidei credendum qui nihil præter fidem habet.

ADAGIVM DCIX.

Jubilæus.

435. QVi vitam ad deuexam canitiem duxerat, multósque vitæ annos transegerat, hic Iubilæus dicebatur; cui prouerbiali scommati locum fecit longum tempus, quo vnus Iubilæus ab alio distabat. Hincmarus in vita sancti Remigij Archiepiscopi ita scribit: *Celtenses cœperunt inter se dicere: Quid ille* IVBILÆVS *(sic enim appellabatur, propter ætatis prolixitatem, sanctus Remigius) facere vellet de illis metis.*

ADAGIVM DCX.

Digito cœlum tangere.

SI quispiam alicui se muneri fateatur imparem, & alicui labori prorsus inæqualem, se digito cœlum tangere non posse affirmabit. Fortunatus Presbyter, qui postea Patauiensis fuit Episcopus, iussus Beati Hilarij Pictauorum Episcopi vitam scribere, in principio oneris magnitudinem expendens ita loquitur: *Cùm mei ingenij breuitatem mensuro, adeò Beati Hilarij immensitatem fortè cognosco, vt penè mihi videatur æquale, tam istud posse dicere, quàm* DIGITO COELVM TANGERE.

ADAGIVM DCXI.

Satan.

QVi non ferenda perfidia innocentes exagitat, ea pessimus optimos exercet, calumniatur Sanctos., is Satan prouerbialiter dicetur. Auctor vitæ sancti VVilhelmi Archiepiscopi Bituricensis ita scribit: *Interim ne deesset sancto viro* SATAN *suus, qui eius patientiam exerceret, erat quidam vir dolosus, qui sicut eius antecessores, ita & illum pertinaci odio infestabat.*

ADAGIVM DCXII.

Arenas, & aquæ guttas enumerare, & cyatho dimetiri.

436. THeodoretus in Canticum Canticorum initio post aliqua diuini sponsi munera recensita, quibus sponsam cumulauit, claudit; *Sed ego* ARENAS, ET GVTTAS ENVMERARE *contendo, &* CYATHO DIMETIRI, *qui diuinæ humanitatis magnitudinem verbis conor explicare;* quæ verba si quis etiam ad alia porrigat, quæ præ mul-

ritudine numerari nequeunt, præ magnitudine in mensuram ferè non cadunt, adagialem præferent saliuam.

Affine est, quod habet Theodorus Studita in vita sancti Theophanis: *Verum facilius*, inquit, *fit vndas maris denumerare, aut caua manu pelagus dimetiri, quàm res ab illo gestas admirabiles oratione complecti.*

Immensam hominis curiositatem in religionis mysterio perstringens sanctus Irenæus lib. 11. cap. 45. sic ait: *Pergat adhuc vt arenam enumeret, & calculos terræ, sed & fluctus maris, & stellas cœli; nonne in vanum laborans, & delirus hic talis, & irrationabilis ab omnibus qui sensum habent, iustè dicetur*; hæc igitur formula in eos vniuersè prouerbij quadam specie torquebitur, qui rem infiniti laboris aggrediuntur, operique manum admouent, quod perficere non poterunt. Scholiastes sancti Irenæi ad hæc verba, ita scribit: *Quatuor his parœmiis eleganter ostendit inanes non minus, & ridiculos esse horum conatus, quam cyatho mare exhaurire, pondus mentium scrutari, flatum venti mensurari, ignem ponderare, & diem, quæ præteriit, reuocare molirentur*; quæ omnia absurda, factúque impossibilia sunt, & malam talia aggredientis amentiam produnt.

ADAGIVM DCXIII.

Atlanticum onus imponere Pygmæis.

FOrmula parœmialis cùm munus aliquod onerosum iniungitur, quod eius vires multum superet, & excedat. Monachus ille, qui ab Vlrico Abbate iussus est sancti Erminoldi vitam conscribere, ita loquitur: *Venerabilis Pater Dominus Vlricus sextusdecimus Abbas Prufeningensis Ecclesiæ*, ONVS *hoc* ATLANTICVM *nobis tanquam* PYGMÆIS IMPOSVIT.

ADAGIVM DCXIV.

Polypi color.

437. POlypus, qui varios pro rerum varietate, quibus proximus sit, colores sumit, locum prouerbio non vni fecit, vt ex prophana schola aliqui notauere; ex nostris sanctus Gregorius Nazianzenus, polypi colorem adhibuit, ad rem quæ citò euanescat significandam; vt enim polypus citò colores varios induit, ita citissimè exuit; vix ille mouetur cùm colorem mutat; adscitam venustatem, & fucis & linimentis acquisitam polypi colorem vocat tract. aduersùs mulieres ambitionis sese ornantes, & excolentes; *Venustas hæc*, inquit, POLYPI COLOR *est*, *littera in arena conscripta.*

ADAGIVM DCXV.

Alter Syluester.

VIr Apostolica doctrina insignis, & virtutum gratia illustris, ALTER SYLVESTER dici non incongruè potest. Hincmarus in vita Beati Remigij de eo loquens ait: *In Beato Remigio Apostolica doctrina, & virtutum gratia alter repræsentari videbatur* SYLVESTER. Sanctus Odilon Abbas Beato quoque Syluester est comparatus, altérque Syluester dictus à sancto Paschasio Radberto, ob summam eius in pauperes munificentiam, cuius & hanc sententiam refert: *Vis nosse tu vtrùm auarus, largúsve videaris? scias prorsus, quòd si timueris quid magis te dedisse, quàm oportuerit, auarus conuinceris. Quod si minus, quàm debueras, largitatis est vtique signum.*

ADAGIVM DCXVI.

Rebecca prudentior.

SI alicuius mulieris prudentiam quis efferat, quadam prouerbij specie eam Rebeccam prudentiorem dicet. Sanctus Innocentius serm. 3. de consecratione, Pontificis Maximi Ecclesiam Romanam laudans ait: *Hæc est Sara maturior*, REBECCA PRVDENTIOR, *Lia fœcundior, Rachel gratior, Anna deuotior, Susanna castior, Iudith animosior, Edissa formosior.* quæ comparationes si ad aliquam fœminam laudandam transferantur, prouerbij similitudinem induent.

ADAGIVM DCXVII.

Proiecto cœno margaritam fundere.

EST deterioribus relictis amplecti meliora, vt notabat scholiastes ad hæc sancti Gregorij Nazianzeni verba in hymno ad Christum post silentium in Paschate,

Quæ decet ista loquor, quæ non, nec pectore voluam,
DEPVLSO FVNDAM MARGARA *chara* LVTO,
Vernantémque rosam è spinis, aurúmque ab arena,
Et spicis missis farra legam stipula.

ADAGIVM DCXVIII.

Ab agno recedere, & à leone deuorari.

QVi à miti, & ad ignoscendum facili fugit, & in sæui, crudelísque manus incidit, is perstringi hoc prouerbio poterit; vtitur sanctus Augustinus in eos, 438.
qui Dei leuiter corripientis manum exhorrescunt, seueri Iudicis iram experturi; sic ille scribit tract. 7. in Ioannem cap. 1. *Quando fortè in aliqua correptione Domini sumus, videte ne pereatis, videte ne* AB AGNO RECEDATIS, ET A LEONE DEVOREMINI.

ADAGIVM DCXIX.

Cùm nundinæ effluxerint, tunc demum negotiationem quærere.

CVm rei alicuius opportunitatem quis sinit præterire, & tunc demum eam alieno tempore cogitat exercere, hic prouerbiali hoc scommate percelli poterit; quod in eos torquet sanctus Gregorius Nazianzenus, qui præsentis vitæ tẽpus inutiliter sibi patiuntur elabi, ac si in altera pietati studere liceat; hæc eius verba orat. 40. *Miserum est* CVM NVNDINÆ EFFLVXERINT, TVNC DEMVM NEGATIONEM QVÆRERE.

Miserum

Miserum est, cùm mamma prӕterieris, tum cibum appetere. Miserum est serum consilium capere, ac tum damni sensu affici, cùm nulla iam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus acerbéque conclusa fuerint, quӕ quisque in hac vita gessit, atque scelerati homines supplicio, & qui animos purgarint, splendore effecti fuerint. Quocirca vobis prouidendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verùm summam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis anteuertat.

ADAGIVM DCXX.

Homo Hippocratis vinculis alligandus.

439. DElirus, furiosus, emotӕque mentis homo, qui lectionibus indigeat, atque adeò & vinculis, HIPPOCRATIS VINCVLIS ALLIGANDVS *vocabitur*, tales quippe Hippocrates secari iubet, & alligari; hac prouerbiali formula vsus est sanctus Hieronymus epist. 53. ad Riparium Presbyterum: *Testimony*, inquit, *Scripturarum, quasi* VINCVLIS HIPPOCRATIS *volui* LIGARE *furiosum, sed abiit, excessit, euasit, erupit*; & aduersùs Vigilantium cap. 2. *Galliӕ vernaculum hostem sustinent, & hominem moti capitis, atque* HIPPOCRATIS VINCVLIS ALLIGANDVM *sedentem cernunt in Ecclesiis.*

ADAGIVM DCXXI.

Lutum luto purgare.

CVm qui voa impuritate aliam abstergere conatur, qua ampliùs polluatur, hic lutum luto dicetur purgare; huc euaserat Gentilium insania, qui brutorum animantium corpora falsis numinibus immolantes putabant corporum suorum maculas sic abstergi. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 23. ita scribit: *Gentilium superstitionem, & eorum impietatem multos Deos colentium, & priùs confuta, & veteres, ac nouos Deos, & fœdas, atque obscœnas fabulas, & obscœniora sacrificia* (LVTO LVTVM, *hoc est, vt ex quodam eorum audiui, brutorum animantium corporibus corpora sua purgantium,*) *vt veneranda figmenta, & indecoras prӕstigias.*

ADAGIVM DCXXII.

Habitare in terra Naid, seu Nod.

440. QVi animo huc, illuc fertur, quiescere nescit, quin nec corpore vno loco stare, hic non sine quadam adagij saliua habitare in terra Naid dicetur, seu Nod, quod dictum priùs fuerat de vago, ac palante Cain, vt habetur Gen. 4. vbi cùm dixisset: *Ero vagus, & profugus in terra*; subditur, *Habitauit profugus in terra ad orientalem plagam* EDEN: pro quo in Hebrӕo est in terra נוד *nod*; quӕ & nomine ipso motionem signat, נוד quippe est huc illuc se transferre, vnde aliqui legunt, *in terra motionis*; quod igitur de Cain dictum poterit, nec alienè ad eos flecti, qui animo fluctuant, nec consistere vno loco queunt; hoc sensu vsurpauit sanctus Hieronymus epist. 48. quӕ est ad Sabinianum Diaconum, quem fluctuantem ita alloquitur; *Quid longiùs recedis à facie Dei, &* HABITAS IN TERRA NAID? *quid totus in... fluctuas, nec statuis supra petram pedem tuum*; quod ad pares fluctuatione correptos porrigi nihil repugnat.

ADAGIVM DCXXIII.

De stellis in carbones mutati.

CVm à perfectӕ vitӕ luce ad imperfectӕ nigrorem aliqui transeunt, tunc huic prouerbiali sententiӕ locus erit; vtitur hoc sensu sanctus Aelredus serm. 10. dum ait: *Quid quӕso lumen expandent homines tenebrosi* DE STELLIS MVTATI IN CARBONES, *de cœlo in sterquilinio prӕruentes.*

ADAGIVM DCXXIV.

Nec ipsa te salus, si velit, seruare possit.

COnuenit hoc prouerbium in eos, quorum conclamata res est, qui eò redacti sunt, vt iacta iam alea sit, spésque nulla supersit salutis eorum; vtitur hac formula sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 2. eos perstringens, qui in deliciarum se pelagus demittunt, & auxilium postulant ab aliis.

ADAGIVM DCXXV.

Ouem te putas, hircum te fortè nouit Deus.

EO hӕc sententia spectat, vt putetur, nemi- 441.
nem de sua salute securum esse, & inter prӕscitos esse recensitum ӕternis flammis adiudicandum, qui putat, se beandum beatorum numero iungendum. Metus ponendus nunquam, nunquam solicitudo. hoc sensu verba hӕc extulit sanctus Augustinus lib. de ouibus cap. 10. dum ait: OVAM TE PIETAS, HIRCVM TE FORTE NOVIT DEVS; ouem saluandorum symbolum esse, hircum damnandorum scitum est.

ADAGIVM DCXXVI.

Alter Ioab.

QVi beneuolentiam prӕfert, vt amicus hostili odio repletus, in eum sӕuiens, cui extime blanditur, is IOAB referre videtur, qui Amasiӕ mentum tenuit, ac si vellet osculari, in eius latus ferrum adigens, vt habetur lib. 2. Regum cap. 20. sanctus Gregorius lib. 15. Moral. cap. 5. huc spectans ait: IOAB *Amasiӕ mentum dextra tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, eius viscera effudit, dextera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri, sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.*

& explicat Vgo Victorinus de claustro animæ cap. 15. his verbis: *Habent quadrati lapides sex superficies, inferius, videlicet, & superius, antè, & retro, dextrum, & sinistrum, id est, prælationem, & subiectionem, occulta, & aperta, prospera, & aduersa. Si igitur quadratus lapis fueris, in quocunque latere iaceas, firmiter stabis.* Eodem spectabat etiam sanctus Gregorius hom. 21. in Ezechielem: *Quos,* inquit, *lapides quadros accipimus, nisi quoslibet Sanctos, quorum vita in prosperitate, atque aduersitate nouit fortiter stare? lapis etenim quadrus æquè stat, in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in aduersitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à bono opere non reuocatur, lapis quadrus est.* Vera hæc hominis insti consignario, vt idem semper sit, siue prosperitas blandiatur, siue premat aduersitas; quadratum lapidem refert, qui Deum in prosperis minus lædit, magis in aduersis placat; quod monitum fuit Saluiani lib. 6. *Magis placandus est in aduersis Deus, & minus lædendus in prosperis;* abit qui impatientia, & querelarum fusu Deum irritat, & exasperat.

ADAGIVM DCXXXII.

Sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat.

PRouerbij vice vsurpari hæc sententia poterit, quoties significare volemus, multum referre quo animo, qua fortitudine afflictio, & aduersitas excipiatur, & qualis quisque patiatur, non qualia, bonósque duris perfici & emundari, malos impatientia deteriores effici, & blasphemiarum vomitu impuriores; huc aduocari potest quod habet sanctus Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 8. *Sicut,* inquit, SVB VNO IGNE AVRVM RVTILAT, PALEA FVMAT, *& sub eadem tribula stipula comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo oleum cum amurca confunditur, qui eodem pretij pondere exprimitur: ita vna eadémque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat: vnde in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni autem precantur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatur, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.* Bonus afflectione melior redditur, suauiórque probæ vitæ odorem exhalat, malus efficitur peior, odorémque adeò tetrum emittit, vt ferri vix possit, dum dura non fert, nec aduersa æquo patitur animo.

ADAGIVM DCXXXIII.

Iob nostri temporis.
Patientia Iob.
Iob aliquis.

448. SIngularis, & vsque ad miraculum magna in tolerandis cruciatibus corporis patientia, in rerum iactura æquanimitas, & filiorum orbitate Iobum adeò reddidit illustrem, vt patientiæ, & infracti animi exemplar fecerit; Iôbque vel prouerbij specie audiat, qui æquo, fortique animo aduersa quælibet sufferre tribulationibus ipsis maior, maior aduersitatibus ipsis. Plures hoc titulo fuere donati ob hanc animi fortitudinem, malorúmque tolerantiam. Palladius Historiæ Lausiacæ cap. 13. de Beniamin Abbate hæc habet: *Hic qui tanta gratia dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur alius* IOB NOSTRI TEMPORIS, & paulo pòst: *Videte nouum Iob, βλέπετε νέον Ἰώβ.* Beata quoque Ida de Leuuis ALTER IOB dicta est, vt habetur in eius vita c. 4. Beatus quoque peregrinus ob miram patientiam ALTER IOB dictus est, vt habetur in annalibus seruorum. IOB CHRISTIANVS dictus est sanctus Eustachius Martyr; quod habet etiam Baronius tom. 2. Annal. alij quoque ab eadem causa sortiti hoc vocabulum fuere, vt constat ex ecclesiasticis fastis.

ALIVS IOB appellatus est Abbas Beniamin, de illo hæc scribuntur in vitis Patrum lib. 8. c. 13. Abbatis Beniamin; *Hic qui tanta gratia dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur* ALIVS IOB *nostris temporibus.*

IOB in prouerbium iuit, iuit & PATIENTIA IOBI, vt vir infractæ patientiæ & omnibus aduersis animo, fortitudinéque superior, Iobi patientiam habere dicitur. Iuo Carnotensis epist. 7. *Compilo tibi, vt assumpta* PATIENTIA IOB, *quamuis longè impar, cum eo tamen dicas: Sustinebo iram Dei, quoniam merui, donec iustificet causam meam;* nostris hæc formula admodum familiaris est.

Denique IOB QVISPIAM inter aliquos dicetur esse, aut delitescere, quoties quis afflictionibus, aut etiam grauissimis morborum generibus ita torqoetur, vt virtutibus & præcipuè patientia sit insignis; huc spectat illud sancti Gregorij Nazianzeni orat. 27. de pauperum amore: *Morbum sanctum honore prosequi condiscamus, eos qui per dolorem, afflictionémque victoriam adepti sunt, venerantes; ne fortè* IOB QVISPIAM *inter ægrotantes delitescat, multo vtique ijs, qui corpore sano sunt præstantior, atque augustior.* Iobi iniecta mentio nos hîc sistit, vtilia ex illo monita ad virtutum profectum alibi exsculpsimus, ex diuite hoc penu alia hîc quoque in lectoris vtilitatem exhibebimus.

EXCVRSVS LIX.

Iobi virtus, & fortitudo commendatur.

Iob vulnere anhelus, *vt in medium productus.*

Iob diues *cum Iob* paupere *collatus.*

Pietatis athleta *Iob.*

Adam *inter nemora cecidit,* Iob *inter dolores vicit.*

Premitur Iob vt foras virtus *prodiret.*

Ex Iobi plagis *Iobi virtus fluxit.*

Ex vulneribus *Iobus innotuit.*

Vulnerum *Iobi splendore illustrantur homines, obcæcatur Dæmon.*

Satanæ malitia clarior *Iobi virtus reddita.*

Iob ab hoste satanico conscissus satanam vicit.

Humilis *Diabolum deijcit, dum* se *deijcit.*

Quàm sæuus in Iobum *Diabolus.*

Iobi *laus, & commendatio.*

Iobo

Iobo vt se contulerit *sanctus Gregorius Nazianzenus.*
Iobi puritas, *&* fides.

449. VOcat ad se calamum IOB, & licèt de illo alibi mihi multa dicta, alia tamen adhuc dicenda supersunt, quæ in eius laudem, commendationémque resiliunt; nam variè cum variis calamis extulerunt.

Iob vulnere anhelus vt in medium productus. Prud.

Iobum in medium protulit Prudentius in Psichomachia his verbis:

Hæc effata, secat medias impune cohortes,
Egregio comitata viro: nam proximus IOB
Hæserat inuicta dura inter bella magistra,
Fronte seuerus adhuc, & multo vulnere anhelus.

Iob diues cum Iob paupere collatus. S.Fulg.

IOBVM cum IOBO conferens, diuitem cum nudo, felicitate circumuallatum, cum aduersitatibus pressum, sanctus Fulgentius epist.2. cap.9. sic IOBVM IOBO præferebat: *Beatus fuit Iob, cùm in diuitijs iustè viueret, sed beatior cùm in paupertate iustior extitisset. Beatus fuit cùm decem circumdaretur filijs: sed beatior cùm vna cunctorum simul orbitate percussus in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis hospitate: sed beatior factus est in vulnere. Beatior etiam in aceruo squaloribus pleno, quàm in palatio marmoribus adornato.* Felix illa virtus, quæ etiam extra felicitatem virtutem suam exerit.

Pietatis athleta Iob. S.Chrys.

Pietatis athletam IOBVM vocat sanctus Chrysostomus, hæc enim in Græca catena Iob ex aureo illius ore referuntur: *Hic vir magnus, atque admirabilis, qui vbiuis gentium clarus, qui pietatis* ALHLETA *fuit, qui corona donatus, qui cuncta certamina exantlauit, qui innumera aduersus Diabolum trophæa constituit.*

Adam inter nemora cecidit, Iob inter dolores. S.Aug.

Adam in Paradiso inter nemora cecidit; IOB inter dolores vicit, adeò aduersitates iustis vtiles sunt, periculosæ deliciæ, quod expendebat sanctus Augustinus de tempore Barbarico tract.5. *Fortior fuit* IOB *in doloribus, quàm ille Adam in nemoribus, iste non cessit tormentis, ille superatus est in delicijs. Videtis dilectissimi quid agat tentatio, & quàm vtiles sint huius mundi pressura, & quemadmodum corrumpant terrena delicia.*

450. *Premitur Iob, vt foras virtus prodiret.* Olymp.

Pressus est IOB, vt foras virtus prodiret, quæ latebat, & omnium exemplum constitueretur; sic ferè iusti premuntur; quod his verbis tetigit Olympiodorus argumento in Iob: *De multis hæc vna est causa cur malis iusti dilanientur; vt quæ eorum virtus latebat, magis illuminata foras emineat, atque appareat. Hanc ipsam ob rem patientia simulachrum* IOBVS *direptori, vexatorique Dæmoni traditus est.*

Ex Iobi plagis Iobi virtus flauit. S.Greg.

Ex plagis IOBI virtus in omnem mundi plagam est sparsa: *Beatus* IOB, inquit sanctus Gregorius lib.23.moral.cap.1. *tactus est verbere, vt odorem suarum virium latiùs spargeret, quanto more aromatum meliùs ex incensione flagraret*; minor nobis, & minus notus Iobus esset, si sine vulneribus tentationibúsque ad nos eius nomen peruenisset; gloriam vulnera auxerunt.

Ex vulneribus Iobus innotuit.

IOBI vulnera inflicta fenestræ quædam fuerunt, per quas ad nos virtutum suarum radij peruenerunt; non adeò illustris, quin nec adeò notus nobis solus esset nisi vulneribus fuisset affectus; eiusdem sancti Pontificis hæc est mens, hæc sunt verba præfat.in Iob cap.2. *Vir iste*, IOBVS scilicet, *summis virtutibus fultus sibi notus erat, & Deo qui si non flagellaretur, à nobis nullatenus agnosceretur.*

Vulnerum Iobi splendore illustrantur homines, obcæcatur Dæmõ. S.Chrys.

IOBI vulnera, vlceraque lumina fuerunt, quibus homines illustrantur, obcæcatur Dæmon, atque terretur. Sanctus Chrysostomus hom.5. ad populum istuc in hunc modum colligebat de IOBO loquens: *Vlcera solaribus radijs splendidiora (erant,) hi enim corporis oculos illuminant, illa verò mentis nostræ lumina illustrant, illa Diabolum penitus excæcauerunt, propterea namque post illam plagam resiliuit, nec deinceps apparuit.*

Satanæ malitia clarior Iobi virtus reddita. S.Ambr.

Eo clariorem IOBVM admiramur, quo sæuior in illum Diabolus extitit, elucet magis Iobi patientia, quòd eum satanas exercuit; hinc illud sancti Ambrosij lib. de Parad. cap.7. *Diaboli malitia* IOB *sancti viri fecit esse virtutem, & patientiam clariorem.*

451. *Iob ab hoste satanico confessus eum vicit.*

Obcæcauit Dæmonem à Dæmone percussus, atque adeò deuicit; contrà ac in gladiatoriis certaminibus hîc fit, in illis enim, qui antagonistæ corpus deiicit, & vulnerat, capútque abscindit, donatur corona, victor acclamatur. in pugna contra Dæmonem aliter accidit, nam vbi ille IOBI corpus vulneribus affecit, tunc victus est, fugámque victus arripuit; quod festiue tetigit sanctus Chrysostomus apud auctorem catenæ Græcæ cap.9. prolegom. in hæc verba: *Qui gladiatorium certamen experiuntur, vbi aduersariorum caput præciderint, tunc ob victoriam corona donantur:* IOBI *verò aduersarius, vbi illius corpus conscidit, atque omnis generis vlceribus perterebrauit, & languore confecit; tum Dæmon superatus est, fugaque se dedit.* S.Chrys.

Humilis Diabolum deiecit dum se deiecit S.Paul.

Sternit Dæmon, qui se deiicit; certè Iob cùm in sterquilinio sedit, tentandi artem in Dæmone cassam reddidit, vt nihil aliud contra illum valeret; rem his verbis expendit sanctus Paulinus epist.10. ad Sulpitium Seuerum: *Postquam* IOB *sedit in stercore, tentari destitit, consumpserat tentatoris inuidiam humilitate perfecta, qua facilius surgere, quàm deijci potest, quia in fimo sedens, vnde cadat, non habet, & habet vnde consurgat, per eum qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Humilis Diabolum deiicit, dũ se deiicit; vis satanicum hostem sternere, ad sterquilinium curre, sordes tuas cogita, peccata tua versa.

452. *Quàm sæuit in Iobũ Diabolus.*

Vrget in IOBVM IOBI hostem Deus, in IOBVM excitat Diabolum, qui ad eum accedere illius virtutibus territus verebatur; quam acriter in eum sæuierit incitatus colligi ex furore potuit, quo blandus æstuat, & non incitatus, quod sic expendebat sanctus Zeno serm. de Iob: *Iam hic*, inquit, *considerate fratres, quemadmodum sæuierit incitatus, qui ferri non potest blandus*; sed deiicere tantum athletam non potuit, qui eius sæuitia fortior euadebat. S.Zeno.

Iobi laus. & commẽdatio. S.Aug.

Iobum sic efferebat sanctus Augustinus lib.qq. ex vtroque mixtim q.118. *Quàm admirabilis est sanctissimus* IOB, *qui ante legem literis editam in operibus suis exemplar legis ostendit. nulla in hac causa, alicuius documento addiscens, sed natura ipsa duce, cui Deus iustitia semen naturaliter inesse decreuit, vnde creatori reuerentiam pia deuotione seruauit. Quanta ergo laude dignus est, & quibus verbis facta eius debent extolli, cui non ante legem, neque post legem parem possimus inuenire; quamuis enim quis posset gesta eius imitari, non tamen cum eo conferendus est, neque ei simili iure dicetur. Non enim suum esset, quod talis extitisset, quia exemplum secutus est alienum. Sanctus autem* IOB *cùm nihil tale vidisset, neque voluminibus lectitasset, talem se præstitit, vt nullius aliquid in se collatum haberet, sed ipse cæteris conferret, formam præbens mirabilium gestorum ad Deum promerendum. Quare & Domini testimonio commendatur, dicens: Animaduertisti, ait, puerum meum* IOB? *Non est enim similis ei quisquam in terris, verus Dei cultor.*

Humili

Iobo vt se extulerit sanctus Gregorius Nazianzenus. Humiliter de se sentiens sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de suis calamitatibus, Iobo ita se comparabat, vt ab eius innocentia, & sanctitate se abesse fateretur, illi proximior factus, quo humilitatis sensu se longiùs ab ipso distare putabat, hæc illius verba sunt, hæc mens:

More quidem I o b i *crucior, sed dispare causa.*
Non etenim dari cuiusdam militis instar
Viribus ipse meis fultus cum Dæmone sæuo
Luctor, vt egregie postquam certauero, palmam
Det mihi, succingásque caput victrice corona.
Nondum ego sum tantus, nec gloria tanta dolores
Consequitur. Verùm scelerum me pendere pœnas
Sentio.

Iobi puritas ac fides. Tanta porrò I o b i puritas, & fides erat, vt vtriusque minimè circumseptus aggredi eum Diabolus non auderet, nisi in eum Deus vrgeret; quod expendebat his verbis sanctus Zeno serm. de Iob: *Tanto autem puritatis ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare Diabolus, nisi à Deo iussus.* S. Zeno.

EXCVRSVS LX.

Iobi virtus, & patientia, nobis in exemplum proposita.

Iobi exemplum *ad dura quæ ferenda nos prouocat.*
Iobi patientia, & fortitudo.
In omnium nostrûm vtilitatem *pati permissus est Iob.*
Præiuit Iob patientiæ exemplum *factus, vt nos sequeremur.*
Iobi fortitudo *in aduersis.*
Patientiæ *laus, & commendatio.*
Patientia *Regina virtutum.*
Molestiarum decoctio *patientia est.*
Validissima trabs *totius ædificij.*
Porta *quæ ad cælum ducit patientia.*
Patientia Martyres suos *cultores reddit.*
Fortitudo *patientiâ animanda.*
Plena *patientia sit, & contra omnia fortis.*
Patientia bonorum omnium fundamentum.
Pulchra patientiæ imago.
Patientia virtutum portus.
Vera animi tranquillitas *in patientia sinu.*
Patientia Dei character.
Iobi historia fortitudinem *inhalans.*
Patientia ferculis *Christus saginatus.*
Ab vnius mulieris impatientia *mundi totius ruina.*

453. *Iobi exemplũ ad dura quæque ferenda nos prouocat.* ANimum nobis inhalare ad dura quæque patienda I o b v s potest; nihil adest durum, quo non feratur, si Iobi spectetur exemplum: de quo ita scribit sanctus Zeno serm. de duplici tentationum specie: *Exemplum sanè, quòd non debemus animo deyci in aduersis, habemus magnificum* I o b *inclinare in tristibus penitus nescientem: qui omnem Diaboli violentiam, velut torrentis cuiusdam aduersum se turbinem venientem immobili corde, inconcussa mentis viuacitate suscipiens, tanto clarior ex tentationibus factus est, quanto difficiliora, & periculosiora ei sunt ab inimico intentata certamina.* S.Zeno.

Iobi patientia, & fortitudo. I o b i patientiam sic efferebat, sic explicabat Tertullianus lib. de patientia cap. 14. *O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem Diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia (fide Domino dedita) exclusit, quem Diabolus totis viribus frustrà cecidit. Neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed consistit nobis in exemplum, & testimonium, tam spiritu, quàm carne, tam animo, quàm corpore patientiæ perpetrandæ, vt neque damnis secularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus? Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloria sua extulit, quum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias, cùm vxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia suadentem execraretur? Quid? ridebat Deus. Quid? dissecabatur malus cùm* I o b *immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.* Tertull.

Dæmonis sæuitiei creditus Iobus est, eredita & quæ illius vt virtus eius splenderet, & etiam in nostram vtilitatem eius fortitudo resiliret; nam Iob veræ fortitudinis character non solùm sui æui hominibus est effectotum, sed omnibus omnium seculorum. Scitè Didymus in cap. 2. catenæ Græcæ *Illius potestatis rem omnem permisit, idque ad nostram omnium vtilitatem. Vt* I o b v s *character, formaque fortitudinis, tanquam in columna relinqueretur insculptus, essétque meta virtutis, non solùm illius ætatis hominibus, verùm etiam posteris.* 454. *In omnium nostrûm vtilitatem permissus est pati Iob.* Didym.

Præiuit Iob patiẽtia exemplum factus, vt nos sequeremur. Præiuit Iob, vt nos sequeremur; tanta tam forti animo, & inuicto Iobus pertulit, idque in veteri Testamento, & ante gratiæ tempus; cur nos pudore non suffundamur multo minoribus pugnis succumbentes, maioribus muniti præsidiis sub Euangelij luce? Audiendus hic sanctus Chrysostomus, qui hom. 4. ad populum ita arguebat: *Quam igitur nos excusationem, vel qualem veniam habere possimus humanam tentationem non ferentes, tantopere in gratia cum disciplina versati, cùm ille ante gratiam, & in veteri Testamento illud tam intolerabile bellum generosè tulerit?* S.Chrys.

Iobi in aduersis fortitudinem ita explicabat sanctus Basilius hom. in ditescentes; *Duplex,* inquit, *est tentationum genus: nam vel corda hominum tanquam aurum in fornace patientiam afflictis rebus aduersisque probantur, quæ ipsorum coarguant, ac declarent probitatem: aut certè ipsa vitæ prosperitas sæpenumero multis tentationis, & experimenti loco est. Æquè enim durum videtur in rerum difficultate minimè deyci, & infractum seruare animum, ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam, & quidem prioris exemplum magnus* I o b *inuictus athleta præ se tulit, qui omnem Diaboli violentiam, veluti terrestris impetum inconcusso corde, firmóque proposito cùm excepisset, tanto maior tentationibus apparuit, quanto duriora illi, vixque eluctabilia ab hoste visa sunt obiecta illi certamina.* I o b i vestigia premit, qui premitur aduersis, & à leuioribus malis, minoribúsque tribulationibus non sinat fortitudinem suam succumbere, constantiam flecti, quod non fecit I o b in maioribus grauioribúsque. 455. *Iobi fortitudo in aduersis.* S.Basil.

Patiẽtia laus & commendatio. Patientiam sic efferebat sanctus Zeno serm. quem in eius laudem conscripsit: *Tu,* inquit, *specialiter omnem populum, diuinásque virtutes, quasi crines effusos in vnius verticis nodum, honorem, decorémque conducis.* S Zeno. *Patiẽtia Regina virtutũ.* Sanctus Petrus Damianus reginam virtutum vocat epist. 119. *Cùm assiduè,* inquit, S.Petr. Dam.

videamini

videamini diuinis insistere paginis, mirum est quomodo vobis adhuc ignota sit patientia Regina virtutum? Verè adhuc ignota plerisque est, quia illam suæ mentis hospitio non dignantur exulem à se abire. Sancto Gregorio Nazianzeno in poëm. de definitionibus, *Patientia molestiarum decoctio*, vocatur. Sanctus Chrysostomus hom. de ipsa, *validissimam totius ædificij trabem appellat, cui reliqua tecti moles incumbit* haud dubiè casura, nisi patientia substernatur. Sanctus Bernardus in sententiis, *Porta cœli humilis patientia, quæ est porta ferrea ducens ad ciuitatem, & amoris concordia, quæ est porta orientalis*; ad patientiam sic nos hortatur sanctus Nilus in parænesi: *Patientiam etiam, antequam necesse est exerce, vt ipsius armaturam paratam inuenias, etiam in necessitate.*

Molestiarum decoctio. S.Greg. Naz. Validissima trabs totius ædificij. S.Chryſ. Porta qua ad cælum ducit. S.Bern. S.Nilus.

Patientiam, cultores suos Martyres reddere censuit Beatus Laurentius Iustinianus cap. 2. de patientia, ait quippe: *Sine ferro, & flamma Martyres esse possumus, si patientiam veraciter in mente seruamus*; effundere sanguinem non potes? mentis sinu patientiam excipe, & Martyr audies.

Patientia Martyres suos cultores reddit. S.Laur.Iust.

456. Parum nobis fortitudo proderit si patientia non animetur; hinc Christus Luc. 21. *In patientia,* inquit, *vestra possidebitis animas vestras*; signanter patientiæ meminit, non fortitudinis, vt hanc nihil præ illa esse colligeremus. Aduocandus hic Vgo Carensis, qui in cap. 16. Prouerb. hæc verba ad hanc mentem expendens aiebat: *Non in fortitudine, sed in patientia, dicit Dominus, possidebitis animas vestras*; verè non se possidet, qui patientiam non possidet.

Fortitudo patientia animanda. Vgo Car.

Probanda patientia, atque possidenda, sed quæ sit plena, parata aduersa omnia suo sinu excipere, tentationes omnes ferre, vt ob id Apostolus *multa* epitheto eam insignierit, 2. Corinth. 6. v. 4. *In multa,* inquit, *patientia*; & statim adiicit, *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs*: nimirum multa patiētia opus est occurrere rebus multis, quæ iam vellicant, & exercent, vna patientia, quæ circa vnam dumtaxat aduersitatem versetur, cæteras non ferat, adeò vna est, vt verè sit nulla. Sanctus Chrysostomus hom. 12. in hanc epistolam in hæc verba, *in multa patientia*, hæc habet: *In quibus verbis bonorum omnium fundamentum posuit*; verè enim fundamentum patientia plena est; addit; *quæ etiam de causa non simpliciter patientiam dixit, sed multam, addit, vt illius magnitudinem declararet; neque enim vnum aliquod, aut alterum incommodum perferre magnæ laudi ducendum est. Itaque densa tentationum agmina subiungit, dicens, in tribulationibus, in necessitatibus*, & quæ sequuntur; hæc patientia enituit in Iobo, quem non vno tentationis, & tribulationis genere, sed vario, & multiplici Deus exercuit, & nobis in exemplum proposuit.

Plena patientia sit, & cætera omnia ferat. 2. Cor. 6. 4.

Patientia bonorum omnium fundamentum. S.Chryſ.

457. Patientiæ imaginem eleganti, hoc est, suo penicillo pergit Tertullianus lib. de patientia cap. 15. *Age iam,* inquit, *si & effigiem, habitúmque eius comprehendamus, vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis, & innoxiis. Motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est terrenæ serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet.*

Pulchra patientiæ imago. Tertull.

Patientiam virtutum portum in qua se recipiunt, si quis dixerit, habebit calculum suum adiicientem sanctum Zenonem, cuius hæc sunt verba serm. de patientia: *Est si beata diuersis vita virtutibus quæritur, cuius cupidinem flagrans humanitas per momenta suspirat, tamen omnes vno, eodémque consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum*; mentis nauis fluctuat, extra hunc portum, & vndarum voluminibus absorberi facilè potest.

Patientia virtutum portus. S.Zeno.

Vera animi tranquillitate qui frui vult, patientia polleat, patientia sit insignitus, Psalm. 91. 15. quod nos habemus, *Bene patientes erunt vt annuntient*, sanctus Augustinus legit, *& tranquilli erunt vt annuntient*: ac si in idem resiliret tranquillum aliquem esse, & patientem; cùm impatientia turbatio comitari, & motus solent.

Vera animi tranquillitas in patientia sita. Psalm. 91. S.Aug.

Dei character, & insigne patientia est, vt vel ab hac Dominum cognoscere Pharisæi potuerint, si voluissent. Grauiter in hanc rem Tertullianus lib. de patientia cap. 2. *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tamque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio, & structio, satis apertè non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo probant his, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenita cuiusdam proprietatis.*

Patientia Dei character. Tertull.

Iobi historia fortitudinem lectoribus inhalat; sancti Basilij hæc sunt verba, hæc mens, ep. 1. *In fortitudine instituitur lector ex historia* Iobi, *qui vita in contrarium ipsi cedente, ac prorsus immutata, egens ex beato, orbus ex pulchra prolis parente vnius diecula momento factus, non idem modò suique simillimum mansit, celsos animi spiritus ad extremum vsque retinens, sed ne amicis quidem eius qui ad consolandum eum venerant, tandem ipsi insultantibus, dolores eius exacerbando, iracundè irritatus est*. cur non iisdem animis paria, aut suppatia patiamur? Iob tanta passus est, ante Christi aduentum, antequam videret Deum pro se hominem factum, flagellis cæsum, cruci affixum; nos qui hæc pro nobis facta credimus, ad dura quæque ferenda mentem non firmabimus, non armabimus animum.

Iobi historia fortitudinem lectoribus inhalat. S.Basil.

Morituris ea in cibum exhibentur, quæ illis iucundiora, nihil illis negatur; Christus moriturus patientiæ ferculis saginatur. Festiuè Tertullianus lib. de patientia cap. 3. *Taceo quòd figitur; in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumelijs opus fuerat? sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura propositum fuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est.* Qui Christi setuus audite vult Christum imitetur, saginetur patientiæ ferculis.

Patientiæ ferculis Christus saginatus. Tertull.

EXCVRSVS LXI.

Nonnulla alia in Iobi laudem commendationémque.

Iobum non perambulat Satan, quia terra sublimior totus cælestis.

Iobus ipsa vis; vis animi, in corporis vulneribus *non vulneratus.*

Iobum aggredi *Dæmon non audebat.*

Cur Deus satana Iobum flagellandum *permiserit, non ipse flagellauerit.*

Vlceribus

Vlceribus vestitus *Iob.*
Ditior interior *factus Iob, quo extimè pauperior.*
Illæsus *inter iacula Iobi animus.*
Ad vitam creuit *Iob ex verbere.*
Iob post tribulationem *clarior.*
Tribulationes præsens superbiæ *remedium, iactantiæ medicina.*
Iob foris pauper, intus diues.
Deus ob Iobi merita cum Satana loquitur.

Iobum non perambulat Satan, quia terra sublimior totus cælestis.
Euagrius.

458. TErram dixit Satan se perambulasse, nil mirum Iobum non calcasse, non vicisse, qui in cœlo mente viuebat. Euagrius in catena Græca cap. 2. *Idcirco Iobum non perambulat, quia non est sub cœlo, cùm in cœlo vita sua positas habeat rationes; Iobum non perambulat, quia cælestem erat politiam adeptus;* terra ipsa maior, maior mundo.

Iobus ipsa vis, vis animi in corporis vulneribus non vulneratus.

Quòd si corpus læsit, lædere Iobi mentem Satan non potuit, atque adeò Iobum ipsum circuire non est visus, qui in Iobi tantum corpus sæuiit, cùm solus nihil ferè commercij cum suo corpore haberet, totus ferè in mentem immigrasset, nihil nisi spiritum saperet, nihil cogitaret. Præclarè Cæsarius dial. 3. *Minimè per corporea vulnera lædebatur animus: nec vermes, licèt vtrem perforarent, intus repositum thesaurum adoriri poterant. Non enim corpus Iobus erat, sed Iobus erat ipsa vis animi rationis particeps.*

Cæsarius.

Iobū aggredi Dæmon non audebat.

Adeò fortis, strenuúsque Iob erat, vt Satan eum aggredi non auderet, nisi Dei verbis irritatus, neque enim legimus in ipsum sæuisse, nisi postquam Deus illum extulit; *Nunquid*, inquit, *obseruasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, rectus, & timens Deum, & recedens a malo*, Iob 1. v. 8. fecierunt hæc Diaboli mentem, ferre tantam laudem non potuit, in rabiem efferatus, Iobum in nequitiæ suæ exercitium postulauit, qui priùs eius fortitudine territus ab eius tentatione abstinuit, nunc non obsequi malitiæ suæ non potuit, quin in eum apertè sæuiret. Huc spectant sancti Chrysostomi verba serm. in Beatos Abraham, & Iob. *Quis tam strenuus, ac fortis, sicut Beatus* IOB, *quem vidit quidem Diabolus, aggredi tamen primùm detrectauit.*

Iob 1. 8.

S. Chrys.

459. Flagellandum IOBVM Satanæ permisit Deus, cur non ipse flagellauit? ne Satan iterum columniaretur, mitiùs in eum actum calumniam eius anteuertit, dum percutiendum ei Iobum tradit. Præclarè idem sanctus Pater hom. 1. ad populum Antiochenum: *Non ipsum percussit Deus, ne rursum Diabolus diceret, Pepercisti, & non tantam, quantam oportebat, intulisti tentationem, sed ipsi tradidit Diabolo.*

Cur Deus Satana Iobum flagellandum permiserit, nō ipse flagellauerit.
S. Chrys.

Ad nuditatem IOBVM Satan redegit, quem opibus spoliauit, vestiuit eum vlceribus, sic enim loquitur sanctus Zeno serm. de patientia: *Ipsum*, inquit, *postremò* IOBVM *quem diuitijs spoliauerat magnis, magnis vestit vlceribus*; nudauit perituris opibus, ditatus est non perituris. Sancti Gregorij 3. moral. cap. 6. hæc sunt verba: *Quem solum exteriùs nudum reddidit, hunc interiùs ditiorem fieri, per exhibitam laudem conditoris inuidit;* hinc colligitur veras diuitias tribulationes parturire. quò spectauit etiam sanctus Chrysostomus hom. 5. ad populum Antiochenum, vbi de Iobo, Iobique certamine, & luctu loquens ait: *Hinc disce tribulationis lucrum, quantum est: etenim quando diues erat, & otio fouebatur inutus, vnde accusaret ipsum habuit mendaciter quidem.*

Vlceribus vestitus Iob.
S. Zeno.

Ditior interior factus Iob, quo extimè pauperior.
S. Chrys.

Percussit Satan Dei athletam, sed infractus eius animus lædi nil potuit, percussus ipse est, qui percutiebat: ita sanctus Prosper de promissionibus part. 1. cap. 22. *Tot iaculis emissis, illæsus manet* IOB: *cuius, vt militis Dei, vno ictu percutitur Diabolus: Nudus exij*, inquit, *de vtero matris meæ: nudus reuertar in terram.* Adeò non læsus est IOB vulneratus, vt ad vitam, ex verbere creuerit, sic enim loquitur sanctus Gregorius lib. 3. moral. init. *Beatus* IOB *ad mortem petitus in tentatione ad vitam creuit ex verbere*; à tribulatione lumen, splendorem mutuasse asserit sanctus Chrysostomus hom. 66. ad populum Antiochenum: IOB *clarus quidem erat, & in quiete, clarior autem post tribulationem apparuit*; quis ergo deinceps tribulationes defugiat, cùm tot bona afferant illas ferenti? 460.

Illæsus inter iacula Iobi animus.
S. Prosper.

Ad vitam creuit Iob ex verbere.
S. Greg.

Iob post tribulationem clarior.
S. Chrys.

Vtiles comprimendæ superbiæ tribulationes sunt, nam ad modum nubis se habet, quæ à nostris oculis nobis nostrorum operum lucem, solémque eximunt, vt proinde eorum conspectu tribulationibus obsitus non intumescat. Præclarè ad hanc mentem Beatus Bernardinus Senensis serm. 8. *Permittit diuina misericordia nobis insurgere validas tribulationes, quæ oculos nostræ mentis obnubilent, ne bona, quæ operamur videntes erigamur in superbiam, perdamúsque lucrum nostrorum laboriosorum sudorum.* Ditiores plerique fuissent, si diuitias suas minimè vidissent; probiores aliquos haberemus, si se probos non haberent.

Tribulationes præsens superbiæ remediū, iactantiæ medicina.
S. Bern. Sen.

Pauper effectus fuerit IOB diuitiarum omnium spoliatione; intus diues erat, & intus thesaurum seruabat, vt ab eius ore diuinarum laudum gemmæ prodierint. Audiendus hîc sanctus Augustinus, qui conc. 3. in Psalm. 30. hæc in Iobi laudem affert: *Humiliatus videbatur, vide si miser factus est, vide si non erat in abscondito vultus Dei. Nudus, ait, exij de vtero matris meæ, nudus reuertar in terram. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Istæ gemmæ laudes Dei vnde sunt? Videte foris pauperem, intus diuitem. Istæ gemmæ laudes Dei non exirent ex eius ore, nisi thesaurum haberet in corde. Qui diuites esse cupitis, tales diuitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere.* O hanc mentem diuites ebiberent! verè diuites ita fierent, veris diuitiis referti. 461.

Iob foris pauper intus diues.
S. Aug.

Quod cum Satana loqui Deus noluerit, in Iobi sanctitatem referendum est, indicauit istuc sanctus Chrysostomus in catena Græca Luc. cap. 10. *Nemo*, inquit, *prætexat me vilem esse, & nullius pretij hominem, sum etenim talis; sed solet plerumque Deus etiam huiusmodi hominibus assistere propter melios, quod vt intelligas, Caino loqui dignatus est propter Abel, Diabolo propter* IOBVM; *Nabochodonosori propter Danielem, Baltassari propter eundem;* tanti suorum seruorum sanctitas, & innocentia à Deo fit, vt illorum causa & impios etiam alloquatur; quos alioquin à sui colloquio arceret, ac propulsaret.

Deus ob Iobi merita cum Satana loquitur.
S. Chrys.

EXCVRSVS LXII.

Iobi exemplo gratiæ in tribulationibus agendæ.

Vulnus Diabolo *intulit Iob dum vulneratus gratias egit.*
In aduersitatibus Iobi exemplo *Deus laudandus.*
Pro aduersitatibus gratiæ Deo *agenda.*
Christi exemplum *de agendis in tribulationibus Deo gratijs.*

Grato

Grato animo *aduersa ferenda.*
Etiam in aduersis *Deus benedicendus.*
Non ob aliquas *tantùm tribulationes agendæ Deo gratiæ, sed ob* vniuersas.

462. *Vulnus Diabolo intulit Iob dum vulneratus gratias egit.* S. Chryſ.

ADeò non fractus est aduersitatibus Iob, vt gratias etiam Deo ageret, Deum benedixerit, quo tam graue vulnus diabolo intulit, vt in eum sæuire ampliùs non fuerit ausus, eiúsque vitæ & moribus derrahere; quod expendebat his ferè verbis sanctus Chrysostomus hom. 1. ad populum Antiochenum, vbi de Iobo loquens ait: *Vt scias, quòd grauius postea vulnus intulit diabolo, cùm spoliatus gratias egit, quàm cùm possidens miserabatur. Aduerte quando possidebat, suspicionem quandam habuit Diabolus, etsi falsam habuit, tamen vnde diceret, Num gratis Deum colit* IOB*? Postquam ei omnia abstulit, & ipsum omnibus spoliauit, hic autem eandem in Deum charitatem præstitit, tunc demum obstructum est os impudens, & nihil amplius, quod diceret, habebat.*

In aduersitatibus Iobi exēplo Deus laudandus. S. Gaud.

In calamitatibus, ac tormentis IOBI vox insonuit, Deum benedicens, Deum laudans; vt idem Iobi exemplo veri Dei cultores deinceps præstarent; quod docuit his verbis sanctus Gaudentius præfar. in suos tractatus: IOB, inquit, *inter dispendia omnium facultatum, inter funera tot natorum, inter atrocissimos sui corporis cruciatus, & intestinos dolores approbrij coniugalis, laudat, & magnificat omnipotentem Dominum verus Dei cultor. Et nos itaque si cultores Domini sumus, imitemur patientiam triumphalem, quam solam spoliatus vniuersis non solùm facultatibus, atque pignoribus, sed ipsis etiam corporis sui carnibus inconcussa fide possidet, verus Dei cultor.*

Pro aduersitatibus gratiæ Deo agēda.

Etiam pro aduersitatibus gratiæ Deo agendæ sunt; nam beneficij loco habendæ sunt de iniuriis, quas inferunt Reges terreni. ita in sententiis Ethico-politicis scribitur: *Et gratia aguntur Regibus pro iniuria.* Cur Deo pro illatis tribulatiooibus non agantur, cùm hæc non iniuriarum loco habendæ sint, sed munerum?

463. *Christi exēplum de agēdis in tribulationibus Deo gratiis.* Marc. 14. Vict. Antioc.

Gratias in aduersis agendas docuit exemplo suo Christus, qui ante passionem hymnum cecinit; ait enim sanctus Marcus cap. 14. *Et hymno dicto exierunt.* Non agendas post mensam tantùm Deo gratias ostendes, sed & aduersitatibus omnibus Dei laude, ac benedictione occorrendum, vt hac veluti armatura muniti fortiores aduersa omnia excipiamus. Opportunè Victor Antiochenus hic: *Ante passionem laudes gratésque Deo depromit, per hoc ostendens, se vltrò libentérque pati. Tum hoc quoque exemplo nos admonens, vt aduersa grato, patientique animo perferamus*; quæ eo leuiora videbuntur, quo gratiori animo excipientur.

Grato animo ferenda aduersa. Marc. 14. Vict. Antioc.

Grato, libentique animo ferenda sunt aduersa, non forti tantùm, & infracto. iturus ad passionem Christus cecinit priùs hymnum; Marc. 14. v. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum*; vt vel cantu proderet grato animo mala omnia toleranda. Scitè Victor Antiochenus hîc, *Ante passionem laudes, gratésque Deo depromit, per hoc ostendens, se vltrò, libentérque pati. Tum nos quoque exemplo hoc admonere, vt aduersa grato, patientique animo perferamus.*

Etiam in aduersis Deus benedicēdus. Rom. 12.

In aduersis quoque benedicendum Deum indicauit Apostolus, dum dixit ad Rom. 12. *Omni tempore benedicentes*; quid est, omni tempore benedicere? *In prosperis, & in aduersis*, inquit ibi Primasius. Verus in hac re fuit, qui censuit plu-

Primasius.

tis ad Deum meriti si quis aduersitate pressus, vel semel Deo gratias inclamet, quàm si millies, id extra tribulationem positus efferat.

Ferendæ tribulationes sunt, agendæ pro aduersitatibus gratiæ, non ob aliquas tantùm, quæ minus displicent, aut quæ meritis immittuntur, sed ob vniuersas. Præclarè sanctus Dorotheus ad fratrem scribens tentationibus oppressum; *Recordare*, inquit, *fili eius, qui dixit, quòd per multas afflictiones oportet nos intrare in Regnum cælorum, non adiiciens per has, aut illas, sed dicens indefinitè, per multas; & tu igitur sufferas, quæ incidunt cum gratiarum actione, in scientia tanquam iucunda, si non habes peccatum, sin minus tanquam purgantia te ab affectibus, aut præparantia Regnum cælorum.* Veræ patientiæ virtute destituitur, qui omnes aduersitates forti, æquóque animo non sustinet, & pro cunctis Deo gratias non agit.

Non ob aliquas tantùm tribulationes agendæ Deo gratiæ, sed ob vniuersas. S. Doroth.

EXCVRSVS LXIII.

Aduersitas eos probat, quibus affricatur; sanitas, sanctitásque, vt venæ contactu, tribulationibus probatur.

Virtus *persecutione, & tribulatione* probatur.
Sanctitatis thymiama *tribulationis igne probatur.*
Instar dolij *percussi aduersitatibus probatur iustus.*
Qualis *quisque sit, ex tribulationibus dignoscitur.*
Opus tribulationis igne *probatur.*
Ex tribulatione, vt ex venæ contactu, *sanitas sanctitásque dignoscitur.*
Hoc contactu probata Iobi *sanctitas.*
Iobi virtus Dei contactu *immissísque à Deo tribulationibus probata.*
Magni apud Deum *meriti aduersitates ferre.*

HOc quoque boni tribulatio habet, quòd bonos probat; plerique bonitatis laruam habent, quam vbi vehemens tribulatio eos corripuerit, statim adimunt, & quales verè sint apparet. *Virtus*, inquit sanctus Petrus Damianus serm. 40. *in pace aquiritur, in persequutione probatur*; id ignis exemplo ita confirmat & explicat Beatus Laurentius Iustinianus de patientia cap. 2. *Sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; ita vna eadémque tribulatio irruens bonos probat, purificat, & elucidat: malos autem damnat, vastat, & exterminat.* Et sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4 Glaphyrorum in Gen. *Quemadmodum probatissima thymiamata igni admota odoris, quo prædita sunt, specimen edunt, ita etiam sancta anima igne quodammodo probata per tentationes, & labores luculentiùs multo existentis in ipsa multimodæ virtutis argumentum edit.* 464. *Virtus persequutione, & tribulatione probatur.* S. Petr. Dam. B. Laur. Iust. *Sanctitatis thymiama tribulationis igne probatur.* S. Cyrill. Alex.

Dolium percuti solet, vt probetur an vino plenum sit, nécne; sic percussione explotamus quoque an vitrum fractum sit. Istuc idem præstat Deus dum nos tribulatiooibus immittit. Festiuè auctor quidam anonymus adhuc ineditus, in festo B. Petri Martyris: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ. solet fieri percussio ad probandum, sic percutitur*

Instar dolij percussi aduersitatibus probatur iustus. Anonym.

dolium, vel vitrum. Iob 2. Percussit IOB *vlcere pessimo*, vt scilicet ita probaretur, an verè Deo Dei amore seruiret, & obsequeretur.

Qualis quisque sit ex tribulationibus dignoscitur. Psal. 7.

Voluit istuc quoque Dauid Psalm. 7. dum dixit, *Consummetur nequitia peccatorum, & diriges iustum*; hoc est, vt probæ notæ auctores interpretantur, nequitia peccatorum crescet vsque ad summum, vt tota consummetur in vexatione iustorum; aut, secundùm alios, consummetur, seu consumatur, desinatque peccatorum malitia & tribulationibus exerciti fines eorum nequitia iam accipiat; quid sequitur? *Scrutanda corda, & renes Deus*; probus nexus, nec mysterio viduus; vbi de tribulationibus agitur, scrutans corda Deus vocatur, quia tunc qualis quisque sit apparet, cùm tribulationibus premitur; id quod tetigit sanctus Thomas in huius Psalmi commentario, ait enim: *Cùm dixit consummetur nequitia peccatorum, conuenienter dixit, scrutans, quia in tribulatione maximè apparet conditio hominum.*

S. Thom.

465. Operantes probat tribulatio, probat & opus, vt iure dixerit Beatus Laurentius Iustinianus in prologo de triumph. Christi agone; *Vniuscuiusque opus, quale sit, tribulationis ignis & persecutionis, ac tentationis probat procella.*

Opus tribulationis igne probatur. B.Laur. Iust.

Ex tribulatione, vt ex vena contactu sanitas, sanctitas dignoscitur.

Præterea sanctitas tribulationibus, & calamitatibus probatur, vt venæ contactu explorari corporis sanitas solet; si extimam quis alicuius faciem contemplatur, sanus, si oculis credat, apparebit, & tamen falluntur plerumque oculi, admouenda manus venæ est, vt tactu probetur sanitas, vel ægritudo, quæ plerumque delitescit. Ex venæ contactu febris proditur, & plerumque, qui sanus extimè videtur, ex vena probatur infirmus; idem in Dei amore accidit, amare aliquis Deum videtur, dum res secundæ sunt, verè non amat, Dei inimicus est, quod tentatio aperit tanquam si animæ vena tangeretur. Festiuè sanctus Augustinus serm. 15. ex 40. qui nouissimè viderunt lucem, *Citò*, inquit, *in vna tentatione offendit Deum homo, & fit inimicus. Immo non tunc fit inimicus, sed tunc proditur inimicus fuisse. Nam quando diligebat, & laudabat, inimicus erat, sed nec ipse sciebat, nec alij. Accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris. Itaque fratres, dilectio mundi, & amicitia mundi inimicos Deo facit.*

S. Aug.

Hoc contactu probata Iobi sanctitas. Iob. 1. 11.

Suspecta IOBI sanitas, sanctitásque Satanæ erat, putabat sub extima illa sanitatis specie latere ægrientem mentem posse, Deum monet, vt IOBI rebus tanquam medicum admoueat manum; ait enim cap. 1. v. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*; & cap. 2. v. 5. IOBO ipsi admouere Dei manum postulat, vt eius sanitas, sanctitásque probetur, putans eius infirmitatem apparituram; ait quippe; *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi*, ac si apertiùs diceret, tanquam medicus tribulatione, & morbo manum ei appone, & videbis num verè sanus Iob sit verè sanctus.

466. Tetigit Deus Iobum, variis eum calamitatibus afflixit; variis cruciatibus affecit, in facultatibus, in filiis, in carne eum tentauit, & firmus, sanus, inuentus est, probauit illius sanitatem Deus, licèt antea sciret, probauit tamen, vt os Satanæ occluderet, Angelis lætitiam exhiberet, hominibus exemplum; quod elegantissimè prosequitur sanctus Gaudentius præfat. ad suos tractatus in hæc verba: *Iustos verò, & inculpabiles quosque sicut S.* IOB *(de quo scribitur, quòd fuerit homo sine querela, verus Dei cultor) hac de causa Deus omnipotens vel damnis facultatum, vel orbitatibus charorum, vel angustiis persequutionum, vel dolorum carnalium stimulis tentari permittit, vt probet. Probat autem non sibi, qui ante nouit vniuersa, quàm fiant, sed Angelis, & hominibus, vt eos ex factis probos nouerint; quoniam intueri non possunt, quas solus nouit scrutans corda, & renes Deus. ipse enim nouit occulta cordis, vt Propheta sermo testatur. Et ideo forsitan Beatus Apostolus inter multiplicium tribulationum persequutionúmque tentacula constitutus aiebat: Quoniam spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus, Angelis quidem iustos suos Deus probari ideo vult, vt consummatam Sanctorum iustitiam latantes agnoscant. Latantes enim beati Angeli in cœlo, vt ait Dominus Iesus, etiam super vno peccatore pœnitentiam agente. Hominibus autem probatam esse vult perfectionem iustorum: vt ad perseuerantiam dilectionis Dei, eorum prouocetur exemplo.* Hactenus Sanctus iste.

Iobi virtus Dei contactu, immissísque à Deo tribulationibus probata. S. Gaud.

Quanti apud Deum meriti sit aduersitates omnes propter Deum ferre, ex his verbis colligi potest quæ refert Ludouicus Blosius in monili spirituali cap. 9. *Sancta Gertrudis diuinitus intellexit quòd quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas tam corporalis, quàm spiritualis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum diuinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum vt grauatus quisque confidenter dicere possit hæc verba: Annulo suo subarrhauit me Dominus Deus meus Iesus Christus. Quòd si inter ipsa aduersa potest dono Dei etiam laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, iam tanquam sponsa amabilis coronam obtinet à Domino; quia gratitudo animi in aduersis, est ornatissima, atque pretiosissima corona animæ.*

Magni apud Deum meriti aduersitates ferre. Lud. Blos.

EXCVRSVS LXIV.

Tribulationis funis peccatorum vinculis soluendis.

צרר *quid*, funis, *&* tribulationis *nexus.*

Afflictio vitia ligat.

Ab Ægyptiaca seruitute liberati *Iudæi vitiis fuere* obstricti.

Charitatis vincula *tribulationes.*

Afflictionum vinculis, *tanquam amentes ligantur homines, ne in alios sæuiant.*

Vincula *tentationum peccatorum vincula soluunt.*

VErè ita est, funis munere tribulatio fungitur, vinculorum officium obeunt aduersitates, & angustiæ; adeamus Hebraicum fontem, & inter se hæc duo inueniemus cohærere. nam verbum צרר *zarar*, significat non solùm ligare, sed etiam angustiis afficere, vt tacitè moneamur, angustias, & tribulationes vinculorum nobis loco deseruire. 467.

צרר *quid, funis, & tribulationis nexus.*

Et in primis afflictio vitia quodammodo ligant, ne in nos irruant, nos inuadant; festiuè rem habet sanctus Chrysostomus in Psal. 9. dum ait, *Quemadmodum alligatam bestiam non ita timemus, vt emissam; ita etiam vitium non est ita timendum in afflictione, tunc enim* ALLIGATVM *est animus*

Afflictio vitia ligat. S. Chrysost.

mis ÆGRITVDINE, *& aliis vinculis, sed post quietem, & remissionem maximè timendum est.*

Ab Ægyptiaca seruitute liberati tandem vitiis fuere obstricti.

Firmat istuc exemplo Iudæorum, qui in Ægypto cùm premerentur angustiis, Idololatriæ vitio se minimè fœdârunt; nos, eos hoc scelus momordit, quod eorum tribulatione veluti quodam vinculo ligabatur; solutis ipsis ab Ægyptiaca afflictione, soluta & hæc fera est, quæ Iudæos inuasit, & deuicit; *Iudæi*, inquit, *ab Ægyptiis liberati bello vexabantur* (Idololatriæ) subdit, *semper egemus Dei prouidentia, maximè cùm liberamur à malis*; quæ in hoc bona sunt, quia veluti quibusdam funibus vitia tenent alligata, ne ita liberè in nos deseuiant.

Idem.

Charitatis vincula tribulationes. Oseæ 11. 4. Villal. in c. 6. Ezech.

Vinculum afflictio est, quo nos Deus ad se allicit; Oseæ 11. v. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*; & quæ nam ista funicula sunt? an funes afflictiones, & aduersitates? sunt. Benè bonus ille auctor; *In funiculis Adam traham eos; nempe* DOLORIBVS, *inquit, &* AFFLICTIONIBVS TRAHAM, *quæ sunt mei erga illos amoris pignora; propterea addit, in vinculis charitatis*; produnt Dei in nos amorosa hæc vincula, trahere nos ad se vult per hæc funicula.

468. *Afflictionum vinculis tanquam amentes ligantur homines, ne in alios fæuiant. S. Bern. Sen.*

Etiam homines emotæ mentis ligari solent ne sibi, aliisque noceant; quid si istuc & Deus præstet, dum nos afflictionibus ligat, & flagellis ligatos erudit? Huc collimabit sanctus Bernardinus Senensis serm. 8. Sabb. post Cineres act. 1. cap. 2. in hæc verba: *Solent homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi, vt per dolorem corporis redeat sensus mentis; sic vtique, qui à sui cognitione alienati sunt, à Deo per flagella ad se ipsos recognoscendum misericorditer coarctantur.*

Vincula tentationũ peccatorũ vincula soluunt.

Vincula tentationes sunt, funes aduersitates, quibus peccatorum feræ ligantur, ne in nos irrumpant; quid si nos peccata arripuerint, & nos è conuerso ligauerint? Tunc scelerum vincula rumpunt, sicut & ignis Babylonicæ fornacis pueros minimè læsit, sed vincula tantùm dissoluit.

S. Isid. Pelus.

Præclarè sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 68. *Quemadmodum in tribus illis pueris non solùm ignis ipsos non attigit, sed & ad vinculorum dissolutionem subseruiit, nactus sua terminum efficacia ferrum abolendo; sic & tentationes ignauiam resecantes, ad sobrietatémque adducentes, omnes à peccatorum expediunt vinculis.* A vitiis liberiores essemus, si nos æquo animo aduersitatum vinculis, tribulationum funibus ligari sineremus.

EXCVRSVS LXV.

Dum nos vulnerat Deus, sanat.

Percutit Deus corpus, *vt* animam *sanet.*
Vulnerat *Deus, vt curet* vulnera.
Tormentis Deus mentes ægras sanat.
Tribulationis vstio, *&* sectio *ad sanitatem.*
Cauterium *plagis nostris Deus admonet, dum tribulationes immittit.*
Tribulationis ferramentum *plagis occurrit.*
Punitio vt magistra *ab errore nos auocat.*
Tribulationis vtilitates.

469. *Percutit Deus corpus,*

MEdicum Deus agit, vtitúrque tribulationis igne, & ferro, vt curet, infligítque plagas, vt plagis medeatur; ipse vulnerat, & medetur, ait Iob cap. 5. percutit, & manus eius sanabunt. Vgo in Psal. 19. Percutit, inquit, corpus, sanat animam; & Petrus Blesensis epist. 31. *Flagello Domini pulsis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assiduata congessit, & exteriori vulnere* SANATVR PLAGA INTERIOR.

vt animam sanet. Iob. 5. Vgo Car. Petr Bles.

Vulnerat Deus, vt curet vulnera. S. Prosper.

Vulnerat nos Deus, sed vt curet vulnera; scitè sanctus Prosper in epigram.

Cùm Rex saluandis ipsa quoque consulit ira,
Vt CVRAT *medicus vulnera* VVLNERIBVS.

Tormentis Deus mentes ægras sanat. S. Basil. Sel.

Sanare morbos nostros Deus cupit, dum nos torquet, dum tribulationibus afficit; scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. *Tale est*, inquit, *numinis ingenium: virtute cùm vincat, hominum amore vinci. Quamobrem nequitiam tormentis subiici, quibus voluntates castigat, sanans interim ægritudinem. Nam quorum fuerit opifex, iis mederi non erubescit.*

Tribulationis vstio, & sectio ad sanitatem. S. Aug.

Plagis sanandis ignem Medicus admouet, admouet ferrum; præstat istud & cœlestis Medicus, vstionis, sectionisque vicem tribulatio supplet. Peritè sanctus Augustinus in Psal. 49. ad illud, *Tribulationem, & dolorem inueni*; addit ad explicatum: *Inuenit tribulationem tanquam aliquid vtile, putruerat tabe peccatorum suorum, iam sine sensu remanserat, inuenit tribulationem, tanquam* VSTIONEM, ET SECTIONEM.

470. *Cauterium plagis nostris Deus admonet, dum tribulationem immittit. S. Antioch.*

Medici munus cauterium plagis admouentis Deum exercere, notabat etiam sanctus Antiochus hom. 117. in hæc verba: *Dominus animarum nostrarum curator prouidentissimus, proinde ac vnus aliquis medicæ rei experientis; simul nostro omnium vsui consulens tribulationes infligit, & acrimoniam, asperitatémque vrentis* CAVTERII *aduersùm coalescentem morbum admouet, integer vt sit homo, & incolumis.*

Tribulationis ferramentum plagis occurrit.

Sanat tribulationis ferramentum plagas, quæ nos cruciant, sed quod miseris vulnera ipsa antecuerunt impediúntque, ne illis anima fœdetur, docuit istuc exemplo suo Dauid, qui cùm Saul eum persequeretur, à scelere immunis fuit, in illud lapsus, dum persecutorem non sensit, tribulationis ferro caruit. Rem egregiè versat sanctus Augustinus in Psal. 50. vbi de Dauidis lapsu agens ait: *Hoc peccatum non fecit Dauid cùm persecutorem Saulem pateretur. Quando Dauid sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diuersa fugiebat ne in manus eius incideret, non concupiscebat alienam, non adulterata vxore occidit virum; erat in infirmitate tribulationis sua tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio, vtile Medici ferramentum, & plagis illatis sanandis, & plagis auertendis, ne inferantur.*

S. Aug.

471. *Punitio vt à magistra ab erroribus nos auocat. S. Basil. Sel.*

Vtiles pressuræ sunt, vtiles cruciatus, quibus nos Deus aut punit, aut exercet; in Paradiso Eua Dei sui oblita Dei incurrit offensam, eiecta Dei memor possedisse se hominem per Deum dicit, *Possedi*, inquit, *hominem per Deum*; nimirum punientem agnouit, quem agnoscere beneficientem neglexit. Sistenda hic sunt sancti Basilij Seleuciensis verba, qui orat. 4. ita loquentem Euam adducit: *Possedi hominem per Deum. Noui*, inquit, *meam diuini mandati transgressionem, noui à Paradiso excidisse me, iisque periculi, docta sum, agnosco punitorem, excepi pœnam, quæ* VT MAGISTRA ME AB ERRORE VINDICET, *seductionis pericula sufficiunt, alteras insidias non admitto.*

Nouarini Adagia SS. Patr. O 2 Plu

ADAGIVM DCVII.

Ananiæ, & Saphiræ piscatorium ingredi.

430. ANaniæ, Saphiræque auaritia nota ex sacris litteris est, qui nempè de promissis Deo facultaribus aliqua sibi subdolè retinere tentauerunt, vt apparet Act. 5. qui igitur mondo, terrenisque rebus daturus repudium, aliqua sibi retinet, quibus adhæret, is prouerbiali schemate INGRESSVS PISCATORIVM ANANIÆ, ET SAPHIRÆ dicetur; hoc sensu hæc verba protulit Philippus, Abbas Bonæ-spei epist. 8. *Processu temporis cùm ad fidem conuolant, nonnulli saluandorum* PISCATORIVM ANANIÆ, ET SAPHIRÆ SVNT INGRESSI; *ipsámque religionem voce magis, quàm opere sunt professi, dum non parum sibi retinent de pannosa pristinæ consuetudinis facultate; cùm enim sermo Euangelicus perfectionis intuitu venundari, & dari præcipiat omnia, quæ habentur, satis est incongruum si fraudolenter eadem retinentur.* Addit nonnullis interiectis: *Mendacium deposit, & veritatem loquitur, qui assumptam professionem probabili professione morum exequitur, qui sic iuxta promissum studet mandatis perfectioribus inhærere, vt non sicut Ananias, & Saphira quicquam sibi velit proprium retinere*; qui ex eo quod Deo voluit, aliquid sibi contra ius surripit, Ananiam referens, & Saphiram vtriusque piscatorium ingressus, vtriusque pœnam subite pertimescat.

Ananiæ, & Saphiræ exemplo sic eos perstringit sanctus Petrus Damianus opusc. 12. cap. 3. qui in religiosam familiam sub paupertatis vexillo militaturi nomen dederunt, & pecuniarum amore legati pecunias coaceruare satagunt; *Quis, rogo, Ananiam, & Saphiram rebus propriis abrenunciare coegit? sed quia partem pecuniæ vterque pro sustentanda quasi longa vita retinuit, repentinæ mortis sententiam non euasit. Et quia nequaquam iuxta abrenuntiatorum regulam contenti sunt viuere, iuxta præuaricatorum animaduersionem coacti sunt immaturo exitu infeliciter expirare. Et quidem illi, vtpote rudes, & ad fidem denuo venientes; necdum fortasse ad plenum Euangelica præcepta didicerant, necdum sacri noua doctrinæ codices ad publicum in commune processerant; attamen qui in ipso fidei tyrocinio quodammodo simpliciter peccauerunt, districto quidem, sed pio iudicio, sola, vt credimus, sunt corporum morte mulctati. Nos autem qui cuncta sacri eloquij volumina nouimus, qui innumerabilium sanctorum Patrum vitas, atque præcepta post illum aureum Apostolorum sæculum existentium, præ oculis assidua discussione versamus, ante tribunal Christi quid excusationis obtendere, quod tergiuersationis argumentum poterimus inuenire? Ecce longè nobiliores quæstus, & lucra quoque terrena non modò reliquimus, sed & perpetuam eorum abrenunciationem non homini, sed Deo potiùs professi sumus. Si ergo adhuc marsupio nostro nummus includitur, si ad interni spectatoris iniuriam quantumlibet pecunia reseruatur, quid illi in reddenda ratione dicemus? qua nos defensionis arte purgabimus?*

ADAGIVM DCVIII.

Fidem Dæmonum habere.

431. QVi credunt, sed credunt tantùm, bonis operibus destitutam fidem habent, hi DÆMONVM FIDEM HABERE adagiali quodam schemate dicentur; hinc illud S. Aug. ser. 38. de Sanctis: *Tu*, inquit, *credis quòd Deus vnus est, bene facis. Et Dæmones credunt, & contremiscunt. Ac si qui creduat, & opera bona non faciunt,* FIDEM DÆMONVM *videntur* HABERE. *Qui verò non credunt, peiores Dæmonibus comprobantur.*

Non sit operibus destituta fides, fidei conformis actio sit, & fides actioni, ne pares Dæmonibus simus, qui credunt, sed non operantur; scitè ille in hanc rem: *Qui ambulare in veritate vult, sua gressus vitæ, & actiones conformes faciat suæ fidei, nec tantùm vera credat, sed verè, ne ridiculus Angelus sit, & socius Dæmonum, qui etiam credunt sine operibus. Quid prodest scire viam cœli, si non ambulas? sciunt melius spiritus mali, & tamen quia consistunt, sunt* DÆMONES. *Dicito mihi, quid vtilius tibi: nolle benè operari, aut Dæmonibus non posse? Perinde est in plerisque nolens, atque impotens: imò tibi est damnabilius, & turpius, nolle cùm possis. Dæmones credunt, & contremiscunt: vtinam tum, cùm credas, timeres? cur non contremiscis ad iudicia Dei, considerans certitudinem eorum, & ambiguitatem tuæ sortis, vel ad supplicia æterna, vel ad gaudia? Quid est, si credimus magnitudinem diuinæ bonitatis in se, immensi amoris erga nos, & summorum beneficiorum eius, cùm non respõdeamus nostro, fidelitate, & obsequiis? sed potiùs audeamus offendere, vel venialiter, & non colimus, & amamus omnibus nostris viribus, & infatigabiliter Deum, qui omnibus viribus omnipotẽtiæ suæ creauit, & fouet nos, & perfectè, ac æternè amat, & dilexit vsque in finem, & vsque ad mortẽ amauit? Quid est, quod semper amãtes nobis, & inuerecundi in suam maiestatem sumus, siue credamus, siue non credamus, dum segnes, & torpidi monemur.*

EXCVRSVS LVII.

Fidei, & operum nexus.

Christus in fide credentium requiescit.
Fides sine operibus flos sine fructu, *& spica inanis.*
Annulus *in manu fides cum operibus.*
Non satis est vera credere, *nisi credamus &* verè.
Fidem olim conceptis verbis in designato loco *profitebantur.*
Nuda figura *fides operibus destituta.*
Fidei *&* operum *nexus, qui collectus.*
Fides aratrum *ad operum messem.*
Fides fructus *non viriditas nuda quærenda.*
Fides nostra *Hæreticorum sermonibus ardentior fiat.*

PLacet Christo fides fidei auctori, inque fidelium cordibus veluti in lectulo per fidem quiescit. Sanctus Maximus hom. 2. in natiu. Domini expendens illa verba, *Filius hominis non habet vbi caput suum recliner*, Matth. 8. ait: *Vnde aduertimus, quia vnicus Dei filius non in speciosis domibus, aureatisque laquearīis, sed* IN FIDE CREDENTIVM *requiescit.* 432. *Christus in fide credentium requiescit.* S. Max.

Tantùm, qui fide placere Deo quærit, & Christo parare hospitium, fidem solam non habeat, fidem suam bonis operibus animet & exornet; quàm vilis fides sine operibus sit, ita explicat Hildebertus Episcopus serm. synodico: Fides sine opere flos est sine fructu, manipulus sine grano; & sanctus Petr. Damianus serm. de sancto Anthimo: *Caueamus*, inquit, *dilectissimi, ne* FIDES *nostra superducto nos solius professionis colore decipiat, & tanquam inanis spica vacantibus culmis absque dilectionis medulla follescat.* *Fides sine operibus flos sine fructu, & spica inanis.* Hildeb. S. Petr. Dam.

Nectem

433. *Annulus in manu fides cũ operibus.* Luc. 15.

Nectenda fidei opera indicat anulus, qui reuertenti prodigo filio exhibitus est, qui nempe iussus est in manu eius poni, ait enim Pater Luc. 15. *Date anulum in manu eius*, & non satis erat offerre, illiúsve arbitrio committere, si vellet digito suo inserere? non satis erat. nam per anulum fidei character significatur, qui manui admouendus, iungendus operibus. Pulchrè Rabanus in allegoriis: *Annulus est signaculum fidei; & in Euangelio, Date annulum in manu eius, idest*, FIDEM IN OPERE SVO.

B. Raban.

Non satis est vera credere nisi credamus & verè. I Eus. l. 2. c. 7.

Parum prodest fides, si sola est, non satis est verum credere, si falsi fideles nos simus, quia non boni, Pulchrè ille, *Quid refert credere verum, si simus nos falsi? salutaris veritas est bona actio, & verbum verum factum verbi. Verbum Dei caro factum est, vt opus hominis fiat veritas, quia veritas Dei opus facta est. Mendacium, & vanitas est, quod non est iuxta doctrinam Iesu: cur vsum huius beneficij negligimus, solùm contenti mortuo modò credere? Magnum fructum fidei haberemus, si sciremus vti, & iuxta illam operaremur, vt debemus, plusquam si acie oculorum viderentur ea, quæ affirmat. Omnes per fidem credunt vera: sed oportet credere verè; quod non videntur omnes facere. Si credis, ô proterua anima, quæ Christus dixit, consequenter operare.*

Fidem conceptis verbis in designate loco olim profitebantur. S. Aug.

Fidem olim conceptis verbis, eísque memoriter pronunciatis de loco eminenti coram populo Romæ profitebantur; moris huius meminit sanctus Augustinus lib. 8. confess. cap. 2. dum ait: *Denique vt ventum est ad horam profitendæ fidei: Quæ verbis certis, conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiori in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris, vt secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.* Bonum istuc, sed melius erit, si moribus, & operibus vbique quilibet fidem suam adstruat.

Nuda figura fides operibus destituta. S. Chrys.

De fide operibus destituta ita censet sanctus Chrysostomus hom. 8. in epist. 2. ad Timoth. *Fides sine operibus figura solùm absque virtute est. rectè ergo pulchro, & venusto corpori virtute destituto, picturæque assimilari*, FIDES *recta absque operibus comparatur.*

434. *Fidei, & operum nexus qui collectus.* Vgo Vict. Deut. 6.

Hunc operum, & fidei nexum ex illis verbis colligit Vgo Victorinus, quæ habentur Deut. 6. & sunt ista; *Deum adorabis, & illi soli seruies*; non verè Deum per fidem adorat, qui Deo operibus non seruit; sic ille scribit cap. 1. in Decalogum: *Ipsum adorabis, hoc pertinet* AD FIDEM, *& ei soli seruies, hoc pertinet ad operationem*, FIDES *enim operans, ex dilectione perfectum facit.*

Fidei aratrũ ad operum messem. Euthym.

Fides aratro comparatur, quo scinduntur, & parantur ad messem agri; Euthymius in Psal. 28. *Arans Deus gentes* ARATRO FIDEI; operum ergo messem pruducere ille debet, qui hoc aratro colitur.

Fidei fructus non viriditas nuda quærenda. S. Pasch.

Fructum operum dixi, nec enim nudum germen sufficit, non nuda folia, non nuda viriditas, quod arborum metaphora sic explicabat lib. 2. in Matthæum, sanctus Paschasius Radbertus; *Sint*, inquit, *nonnulli, qui fidei viriditatem tantùm habent; sed quia fidei fructum non habent, steriles terram occupant, & ideo securis ad radices arborum rectè commemoratur, vt qui meliorem vitæ fructum ferre noluerint, excidantur, & æternis ignibus præparati atrociùs concrementur.*

Fides nostra hæreticorum sermonibus ardentior fiat. S. Paulinus.

Talis sit fides nostra, vt sermonibus, quæ in illam armantur, firmior fiat, fiat ardentior; hoc grani sinapis similitudine, in hunc modum explicabat sanctus Paulinus epist. 6. ad Seuerum: *Memento si granum sinapis conteratur accendi magis, & tamen magis virtutem suam excitari. Quamobrem debemus quasi natura nostræ in hoc respondere, & aduersis sermonibus contriti* INARDESCAMVS AD FIDEM, *& eos ipsos, qui nos quasi granum sinapis frangere conantur, vramus.* Vera hæc veræ fidei consignatio vera nota est, alioquin parum, aut nihil eius fidei credendum qui nihil præter fidem habet.

ADAGIVM DCIX.

Iubilæus.

QVi vitam ad deuexam canitiem duxerat, multósque vitæ annos transegerat, hic Iubilæus dicebatur; cui prouerbiali scommati locum fecit longum tempus, quo vnus Iubilæus ab alio distabat. Hincmarus in vita sancti Remigij Archiepiscopi ita scribit: *Celtenses cœperunt inter se dicere: Quid ille* IVBILÆVS *(sic enim appellabatur, propter ætatis prolixitatem, sanctus Remigius) facere vellet de illis metis.* 435.

ADAGIVM DCX.

Digito cœlum tangere.

SI quispiam alicui se muneri fateatur imparem, & alicui labori prorsus inæqualem, se digito cœlum tangere non posse affirmabit. Fortunatus Presbyter, qui postea Pictauiensis fuit Episcopus, iussus Beati Hilarij Pictauorum Episcopi vitam scribere, in principio oneris magnitudinem expendens ita loquitur: *Cùm mei ingenij breuitatem mensuro, adeò Beati Hilarij immensitatem fortè cognosco, vt penè mihi videatur æquale, tam istud posse dicere, quàm* DIGITO COELVM TANGERE.

ADAGIVM DCXI.

Satan.

QVi non ferenda perfidia innocentes exagitat, ea pessimus optimos exercet, calumniatur Sanctos, is Satan prouerbialiter dicetur. Auctor vitæ sancti VVilhelmi Archiepiscopi Bituricensis ita scribit: *Interim ne deesset sancto viro* SATAN *suus, qui eius patientiam exerceret, erat quidam vir dolosus, qui sicut eius antecessores, ita & illum pertinaci odio infestabat.*

ADAGIVM DCXII.

Arenas, & aquæ guttas enumerare, & cyatho dimetiri.

THeodoretus in Canticum Canticorum initio post aliqua diuini sponsi munera recensita, quibus sponsam cumulauit, claudit; *Sed ego* ARENAS, ET GVTTAS ENVMERARE *contendo, &* CYATHO DIMETIRI, *qui diuinæ humanitatis magnitudinem verbis conor explicare*; quæ verba si quis etiam ad alia porrigat, quæ præ mul- 436.

titodine nomerati nequeunt, præ magnitudine in mensuram ferè non cadunt, adagialem præferent faliuam.

Affine est, quod habet Theodorus Studita in vita sancti Theophanis: *Verum facilius*, inquit, *fit vndas maris denumerare, aut caua manu pelagus dimetiri, quàm res ab illo gestas admirabiles oratione complecti.*

Immensam hominis curiositatem in religionis mysterio perstringens sanctus Irenæus lib. 11. cap. 45. sic ait: *Pergat adhuc vt arenam enumeret, & calculos terræ, sed & fluctus maris, & stellas cœli; nonne in vanum laborans, & delirus hic talis, & irrationabilis ab omnibus qui sensum habent, iustè dicetur*; hæc igitur formula in eos vniuersè prouerbij quadam specie torquebitur, qui rem infiniti laboris aggrediuntur, operique manum admouent, quod perficere non poterunt. Scholiastes sancti Irenæi ad hæc verba, ita scribit: *Quatuor his parœmiis eleganter ostendit inanes non minus, & ridiculos esse horum conatus, quam cyatho mare exhaurire, pondus montium scrutari, flatum venti mensurari, ignem ponderare, & diem, qua præteriit, reuocare molirentur*; quæ omnia absurda, factúque impossibilia sunt, & malam talia aggredientis amentiam produnt.

ADAGIVM DCXIII.

Atlanticum onus imponere Pygmæis.

FOrmula parœmialis cùm munus aliquod onerosum iniungitur, quod eius vires multum superet, & excedat. Monachus ille, qui ab Vlrico Abbate iussus est sancti Erminoldi vitam conscribere, ita loquitur: *Venerabilis Pater Dominus Vlricus sextusdecimus Abbas Prufeningensis Ecclesiæ*, ONVS *hoc* ATLANTICVM *nobis tanquam* PYGMÆIS IMPOSVIT.

ADAGIVM DCXIV.

Polypi color.

437. POlypus, qui varios pro rerum varietate, quibus proximus sit, colores sumit, locum prouerbio non vnà fecit, vt ex prophana schola aliqui notauere; ex nostris sanctus Gregorius Naxianxenus, polypi colorem adhibuit, ad rem quæ citò euanescat significandam; vt enim polypus citò colores varios induit, ita citissimè exuit; vix ille mouetur cùm colorem mutat; adscitam venustatem, & fucis & linimentis acquisitam polypi colorem vocat tract. aduersùs mulieres ambitionis sese ornantes, & excolentes; *Venustas hæc*, inquit, POLYPI COLOR *est, littera in arena conscripta.*

ADAGIVM DCXV.

Alter Syluester.

VIr Apostolica doctrina insignis, & virtutum gratia illustris, ALTER SYLVESTER dici non incongruè potest. Hincmarus in vita Beati Remigij de eo loquens ait: *In Beato Remigio Apostolica doctrina, & virtutum gratia alter repræsentari videbatur* SYLVESTER. Sanctus Odilon Abbas Beato quoque Syluester est comparatus, altérque Syluester dictus à sancto Paschasio Radberto, ob summam eius in pauperes munificentiam, cuius & hanc sententiam refert: *Vis nosse tu vtrùm auarus, largúsve videaris? scias prorsus, quòd si timueris quid magis te dedisse, quàm oportuerit, auarus conuinceris. Quod si minus, quàm debueras, largitatis est vtique signum.*

ADAGIVM DCXVI.

Rebecca prudentior.

SI alicuius mulieris prudentiam quis efferat, quadam prouerbij specie eam Rebeccam prudentiorem dicet. Sanctus Innocentius serm. 3. de consecratione, Pontificis Maximi Ecclesiam Romanam laudans ait: *Hæc est Sara maturior*, REBECCA PRVDENTIOR, *Lia fœcundior, Rachel gratior, Anna deuotior, Susanna castior, Iudith animosior, Edissa formosior.* quæ comparationes si ad aliquam fœminam laudandam transferantur, prouerbij similitudinem induent.

ADAGIVM DCXVII.

Proiecto cœno margaritam fundere.

ESt deterioribus relictis amplecti meliora, vt notabat scholiastes ad hæc sancti Gregorij Naxianzeni verba in hymno ad Christum post silentium in Paschate,

Quæ decet ista loquor, quæ non, nec pectore voluam,
DEPVLSO FVNDAM MARGARA *charalvto,*
Vernantémque rosam è spinis, aurúmque ab arena,
Et spicis missis farra legam stipula.

ADAGIVM DCXVIII.

Ab agno recedere, & à leone deuorari.

QVi à miti, & ad ignoscendum facili fu- 438.
gir, & in sæui, crudelísque manus incidit, is perstringi hoc prouerbio poterit; vtitur sanctus Augustinus in eos, qui Dei leuiter corripientis manum exhorrescunt, seueri Iudicis iram experturi; sic ille scribit tractat. 7. in Ioannem cap. 1. *Quando fortè in aliqua correptione Domini sumus, videte ne pereatis, videte ne* AB AGNO RECEDATIS, ET A LEONE DEVOREMINI.

ADAGIVM DCXIX.

Cùm nundinæ effluxerint, tunc demum negotiationem quærere.

CVm rei alicuius opportunitatem quis sinit præterire, & tunc demum eam alieno tempore cogitat exercere, hic prouerbiali hoc scommate percelli poterit; quod in eos torquet sanctus Gregorius Nazianxenus, qui præsentis vitæ tẽpus inutiliter sibi patiuntur elabi, ac si in altera pietati studere liceat; hæc eius verba orat. 40. *Miserum est* CVM NVNDINÆ EFFLVXERINT, TVNC DEMVM NEGATIONEM QVÆRERE.

Miserum

Miserum est, cùm manna præterierit, tum cibum appetere. Miserum est serum consilium capere, ac tum damni sensu affici, cùm nulla iam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus acerbéque conclusa fuerint, quæ quisque in hac vita gessit, atque scelerati homines supplicio, & qui animos purgarint, splendore effecti fuerint. Quocirca vobis prouidendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verùm summam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis anteuertat.

ADAGIVM DCXX.

Homo Hippocratis vinculis alligandus.

439. DElirus, furiosus, emotæque mentis homo, qui lectionibus indigeat, atque adeò & vinculis, HIPPOCRATIS VINCVLIS ALLIGANDVS *vocabitur*, tales quippe Hippocrates secari iubet, & alligari; hac prouerbiali formula vsus est sanctus Hieronymus epist. 53. ad Riparium Presbyterum: *Testimony*, inquit, *Scripturarum, quasi* VINCVLIS HIPPOCRATIS *volui* LIGARE *furiosum, sed abiit, excessit, euasit, erupit*; & aduersùs Vigilantium cap. 2. *Galliæ vernaculum hostem sustinent, & hominem moti capitis, atque* HIPPOCRATIS VINCVLIS ALLIGANDVM *sedentem cernunt in Ecclesiis.*

ADAGIVM DCXXI.

Lutum luto purgare.

CVm qui vna impuritate aliam abstergere conatur, qua ampliùs polluatur, hic lutum luto dicetur purgare; huc euaserat Gentilium insania, qui brutorum animantium corpora falsis numinibus immolantes putabant corporum suorum maculas sic abstergi. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 23. ita scribit: *Gentilium superstitionem, & eorum impietatem multos Deos colentium, & priùs confusa, & veteres, ac nouos Deos, & fœdas, atque obscœnas fabulas, & obscœniora sacrificia* (LVTO LVTVM, *hoc est, vt ex quodam eorum audiui, brutorum animantium corporibus corpora sua purgantium,*) *vt veneranda figmenta, & indecoras præstigias.*

ADAGIVM DCXXII.

Habitare in terra Naid, seu Nod.

440. QVi animo huc, illuc fertur, quiescere nescit, quin nec corpore vno loco stare, hic non sine quadam adagij saliua habitare in terra Naid dicetur, seu Nod, quod dictum priùs fuerat de vago, ac palante Cain, vt habetur Gen. 4. vbi cùm dixisset: *Ero vagus, & profugus in terra*; subditur, *Habitauit profugus in terra ad orientalem plagam* EDEN: pro quo in Hebræo est in terra נוד *nod*; quæ & nomine ipso motionem signat, נוד quippe est huc illuc se transferre, vnde aliqui legunt, *in terra motionis*; quod igitur de Cain dictum poterit, nec alienè ad eos flecti, qui animo fluctuant, nec consistere vno loco queunt; hoc sensu vsurpauit sanctus Hieronymus epist. 48. quæ est ad Sabinianum Diaconum, quem fluctuantem ita alloquitur; *Quid longius recedis à facie Dei, &* HABITAS IN TERRA NAIO? *quid totus in... fluctuas, nec statuis supra petram pedem tuum*; quod ad pares fluctuatione correptos porrigi nihil repugnat.

ADAGIVM DCXXIII.

De stellis in carbones mutati.

CVm à perfectæ vitæ luce ad imperfectæ nigrorem aliqui transeunt, tunc huic prouerbiali sententiæ locus erit; vtitur hoc sensu sanctus Aelredus serm. 10. dum ait: *Quid quaso lumen expandent homines tenebrosi* DE STELLIS MVTATI IN CARBONES, *de cælo in sterquilinio præruentes.*

ADAGIVM DCXXIV.

Nec ipsa te salus, si velit, seruare possit.

COnuenit hoc prouerbium in eos, quorum conclamata res est, qui eò redacti sunt, vt iacta iam alea sit, spésque nulla supersit salutis eorum; vtitur hac formula sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 2. eos perstringens, qui in deliciarum se pelagus demittunt, & auxilium postulant ab aliis.

ADAGIVM DCXXV.

Ouem te putas, hircum te fortè nouit Deus.

EO hæc sententia spectat, vt putetur, nemi- 441.
nem de sua salute securum esse, & inter præscitos esse recensitum æternis flammis adiudicandum, qui putat, se beandum beatorum numero iungendum. Metus ponendus nunquam, nunquam solicitudo. hoc sensu verba hæc extulit sanctus Augustinus lib. de ouibus cap. 10. dum ait: OVEM TE PVTAS, HIRCVM TE FORTE NOVIT DEVS; ouem saluandorum symbolum esse, hircum damnandorum scitum est.

ADAGIVM DCXXVI.

Alter Ioab.

QVi beneuolentiam præfert, vt amicus hostili odio repletus, in eum sæuiens, cui extime blanditur, is IOAB referre videtur, qui Amasiæ mentum tenuit, ac si vellet osculari, in eius latus ferrum adigens, vt habetur lib. 2. Regum cap. 20. sanctus Gregorius lib. 15. Moral. cap. 5. huc spectans ait: IOAB *Amasiæ mentum dextra tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, eius viscera effudit, dextera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri, sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.*

ADAGIVM DCXXVII.

Martyr Diaboli.

442. FRequens vſus obtinuit, vt is, qui multa hîc patitur, multa ſuſtinet, non præmio donandus à Christo, ſed torquendus à Diabolo, Martyr Diaboli audiat; quod in eos omnes quadrat, qui diuitiis addicti, rebúſque mundanis ac terrenis multo, ſed nihil profuturo labore diſcruciantur: quadrat & in eos, qui fœdi amoris mancipia graues cruciatus ſuſtinent, acerbas pœnas acerbóſque dolores patiuntur. huc ſpectabat Ioannes Gerſon part. 4. ſerm. in Dom. Aduentus, vbi contra luxuriam diſputat, & eos premens, qui ab illa ſe continere arduum putant, nec lucri ſectatores, inhoneſtique amoris vinculis ligatos, à pœnis, à cruciatibus immunes, & tandem concludit: *Et ſic mercator, & ſtultus amator* MARTYRES *ſunt* DIABOLI.

MARTYREM DIABOLI Iudam vocauit S. Bruno de ornatu Eccleſiæ c.81. *Et* SATANAS, inquit, *ſuos* MARTYRES *habet, qui quanto maiora tormenta in illius ſeruitio in hoc ſæculo patiuntur, tanto fortiora in altero ſæculo eos expectant. Hæc eſt eius propria, & ſingularis conſuetudo, vt qui plus ei ſeruiunt, & maiora, & grauiora tormenta ab eo patiantur. Huius* MARTYRES *fuerunt, Iudas Iſcariotes, & Nero impiiſſimus, qui ſe ipſos dignos ſuſpendio, & interemptu ſuffocauerunt, & occiderunt. Huius & iſti* MARTYRES *ſunt, qui vſque hodie contra ſe non pro iuſtitia pugnant, ſed pro ſua auaritia, & iniquitate ſe viciſſim impugnant, & iniquo odio perſequentes, ſe quaſi beſtiæ crudeliter interficiunt.*

ADAGIVM DCXXVIII.

Stellæ de cælo ceciderunt.

443. IN magnorum virorum, & qui inſigni ſanctitate fulgebant, caſu, & ruina, prouerbialis hæc ſententia adduci poterit, quæ ſumpta eſt ex ſancto Auguſtino lib. Soliloquiorum cap. 29. vbi ait: *Vidimus multos, Domine, ex Patribus noſtris, quod vtique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitus quodammodo vſque ad cælos, & inter ſydera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe: vidimus* STELLAS DE COELO CECIDISSE *ab impetu ferientis caudæ draconis.*

ADAGIVM. DCXXIX.

Iſraëlis diſperſio.



QVi huc illuc palans abire cogitur, nullibi ſtationem firmam locans, vbique exul, hic ISRAELIS DISPERSIONEM ferre prouerbiali quodam ſchemate dici poteſt; Iudæi quippe poſt illatam Dei filio necem in orbem miſerrimè diſperſi ſunt, nullibique ſedem figunt, mortalium omnium effert ludibrium; eorum igitur diſperſio, certo loco carens, locum prouerbio fecit; huc ſpectauit ſanctus Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua, dum ait:

DISPERSIONEM *proferas licèt* ISRAEL,
Quem Chriſticola perdidit prorſus furor.

EXCVRSVS LVIII.

Iudæorum diſperſio, in quem finem permiſſa, quídque tacens inclamet.

Terræ, *&* cœlo *inuiſus Iudæus.*
Cauſa *Iudaicæ diſperſionis.*
Iudæorum diſperſio index prauitatis *Iudaicæ.*
In orbem diſperguntur, vt Chriſti venerationem *videre cogerentur.*
Gentiles *Deus conuertit, vt Iudæos ad ſalutem prouocet.*
Gentibus miſcentur *Iudæi vt meliores euaderent.*
Chriſtianorum exemplo *minus mali Iudæi quàm alioquin eſſent.*
Maior Eccleſiæ triumphus *in Iudæorum conuerſione, quàm delatione.*
In orbes diſperguntur Iudæi, vt ſcripturis, *quas ſecum deferunt, orbis illuminaretur.*
Iudæi Chriſtianorum librarij.
Diſperguntur in orbem, vt eorum perfidia *nota omnibus fiat.*
Inſtar columnæ *vt ſe habeant Iudæi.*
Tanquam apices viui *Dominicam paſſionem loquendum offerunt.*
Malè diſpergitur, *qui effunditur in terrena.*

ERrat per terrarum plagas Iudæus extorris, vbique exul, & cœlo excluſus, & inuiſus terræ; Iudam ſuum anteſignanum ſequitur, ſicut ille inter cœlum, terrámque ſuſpenſus periit, ſic & Hebræus nulli loco addictus, ab omni exul, & cœlo indignus, & terra eſt. Scitè Rupertus in Zachariam ad illud, *Et leuauerunt amphoram inter cœlum, & terram,* Zachar. 5. v. 9. NEC TERRA *ſua capit eos,* NEC COELVM *admittet eos: & quemadmodum ſignifer eorum Iudas proditor periit ſuſpenſus inter cœlum, & terram, vt ait quidam, cœli, terræque peroſus; ſic & iſte populus à terrena Ieruſalem excluſus, & cœleſti factus indignus, quaſi* PENDET INTER COELVM ET TERRAM. 444. *Terra, & cœlo inuiſus Iudæus.* B. Rup.

De Iudæorum diſperſione, & illius cauſa, ita loquitur Prudentius in apotheoſi: *Cauſa Iudaica diſperſionis.* Prud.

——————— *extirpata per omnes*
Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur:
Exilijs vagus huc, illuc fluctuantibus errat
Iudæus poſtquam patria de ſede reuulſus
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſoluit,
Et quo priſcorum virtus defluxit auorum?

Hæc Iudæorum diſperſio index eſt eorum prauitatis; hinc illud Tertulliani in Apolog. cap. 21. *Quanta deliquerint Iudæi fiducia Patrum inflati ad declinandum deriuantes à diſciplina in prophanum modum, etſi ipſi non confiterentur, probat exitus hodiernus ipſorum, diſperſi, palabundi, & cœli, & ſoli ſui exortes vagantur per orbem ſine homine, ſine Deo Rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur.* *Iudæorum diſperſio index prauitatis Iudaicæ.* Tertull.

Tanquam verberones captiui per totum orbem ſunt diſperſi, vt eius cultum, quem cruci affixerunt, videre cogerentur, eiúſque venerationem proſpicere, quem impij contempſerunt. Pulchrè ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 305. vbi poſt menſionem cladis, à Romano exercitu factæ, ſubiicit; 445. *In orbem diſperguntur vt Chriſti venerationem videre cogerentur.* S. Iſid. Peluſ.

subiicit; *Qui cladi superfuerunt, ob id tantummodo superesse permissi sunt, vt & belli calamitates tragicum in modum deplorarent, & velut captiui quidam* VERBERONES ORBEM VNIVERSVM PERAGRANTES, *Crucifixi cultum, & venerationem omnibus in locis florentem prospicerent.*

Gentiles Deus conuertit, vt Iudæos ad salutem prouocet.

Malorum ad bonam mentem conuersio, magnam ad sequelam, & imitationem habet vim; hoc remedium in Iudæos Christus adhibuit, porrexit Gentilibus medicinam, vt Gentilium exemplo eos ad salutem, ad fidem prouocaret. Sic apud Matthæum 15. egressus à Iudæa in partes Tyri, & Sidonis, Christus dicitur, vt Gentilium fide ad fidem Hebræos alliceret, quando id non obtinuerat editis miraculis; præclarè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 20. *Quando creber miraculorum imber Iudaicum populum ad fidem non flexit, sed explicata quidem est inexpectata medicinæ sagena; sola verò Iudæorum gens per barbarorum inuidentiam salutis portam refugit. Quid facit solers medicus? qua ratione tractat animi morbum? Sana medicamenta Sidonem transfert, vt* GENTIVM *accessione ad meliorem mentem Iudæum infidelem proritet. Deteriores enim secernendo in sanitate laborantes imitare antiquum hoc reor esse Domini commentum.*

S.Basil. Sel.

Gentibus miscentur Iudæi, vt meliores euaderent.

In gentes Iudæos Deus dispersit, Christianis immiscuit, vt meliores esse eorum exemplo discerent; vt Iudæorum contumaciam redargueret Deus, perfidiam Niniuitarum conuersionem, ac fidem eis opposuit, vt illorũ exemplo eos ad fidem alliceret, quod tetigit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 20. dum ait: *Deteriores secernendo in sanitate laborantes imitare, antiquum hoc reor esse Domini commentum. Cum olim redarguere Iudæorum in credendo contumaciam statuisset, Niniuitarum conuersione probrum Iudæorum auxit.* Nunc non Niniuitarum conuersio eis obiicitur, sed totius gentilitatis, vt vtile in nos æmulatione ad bonum alliciantur, à malo auocentur.

S.Basil. Sel.

446. *Christianorũ exemplo minus mali Iudæi quàm alioquin essent.*

S.Chrys.

Certè cùm legem haberent, sub lege viuerent, Prophetas occidebant, mactabant filios, idola colebant; post Christi aduentum, & Christianorum exemplo minus mali euaserunt, tantum bonorum exemplum ad bonum pôst; inserenda hîc verba sancti Chrysostomi, qui in Psalm. 8. Hebræos alloquens ait: *Quandiu legem habuistis, & occidebatis, & filios mactabatis, & adulterabatis: postquam autem illuxit sol iustitiæ, de vestris malis multum decessit, & moderatiùs vitam instituistis, correcti per vestram in nos æmulationem. Propterea vos dispersit, vt sciretis quantam in terris plantarit rempublicam, vos vel inuitos à vitio abducens.*

Maior Ecclesiæ triumphus in Iudæorum conuersione, quàm delatione.

S.Bern.

Præterea Ecclesiæ insignior triumphus apparet, quia hostes non semel amicos facit dum eos fert, quàm si eos semel perderet; id quod his verbis confirmat sanctus Bernardus epist. 323. *Nónne copiosius* TRIVMPHAT ECCLESIA DE IVDÆIS *per singulos dies vel conuincens, vel conuertens eos, quam si semel, & simul consumeret eos in ore gladij.*

In orbes disperguntur Iudæi, vt scripturis, quas secum deferunt orbis illuminetur.

S.Aug.

In orbem dispersi Hebræi sunt, vt scripturas secum deferrent, quibus orbis illuminaretur; lignea ob id candelabra Gentilibus ministrantia vocauit sanctus Augustinus oratione ad Catechumenos contra Iudæos, sic enim eos alloquitur: *Dispersit vos per vniuersas terras, vt vbique prophetias de eius natiuitate, passione, resurrectione, ascensione quæcumque dicta sunt vos perferatis, atque lucernam legis, tanquam lignea candelabra sensu carentia, gentibus ministretis.*

Iudæi Christianorum librarij.

S.Aug.

Librarios quoque Christianorum vocat in Psalm. 56. CODICEM PORTAT IVDÆVS, *vnde credat Christianus.* LIBRARII NOSTRI *facti sunt, quomodo solent serui post dominos codices ferre, vt illi portando deficiant, illi legendo proficiant.*

Disperguntur in orbem vt eorum perfidia nota omnibus fiat.

S.Greg Naz.

Dispersi per orbem Iudæi sunt, vt totus orbis, velut columna spectanda eorum perfidiam omnibus offerat. Sic sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 12. *Vna vtique illis calamitatis columna totus terrarum orbis est, per quem variè fusi, sparsique sunt, diuinúsque cultus compressus, & extinctus, ipsúmque adeò Hierosolymitanæ vrbis solum, quod vix iam cognoscitur, atque hactenus dumtaxat illis patet, idque dumtaxat fructus ex vetere sua gloria, & amplitudine capiunt, vt per diem conspicui* FACTI SOLITVDINEM *lugeant.*

447. *Instar columnæ vt se habeant Iudæi.*

Elias.

Quam columnæ similitudinem sic explicat eius scholiastes Elias Cretensis; *Quemadmodum lugent,* inquit, *columnæ ex ære, vel lapide excitatæ, aut vituperationes, aut ærumnas multorum continentes properantibus illas spectandas exhibent; sic totus terrarum orbis, per quem Iudæi dispersi sunt, & cultus ipsorum extinctus, & Ierosolymæ solum, quod vix iam agnoscitur,* INSTAR COLVMNÆ *prædicant, quæcumque ipsis horrenda occiderint.*

Tanquã apices viui Dominicam passionem legendam offerunt.

S.Bern.

Vbique palantes Iudæi vagantur, vt tanquam apices viui nobis Dominicam passionem legendam offerant, sic enim loquitur sanctus Bernardus epist. 322. *Noluit eos occidi, sed dispergi, vt* VIVI *quidam* APICES *nobis sint, repræsentantes Dominicam passionem, propter hoc dispersi sunt in omnes regiones, vt dum iustas tanti facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ redemptionis.*

Malè dispergitur, qui effunditur in terrena.

S.Aug.

Malè ille quoque dispersus est, qui in terrena effunditur, amat peritura; ab hac dispersione reuocari cupiebat sanctus Augustinus lib. 2. Confess. cap. 1. dum diceret: *Dulcescas mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix, & secura; & colligas me à dispersione, in qua frustratim discissus sum, dum ab vno te auersus in multa euanui.* Quantum ab hac collectione boni colligatur, explicet qui potest, curet quisque vt experiatur.

ADAGIVM DCXXX.

Scitis tuis Lycurgus, & Solon cedit.

SI alicuius in ferendis legibus prouerbia sapientiáque efferent Lycurgi, eum & Soloni, qui in hac re illustres fuere, parabitur, quin & præferetur; huc vocari potest illud Gregorij Nazianzeni iambico 18. de virtute, vbi canit:

SCITIS LYCVRGVS CEDAT, ET SOLON TVIS.

ADAGIVM DCXXXI.

Lapis quadratus.

VIr qui nec aduersis frangitur, nec emollitur secundis, sed quocumque cadat firmus stat, quæcumque cadant fortiter fert, quadratus lapis non sine prouerbiali forma audit; quis nesciat quadratum lapidem in quocumque latere firmiter stare? Gerlacus Petrus in suo ignito colloquio cap. 31. ita loquitur: *Stantem te sicut quadratum lapidem inueniat omnis casus, vel euentus;* ante illum & illo luculentiùs rem versat,

& explicat Vgo Victorinus de claustro animæ cap. 15. his verbis: *Habent quadrati lapides sex superficies, inferius, videlicet, & superius, antè, & retro, dextrum, & sinistrum, id est, prælationem, & subiectionem, occulta, & aperta, prospera, & aduersa. Si igitur quadratus lapis fuerit, in quocunque latere iaceat, firmiter stabit.* Eodem spectabat etiam sanctus Gregorius hom. 21. in Ezechielem: *Quos*, inquit, *lapides quadros accipimus, nisi quoslibet Sanctos, quorum vita in prosperitate, atque aduersitate nouit fortiter stare? lapis etenim quadrus æquè stat, in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in aduersitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à bono opere non reuocatur, lapis quadrus est.* Vera hæc hominis iusti consignatio, vt idem semper sit, siue prosperitas blandiatur, siue premat aduersitas; quadratum lapidem refert, qui Deum in prosperis minus lædit, magis in aduersis placat; quod monitum fuit Saluiani lib. 6. *Magis placandus est in aduersis Deus, & minus lædendus in prosperis*; abit qui impatientia, & querelarum fusu Deum irritat, & exasperat.

ADAGIVM DCXXXII.

Sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat.

PRouerbij vice vsurpari hæc sententia poterit, quoties significare volemus, multum referre quo animo, qua fortitudine afflictio, & aduersitas excipiatur, & qualis quisque patiatur, non qualia, bonósque duris perfici & emundari, malos impatientia deteriores effici, & blasphemiarum vomitu impuriores; huc aduocari potest quod habet sanctus Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 8. *Sicut*, inquit, SVB VNO IGNE AVRVM RVTILAT, PALEA FVMAT, *& sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo oleum cum amurca confunditur, qui eodem prelij pondere exprimitur: ita vna eadémque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat: vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni autem precantur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cænum, & suauiter fragrat vnguentum.* Bonus affectione melior redditur, suauiórque probæ vitæ odorem exhalat, malus efficitur peior, odorémque adeò tetrum emittit, vt ferri vix possit, dum dura non fert, nec aduersa æquo patitur animo.

ADAGIVM DCXXXIII.

Iob nostri temporis.
Patientia Iob.
Iob aliquis.

448. SIngularis, & vsque ad miraculum magna in tolerandis cruciatibus corporis patientia, in rerum iactura æquanimitas, & filiorum orbitate Iobum adeò reddidit illustrem, vt patientiæ, & infracti animi exemplar fecerit; Iobque vel prouerbij specie audiat, qui æquo, fortique animo aduersa quælibet sufferre tribulationibus ipsis maior, maior aduersitatibus ipsis. Plures hoc titulo fuere donati ob hanc animi fortitudinem, malorúmque tolerantiam. Palladius Historiæ Lausiacæ cap. 13. de Beniamin Abbate hæc habet: *Hic qui tanta gratia dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur alius* IOB NOSTRI TEMPORIS, & paulo pòst: *Videte nouum Iob*, ἄλλον Ἰώβ. Beata quoque Ida de Leuuis ALTER IOB dicta est, vt habetur in eius vita c. 4. Beatus quoque peregrinus ob miram patientiam ALTER IOB dictus est, vt habetur in annalibus seruorum. IOB CHRISTIANVS dictus est sanctus Eustachios Martyr; quod habet etiam Baronius tom. 2. Annal. alij quoque ab eadem causa fortiti hoc vocabulum fuere, vt constat ex ecclesiasticis fastis.

ALIVS IOB appellatus est Abbas Beniamin, de illo hæc scribuntur in vitis Patrum lib. 8. c. 13. Abbatis Beniamin; *Hic qui tanta gratia dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur* ALIVS IOB *nostris temporibus.*

IOB in prouerbium iuit, iuit & PATIENTIA IOBI, vt vir infractæ patientiæ & omnibus aduersis animo, fortitudinéque superior, Iobi patientiam habere dicitur. Iuo Carnotensis epist. 7. *Compilo tibi, vt assumpta* PATIENTIA IOB, *quamuis longè impar, cum eo tamen dicas: Sustinebo iram Dei, quoniam merui, donec iustificet causam meam*; nostris hæc formula admodum familiaris est.

Denique IOB QVISPIAM inter aliquos dicetur esse, aut delitescere, quoties quis afflictionibus, aut etiam grauissimis morborum generibus ita torquetur, vt virtutibus & præcipuè patientia sit insignis; huc spectat illud sancti Gregorij Nazianzeni orat. 27. de pauperum amore: *Morbum sanctum honore prosequi condiscamus, eos qui per dolorem, afflictionémque victoriam adepti sunt, venerantes; ne fortè* IOB QVISPIAM *inter ægrotantes delitescat, multo vtique iis, qui corpore sano sunt præstantior, atque augustior.* Iobi iniecta mentio nos hic sistit, vtilia ex illo monita ad virtutum profectum alibi exsculpsimus, ex diuite hoc peno alia hic quoque in lectoris vtilitatem exhibebimus.

EXCVRSVS LIX.

Iobi virtus, & fortitudo commendatur.

Iob vulnere anhelus, *vt in medium productus.*
Iob diues *cum Iob* paupere *collatus.*
Pietatis athleta *Iob.*
Adam *inter nemora cecidit*, Iob *inter dolores vicit.*
Premitur Iob vt foras virtus *prodiret.*
Ex Iobi plagis *Iobi virtus fluxit.*
Ex vulneribus *Iobus innotuit.*
Vulnerum *Iobi splendore illustrantur homines, obcæcatur Dæmon.*
Satanæ malitia clarior *Iobi virtus reddita.*
Iob ab hoste satanico conscissus satanam vicit.
Humilis *Diabolum deijcit, dum* se *deijcit.*
Quàm sauus in Iobum *Diabolus.*
Iobi *laus, & commendatio.*

Iobo vt se contulerit *sanctus Gregorius Nazianzenus.*
Iobi puritas, & fides.

449. VOcat ad se calamum IOB, & licèt de illo alibi mihi multa dicta, alia tamen adhuc dicenda supersunt, quæ in eius laudem, commendationémque resiliunt; nam variè cum variis calamis extulerunt.

Iob vulnere anhelus vt in medium productus. Prud.

Iobum in medium protulit Prudentius in Psichomachia his verbis:

Hac effata, secat medias impune cohortes,
Egregio comitata viro: nam proximus IOB
Hæserat inuicta dura inter bella magistra,
Fronte seuerus adhuc, & multo vulnere anhelus.

Iob diues cum Iob paupere collatus. S.Fulg.

IOBVM cum IOBO conferens, diuitem cum nudo, felicitate circumuallatum, cum aduersitatibus pressum, sanctus Fulgentius epist. 2. cap. 9. sic IOBVM IOBO præferebat: *Beatus fuit Iob, cùm in diuitijs iustè viueret, sed beatior cùm in paupertate iustior extitisset. Beatus fuit cùm decem circumdaretur filijs: sed beatior cùm vna cunctorum simul orbitate percussus in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis hospitate: sed beatior factus est in vulnere. Beatior etiam in acerno squaloribus pleno, quàm in palatio marmoribus adornato.* Felix illa virtus, quæ etiam extra felicitatem virtutem suam exerit.

Pietatis athleta Iob. S.Chrys.

Pietatis athletam IOBVM vocat sanctus Chrysostomus, hæc enim in Græca catena Iob ex aureo illius ore referuntur: *Hic vir magnus, atque admirabilis, qui vbiuis gentium clarus, qui pietatis* ATHLETA *fuit, qui corona donatus, qui cuncta certamina exantlauit, qui innumera aduersus Diabolum trophæa constituit.*

Adam inter nemora cecidit, Iob inter dolores. S.Aug.

Adam in Paradiso inter nemora cecidit; IOB inter dolores vicit, adeò aduersitates iustis vtiles sunt, periculosæ deliciæ, quod expendebat sanctus Augustinus de tempore Barbarico tract. 5. *Fortior fuit* IOB *in doloribus, quàm ille Adam in nemoribus, iste non cessit tormentis, ille superatus est in delicijs. Videtis dilectissimi quid agat tentatio, & quàm vtiles sint huius mundi pressura, & quemadmodum corrumpant terrena delicia.*

450. *Premitur Iob, vt foras virtus prodiret.* Olymp.

Pressus est IOB, vt foras virtus prodiret, quæ latebat, & omnium exemplum constitueretur; sic ferè iusti premuntur; quod his verbis tetigit Olympiodorus argumento in Iob: *De multis hæc vna est causa cur malis iusti dilanientur; vt quæ eorum virtus latebat, magis illuminata foras emineat, atque appareat. Hanc ipsam ob rem patientia simulachrum* IOBVS *direptori, vexatorique Dæmoni traditus est.*

Ex Iobi plagis Iobi virtus fluxit. S.Greg.

Ex plagis IOBI virtus in omnem mundi plagam est sparsa: *Beatus* IOB, inquit sanctus Gregorius lib. 23. moral. cap. 1. *tactus est verbere, vt odorem suarum virium latiùs spargeret, quanto more aromatum meliùs ex incensione flagraret;* minor nobis, & minus notus Iobos esset, si sine vulneribus tentationibúsque ad nos eius nomen peruenisset; gloriam vulnera auxerunt.

Ex vulneribus Iobus innotuit.

IOBI vulnera inflicta fenestræ quædam fuerunt, per quas ad nos virtutum suarum radij peruenerunt; non adeò illustris, quin nec adeò notus nobis solus esset nisi vulneribus fuisset affectus; eiusdem sancti Pontificis hæc est mens, hæc sunt verba præfat. in Iob cap. 2. *Vir iste,* IOBVS scilicet, *summis virtutibus fultus sibi notus erat, & Deo qui si non flagellaretur, à nobis nullatenus agnosceretur.*

Vulnerum Iobi splendore illustrantur homines, obcæcatur Dæm. S.Chrys.

IOBI vulnera, vlceraque lumina fuerunt, quibus homines illustrantur, obcæcatur Dæmon, atque terretur. Sanctus Chrysostomus hom. 5. ad populum istuc in hunc modum colligebat de IOBO loquens: *Vlcera solaribus radijs splendidiora (erant,) hi enim corporis oculos illuminant, illa verò mentis nostra lumina illustrant, illa Diabolum penitus excæcauerunt, propterea namque post illam plagam resiliuit, nec deinceps apparuit.*

Satana malitia clarior Iobi virtus reddita. S.Ambr.

Eo clariorem IOBVM admiramur, quo sæuior in illum Diabolus extitit, elucet magis Iobi patientia, quòd eum satanas exercuit; hinc illud sancti Ambrosij lib. de Parad. cap. 7. *Diaboli malitia* IOB *sancti viri fecit esse virtutem, & patientiam clariorem.*

451. *Iob ab hoste satanico conscissus eum vicit.*

Obcæcauit Dæmonem à Dæmone percussus, atque adeò deuicit; contrà ac in gladiatoriis certaminibus hîc fit, in illis enim, qui antagonistæ corpus deiicit, & vulnerat, capútque abscindit, donatur corona, victor acclamatur. in pugna contra Dæmonem aliter accidit, nam vbi ille IOBI corpus vulneribus affecit, tunc victus est, fugámque victus arripuit; quod festiuè tetigit sanctus Chrysostomus apud auctorem catenæ Græcæ cap. 9. prolegom. in hæc verba: *Qui gladiatorium certamen experiuntur, vbi aduersariorum caput præciderint, tunc ob victoriam corona donantur:* IOBI *verò aduersarius, vbi illius corpus conscidit, atque omnis generis vlceribus perterebrauit, & languore confecit; tum Dæmon superatus est, fugaque se dedit.* S.Chrys.

Humilis Diabolum deijcit dum se deijcit. S.Paul.

Sternit Dæmon, qui se deiicit; certè Iob cùm in sterquilinio sedit, tentandi artem in Dæmone cassam reddidit, vt nihil aliud contra illum valeret; rem his verbis expendit sanctus Paulinus epist. 10. ad Sulpitium Seuerum: *Postquam* IOB *sedit in stercore, tentari destitit, consumpserat tentatoris inuidiam humilitate perfecta, qua faciliùs surgere, quàm deijci potest, quia in fimo sedens, vnde cadat, non habet, & habet vnde consurgat, per eum qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Humilis Diabolum deiicit, dũ se deiicit; vis satanicum hostem sternere, ad sterquilinium curre, sordes tuas cogita, peccata tua versa.

452. *Quàm sæuit in Iobũ Diabolus.* S.Zeno.

Vrget in IOBVM IOBI hostem Deus, in IOBVM excitat Diabolum, qui ad eum accedere illius virtutibus territus verebatur; quam acriter in eum sæuierit incitatus colligi ex furore potuit, quo blandus æstuat, & non incitatus, quod sic expendebat sanctus Zeno serm. de Iob: *Iam hic,* inquit, *considerate fratres, quemadmodum sæuierit incitatus, qui ferri non potest blandus;* sed deiicere tantum athletam non potuit, qui eius sæuitia fortior euadebat.

Iobi laus, & commẽdatio. S.Aug.

Iobum sic efferebat sanctus Augustinus lib. qq. ex vtroque mixtim q. 118. *Quàm admirabilis est sanctissimus* IOB, *qui ante legem literis editam in operibus suis exemplar legis ostendit. nulla in hac causa, alicuius documento addiscens, sed natura ipsa duce, cui Deus iustitia semen naturaliter inesse decreuit, vnde creatori reuerentiam pia deuotione seruauit. Quanta ergo laude dignus est, & quibus verbis facta eius debent extolli, cui non ante legem, neque post legem parem possimus inuenire; quamuis enim quis posset gesta eius imitari, non tamen cum eo conferendus est, neque ei simili iure dicetur. Non enim suum esset, quod talis extitisset, quia exemplum secutus est alienum. Sanctus autem* IOB *cùm nihil tale vidisset, neque voluminibus lectitasset, talem se præstitit, vt nullius aliquid in se collatum haberet, sed ipse cæteris conferret, formam præbens mirabilium gestorum ad Deum promerendum. Quare & Domini testimonio commendatur, dicens: Animaduertisti, ait, puerum meum* IOB? *Non est enim similis ei quisquam in terris, verus Dei cultor.*

Humili

Iobo ut se cõtulerit sanctus Gregorius Nazianzenus.

Humiliter de se sentiens sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de suis calamitatibus, IOBO ita se comparabat, vt ab eius innocentia, & sanctitate se abesse fateretur, illi proximior factus, quo humilitatis sensu se longiùs ab ipso distare putabat, hæc illius verba sunt, hæc mens:

More quidem IOBI *crucior, sed dispare causa.*
Non etenim dari cuiusdam militis instar
Viribus ipse meis fultus cum Dæmone sæuo
Luctor, vt egregie postquam certauero, palmam
Des mihi, succingásque caput victrice corona.
Nondum ego sum tantus, nec gloria tanta dolores
Consequitur. Verùm scelerum me pendere pœnas
Sentio.

Iobi puritas ac fides.

Tanta porrò IOBI puritas, & fides erat, vt vtriusque minimè circumseptus aggredi eum Diabolus non auderet, nisi in eum Deus vrgeret; quod expendebat his verbis sanctus Zeno serm. de Iob: *Tanto autem puritatis ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare Diabolus, nisi à Deo iussus.*

S Zeno.

EXCVRSVS LX.

Iobi virtus, & patientia, nobis in exemplum proposita.

Iobi exemplum *ad dura quæ ferenda nos prouocat.*
Iobi patientia, & fortitudo.
In omnium nostrûm vtilitatem *pati permissus est Iob.*
Præiuit Iob patientiæ exemplum *factus, vt nos sequeremur.*
Iobi fortitudo *in aduersis.*
Patientiæ *laus, & commendatio.*
Patientia *Regina virtutum.*
Molestiarum decoctio *patientia est.*
Validissima trabs *totius ædificij.*
Porta *quæ ad cælum ducit patientia.*
Patientia Martyres suos *cultores reddit.*
Fortitudo *patientiâ animanda.*
Plena *patientia sit, & contra omnia fortis.*
Patientia bonorum omnium fundamentum.
Pulchra patientia imago.
Patientia virtutum portus.
Vera animi tranquillitas *in patientiæ sinu.*
Patientia Dei character.
Iobi historia fortitudinem *inhalans.*
Patientia ferculis *Christus saginatus.*
Ab vnius mulieris impatientia *mundi totius ruina.*

453. *Iobi exemplũ ad dura quæque ferenda nos prouocat.* S.Zeno.

ANimom nobis inhalare ad dura quæque patienda IOBVS potest; nihil adest durum, quo non feratur, si Iobi spectetur exemplum: de quo ita scribit sanctus Zeno serm. de duplici tentationum specie: *Exemplum sanè, quod non debemus animo deyci in aduersis, habemus magnificum* IOB *inclinare in tristibus penitus nescientem: qui omnem Diaboli violentiam, velut torrentis cuiusdam aduersum se turbinem venientem immobili corde, inconcussa mentis viuacitate suscipiens, tanto clarior ex tentationibus factus est, quanto difficiliora, & periculosiora ei sunt ab inimico intentata certamina.*

Iobi patientia, & fortitudo. Tertull.

IOBI patientiam sic efferebat, sic explicabat Tertullianus lib. de patientia cap. 14. *O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem Diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia (fide Domino dedita) exclusit, quem Diabolus totis viribus frustra cecidit. Neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum, & testimonium, tam spiritu, quàm carne, tam animo, quàm corpore patientiæ perpetrandæ, vt neque damnis secularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus? Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, quum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias, cùm vxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia suadentem execraretur? Quid? ridebat Deus. Quid? dissecabatur malus cùm* IOB *immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.*

454. *In omnium nostrûm vtilitatem permissus est pati Iob.* Didym.

Dæmonis sæuitiei creditus Iobus est, credita & quæ illius vt virtus eius splenderet, & etiam in nostram vtilitatem eius fortitudo resiliret; nam Iob veræ fortitudinis character non solùm sui æui hominibus est effectus, sed omnibus omnium seculorum. Scitè Didymus in cap. 2. catenæ Græcæ *Illius potestatis rem omnem permisit, idque ad nostram omnium vtilitatem. Vt* IOBVS *character, formaque fortitudinis, tanquam in columna relinqueretur insculptus, essétque meta virtutis, non solùm illius ætatis hominibus, verùm etiam posteris.*

Præiuit Iob patiẽtiæ exemplum factus, vt nos sequeremur. S.Chrys.

Præiuit Iob, vt nos sequeremur; tanta tam forti animo, & inuicto Iobus pertulit, ídque in veteri Testamento, & ante gratiæ tempus; cur nos pudore non suffundamur multo minoribus pugnis succumbentes, maioribus muniti præsidiis sub Euangelij luce? Audiendus hic sanctus Chrysostomus, qui hom. 4. ad populum ita arguebat: *Quam igitur nos excusationem, vel qualem veniam habere possumus humanam tentationem non ferentes, tantopere in gratia cum disciplina versati, cùm ille ante gratiam, & in veteri Testamento illud tam intolerabile bellum generosè tulerit?*

455. *Iobi fortitudo in aduersis.* S.Basil.

Iobi in aduersis fortitudinem ita explicabat sanctus Basilius hom. in ditescentes; *Duplex*, inquit, *est tentationum genus: nam vel corda hominum tanquam aurum in fornace patientiam afflictis rebus aduersisque probantur, quæ ipsorum coarguant, ac declarent probitatem: aut certè ipsa vitæ prosperitas sæpenumero multis tentationis, & experimenti loco est. Æquè enim durum videtur in rerum difficultate minimè deyci, & infractum seruare animum, ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam, & quidem prioris exemplum magnus* IOB *inuictus athleta præ se tulit, qui omnem Diaboli violentiam, veluti terrestris impetum inconcusso corde, firmóque proposito cùm excepisset, tanto maior tentationibus apparuit, quanto duriora illi, vixque eluctabilia ab hoste visa sunt obiecta illi certamina.* IOBI vestigia premit, qui premitur aduersis, & à leuioribus malis, minoribúsque tribulationibus non sinat fortitudinem suam succumbere, constantiam flecti, quod non fecit IOB in maioribus grauioribúsque.

Patiẽtiæ laus, & commendatio. S Zeno. *Patiẽtia Regina virtutũ.* S.Petr. Dam.

Patientiam sic efferebat sanctus Zeno serm. quem in eius laudem conscripsit: *Tu*, inquit, *specialiter omnem populum, diuinásque virtutes, quasi crines effusos in vnius verticis nodum, honorem, decorémque conducis.* Sanctus Petrus Damianus reginam virtutum vocat epist. 119. *Cùm assiduè*, inquit, *videamini*

videamini diuinis insistere paginis, mirum est quomodo vobis adhuc ignota sit patientia Regina virtutum? Verè adhuc ignota plerisque est, quia illam suæ mentis hospitio non dignantur exulem à se abire. Sancto Gregorio Nazianzeno in poëm. de definitionibus, *Patientia molestiarum decoctio*, vocatur. Sanctus Chrysostomus hom. de ipsa, *validissimam totius ædificij trabem appellat, cui reliqua tecti moles incumbit*, haud dubiè casura, nisi patientia substernatur. Sanctus Bernardus in sententiis, *Porta cœli humilis patientia, quæ est porta ferrea ducens ad ciuitatem, & amoris concordia, quæ est porta orientalis*; ad patientiam sic nos inhortatur sanctus Nilus in parænesi: *Patientiam etiam, antequam necesse est exerce, vt ipsius armaturam paratam inuenias, etiam in necessitate.*

Molestiarum decoctio. S.Greg. Naz. *Validissima trabs totius ædificij.* S.Chrys. *Porta quæ ad cælum ducit.* S.Bern. S.Nilus.

Patientiam, cultores suos Martyres reddere censuit Beatus Laurentius Iustinianus cap. 2. de patientia, ait quippe: *Sine ferro, & flamma Martyres esse possumus, si patientiam veraciter in mente seruamus*; effundere sanguinem non potes? mentis sinu patientiam excipe, & Martyr audies.

Patientia Martyres suos cultores reddit. S.Laur. Iust.

456. Parum nobis fortitudo proderit si patientia non animetur; hinc Christus Luc. 21. *In patientia*, inquit, *vestra possidebitis animas vestras*; signanter patientiæ meminit, non fortitudinis, vt hanc nihil præ illa esse colligeremus. Aduocandus hic Vgo Carensis, qui in cap. 16. Prouerb. hæc verba ad hanc mentem expendens aiebat: *Non in fortitudine, sed in patientia, dicit Dominus, possidebitis animas vestras*; verè non se possidet, qui patientiam non possidet.

Fortitudo patientia animanda. Vgo Car.

Probanda patientia, atque possidenda, sed quæ sit plena, parata aduersa omnia suo sinu excipere, tentationes omnes ferre, vt ob id Apostolus *multa* epitheto eam insignierit, 2. Corinth. 6. v. 4. *In multa*, inquit, *patientia*; & statim adiicit, *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs*: nimirum multa patiêtia opus est occurrere rebus multis, quæ iam vellicant, & exercent, vna patientia, quæ circa vnam dumtaxat aduersitatem verset, cæteras non ferat, adeò vna est, vt verè sit nulla. Sanctus Chrysostomus hom. 12. in hanc epistolam in hæc verba, *in multa patientia*, hæc habet: *In quibus verbis bonorum omnium fundamentum posuit*; verè enim fundamentum patientia plena est; addit, *quæ etiam de causa non simpliciter patientiam dixit, sed multam, addit, vt illius magnitudinem declararet; neque enim vnum aliquod, aut alterum incommodum perferre magna laudi ducendum est. Itaque densa tentationum agmina subiungit, dicens, in tribulationibus, in necessitatibus*, & quę sequuntur; hæc patientia enituit in IOBO, quem non vno tentationis, & tribulationis genere, sed vario, & multiplici Deus exercuit, & nobis in exemplum proposuit.

Plena patientia sit, & contra omnia fortis. 2. Cor. 6. 4. *Patientia bonorum omnium fundamentum.* S.Chrys.

457. Patientiæ imaginem eleganti, hoc est, suo penicillo pergit Tertullianus lib. de patientia cap. 15. *Age iam*, inquit, *si & effigiem, habitumque eius comprehendamus, vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectus. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis, & innoxiis. Motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimè, & mansuetissimè, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet.*

Pulchra patientia imago. Tertull.

Patientiam virtutum portum in qua se recipiunt, si quis dixerit, habebit calculum suum adiicientem sanctum Zenonem, cuius hæc sunt verba serm. de patientia: *Et si beata diuersis vita virtutibus quæritur, cuius cupidinem flagrans humanitas per momenta suspirat, tamen omnes vno, eodémque consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum*; mentis nauis fluctuat, extra hunc portum, & vndarum voluminibus absorberi facilè potest.

Patientia virtutum portus. S Zeno.

Vera animi tranquillitate qui frui vult, patientia polleat, patientia sit insignitus, Psalm. 91. 15. quod nos habemus, *Bene patientes erunt vt annuntient*, sanctus Augustinus legit, *& tranquilli erunt vt annuntient*: ac si in idem resiliret tranquillum aliquem esse, & patientem; cùm impatientia turbatio comitari, & motus solent.

Vera animi tranquillitas in patientia sinu. Psalm. 91. S.Aug.

Dei character, & insigne patientia est, vt vel ab hac Dominum cognoscere Pharisæi potuerint, si voluissent. Grauiter in hanc rem Tertullianus lib. de patientia cap. 3. *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio, & structio, satis apertè non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo probant his, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.*

Patientia Dei character. Tertull.

IOBI historia fortitudinem lectoribus inhalat; sancti Basilij hæc sunt verba, hæc mens, ep. 1. *In fortitudine instituitur lector ex historia* IOBI, *qui vita in contrarium ipsi cedente, ac prorsus immutata, egens ex beato, orbus ex pulchra prolis parente vnius diecula momento factus, non idem modò suique simillimus mansit, celsos animi spiritus ad extremum vsque retinens, sed ne amicis quidem eius qui ad consolandum eum venerant, tandem ipsi insultantibus, dolores eius exacerbando, iracundè irritatus est.* cur non iisdem animis paria, aut supparia patiamur? IOB tanta passus est, ante Christi aduentum, antequam videret Deum pro se hominem factum, flagellis cæsum, cruci affixum; nos qui hæc pro nobis facta credimus, ad dura quæque ferenda mentem non firmabimus, non armabimus animum.

Iobi historia fortitudinem lectoribus inhalat. S.Basil.

Morituris ea in cibum exhibentur, quæ illis iucundiora, nihil illis negatur; Christus moriturus patientiæ ferculis saginatur. Festiuè Tertullianus lib. de patientia cap. 3. *Taceo quòd figitur; in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumelijs opus fuerat? sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est.* Qui Christi seruus audire vult Christum imitetur, saginetur patientiæ ferculis.

Patientia ferculis Christus saginatus. Tertull.

EXCVRSVS LXI.

Nonnulla alia in Iobi laudem commendationémque.

Iobum non perambulat *Satan, quia terra sublimior totus cælestis.*

Iobus ipsa vis; *vis animi, in corporis* vulneribus *non vulneratus.*

Iobum aggredi *Dæmon non audebat.*

Cur Deus satanæ Iobum flagellandum *permiserit, non ipse flagellauerit.*

Vlceribus

Vlceribus vestitus *Iob.*

Ditior interior *factus Iob, quo extimè pauperior.*

Illæsus *inter iacula Iobi animus.*

Ad vitam creuit *Iob ex verbere.*

Iob post tribulationem *clarior.*

Tribulationes præsens superbiæ *remedium, iactantiæ medicina.*

Iob foris pauper, intus diues.

Deus ob Iobi merita cum Satana loquitur.

458. TErram dixit Satan se petambulasse, nil mirum Iobum non calcasse, non vicisse, qui in cœlo mente viuebat. Euagrius in catena Græca cap. 2. *Idcirco Iobum non perambulat, quia non est sub cœlo, cùm in cœlo vitæ suæ positas habeat rationes; Iobum non perambulat, quia cœlestem erat politiam adeptus;* terra ipsa maior, maior mundo.

Iobum non perambulat Satan, quia terra sublimior totus cœlestis.
Euagrius.
Iobus ipsa vis, vis animi in corporis vulneribus non vulneratus.

Quòd si corpus læsit, lædere Iobi mentem Satan non potuit, atque adeò Iobum ipsum circuire non est visus, qui in Iobi tantum corpus sæuiit, cùm solus nihil ferè commercij cum suo corpore haberet, totus ferè in mentem immigrasset, nihil nisi spiritum saperet, nihil cogitaret. Præclarè Cæsarius dial. 3. *Minimè per corporea vulnera lædebatur animus: nec vermes, licèt vtrem perforarent, intus repositum thesaurum adoriri poterant. Non enim corpus Iobus erat, sed Iobus erat ipsa vis animi rationis particeps.*

Cæsarius.

Iobū aggredi Dæmon non audebat.

Adeò fortis, strenuúsque Iob erat, vt Satan eum aggredi non auderet, nisi Dei verbis irritatus, neque enim legimus in ipsum sæuisse, nisi postquam Deus illum extulit; *Nunquid*, inquit, *obseruasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, rectus, & timens Deum, & recedens à malo*, Iob 1. v. 8. ferierunt hæc Diaboli mentem, ferre tantam laudem non potuit, in rabiem efferatus, Iobum in nequitiæ suæ exercitium postulauit, qui priùs eius fortitudine territus ab eius tentatione abstinuit, nunc non obsequi malitiæ suæ non potuit, quin in eum apertè sæuiret. Huc spectant sancti Chrysostomi verba serm. in Beatos Abraham, & Iob. *Quis tam strenuus, ac fortis, sicut Beatus* IOB, *quem vidit quidem Diabolus, aggredi tamen primùm detrectauit.*

Iob 1. 8.
S. Chrys.

459. Flagellandum IOBVM Satanæ permisit Deus, cur non ipse flagellauit? ne Satan iterum columniaretur, mitiùs in eum actum calumniam eius auerterit, dum percutiendum ei Iobum tradit. Præclarè idem sanctus Pater hom. 1. ad populum Antiochenum: *Non ipsum percussit Deus, ne rursum Diabolus diceret, Pepercisti, & non tantam, quantam oportebat, intulisti tentationem, sed ipsi tradidit Diabolo.*

Cur Deus Satanæ Iobum flagellandum permiserit, nō ipse flagellauerit.
S. Chrys.

Ad nuditatem IOBVM Satan redegit, quem opibus spoliauit, vestiuit eum vlceribus, sic enim loqoitur sanctus Zeno serm. de patientia: *Ipsum*, inquit, *postremò* IOBVM *quem diuitijs spoliauerat magnis, magnis vestit vlceribus*; nudauit perituris opibus, ditatos est non perituris. Sancti Gregorij 3. moral. cap. 6. hæc sunt verba: *Quem solum exteriùs nudum reddidit, hunc interiùs ditiorem fieri, per exhibitam laudem conditoris inuidit*; hinc colligitur veras diuitias tribulationes parturire. quò spectauit etiam sanctus Chrysostomus hom. 5. ad populum Antiochenum, vbi de Iobo. Iobique certamine, & luctu loquens ait: *Hinc disce tribulationis lucrum, quantum est: etenim quando diues erat, & otio fruebatur iustus, vnde accusaret ipsum habuit mendaciter quidem.*

Vlceribus vestitus Iob.
S. Zeno.

Ditior interior factus Iob, quo extremè pauperior.
S. Chrys.

Percussit Satan Dei athletam, sed infractus eius animus lædi nil potuit, percussus ipse est, qui percutiebat: ita sanctus Prosper de promissionibus part. 1. cap. 22. *Tot iaculis emissis, illæsus manet* IOB: *cuius, vt militis Dei, vno ictu percutitur Diabolus: Nudus exij*, inquit, *de vtero matris meæ: nudus reuertar in terram.* Adeò non læsus est IOB vulneratus, vt ad vitam, ex verbere creuerit, sic enim loquitur sanctus Gregorius lib. 3. moral. init. *Beatus* IOB *ad mortem petitus in tentatione ad vitam creuit ex verbere*; à tribulatione lumen, splendorem mutuasse asserit sanctus Chrysostomus hom. 66. ad populum Antiochenum: IOB *clarus quidem erat, & in quiete, clarior autem post tribulationem apparuit*; quis ergo deinceps tribulationes defugiat, cùm tot bona afferant illas ferenti? 460.

Illæsus inter iacula Iobi animus.
S. Prosper.
Ad vitam creuit Iob ex verbere.
S. Greg.
Iob post tribulationem clarior.
S. Chrys.

Vtiles comprimendæ superbiæ tribulationes sunt, nam ad modum nubis se habet, quæ à nostris oculis nobis nostrorum operum lucem, solémque eximunt, vt proinde eorum conspectu tribulationibus obsitus non intumescat. Præclarè ad hanc mentem Beatus Bernardinus Senensis serm. 8. *Permittit diuina misericordia nobis insurgere validas tribulationes, quæ oculos nostræ mentis obnubilent, ne bona, quæ operamur videntes erigamur in superbiam, perdamúsque lucrum nostrorum laboriosorum sudorum.* Ditiores plerique fuissent, si diuitias suas minimè vidissent; probiores aliquos haberemus, si se probos non haberent.

Tribulationes præsens superbiæ remedium, iactantiæ medicina.
S. Bern. Sen.

Pauper effectus fuerit IOB diuitiarum omnium spoliatione; intus diues erat, & intus thesaurum seruabat, vt ab eius ore diuinarum laudum gemmæ prodierint. Audiendus hîc sanctus Augustinus, qui conc. 3. in Psalm. 30. hæc in Iobi laudem affert: *Humiliatus videbatur, vide si miser factus est, vide si non erat in abscondito vultus Dei. Nudus, ait, exij de vtero matris meæ, nudus reuertar in terram. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Istæ gemmæ laudes Dei vnde sunt? Videte foris pauperem, intus diuitem. Istæ gemmæ laudes Dei non exirent ex eius ore, nisi thesaurum haberet in corde. Qui diuites esse cupitis, tales diuitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere.* O hanc mentem diuites ebiberent! verè diuites ita fierent, veris diuitiis referti. 461.

Iob foris pauper intus diues.
S. Aug.

Quod cum Satana loqui Deus noluerit, in Iobi sanctitatem referendum est, indicauit istuc sanctus Chrysostomus in catena Græca Luc. cap. 10. *Nemo*, inquit, *prætexat me vilem esse, & nullius pretij hominem, sum etenim talis; sed solet plerumque Deus etiam huiusmodi hominibus assistere propter multos, quod vt intelligas, Caino loqui dignatus est propter Abel, Diabolo propter* IOBVM; *Nabochodonosori propter Danielem, Baltassari propter eundem*; tanti suorum seruorum sanctitas, & innocentia à Deo fit, vt illorum causa & impios etiam alloquatur, quos alioquin à sui colloquio arceret, ac propulsaret.

Deus ob Iobi merita cum Satana loquitur.
S. Chrys.

EXCVRSVS LXII.

Iobi exemplo gratiæ in tribulationibus agendæ.

Vulnus Diabolo *intulit Iob dum vulneratus gratias egit.*

In aduersitatibus Iobi exemplo *Deus laudandus.*

Pro aduersitatibus gratiæ Deo *agendæ.*

Christi exemplum *de agendis in tribulationibus Deo gratijs.*

Grato

Grato animo *aduerſa ferenda.*
Etiam in aduerſis *Deus benedicendus.*
Non ob aliquas *tantùm tribulationes agendæ Deo gratiæ, ſed ob* vniuerſas.

462. *Vulnus Diabolo intulit Iob dum vulneratus gratias egit.* S. Chryſ.

ADeò non fractus eſt aduerſitatibus Iob, vt gratias etiam Deo ageret, Deum benedixerit, quo tam graue vulnus diabolo intulit, vt in eum ſæuire ampliùs non fuerit auſus, eiúſque vitæ & moribus detrahere; quod expendebat his ferè verbis ſanctus Chryſoſtomus hom. 1. ad populum Antiochenum, vbi de Iobo loquens ait: *Vt ſcias, quòd grauius poſtea vulnus intulit diabolo, cùm ſpoliatus gratias egit, quàm cùm poſſidens miſerabatur. Aduerte quando poſſidebat, ſuſpicionem quandam habuit Diabolus, etſi falſam habuit, tamen vnde diceret, Num gratis Deum colit* IOB? *Poſtquam ei omnia abſtulit, & ipſum omnibus ſpoliauit, hic autem eandem in Deum charitatem præſtitit, tunc demum obſtructum eſt os impudens, & nihil amplius, quod diceret, habebat.*

In aduerſitatibus Iobi exemplo Deus laudandus. S. Gaud.

In calamitatibus, ac tormentis IOBI vox inſonuit, Deum benedicens, Deum laudans; vt idem Iobi exemplo veri Dei cultores deinceps præſtarent; quod docuit his verbis ſanctus Gaudentius præfat. in ſuos tractatus: IOB, inquit, *inter diſpendia omnium facultatum, inter funera tot natorum, inter atrociſſimos ſui corporis cruciatus, & inteſtinos dolores approbrij coniugalis, laudat, & magnificat omnipotentem Dominum verus Dei cultor. Et nos itaque ſi cultores Domini ſumus, imitemur patientiam triumphalem, quam ſolam ſpoliatus vniuerſis non ſolùm facultatibus, atque pignoribus, ſed ipſis etiam corporis ſui carnibus inconcuſſa fide poſſidet, verus Dei cultor.*

Pro aduerſitatibus gratiæ Deo agendæ.

Etiam pro aduerſitatibus gratiæ Deo agendæ ſunt; nam beneficij loco habendæ ſunt de iniuriis, quas inferunt Reges terreni. ita in ſententiis Ethico-politicis ſcribitur: *Et gratiæ aguntur Regibus pro iniuria.* Cur Deo pro illatis tribulationibus non agantur, cùm hæ non iniuriarum loco habendæ ſint, ſed munerum?

463. *Chriſti exemplum de agendis in tribulationibus Deo gratiis.* Marc. 14. Vict. Antioc.

Gratias in aduerſis agendas docuit exemplo ſuo Chriſtus, qui ante paſſionem hymnum cecinit; ait enim ſanctus Marcus cap. 14. *Et hymno dicto exierunt.* Non agendas poſt menſam tantùm Deo gratias oſtendes, ſed & aduerſitatibus omnibus Dei laude, ac benedictione occurrendum, vt hac veluti armatura muniti fortiores aduerſa omnia excipiamus. Opportunè Victor Antiochenus hîc: *Ante paſſionem laudes gratéſque Deo depromit, per hoc oſtendens, ſe vltrò libentérque pati. Tum hoc quoque exemplo nos admonens, vt aduerſa grato, patientíque animo perferamus;* quæ eo leniora videbuntur, quo gratiori animo excipientur.

Grato animo ferenda aduerſa. Marc. 14. Vict. Antioc.

Grato, libentíque animo ferenda ſunt aduerſa, non forti tantùm, & infracto. iturus ad paſſionem Chriſtus cecinit priùs hymnum; Marc. 14. v. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum,* vt vel cantu proderet grato animo mala omnia toleranda. Scitè Victor Antiochenus hîc, *Ante paſſionem laudes, gratéſque Deo depromit, per hoc oſtendens, ſe vltrò, libentérque pati. Tum nos quoque exemplo hoc admonere, vt aduerſa grato, patientíque animo perferamus.*

Etiam in aduerſis Deus benedicendus. Rom. 12. Primaſius.

In aduerſis quoque benedicendum Deum indicauit Apoſtolus, dum dixit ad Rom. 12. *Omni tempore benedicentes;* quid eſt, omni tempore benedicere? *In proſperis, & in aduerſis,* inquit ibi Primaſius. Verus in hac re fuit, qui cenſuit pluris ad Deum meriti ſi quis aduerſitate preſſus, vel ſemel Deo gratias inclamet, quàm ſi millies, id extra tribulationem poſitus efferat.

Non ob aliquas tantùm tribulationes agendæ Deo gratiæ, ſed ob vniuerſas. S. Doroth.

Ferendæ tribulationes ſunt, agendæ pro aduerſitatibus gratiæ, non ob aliquas tantùm, quæ minus diſplicent, aut quæ meritis immittuntur, ſed ob vniuerſas. Præclarè ſanctus Dorotheus ad fratrem ſcribens tentationibus oppreſſum; *Recordare,* inquit, *fili eius, qui dixit, quòd per multas afflictiones oportet nos intrare in Regnum cœlorum, non adiiciens per has, aut illas, ſed dicens indefinitè, per multas; & tu igitur ſufferas, quæ incidunt cum gratiarum actione, in ſcientia tanquam iucunda, ſi non habes peccatum, ſin minus tanquam purgantia te ab affectibus, aut præparantia Regnum cœlorum.* Veræ patientiæ virtute deſtituitur, qui omnes aduerſitates forti, æquóque animo non ſuſtinet, & pro cunctis Deo gratias non agit.

EXCVRSVS LXIII.

Aduerſitas eos probat, quibus affricatur; ſanitas, ſanctitáſque, vt venæ contactu, tribulationibus probatur.

Virtus *perſecutione, & tribulatione* probatur.
Sanctitatis thymiama *tribulationis igne probatur.*
Inſtar dolij *percuſſi aduerſitatibus probatur iuſtus.*
Qualis *quiſque ſit, ex tribulationibus dignoſcitur.*
Opus tribulationis igne *probatur.*
Ex tribulatione, vt ex venæ contactu, *ſanitas ſanctitáſque dignoſcitur.*
Hoc contactu probata Iobi *ſanctitas.*
Iobi virtus Dei contactu *immiſſiſque à Deo tribulationibus probata.*
Magni apud Deum *meriti aduerſitates ferre.*

HOc quoque boni tribulatio habet, quòd bonos probat; plerique bonitatis laruam habent, quam vbi vehemens tribulatio eos corripuerit, ſtatim adimunt, & quales verè ſint apparet. *Virtus,* inquit ſanctus Petrus Damianus ſerm. 40. *in pace aquiritur, in perſequutione probatur;* id ignis exemplo ita confirmat & explicat Beatus Laurentius Iuſtinianus de patientia cap. 2. *Sicut ſub vno igne aurum rutilat, palea fumat; ita vna eadémque tribulatio irruens bonos probat, purificat, & elucidat: malos autem damnat, vaſtat, & exterminat.* Et ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4 Glaphyrorum in Gen. *Quemadmodum probatiſſima thymiamata igni admota odoris, quo prædita ſunt, ſpecimen edunt, ita etiam ſancta anima igne quodammodo probata per tentationes, & labores luculentiùs multo exiſtentis in ipſa multimodæ virtutis argumentum edit.* 464. *Virtus perſequutione, & tribulatione probatur.* S. Petr. Dam. B. Laur. Iuſt. *Sanctitatis thymiama tribulationis igne probatur.* S. Cyrill. Alex.

Inſtar dolij percuſſi aduerſitatibus probatur iuſtus. Anonym.

Dolium percuti ſolet, vt probetur an vino plenum ſit, néc ne; ſic percuſſione exploramus quoque an vitrum fractum ſit. Iſtuc idem præſtat Deus dum nos tribulationibus immittit. Feſtiuè auctor quidam anonymus adhuc ineditus, in feſto B. Petri Martyris: *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ. ſolet fieri percuſſio ad probandum, ſic percutitur*

dolium, vel vitrum. Iob 2. Percussit IOB *vlcere pessimo*, vt scilicet ita probaretur, an verè Deo Dei amore seruiret, & obsequeretur.

Qualis quisque sit ex tribulationibus dignoscitur.
Psal. 7.

Voluit istuc quoque Dauid Psalm. 7. dum dixit, *Consummmetur nequitia peccatorum, & diriges iustum*; hoc est, vt probæ notæ auctores interpretantur, nequitia peccatorum crescet vsque ad summum, vt tota consummetur in vexatione iustorum; aut, secundùm alios, consummetur, seu consumatur, desinátque peccatorum malitia & tribulationibus exerciti fines eorum nequitia iam accipiat; quid sequitur? *Scrutanda corda, & renes Deus*; probus nexus, nec mysterio viduus; vbi de tribulationibus agitur, scrutans corda Deus vocatur, quia tunc qualis quisque sit apparet, cùm tribulationibus premitur; id quod tetigit sanctus Thomas in huius Psalmi commentario, ait enim: *Cùm dixit consummetur nequitia peccatorum, conuenienter dixit, scrutans, quia in tribulatione maximè apparet conditio hominum.*

S. Thom.

465.
Opus tribulationis igne probatur.
B.Laur. Iust.

Operantes probat tribulatio, probat & opus, vt iure dixerit Beatus Laurentius Iustinianus in prologo de triumph. Christi agone; *Vniuscuiusque opus, quale sit, tribulationis ignis & persecutionis, ac tentationis probat procella.*

Ex tribulatione, vt ex vena contactu sanitas, sanctitas dignoscitur.

Præterea sanctitas tribulationibus, & calamitatibus probatur, vt venæ contactu explorari corporis sanitas solet; si extimam quis alicuius faciem contemplatur, sanus, si oculis credat, apparebit, & tamen falluntur plerumque oculi, admouenda manus venæ est, vt tactu probetur sanitas, vel ægritudo, quæ plerumque delitescit. Ex venæ contactu febris proditur, & plerumque, qui sanus extimè videtur, ex vena probatur infirmus; idem in Dei amore accidit, amare aliquis Deum videtur, dum res secundæ sunt, verè non amat, Dei inimicus est, quod tentatio aperit tanquam si animæ vena tangeretur. Festiuè sanctus Augustinus serm. 15. ex 40. qui nouissimè viderunt lucem, *Citò*, inquit, *in vna tentatione offendit Deum homo, & fit inimicus. Immo non tunc fit inimicus, sed tunc proditur inimicus fuisse. Nam quando diligebat, & laudabat, inimicus erat, sed nec ipse sciebat, nec alij. Accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris. Itaque fratres, dilectio mundi, & amicitia mundi inimicos Deo facit.*

S. Aug.

Hoc contactu probata Iobi sanctitas.
Iob. 1. 11.

Suspecta IOBI sanitas, sanctitásque Satanæ erat, putabat sub extima illa sanitatis specie latere ægrientem mentem posse, Deum monet, vt IOBI rebus tanquam medicum admoueat manum; ait enim cap. 1. v. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*; & cap. 2. v. 5. IOBO ipsi admouere Dei manum postulat, vt eius sanitas, sanctitásque probetur, putans eius infirmitatem apparituram; ait quippe, *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi*, ac si apertiùs diceret, tanquam medicus tribulatione, & morbo manum ei appone, & videbis num vere sanus Iob sit verè sanctus.

466.
Iobi virtus Dei contactu, immissisque à Deo tribulationibus probata.
S. Gaud.

Tetigit Deus Iobum, variis eum calamitatibus afflixit; variis cruciatibus affecit, in facultatibus, in filiis, in carne eum tentauit, & firmus, sanus, inuentus est, probauit illius sanitatem Deus, licèt antea sciret, probauit tamen, vt os Satanæ occluderet, Angelis lætitiam exhiberet, hominibus exemplum; quod elegantissimè prosequitur sanctus Gaudentius præfat. ad suos tractatus in hæc verba; *Iustos verò, & inculpabiles quosque sicut S.* IOB *(de quo scribitur, quòd fuerit homo sine querela, verus Dei cultor) hac de causa Deus omnipotens vel damnis facultatum, vel orbitatibus charorum, vel angustiis persequutionum, vel dolorum carnalium stimulis tentari permittit, vt probet. Probat autem non sibi, qui ante nouit vniuersa, quàm fiant, sed Angelis, & hominibus, vt eos ex factis probos nouerint; quoniam intueri non possunt, quas solus nouit scrutans corda, & renes Deus. ipse enim nouit occulta cordis, vt Propheta sermo testatur. Et ideo forsitan Beatus Apostolus inter multiplicium tribulationum persequutionúmque tentacula constitutus aiebat: Quoniam spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus, Angelis quidem iustos suos Deus probari ideo vult, vt consummatam Sanctorum iustitiam latantes agnoscant. Latantes enim beati Angeli in cœlo, vt ait Dominus Iesus, etiam super vno peccatore pœnitentiam agente. Hominibus autem probatam esse vult perfectionem iustorum: vt ad perseuerantiam dilectionis Dei, eorum prouocetur exemplo.* Hactenus Sanctus iste.

Quanti apud Deum meriti sit aduersitates omnes propter Deum ferre, ex his verbis colligi potest quæ refert Ludouicus Blosius in monili spirituali cap. 9. *Sancta Gertrudis diuinitus intellexit quòd quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas tam corporalis, quàm spiritualis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum diuinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum vt grauatus quisque confidenter dicere possit hac verba: Annulo suo subarrhauit me Dominus Deus meus Iesus Christus. Quòd si inter ipsa aduersa potest dono Dei etiam laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, iam tanquam sponsa amabilis coronam obtinet à Domino; quia gratitudo animi in aduersis, est ornatissima, atque pretiosissima corona animæ.*

Magni apud Deum meriti aduersitates ferre.
Lud. Blos.

EXCVRSVS LXIV.

Tribulationis funis peccatorum vinculis soluendis.

צרר *quid*, funis, *&* tribulationis *nexus.*
Afflictio vitia ligat.
Ab Ægyptiaca seruitute liberati *Iudæi vitiis fuere* obstricti.
Charitatis vincula *tribulationes.*
Afflictionum vinculis, *tanquam amentes ligantur homines, ne in alios sauiant.*
Vincula *tentationum peccatorum vincula soluunt.*

VEtè ita est, funis munere tribulatio fungitur, vinculorum officium obeunt aduersitates, & angustiæ; adeamus Hebraicum fontem, & inter se hæc duo inueniemus cohærere. nam verbum צרר *zarar*, significat non solùm ligare, sed etiam angustiis afficere, vt tacitè moneamur, angustias, & tribulationes vinculorum nobis loco deseruire. 467.

צרר *quid, funis, & tribulationis nexus.*

Et in primis afflictio vitia quodammodo ligant, ne in nos irruant, nos inuadant; festiuè rem habet sanctus Chrysostomus in Psal. 9. dum ait, *Quemadmodum alligatam bestiam non ita timemus, vt emissam; ita etiam vitium non est ita timendum in afflictione. tunc enim* ALLIGATVM *est animis*

Afflictio vitia ligat.
S. Chrysost.

mis ÆGRITVDINE, *& aliis vinculis, sed post quietem, & remissionem maximè timendum est.*

Ab Ægyptiaca seruitute liberati Iudei vitiis fuere obstricti.

Fitmat istuc exemplo Iudæorum, qui in Ægypto cùm premetentur angustiis, Idulolatriæ vitio se minimè fœdârunt; nos, eos hoc scelus momordit, quod eorum tribulatione veluti quodam vinculo ligabatur; solutis ipsis ab Ægyptiaca afflictione, soluta & hæc fera est, quæ Iudæos inuasit, & deuicit; *Iudai*, inquit, *ab Ægyptiis liberati bello vexabantur* (Idololatriæ;) subdit, *semper egemus Dei prouidentia, maximè cùm liberamur à malis*; quæ in hoc bona sunt, quia veluti quibusdam funibus vitia tenent alligata, ne ita liberè in nos desæuiant.

Idem.

Charitatis vincula tribulationes. Oseæ 11.4. Villal. in c.6. Ezech.

Vineulum afflictio est, quo nos Deus ad se allieit; Oseæ 11. v. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*; & quæ nam ista funicula sunt? an sunt afflictiones, & aduersitates? sunt. Benè bonus ille auctor; *In funiculis Adam traham eos; nempe* DOLORIBVS, *inquit, &* AFFLICTIONIBVS TRAHAM, *qua sunt mei erga illos amoris pignora; propterea addit, in vinculis charitatis*; produnt Dei in nos amorosa hæc vincula, trahere nos ad se vult per hæc funicula.

468. *Afflictionum vinculis tanquam amentes ligantur homines, ne in alios saniant.* S. Bern. Sen.

Etiam homines emotæ mentis ligari solent ne sibi, aliisque noceant; quid si istuc & Deus præstet, dum nos afflictionibus ligat, & flagellis ligatos erudit: Huc collimabit sanctus Bernardinus Senensis serm. 8. Sabb. post Cineres act. 1. cap. 2. in hæc verba: *Solent homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi, vt per dolorem corporis redeat sensus mentis; sic vtique, qui à sui cognitione alienati sunt, à Deo per flagella ad se ipsos recognoscendum misericorditer coarctantur.*

Vincula tentationũ peccatorũ vinculo soluunt.

Vincula tentationes sunt, funes aduersitates, quibus peccatorum feræ ligantur, ne in nos irrumpant; quid si nos peccata attripuerint, & nos è conuerso ligauerint? Tunc scelerum vincula rumpunt, sicut & ignis Babyloniæ fornacis pueros minimè læsit, sed vincula tantùm dissoluit. Præclatè sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 68. *Quemadmodum in tribus illis pueris non solùm ignis ipsos non attigit, sed & ad vinculorum dissolutionem subseruiit, nactus sua terminum efficacia ferrum abolendo; sic & tentationes ignauiam resecantes, ad sobrietatémque adducentes, omnes à peccatorum expediunt vinculis.* A vitiis liberiores essemus, si nos æquo animo aduersitatum vinculis, tribulationum funibus ligati sineremus.

S. Isid. Pelus.

EXCVRSVS LXV.

Dum nos vulnerat Deus, sanat.

Percutit Deus corpus, *vt* animam *sanet.*
Vulnerat *Deus, vt curet* vulnera.
Tormentis Deus mentes ægras sanat.
Tribulationis vstio, *&* sectio *ad sanitatem.*
Cauterium *plagis nostris Deus admonet, dum tribulationes immittit.*
Tribulationis ferramentum *plagis occurrit.*
Punitio vt magistra *ab errore nos auocat.*
Tribulationis vtilitates.

469. *Percutit Deus corpus.*

MEdicum Deus agit, vtitútque tribulationis igne, & ferro, vt curet, infligítque plagas, vt plagis medeatur; ipse vulnerat, & medetur, ait Iob cap. 5. percutit, & manus eius sanabunt. Vgo in Psal. 19. Percutit, inquit, corpus, sanat animam; & Petrus Blesensis epist. 31. *Flagello Domini puluis excutitur, quem ad deformationem anima iniquitas assiduata congessit, & exteriori vulnere* SANATVR PLAGA INTERIOR.

vt animam sanet. Iob. 5. Vgo Car. Petr Bles.

Vulnerat Deus, vt curet vulnera. S. Prosper.

Vulnetat nos Deus, sed vt euret vulnera; scitè sanctus Prosper in epigram.

Cùm Rex saluandis ipsa quoque consulit ira,
Vt CVRAT *medicus vulnera* VVLNERIBVS.

Tormentis Deus mentes ægras sanat. S. Basil. Sel.

Sanare morbos nostros Deus eupit, dum nos torquet, dum tribulationibus afficit; scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. *Tale est*, inquit, *numinis ingenium: virtute eum vincat, hominum amore vinci. Quamobrem nequitiam tormentis subiici, quibus voluntates castigat, sanans interim agritudinem. Nam quorum fuerit opifex, iis mederi non erubescit.*

Tribulationis vstio, & sectio ad sanitatem. S. Aug.

Plagis sanandis ignem Medicus admouet, admouet ferrum; præstat istud & cœlestis Medicus, vstionis, sectionisque vicem tribulatio supplet. Peritè sanctus Augustinus in Psal. 49. ad illud, *Tribulationem, & dolorem inueni*; addit ad explieatum: *Inuenis tribulationem tanquam aliquid vtile, putruerat tabe peccatorum suorum, iam sine sensu remanserat, inuenit tribulationem, tanquam* VSTIONEM, ET SECTIONEM.

470. *Cauterium plagis nostris Deus admonet, dum tribulationem immittit.* S. Antioch.

Medici munus cauterium plagis admouentis Deum exercere, notabat etiam sanctus Antiochus hom. 117. in hæc verba: *Dominus animarum nostrarum curator prouidentissimus, proinde ac vnus aliquis medica rei experientis; simul nostro omnium vsui consulens tribulationes infligit, & acrimoniam, asperitatémque vrentis* CAVTERII *aduersum coalescentem morbum admonet, integer vt sit homo, & incolumis.*

Tribulationis ferramentum plagis occurrit.

Sanat tribulationis ferramentum plagas, quæ nos eruciant, sed quod miseris vulnera ipsa anteuertunt impediúntque, ne illis anima fœdetur, docuit istuc exemplo suo Dauid, qui cùm Saul eum persequeretur, à scelere immunis fuit, in illud lapsus, dum persecutorem non sensit, tribulationis ferro earuit. Rem egtegiè versat sanctus Augustinus in Psal. 50. vbi de Dauidis lapsu agens ait: *Hoc peccatum non fecit Dauid cùm persecutorem Saulem pateretur. Quando Dauid sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diuersa fugiebat ne in manus eius incideret, non concupiscebat alienam, non adulterata vxore occidit virum; erat in infirmitate tribulationis sua tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio, vtile Medici ferramentum, & plagis illatis sanandis, & plagis auertendis, ne inferantur.*

S. Aug.

471. *Punitio vt à magistra ab erroribus nos auocat.*

Vtiles pressuræ sunt, vtiles eruciatus, quibus nos Deus aut punit, aut exercet; in Paradiso Eua Dei sui oblita Dei incurrit offensam, eiecta Dei memor possedisse se hominem per Deum dicit, *Possedi*, inquit, *hominem per Deum*; nimirum punientem agnouit, quem agnoscere beneficientem neglexit. Sistenda hîe sunt sancti Basilij Seleucieusis verba, qui orat. 4. ita loquentem Euam adducit: *Possedi hominem per Deum. Noui, inquit, meam diuini mandati transgressionem, noui à Paradiso excidisse me, iisque pertuli, docta sum, agnosco punitorem, excepi pœnam, qua* VT MAGISTRA ME AB ERRORE VINDICET, *seductionis pericula sufficiunt, alteras insidias non admitto.*

S. Basil. Sel.

Tribulationis vtilitates. Idiota.

Plures tribulationis vtilitates, ac commoda recenset doctus, piúsque Idiota lib. 2. de vera patientia, ait enim: *Nequaquam contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, & via recta ad vitam, quæ ita bonum quoddam, & datum optimum, quia elationem deprimit, lasciuiam reformat, intemperantiam edomat, & denique omnes actus illicitos.*

Qui suæ igitur saluti, ac sanitati consultum vult, petiti Medici manum admittat, secantem vrentémque Deum adeò non respuat, vt etiam laudet, vt etiam gratias secanti agat, agat vrenti.

EXCVRSVS LXVI.

Tentatio eos perficit, quos premit.

Tentatio iustos exercet, *&* perficit.
Recusat refici, *non recusat tentari.*
Socordia scoria *abstergitur afflictionum igne.*
Tentationis sal, *ne iustus resoluatur, & putrescat.*
In tentationibus iustitia floret.
Dei memoria per tentationes inseritur *memoriæ.*
Diaboli malitia iustos coronat.

472. *Tentatio iustos exercet, & perficit.*

SInit suos tentari Deus, vt probentur; vult tentationibus affici, vt proficiantur; efferre illos quærit dum premit, sanctiorem solum habemus, quia tentationibus exercitum habuimus; nun esset adeò perfectus, nisi tot ille fuisset affectus aduersitatibus. Accinit Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio cap. 6. *Virtus languet, nisi exerceatur: lacessita autem crescit. Ignis quo plus agitatur, plus serpit. Videmus syluestres feras cùm irritantur, indomitas fieri, quum verò quiescunt, mansuescere. Quis sufficienter narrabit ad quantum perfectionis culmen sanctum* IOB *euexerit tentatio?* Idem quoque in aliis præstat, qui æquo ferunt animo tentationes, forti ferunt, quod Deus offert.

B. Laur. Iust.

Recusat refici, qui recusat tentari. S. Aug.

Vera dum in artificis sunt manu poliuntur, exornantur, perficiuntur. idem Deus in suos præstat, dum permittit tentari; hoc volebat sanctus Augustinus in Psal. 94. *Si recusares*, inquit, *tentationem,* RECVSARES REFECTIONEM; *ergo reficeris, & si refueris, in manibus artificis es, aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat, agit quibusdam ferramentis suis,* NON VVLT REFICI, NON VVLT PERFICI, NON CONSVMMARI, QVI TENTATIONES FVGIT; addit sanctus Pater eodem loco, *sint tentationes, sint tribulationes, consummaris eis, non consumeris;* consumitur, qui ægrè eas sustinet, & victus manus dat; consummatur, qui tentationes libenti fert animo, & forti, exercétque virtutem in illis, non amittit.

473. *Socordia scoria abstergitur afflictionum igne.* S. Chrys.

Tentationibus perficitur, qui vt aurum, in igne omnem socordiæ scoriam deponit, omnem negligentiæ temporísque maculam abstergit. Peritè sanctus Chrysostomus in cap. 5. Isaiæ, *Quemadmodum,* inquit, *aurum igni traditum* SCORIAM *omnem* DEPONIT, *ita & qui in mediis tentationum procellis constituuntur, si solertes admodum sunt, & studiosi, omnem socordiam abstergunt, & à se depellunt.*

Tentationis sal ne iustus resoluatur, & putrescat. B. Laur. Iust.

Hoc idem salis metaphora, quod putredinem in iis anteuertit, & impedit, quibus adspergitur, explicabat Beatus Laurentius Iustinianus de obedientia cap. 4. in hæc verba: *Sicut caro si sale non adspergitur, quamuis sit magna, & præcipua, corrumpitur: ita & anima, nisi tentationibus assiduis* SALIATVR, *continuò resoluitur, & relaxatur. Per ipsa nempe testamenta anima negligentiæ putredinem excutit, & in spiritus viuacitate conseruatur;* quod priùs licèt pressiùs notauerat sanctus Ambrosius mansione 18. *Sicut quamuis caro præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur; ita & anima quantumuis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus, relaxatur.* S. Ambr.

Florere in tentationibus, iustitiam in prosperitate flaccescere, qui dixit, verus fuit, & vadem habuit auctorem sub nom. Chrys. hom. 3. in Matthæum aientem: IVSTITIA *in tentationibus* FLORET, *in prosperitate autem marcida est;* & Beatus Laurentius Iustinianus de casto connub. cap. 6. *Non absque spinis redolens nascitur rosa, neque sine tentationibus perficitur virtus, ambo connexa sunt.* 474. *In tentationibus iustitia floret.* S. Chrys.

Quidni tot bona à tentatione prodeant, tot nascantur vtilitates, cum per eam bonorum omnium fons Deus inseratur memoriæ, à qua illum facilè res secundæ obliterant? Scitè sanctus Isaac Presbyter de contemptu mundi lib. 1. *Sicut propinqua tibi sunt superbia, ita sunt & hominibus tentationes propinquæ: hoc autem disposuit Deus sapientia pro vtilitate tua, vt assiduè ostium suum pulses: & timore tribulantium in mente tua eius* MEMORIA *inseratur.* *Dei memoria per tentationes inseritur memoriæ.* S. Isaac.

Tentamenta malis ad exitium sunt, bonos verò coronant; coronarum materiam exhibet bonis diabolus, dum bonos tentat, cum vincunt, dum scilicet in tentationibus; Sanctus Ambrosius lib. de Parad. cap. 2. *Iudæ nocuit Diabolus, sed omnes Apostolos coronauit, qui malitiæ eius tentamenta vicerunt, te quoque coronabit si viceris.* *Diaboli malitia iustos coronat.* S. Ambr.

EXCVRSVS LXVII

Aduersa forti, æquóque animo ferenda, tanquam animæ salutaria.

Aduersitates modestiam *generant.*
Hominem liberum *reddunt flagella.*
Singulare beneficium *tribulatio.*
Limæ vice *tribulationes iustis deseruiunt.*
Flagella pactum salis.
Suos Deus erudit *dum tribulationibus exercet.*
Tribulatio, & afflictio animum ad recipiendam doctrinam *parant.*
In tribulationum nocte vera virtutum stellæ *apparent.*
Aduersitatum, & tribulationum fel *in* mel *vertuntur.*

VTiles sunt, & modestiam ingenerant, & inhalant secunda petulantiam, & immodestiam; id Iudæorum exemplo probat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 213. *Videtur*, inquit, *vt plurimum humana natura, in aduersis quidem rebus modestiam colere, in secundis autem petulantem se præbere, atque hoc ex iis, quæ Hebræis acciderunt, apertissimè liquet. Transierunt enim mare rubrum, nec periculi quicquam subierunt, cùm autem in terram venerunt, naufragium fecerunt.* 475. *Aduersitates modestiam generant.* S. Isid. Pelus.

Premit

Hominem liberum reddunt flagella.
R. Iochan.

Premit suos Deus, sed vt liberet, vt soluat; olim leuis percussio, & alapa libertatis, & manumissionis signum erat, vt alibi notaui; idem hîc fit. Rem probè & acutè colligit R. Iochanan apud Hebræos, qui ferè in hunc modum discurrit: *Quem Deus amat corrigit, & punit; si herus seruo dentem, aut oculum excutit, Dei lege tenetur eum liberum dimittere; quanto magis* LIBERVM HOMINEM *facient flagella à Deo inflicta, quæ totum hominem corripiunt, cor inuadat?* Singularis beneficij loco habenda tribulatio est; strictè sanctus Augustinus epist. 87. *Quid*, inquit, *non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? nam res prospera, donum est consolantis; res autem aduersa, donum est admonentis Dei.*

Singulare beneficium tribulatio.
S. Aug.

Limæ vice tribulationes iustis deseruiunt.
Aponius.

Limæ vice iustis tribulationes deseruiunt, qua rubigo omnis ab illis eximitur, & abraditur, lima martyrij cruciatus Martyribus fuerunt. Scitè Aponius lib. 1. in Cant. *Immaculata autem laudatur, & pro eius nomine moriendo, lima martyrij splendescit. Nullum enim aliud ferramentum fortius potuit reperiri, per quod antiqua scoriæ animæ* LIMARENTVR, *nisi martyrij* LIMAM.

476. *Flagella pactum salis.*
Rese Lakis.

Vtilia Dei flagella sunt, quod Rese Lakis apud Hebræos ita probabat, obseruans vocem ברית in diuinis litteris, & Dei flagellis, & cum sale, habemus enim PACTVM SALIS; vt rectè inueneretur, flagella ad modum salis se habere, vt sicut sal carnem condit, & præseruat à corruptione, sic etiam Dei flagella hominem à peccatis mundant.

Suos Deus erudit dum tribulationibus exercet.

Suos Deus erudit dum aduersitatibus exercet, pericula ipsa proba monita sunt, & creaturæ, quæ in nos sæuiunt præceptores. Dormiebat Dominus in naui, orta interim tempestas est, vndæ fluctuant, timent Apostoli; quò fluctus iste spectabat marisque æstus, vt Apostolorum fides firmaretur, diceres mare Doctoris loco orbis Doctoribus fuisse; dixit istuc priùs sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 22. apud quem Christus ita loquitur; *Esto mihi discipulorum* PRÆCEPTOR, *ô mare, & pro flagro fluctuum terrorem iniice; attollantur vndæ suæ, armentur venti, iactetur vndequaque scapha, naufragij mina intententur, mors ostentetur, mortis expectatione pendeant, vsque ad spem tamen stet terra: nam terreri volo, non occidi.*

S. Basil. Sel.

477. *Tribulatio, & afflictio animum ad recipiendam doctrinam parant.*

Luxus doctrinæ hostis solet esse, in luxu, in deliciis non facilè sedem suam doctrina, & eruditio locat; angustia verò, tribulatio, afflictio animũ, ad excipiendum doctrinã parant; hinc est, quod Dei notitiam populus, Hebræorũ percepturus à Moyse, priùs in Ægypto suppliciis, & tribulationibus premitur, vt idoneus recipiẽdæ doctrinę redderetur. Huc facit illud eiusdem sancti Basilij Seleuciæ Episcopi orat. 25. vbi ait, *Moyses Hebræorum Doctor Dei cognitionis disciplinam Iudæorum filiis traditurus discipulorum animos Ægyptiorum suppliciis ante percellit, & creaturam iussu Dei transformat, quo mentes idonea* COMPARET AD DOCTRINAM; *totiúsque naturæ legibus vim affert, quo mores euellat improbos.*

Idem.

In tribulationum nocte verè virtutum stella apparent.
S. Bern.

Virtus vera aduersitatibus proditur, in tribulationum nocte splendet, vt & stellæ, quæ interdiu non apparent, videntur in noctis obscuritate. Scitè sanctus Bernardus serm. 27. in Cantica: *Porrò*, inquit, *stellas dixisse virtutes non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quomodo nempè* STELLÆ *in nocte* LVCENT, *in die latent; sic vera virtus, quod sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis.*

Nouarini Adagia SS. Patr.

Aduersitatis, & tribulationum fel in mel vertuntur.
Cant. 4. 11.
Gilleb.

Ferendæ aduersitates sunt, libandæ amaritudines, quæ in dulcedinem mutabuntur; de sponso Christo ait sponsa in amoris Cantico, *Mel & lac sub lingua tua*; & tamen eidem sponso acetum, & fel porrectum legimus in Euangelio; quid melli ad fel porrectum ad acetum? at tacitè monemur, Christum amate amaritudines in dulcedinem vertendas. Huc flexit Gilleb. Abb. serm. 40. *Acetum*, inquit, *cum felle mixtum, quod degustauit prælibans, non bibens, in vini, & lactis transiuit saporem: hanc & tu fidelis anima tibi commutationem futuram confide.*

EXCVRSVS LXVIII.

Tentatio animæ custos.

Tentatione anima custoditur.
Diabolus nostri custos *dum in nos sæuit.*
Tentatio custodia *quædam est.*
שמיר *quid, & vnde.*
Tribulationes sepes *ad animæ custodiam.*
Virtutum rosæ *inter tribulationum spinas.*
Crescit inter tentationum spinas *virtus.*
Spinæ *aliquot in Christi corona, & suis reseruatæ.*
Tribulatio animæ frænum.
Diuinæ prouidentiæ Thesauros *tentatio patefacit.*
Tentationum nundinæ *ad lucra spiritualia.*

ITa est, inhiet licèt ruinæ nostræ Dæmon dum tentat, Deus tamen eius tentatione vtitur in nostri custodiam. Satanæ traditus IOB fuerat, vt sæuire in eum possit; sæuiit quantum potuit, artes omnes adhibuit, vt fortem athletam deiiceret, & sterneret; sæuiit in corpus, quod vlceribus repleuit, verùm animam custodiuit, ex persecutore custos euasit; imò custodiuit, quia solum patientem flagellauit. Huc spectauit Deus, cùm dixit Iob 2. 6. *Ecce in manu tua est*; age in illum, quidquid tibi lubet, patientiam eius exerce, *veruntamen animam illius serua*; esto animæ custos dum sæuis in corpus. Quid? quod custodiendi verbum adhibet etiam sanctus Augustinus dum hæc verba ad hunc modum legit annot. in Iob. *Ecce trado illum tibi, tantùm animam eius custodi.* Diabolus ipse nostri custos est, dum Deus iubet. *Quanta vis Christi*, ait sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 13. hanc lectionem versans; *vt* CVSTODIA *hominis imperetur etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere, imperante Christo, & Diabolus sit prædæ suæ* CVSTOS; & cap. 12. *carnem vlcerat, sed* CVSTODIT *animam.* 478.

Tentatione anima custoditur.
Iob. 2. 6.
S. Aug.
Diabolus nostri custos, dũ in nos sæuit.
S. Amb.

Custos est Diabolus dum tentat, cùm singularis custodia tentatio ipsa sit, singulare munimen? Præclarè Origenes hom. 27. in Num. *Quid est, quòd quamuis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Vnde apparet, quia velut* CVSTODIA *quædam, & munimen, ei tentationes adhibentur.*

Tentatio custodia quædã est.
Orig.

Spinæ ita eorum manus pungunt, qui ad eas accedunt, vt hortum, quẽ ambiunt, custodiant, adeò, vt à custodia quoque nomen videantur habere. Oleaster in cap. 7. Isaiæ שמיר *samir, quam vertimus*

שמיר quid, & vnde.
Oleast.

Tribulationes sepes ad animæ custodiam. S.Bern.Sen.

vepren, significat propriè spinas, ex quibus sepes fiunt, quibus agri, aut vinea custodiuntur, a שׂוך *, quod est* CVSTODIRE; ita se habet tentatio, & tribulatio quælibet, quæ dum pungit custodit; hinc illud sancti Bernardini Senensis serm. 8. Sabb. post Cineres act. 1. cap. 2. *Est tribulatio sepes muniens hortum mentis, maximè ab auaritia culpa, vnde Osea 2. sepiam vias tuas spinis*; spinæ quoque muniunt rosas, & tribulationes, quas hostis infert, virtutes; vt iure monuerit sanctus Nilus in cap. parænet. καρτέρει τὰς θλίψεις, ἐν αὐταῖς γὰρ αἱ ἀρεταὶ καθάπερ ἐν ἀκάνθαις ῥόδα φύονται τε καὶ τρέφονται. idest, *Tolera tribulationes, inter ipsas enim virtutes quemadmodum inter spinas, rosa nascuntur, & germinant.*

Virtutum rosa inter tribulationum spinas. S. Nilus.

Crescit inter tentationum spinas virtus. S. Laur. Iust.

Docet exemplo suo Iob, virtutem à tentatione incrementum sumere, & crescere virtutem, quia quatitur, ac percellitur. Egregiè Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio c.6. *Non absque spinis redolens nascitur rosa, neque sine tentationibus perficitur virtus, ambo connexa sunt, factum est, inquit Scriptura, vespere, & manè dies primus, virtus enim languet, nisi exerceatur, lacessita autem crescit ignis, quo plus agitatur, plus serpit; videmus syluestres feras cum irritantur indomitas fieri, cùm verò quiescunt mansuescere: quis sufficienter narrabit, ad quantum perfectionis culmen sanctum* IOB *euexerit tentatio? priùs soli Deo notus erat, priùs virtus menti inerat tanquam nouella plantatio, post probationem verò, velut ingens arbor proficiens, & per humilitatem ad ima terræ radices sparsis, & in alto foras erecta cacumine, omnem sua viriditate lætificauit Ecclesiam, transiertunt, nec fructificare destitit, electorum siquidem virtus tentationum examinata incendio, & rubiginem amittit, & perfectione sua rutilans elucescit.*

480. Multæ Christi caput spinæ pupugerunt, sed aliquæ in eius corona fuerunt, quæ minimè Christum pupugerunt, vt scilicet & Christi amatores aliquæ spinæ relinquerentur, ad virtutum custodiam; istuc diuinitus edocta didicit B. Maria Magdalena de Pazziis in ecstasim rapta.

Spina aliqua in Christi corona, & suis reseruata. B.Ma.Magd. de Paz.

Tribulationũ animæ frenũ. Anast. Nice.

Tentationes Deus permittit, immittit afflictiones, vt iis veluti ferris à vitiis cohibeantur. Anast. Nicen. quæst. in Script. *Propterea*, inquit, *tentationes, & afflictiones, & multi rerum casus eueniunt, vt* FRÆNA *innumerabilia circumponantur animæ, quæ facilè extollitur in superbiam.*

Diuina prouidentia thesauros tentatio patefacit. B Laur. Iust.

De tentatione ita sentit Beatus Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio cap. 6. *Procul dubio tentatio via est, quæ non solùm hominem perficit, verùm etiam diuina prouidentia* THESAVROS PATEFACIT.

Tentationum nundinæ ad lucra spiritualia. Marc. Arch.

Tentationem nundinis in hunc modum comparabat Marcus Archiepiscopus in catena Græca Lucæ cap. 11. *Omnis euentus, & tentatio nundinis comparatur; qui illa rectè vti, cum ea negotiari nouit, lucri plurimum facit, nesciens verò vti, damnum refert.* qui spiritualia lucra amat, cùm sinat sine compendio harum nundinarum tempus effluere.

EXCVRSVS LXIX.

Tentationum, & tribulationum ventus firmiorem illius mentem reddit, qui concutitur.

Eorum peculiariter Deus *est, qui eius amore aliquid patiuntur.*

Magnis viris *adnumerandus, qui magna pro Deo patitur.*

Tentationis ventus *paleam à tritico discriminat.*

Plantas venti *nutriunt, & firmat tentatio eorum animos, quos ferit.*

Tentationis ventus *ignem auget.*

Iustorum desiderio tribulationum flatibus *accenduntur.*

Charitas aduersitatis ventis *excitatur.*

Stultitiæ certa consignatio, leuibus auris *concuti, & deiici.*

TEntationibus suos Deus exercet, sed non eos deserit, quin ita illis adsit, vt nihil aliud operari videatur; indicauit istuc Regius Propheta Psalm. 90. cùm dixit: *Dicet Domino susceptor meus, & refugium meum; Deus meus*; signatè *meus* dixit, eorum enim peculiari quadam ratione Deus est, qui eius amore aliquid patiuntur, itaque illis succurrit, vt illorum tantùm curam agere videatur. Acutè sanctus Bernardus serm. 2. in Psalm. *Qui habitat*, hæc verba expendens; *Quia in creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficiis est* DEVS *omnium, sed* IN TENTATIONIBVS SVIS *tanquam* PROPRIVM, *cum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, vt videri possit relictis omnibus aliis, ei soli operam dare.* 481.

Eorum peculiariter Deus est, qui eius amore aliquid patiuntur.

Psal. 90. S.Bern.

Qui tentationes non solùm forti, sed etiam libenti, lætóque animo perfert, is perfectissimis viris annumerari potest. Iacobus in sua Canonica cap. 1. ad patientiam fideles inhortans ait: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis*; cur *fratres* eos vocat, non potiùs filios, cùm hac appellatione non semel vtantur Apostoli? An vt innueretur, eum, qui cum gaudio tentationes excipit eò iam peruenisse, vt non solùm Apostolorum filius dici possit, sed etiam frater? Accinit Didymus in hunc locum, dum ait: *Ad perfectionem virilem, & patientiam simul imitans consequenter fratres suos appellat, & non filios, quibus scribit, quomodo enim perfecti non sint, qui non solùm sine tristitia, sed etiam cum gaudio propter Christum tentationes ferre nosc[un]tur. Nam quicumque varias tentationes cum deuotione sustinet, eum probatissimum opus sequitur.*

Magnis viris adnumerandus, qui magna pro Deo patitur. Iacob. 1.

Didymus.

Tentationes vtilitatem significarent, qui eam pariarunt vento; vel [illegible] nat, tentatio iustos [illegible] metaphora vtitur sanct[illegible] m. 54. dum ait: *Palea volat, frumentum manet; ideo in populo graui laudabo te. In graui populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. Nam palea blasphematur semper*; & sermone de charitate sic rem premit: *Arbores spectare licet, quæ vt validioribus ventis agitantur, ita & maiori robore obfirmari solent, & ramis fieri, & frondibus densiores. Quocirca vt nos si animi magnitudine præstamus, magis, ac magis inualescimus, inquit enim, Vir constans, animo longè sapit: timidus verò, stultus admodum, & vecors.* Huc ex prophanis euasit quoque Seneca cur bon. vir. mal. fiant cap. 4. *Quid miraris bonos viros, vt confirmentur, concuti? non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit.* Paulo aliter rem versat idem sanctus Pater in Psalm. 36. *Si*, inquit, *boni sumus in Ecclesia, Christi frumenta sumus: si mali sumus in Ecclesia, Christi palea sumus, tamen ab area non recedimus. Tu qui vento tentationis foras volasti, quis es?* TRITICVM? *Non id tolleret*

Tentationis ventus paleam à tritico discriminat. S.Aug.

Seneca.

Idem.

ventus

Plantas vbi nutriunt, & firmat tentatio eorum animos, quos ferit. S.Nilus.

ventus ex area. Sanctus Nilus ita sentit orat. sexta de acedia: *Quod corpori sano, valentique cibus est, idem est tentatio animo forti, ac generoso. Plantas enutriunt venti, & tentatio confirmat animi fortitudinem.* Infirmus est, minimeque sanus qui hunc cibum respuit, imbecillis, & tener, quem hic ventus deiicit; quod ventus plantis, hoc animis tentationem esse asserit quoque sanctus Chrysostomus qui hom. 4. ad populum Antiochenum ita differit: *Sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & vndique iactans non euellit, sed & solidiores, & firmiores his incursibus reddit: sic & animam sanctam, & piè viuentem, tentationum incursus & tribulationum non supplantant, atque etiam ad maiorem patientiam preparant: sicut & B. IOB splendidiorem, & venerabiliorem reddiderunt.* Sanctus Augustinus serm. 23. de verbis Domini vento tentationem comparabat, qui ignem potius excitat, ac anget, quàm sepeliat, & extinguat: *Hodie,* inquit, *laboramus, & lampades nostra inter ventos sæculi huius, tentationésque fluctuant. Sed ardeat in robore flamma nostra, vt ventus tentationis augeat ignem potius, quàm extinguat.* Sanctus Petrus Chrysologus serm. 97. ventorum metaphora vtitur, vt probet, quinam verè in Christo radicati, & quínam secus; ait quippe, *ex fructibus eorum cognoscetis eos. Flores multi multitudinem fructuum pollicentur, sed examinat ventorum flabris, ad fructum paucissimi perseuerant: sic credentes in Christo multi Ecclesia videntur in pace, vbi autem persecutionis procella perflauerit, pauci Martyrij reperiuntur in fructu.*

Tentationis ventus ignem auget. S.Aug.

Quinam in Christo sint radicati tentationis ventus probat. S.Pet.Chrys.

482. Iustorum ea desideria tribulationis flatibus ad instar ignis accendi, sic habet Beatus Laurentius Iustinianus cap. 14. de charitate: *Electorum desideria deprimuntur aduersitate, vt proficiant, sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui creditur, inde roboratur; sic nimirum cùm per tentationem humilitas in anima proficit, prospera est ipsa aduersitas qua mentem, & charitatem accendit, & ab elatione custodit,* quod sumpsit ex sancto Gregorio lib. 26. moral. cap. 10. qui præiuerat, dicens: *Sic itaque electorum desideria dum premuntur aduersitate* PROFICIVNT, SICVT IGNIS FLATV *premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur.*

Iustorum desideria tribulationum flatibus accenduntur. B.Laur.Iust.

S.Greg.

Fuere, qui ad charitatem rem flexere, flexit sanctus Augustinus in Psalm. 118. conc. 17. in hæc verba: *Sed tam magna charitatis suauitate, vt sub eius pressura non possit extingui. Sed sicut ingens flamma sub impetu venti quanto magis reprimitur, tanto ardentiùs excitari;* sancti huius Patris vestigia pressit Vgo Catensis in Psalm. 4. CHARITAS, inquit, *in bonis flatu tribulationis* DILATATVR, *sicut carbo ex flatu magis accenditur.*

Charitas aduersitatis ventis excitatur. S.Aug.

Vgo Car.

In Euangelio stultus audit, qui fabricat super arenam, cuius ædificium venti irruẽtes strauerunt; Matth. 7. *Omnis,* inquit, *Christus, qui audit sermones meos, & non facit eos, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam, & venerunt flumina, & flauerunt venti; & irruerunt in domum illam, & cecidit;* si certa stultitiæ nota, & consignatio est domum struere, quæ grauium tentationum ventis concussa deiiciatur, qui à stultitia immunis, qui leui aura verbi vnius duriusculi flatu cadit? aut qui illecebris sterni se finit? Præclarè rem vrget sanctus Chrysostomus hom. 5. in Genesim, vbi post producta Christi verba subdit: *Vos autem neque ventus afflauit, neque in vos fluuij irruerunt, sed duntaxat eius quædam aura Diaboli spirauit, & omnes vos subuertit; quid hac insipientia deterius?* cadit hæc nota in omnes illos, quos leuis aduersitas, tentatio leuis sternit, & deiicit.

Stultitia certa consignatio leuibus auris concuti, & deiici. Matth. 7.

S.Chrys.

ADAGIVM DCXXXIV.

Orbis fabula fieri.

483. ESt probris omnium ludibriisque exponi, risus materiam omnibus præbere, ac dicteriorum; hinc illud sancti Bernardi epist. 78. vbi hoc monitum vni exhibens exhibet cunctis: *Sint,* inquit, *procul à te iam blandi, ac fraudulenti lactatores, qui cùm in faciem te benedicerent, probris omnium, atque ludibrijs exponebant, & eorum præsens euge* ORBIS TIBI FABVLAM *pariebat, imò te fabulam orbi.*

Huc spectat & illud Petri Blesensis epist. 5. *Estis* FABVLA *in ore hominum, studiúmque omnium fieri commune est, linguas procaces laxare contra vos in detestandum susurrium;* huc facit illud sancti Gregorij Nazianzeni epist. 18. vbi Sophronio præsidi scribens ait; *Atque vt vno verbo dicam,* FABVLA FACTI *sumus, qui felices quondam habebamur;* quod torqueri in illos poterit, qui omnium ludibrium facti, omnium contumeliis feriuntur, quin & damnis.

ADAGIVM DCXXXV.

Gubernare tentat, antequam remigare sciat.

IN eum quadrat, qui muneri ineptus præfecturam quærit, & virtutibus destitutus ducem se aliis exhibet. Audiendus hic sanctus Ephræmus Syrus de timore Dei, vbi ita loquitur: *Quis non ingemiscat super hisce? quippe qui cùm ne vnam quidem adhuc solitariæ vitæ virtutem demonstrare possimus, præfecturas sectamur: quare & nos etiam in continenti constituti, naufragium confestim patimur. Et hoc nunquid ex inobedientia nostra, neque insolentia?* REMIGARE *enim* ANTEQVAM SCIAMVS, GVBERNARE TENTAMVS.

ADAGIVM DCXXXVI.

Pelagus aquam desiderat.

484. VTemur hoc prouerbio cùm quis illud quærit, & optat, quo refertissimum est, vt si doctus indoctum adeat doctrinæ causa, pudens imprudentiorem consulat causa conuiuij; huc facit illud, quod affert sanctus Gregorius Naziaozenus epist. ad Basilium, quæ inter Basilianas est trigesima nona; ait enim: *Si vero videtur, & ipse aëro, & consilijs quicquam fortè communicabo, quasi* PELAGVS AQVAM, *& tu consultorem* DESIDERAS.

ADAGIVM DCXXXVII.

Adiuratore Hippocrate in re aliqua opus non habere.

QVi sua sponte, & virtutis amore in te, aut arte aliqua ritè se exerceat, vt ad eam rectè exercendam alia vi non indigeat, hic prouerbialiter adiuratore Hippocrate dicetur non indigere. nam tradunt Hippocratem præstantissimum Me-

dicum, & temperantiæ nomine omnibus admirabilem iuramentum reliquisse, ne quis medicæ artis aliquid adulteraret, aut cum fraude tractaret; extat & inter Hippocratis opera quædam formula, iuxta quam conceptis verbis iurare cogebantur, quicumque ex ipsius discipulis profiteri medicinam, ac exercere instituissent, quo scilicet ad eam artē ritè, sanctéque colendam iniuriandi religione se obstringerent; hinc, teste etiam Elia, spectauit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 10. quæ in laudem Cæsarij est, sic enim eum effert: *Qui cùm ob pudicitiam, ac temperantiam omnibus charus esset, eáque de causa pretiosarum rerum curam susciperet,* NEC ADIVRATORE HIPPOCRATE *vllo modo* OPVS HABERET. Quid discipulos suos adiurare voluerit Hippocrates, docet sanctus Hieronymus epist. 2. quæ est ad Nepotianum, vbi hæc habet: *Hippocrates adiurat discipulos antequam doceat, & in verba sua iurare compellit, extorquet sacramento silentium, sermonem in cessum habitum, morésque præscribit: quanto magis nos quibus animarum cura commissa est, omnium Christianorum domos debemus amare, quasi proprias? Consolatores potius nos in mœroribus, quam conuiuas in prosperis nouerint.*

ADAGIVM DCXXXVIII.

Malis circumdati sumus, filios quamprimum baptizemus.

485. QVòd fieri olim consueuerat, vt in discriminibus, ac vrgentibus necessitatibus filiorum Baptismo, tanquam remedio vterentur, hoc iuit in prouerbium; sic & Sephora, vt cædem quam Angelus minabatur auerteret, filium statim circumcidit; solere hoc vulgo iactari indicat sanctus Isidorus Pelusiota, qui lib. 1. epist. 125. Sephoræ facinus illustrans hæc habet: *Postea quam Sephora culpam agnoscens, capillo arrepto, filium circumcidit, atque ad Angeli pedes se se prouoluit, confestim ille abscessit. Qua quidem iure illud iusta Dei indignationis causam fuisse indicauit, quod vxoris fides coniecerat, siquidem mulieres, cùm necessitas vrget, diligentioribus, quam viri artibus vti, sincerius que ad Deum profugere consueuerunt. Quamobrem illud fecit, quod in grauissimis necessitatibus, ac periculosis casibus dici solet,* MALIS CIRCVNDATI SVMVS, FILIOS QVAMPRIMVM BAPTIZEMVS; *Angelus fortasse mysterio flectetur, quippe Iudæi Baptismi loco circumcisione vtebantur.*

ADAGIVM DCXXXIX.

Beseleelis spiritus. Nouus Beseleel.

BEseleelis artifex à Deo vocatus est, vt Spiritu sancto plenus, plenus & omni artis peritia tabernaculum scitissimè ad Dei iubentis regulam normámque fabricaret, vt habetur Exod. 31. & 35. flecti res ad alios potest, vt si contra hæreticos pugnandum sit, Beseleem necessarium esse dicamus, quempiam scilicet, qui disputationum, & dogmatum sapientia sit insignis, si quidpiam egregiè sit elaboratum, Beseleelem adfuisse asseratur, huc facit illud sancti Gregorij Nazianzeni, qui epist. 19. ad Basilium scribens, & Basilium significans ait: *Quandoquidem hæretici coniuratis animis Ecclesiam percursant partim iam præsentes, ac turbam concitantes partim, et rumor est breui affuturi: at periculum est, ne veritatis doctrina conuellatur, nisi primo quoque tempore* BESELEELIS SPIRITVS *excitetur, hoc est, sapientis huiusmodi disputationum, & dogmatum Architecti.*

Nouus etiam *Beseleel* audiet, qui eximio alieni operi magno apparatu manum admouet, singulari studio atque adeò mentis, & corporis puritate, alicui se labori addicit. Daniel Monachus in vita sancti Ioannis Climaci, quæ eius operibus præmittitur, ita de Climaco loquens loquitur: *Quid de summa cordis munditia, quam hic* NOVVS *per obedientiam* BESELEEL *inchoauit, sed Hierusalem illius cœlestis imperator sua præsentia consummauit?* Quemadmodum enim Beseleel tabernaculum Deo in quo habitaret, & responsa daret, per patientiam ædificauit, ita & Climacus cùm animam suam omnibus excoluisset, corpus expurgatis sordibus emaculasset, se ipsum sanctissimi Spiritus splendidissimum templum exhibuit. Quò spectabat & scholium Græcum, quod huiusmodi est: καθάπερ ὁ Βεσελεὴλ τὴν σκηνὴν κατεργάσας διὰ τῆς ὑπομονῆς χρηματίζειν ἐν αὐτῇ τὸν θεὸν εἰσηγήσατο. οὕτω καὶ οὗτος τὴν ψυχὴν κοσμήσας, καὶ τὸ σῶμα φαιδρύνας, ναὸν τοῦ παναγίου πνεύματος ἔδειξεν ἑαυτὸν ὡραιότατον.

ADAGIVM DCXL.

Formica plaustrum trahit.

DE iis, qui maiora viribus tentant; sanctus Bernardus epist. 180. ita scribit, *Numquid petitur à Domino meo ordinari per me Ecclesias, disponi Episcopatus, creari Episcopos? aptum videlicet instrumentum,* FORMICA PLAVSTRVM TRAHIT. dicetur de quibuscumque ad aliquod onus inidoneis.

ADAGIVM DCXLI.

Asino leonem superuestire.

TOrquebitur in eos, qui se magnificentius gerunt, quàm pro sua conditione, & alij existimè videntur, ac verè sint, aut onus viribus maius suscipiunt. Nicolaus sancti Bernardi Notarius epist. 38. ita illud versat: *Putásne poteris mutare pellem rufedinis suæ? non multum est enim, neque enim expoliauit eam, cùm venerit ad vos, sed* ASINO LEONEM SVPERVESTIVIT, *& nunc detracta Regia pelle ad innatam, & cognitam sibi reuersus est tarditatem.*

ADAGIVM DCXLII.

Herodianum iuramentum.

DE iniusto, sacrilego, & impio; cùm iurasset Herodes se saltanti puellæ daturum quicquid petiisset, petiit erudita à matre Herodiade Ioannis caput, quod amputari Herodes iussit, ne violaret iuramentum, ac si religionis vinculo impius teneretur, qui omnem religionem abiurauerat, & tam iniusto facinore summo numini litatet; respexit sanctus Bernardus epist. 123. vbi ait: *Sic Rex emendat, quod in Ecclesiam Bituricensem* HERODIANO IVRAMENTO *commisit.* 486.

Iusiurandi

Iosiorandi fictam religionem, quam præferebat Herodes, ita euincit, & probat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 8. vt Ioannem toto ipso Herodis Regno maiorem esse ostendat; *Pape*, inquit, *prodigiosam tragœdiam iusiurandi religionem fingit; nam quod perlubens, & admodum volens, non illubens, neque molestè ad cædem aggressus sit, dilucidè dictis aperuit; age enim quando Regni dimidium pollice ris, Ioannis caput pro munere reposcebatur; quid admisisset iniuriæ, si talia locutus fuisset? Ego puella saltandi artem in te miratus rapta a me voluptatis præmium dimidiatum regnum pollicebar, tu vero Baptistæ caput exquiris toto meo Regno longè pretiosius, quódque sceptris meis clarius emicat, ac dignitate mea longe est excelsius. nam aut alterum mihi Baptistam monstra, & Ioannem alterum in Regno superesse, aut, quod obscurum non est, toto regno me spoliare aues. Quemadmodum enim possessionum, pecuniarúmve fine indepto æquam mihi partem relinqueres; sic modò cùm Baptistam poscis, alterum mihi talem monstra superstitem. Quandiu verò aiium non vides ipsi virtute quàm simillimum, imprudens ô mulier Ioannis nomine toto me regno proscribis: at grato vsus silentio lætatur animitus, oculitus autem mæret, & sub inhumanitatis persona humanitatis partes agit.*

De hoc falso Religionis prætextu, qui in Herode fuit, ita loquitur Rabanus Maurus lib. 5. in Matthæum cap. 16. *Fermentum Herodis, est adulterium, homicidium, temeritas iurandi, simulatio Religionis*; impius Religionem simulat, religionis omnis, ac pietatis temerator.

Licitum esse in Dei nomine iurare Deus ipse ostendit dum per se iurat, nec semel in diuinis litteris iuramenta permittuntur; signatè Deut. 6. cur in Euangelio damnantur iuramenta? an ne iurandi facilitate in periuria quis decidat? Hoc voluit sanctus Augustinus lib. qq. super Deut. q. 12. *Quod ait de Domino, & in nomine eius iurabis. Non ita præceptum accipiendum est quasi iurari iussisset, sed in alterius alicuius Dei nomine iurare prohibuit. Melius autem sit si secundum Euangelium non iuraueris, non quia mala est vera iuratio, sed ne in periurium incidatur facilitate iurandi. Qui enim iurat, non solùm verum, sed etiam falsum iurare potest. Qui autem omnino non iurat, à periurio longè ambulat.*

ADAGIVM DCXLIII.

Tanquam Cereris sacra aliquid conseruare.

Diligens, & religiosa cuiuspiam rei custodia hoc prouerbio significabitur; huc spectant sancti Petri Damiani verba, qui opusc. 31. cap. 3. eos premens, qui seculis suis nimis adhærent, ita scribit: *Sunt qui ad aliena quidem acquirenda non inhiant, sed quæ sua sunt tenaci custodia* TANQVAM CERERIS SACRA CONSERVANT. Paulo aliter idem sanctus Pater vocat sacra Cereris offerre; possunt hîc eius verba inseri, sic enim ille scribit opusc. 49. cap. 4. *Lentescunt more genua crebris attrita metanæis, immo cætera membra diuersis exercitationibus edomentur, ne quorundam more, durus postmodum stare videaris, & rigidus, & manimuadulus, vt aiunt,* QVASI SACRA CERERIS OBLATVRVS. *Esto sollicitus ad exhibendum sedulitatis officium, & promptus semper ad obsequia delata respuere ipse satage, omnibus ministrare.*

ADAGIVM DCXLIV.

Inter astra nidum collocare.

IN eos prouerbialis hæc hyperbole quadrat, qui se à vulgi fece, aut vitæ impare cœno exemerunt, & in summo perfectionis, ac sanctitatis culmine sedent. De his ita scribit B. Laurentius Iustinianus de perfect. monast. conuers. cap. 12. *O quot iam* INTER ASTRA NIDOS SVOS COLLOCASSE *credebantur occasione fraternæ charitatis, in lutum carnalis concupiscentiæ turpiter corruerunt.*

ADAGIVM DCXLV.

Tela aranearum.

DE re inani, & cassa, & paruo tempore duratura solet, qua in sacris, qua in prophanis 487.
litteris prouerbium istuc vsurpari, hinc Theodoretos Cypri Episc. de prouid. lib. 6. τὴν ὑπ' αὐτῶν συγκειμένην κατηγορίαν ἴσον ἀράχνης ἀποδείξομεν, id est, *accusationem ab illis contextam* ARANEÆ TELAM *esse ostendemus.* Et Proclus Constantin. Episc. οὗτοι ἱστὸν ἀράχνης ὑφαίνουσιν οἱ ταῦτα λέγοντες. id est, QVI ISTA GARRIVNT, VERE TELAM ARANEÆ CONTEXVNT; & sanctus Isidorus lib. 5. epist. 152. *Grauiter*, inquit, *turbato similis es, quòd ciuili gloria excidisse sis visus. Existima itaque vitæ huius bonam existimationem* TELIS ARANEARVM *tenuiorem esse, fumósque magis exilem. In cælesti itaque mentem tuam dirige, animique tumultum facilè placabis.*

Præsentis vitæ vanitas hac eadem prouerbiali similitudine explicatur; egregiè rem versat sanctus Gregorius Nyssenus tract. 1. cap. 7. in Psalmos, vbi ait, *Quibus enim ira potentia, & vis præualet, his vita quadam vmbrati, & minimè subsistens ducitur ad similitudinem* TELÆ ARANEARVM; *vt enim illa apparet quidem quoad connexa fuerit, at si quis manum admouerit, derepentè contactu digitorum dilabens euanescit; sic & humana vita superuacaneis, & non consistentibus studiis, tanquam aëreis quibusdam filis semper implicata contexit sibi non subsistentem telam, quam si quis firma cogitatione apprehendat, effugit contactum vana sedulitas, inque nihilum recidit.*

ADAGIVM DCXLVI.

Nouus Sichem.

IMpudici alienæ pudicitiæ violatores hoc titulo traducentur; sumptum ex illo Genesis cap. 34. vbi Sichem Princeps Dinam Iacobi sororem rapuit, & violauit. Torqueri & elegantissimè poterit in eos, qui ambitu Ecclesiæ principatum ambiunt, S. Petrus Damianus lib. 1. epist. 20. Ladaloom Papatū ambiētem ita arguit: *Tu autem* NOVVS SICHEM, *corruptor Dinæ, violator Ecclesiæ.*

ADAGIVM DCXLVII.

Lazare veni foras.

FOrmula hæc, qua Lazarum è monumento 488.
Saluator vocauit, in prouerbium videtur abiisse

abiisse, quo vtemur quoties nos, aut alios à prauæ consuetudinis sepultura excitabimus, & Lazari loco aliud nomen adhiberi poterit; hinc illud sancti Hieronymi epist.5. quæ est ad Rusticum, vbi humiliter de se loquens ait: *Forsitan & mihi in sepulchro scelerum iacenti dicat: Hieronyme* VENI FORAS; & epist.23. quæ est ad Marcellam, hanc formulam ita versat, *Redolebat aliquid negligentia, & diuitiarum fasciis colligata in seculi iacebat sepulchro; sed infremuit Iesus, & conturbatus in spiritu, clamauit, dicens: Blesilla veni foras.*

Huc facit, & illud Iuonis Carnotensis epist.6. aientis: *Satagendum est mihi, vt mortuum iam quatriduanum longè, latéque fœtentem crebra admonitione de Inferno inferiori valeam euocare.*

Non casu accidit, quòd Lazari nomen addiderit, inclamans, *Lazare veni foras*; factum istuc éstne Christi vox, plures suscitaret, nominis oppositione coërcenda virtus huius vocis fuit. Acutè sanctus Basil. Seleuc. hom.10. in Elizeum: *non dixit, Heus tu mortue adesdum, sed nominatim mortuum compellat, Lazare veni foras; hoc autem egit ne vitæ largitoris vox explicatior, plures mortuos vitæ restitueret.*

Cur foras venire Lazarus iussus sit, non potiùs reuiuiscere? eleganter ad pœnitentem flectit sanctus Eligius hom.11. in Cœna Domini, dum ait: *Vnde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuisce, sed, veni foras, omnis quippe peccator intra conscientiam abscondit se, introrsus latet, in suis penetralibus occultatur, sed mortuus venit foras, dum peccator nequitias suas sponte confitetur.*

ADAGIVM DCXLVIII.

Ægyptium pharmacum.

QVi alicuius mœrorem leuat, mentémque alterius aliqua calamitate, aut etiam morbo pressam erigit, & recreat, is Ægyptium pharmacum illi esse dicetur. Sanctus Gregorius Nazianzenus epist.137. ita loquitur: *Tu* ÆGYPTIVM PHARMACVM *mihi esto, siue sermo hoc erat, siue aliud quiddam, quo Homerus animis mœrore laborantibus medetur. Quánam autem ratione id erit? Primùm si ignoscas, prompta enim, ac propensa est ad ignoscendum benignitas. Deinde si per literas nos erudias. Quandoquidem tu quoque, cùm imperio fungereris, virtutis magis, quàm potentia nomine suscipiendus occurrebat.*

ADAGIVM DCXLIX.

Alter Ozan.

489. QVi temerè, ac impudenter ea tangit, atque
contrectat, quæ præ sua sanctitate tangi, ac contrectari non debet, is alter Ozan dici poterit, priori illi persimilis, qui manum areæ admouit; huc flecti potest illud quod habet sanctus Methodius; paulo aliter extulit sermone de Simeon, & Anna, déque Deipara, ait enim, *Non rursus* OZAN *aliquis, quæ tangenda non erant contingere audens, inuisibiliter flagellatur.*

ADAGIVM DCL.

Phrygum, & Mysorum dispares sunt termini.

DE valde dissimilibus, disparibúsque vsurpabitur, quod fecit sanctus Gregorius Nazianzenus de vita sua:

PHRYGVM, ET MYSORVM DISPARES SVNT TERMINI,
Sic exterorum dispar est sermo meo.

ADAGIVM DCLI.

Bouinus intellectus.

IN tardum, stupidúmque hominem torquebitur; torsit Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist.39. *Alter*, inquit, *bouinum semper habuit intellectum*; & ante illum sanctus Bernardus serm. 60. in Cantica, vbi Iudæorum tarditatem, ac stupiditatem in hunc modum premit, insuper & irridet: *Qui*, inquit, *Deum non intellexerunt, nec in operibus Dei. nimirum ne fortasse quæratur in sui sugillatione Iudæus, qui* INTELLECTVM *illius dico* BOVINVM. *Sed legat in Isaia, & plusquam bouinum audiat: Cognouit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem non cognouit, populus meus non intellexit. Vides ne me Iudæ mitiorem tibi Propheta tuo? Ego te cõparaui iumentis, ille subiicit.*

ADAGIVM DCLII.

Balaam vaticinatur.

VSurpabitur, cùm inuitus quis veritatem 490.
confitetur, & alicui bona precatur, precamur mala. Vatis Balaam historia in Numerorum libro narratur, hic à Balac Rege Edom accitus, vt Hebræorum populum diris deuoueret, ipse contrà inuitus ipsis bene precatus est, atque eorum generi victoriam, & amplitudinem prædixit. Sanctus Gregorius Nazianzenus referens sacrificante Ioliano victimarum exta coronatam crucem ostendisse, subdit statim: *Atque hoc sanè est quod miraculi instar habeo; quod si falsum est, in auras abeat: si autem verum, rursus* BALAAM VATICINATVR, *& Samuel per ventriloquam trahitur, aut trahi videtur, & dæmones Iesum inuiti confitentur, ac per contraria, quo plus fidei, atque authoritatis habent, veritas demonstratur.*

ADAGIVM DCLIII.

Facilè ex amico inimicum facies cui promissa non reddas.

FAcilè amicitia frangitur, si frangatur amico fides, & amicitiæ vinculum soluitur, si qui spopondit aliquid fidem fallit; hoc vulgò iactatum innuit S. Hieronymus, qui epist.14. ad Celantiam ita loquitur: *Vt vulgò dicitur*, FACILE EX AMICO INIMICVM FACIES, CVI PROMISSA NON REDDAS, scilicet amicitiæ fœdus non stat, si amicus non stet promissis.

ADAGIVM DCLIV.

Rachel.
Rachel quædam.

COntemplationis quies, qua quis perfruitur, 491.
aut dulcis in studiis, alióque exercitio, quo

suauissimè

suauissimè teneatur occupatio, prouerbialiter *eius Rachel* dici solet; quod desumptum est à Iacobi historia, qui dicit, vt Rachelem obtineret, laborauit à Rachelis amplexu, auelli dicetur, qui huiusmodi quietem studiúmque cogitur deserere; hinc illud sancti Bernardi ad Eugenium Pontificem lib. 1. de considerat. *Noui*, inquit, *quibus delicijs dulcis quietis tua antehac fruebare; imitus, non fallor, auelleris à tua* RACHELIS *amplexibus*. Non auellebatur ipse sanctus Bernardus, quin integras cum illa iocundissimè noctes duceebat, sic ad illum scribens, de illo scribit Hildebertus Turonensis Archiepisc. epist. quæ est 122. inter illas Doctoris melliflui; ait igitur, *Cùm locorū interstitio longiùs à te separemur, ad nos tamen vsque peruenit; quàm iucundas noctes cum tua* RACHELE *ducas, quæ progenies ex Lia tibi exuberet, quàm totum te exhibeas & cultorem virtutis, & hostem carnis.* Petrus Delphinus Camaldulensis lib. t. epist. 83. *Auulsus à formosa* RACHELIS *amplexibus Liæ lippienti adhærere compelleris*, dum scilicet ab optata quiete, ac tranquillitate ad negotiorum tumultum quis vocatur; & lib. 4. epist. 98. RACHALIS *te esse studiosum minimè improbauerim, sed si tu penitus non repudiaueris Liam.* Et ante illum sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 12. *Sic fœcunditatem Liæ gignendis fœtibus excolas, vt à venustæ* RACHEL *amplexibus non recedas.*

De Lia, atque Rachele ita philosophatur Petrus Abailardus epist. 3. *Liam, quam duxisti, gaudes esse fœcundam; sed doles cùm respexeris eam lippam: nocturnum Lia coniugium habuit, quasi talis copula luce digna non fuerit. Quandiu sterilis Rachel permansit, incolumis vixit: fœcunda postmodum facta proprio partu est extincta, ex quo patenter innuitur, quàm periculosè id vnde gloriamini suscipiatur: & quòd hæc gloria ruina potius, siue deiectio, quàm exaltatio sit dicenda.*

Rachel quadam anima illa audiet, quæ animum circumfert à magnis sanctisque viris non degenerem; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni orat. 42. *Si Rachel quadam es, aut Lia, hoc est, Patriarchica, & illustris anima, Patris quoque tui idola quæcumque inueneris surripe, non vt serues, sed vt deleas.*

ADAGIVM DCLV.

Liæ coniugia ferè omnes abhorrent, in Rachelis amplexus omnes suspirant.

492. ADhibebitur hæc formula prouerbialis, cùm significabimus, labores, operosa virtutis, ac iustitiæ exercitia à multis vitari, amari quietis, & contemplationis delicias, hoc sensu efferebat Richardus Victorinus lib. 1. de præparat. animi ad contemplationem cap. 2. in hæc verba: *Quærendum est, cur ferè* OMNES CONIVGIA LIÆ *tantopere* ABHORREANT, *qui* IN RACHELIS AMPLEXVS *tantùm* SVSPIRANT.

Iacob ipse pro Rachele quatuordecim annos laborasse legimus, pro Lia nec vnum quidem diem, nimirum laboris, & certaminum causa ægrè quis laborem subit, quietis, & contemplationis amore, labori se quispiam sacrare obuium, faciléque est. Scitè sanctus Petrus Damianus opusc. 13. cap. 8. *Lia interpretatur laborans, Rachel verbum, siue visum principium. Sed si Scripturam diligenter attendimus, nec vno quidem die seruisse Iacob propter Liæ desiderium reperimus, sed per totas illas annorum hebdomadas pro sola Rachel seruituti subiacuit: insuper & ipsam Liam ad illius intuitum tolerauit. Quis enim ad Deum iccirco conuertitur, vt labores, & ærumnas, ac tentationum certamina patiatur? Omnis enim Deum quærentis intentio hoc sperat, ad hoc spectat, vt ad requiem quandoque perueniat: & in summæ contemplationis gaudio, velut in pulchræ Rachel amplexibus requiescat: videlicet vt per verbum, quod audit, scandat ad videndum principium quod quæsiuit.*

Rachelis coniugium quærit, qui sapientiæ & veritatis pulchritudine tenetur, vt in eius desiderium, amorémque totus feratur. Præclarè Richardus Victorinus, quem superiùs aduocauimus in Beniamin lib. 11. cap. 1. *Sed iam, quæ sint istæ duæ vxores Iacob? Rachel doctrina veritatis, Lia disciplina virtutis: Rachel, studium sapientiæ, Lia desiderium iustitiæ. Sed scimus Iacob septem annis per Rachel seruisse; & tamen videbantur ei pauci præ amoris magnitudine. Quid miraris? secundum magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis. Certè, si in laudem sapientiæ aliquid tentare voluero, minus erit, quantumcumque dixero; quid enim sapientia ardentiùs diligitur, dulciùs possidetur? Eius decor super omnem pulchritudinem, eius decor omnem excedit suauitatem. Quid ergo mirum, si Iacob in huiusmodi sponsæ amore flagrabat, etsi tales ignes, si tanta dilectionis flammas temperare non poterat? O quantum amabat? qualiter eius dilectione flagrabat?*

Seruiens Iacob pro Rachele, & septem pro ea annis laborans, vix præ amoris magnitudine laborem sentiebat, *videbantúrque illi dies pauci*, vt ait Moses Genes. 29. cur? *quia aspectu eius fruebatur*, inquit sanctus Gregorius Nazianzenus; quid erit Deum præ oculis habere, spectare Deum? non sentitur labor si mente Deus spectetur, ad quem labor dirigitur.

ADAGIVM DCLVI.

Iurgantibus, & negantibus cunctis, nec aures me credo habere, nec tactum.

FVisse vulgò iactatum prouerbium, indicant sancti Hieronymi verba, quæ ille epist. 47. de 493.
vitando suspecto contubernio habet, *Postquam enim*, inquit, *arguendo crimina factus criminosus; &, iuxta tritum vulgi sermone prouerbium*, IVRGANTIBVS, ET NAGANTIBVS CVNCTIS, NEC AVRES ME CREDO NABARE, NEC TACTVM. In eos conuenit, qui cùm vera, & certa pruducant, fidem apud alios nullam inueniunt, vt sensibus carere videantur, cùm id omne alij denegent, quod illi sensibus perceperunt.

ADAGIVM DCLVII.

Sanguinem flere.

DE amaro fletu, & lachrymis, quas vehemens aliquis dolor elicuerit, prouerbium vsurpabitur; hinc illud Theophylacti in catena Græca Lucæ cap. 22. *Prouerbium dicitur de amarè flentibus, quod* SANGVINEM FLEANT.

ADAGIVM

ADAGIVM DCLVIII.

Velocior Euro.

MIram alicuius celeritatem, qui non incedere tantùm, sed volare videatur, prouerbiali hac hyperbole efferemus; hinc illud Beati Alcuini epist. 59. *O*, inquit, *si pennas aquilæ habuissem; vt altitudines alpium* VELOCIOR EVRO, *transuolare valuissem, quàm citò ante paternos stetissem pedes, vt refrigerarem ex paterna visione pectoris mei ardorem?*

ADAGIVM DCLIX.

Cyclopem audacia referre.

DE supra modum audaci hoc sensu extulit Synesius epist. 121. *De te verò*, inquit, *qui* AVDACIA CYCLOPEM REFERRES, *iustitia pœnas sumpsit, léxque constrinxit, quibus vtinam nunquam illudas.*

ADAGIVM DCLX.

Socratica schola dignus.

494. HOc titulo donabitur, qui exertè veritatem
proferat, nulla habita spectatorum ratione; in huuc seorsum extulit Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gent. dum ait: SOCRATICA SCHOLA *verè* DIGNVS *est Euripides, respiciens ad veritatem, & spectatores despiciens.*

ADAGIVM DCLXI.

Non est Iacob, quem Esau non persequitur.

BOnorum consignatio est malos sæuientes pati, qui eo meliores fiunt, quo peiores sunt illi, quos sustinent; si cuipiam persuadebimus per malorum tolerantiam cundum ad perfectionis culmen esse, hac prouerbiali formula vtemur, qua vsus est Petrus Blesensis epist. 87. vbi ait: *Tanquam aurum in fornace probauit te Deus, non* EST *enim* IACOB, QVEM ESAV NON PERSEQVITVR, *nec est Abel, quem Cain malitia non exercet.* Iacob ille refert, qui Diabolum supplantat, luctatur cum vitiis, cum concupiscentiis pugnat. *Quis ex nobis est*, inquit sanctus Bernardus hom. 4. super Missus est, *qui iuxta interpretationem nominis Iacob supplantet Diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis, & concupiscentiis suis, vt non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, & in aeternum per gloriam?*

EXCVRSVS LXX.

Persecutoris sæuities fortiter ferenti salutaris.

Persecutoris nouacula *ad superflua resecanda.*
Boni à malis pressi meliores *fiunt.*
Persecutores vt apes *illis mellificant, in quos sæuiunt.*
Purgatur *aduersitate afflicti, & pressi mens.*
Persecutio vitiorum rubigini *auferenda.*
Vtiles persequutores *sunt.*
Totus spiritus, *totus spiritualis fit, qui persequutores æquo animo fert.*
Persecutiones, vt desinant, *ac* quiescant *haud petendum.*

NOcere persecutor videatur, non nocet, nisi 495.
ægrè ferenti, qui animo æquo, & forti iniurias excipit ab illatis incommodis magnam haurit. Patentis dolum nuuaculæ comparat Propheta Regius Psal. 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum;* cur nouaculam mala inferens refert? quia ad nouaculæ modum superflua, & inutilia abradit, nihil præterea mali affert. Scitè sanctus Augustinus serm. 6. de verbis Domini cap. 8. *Quare dolum potentis nouaculæ comparauit, quia non admittitur, nisi ad superflua nostra.* quod luculenter ibidem explicans, & in huius Psal. enarrat. hæc verba expendens idem sanctus Pater, ait: *Ecce quid faciunt Sanctis mali, capillos radunt;* & concione 1. in Psalm. 34. rem pleniùs versat; *Quid*, inquit, *fit de acuta nouacula? Capilli, res superflua decidunt? quid ergo facis ei, quem vis nocere? Si nequaquam tibi ad malum consentiat, cui vis nocere, non malitia tua ei nocitura est, sed sua: si autem visu malitia careat, forinsecus oppugnas interiorem hominem, non expugnas.*

Persecutoris nouacula ad superflua resecanda. Psal. 51. S. Aug.

Premunt mali bonos, & affligunt, sed boni pressi meliores fiunt, afflicti puriores euadunt, quod trituræ similitudine sic explicat sanctus Gregorius lib. 26. moral. cap. 9. *Reproborum nequitia tritura more electorum vita quasi grana à paleis separans premit, vt purget, mali enim bonos magis ab huius mundi desideriis expediunt dum affligunt.*

Boni à malis pressi meliores fiunt. S. Greg.

Apes sunt persecutores, nulla non sibi producunt, producunt illis quos insectantur. Psalm. 117. ait Propheta Regius, *Circumdederunt me sicut apes,* de apibus illud circunfertur:

Sic vos non vobis, mellificatis apes;

idem hîc quoque accidit, apes sunt mali in bonos sæuientes, mella illis afferunt, dum inferre arbitrantur mala. Accinit Vgo Carensis ad hæc verba: *Sicut enim*, inquit, *apes mellificant non sibi, sed aliis, sic tentationes, & insultus iustis non nocent, sed prosunt;* aiunt vrsos aluearia ingredi, apes irritare, vt apum aculeis vulnerati, sanguineque ita emisso, grauedini, qua, vt plurimum laborant, remedium comparent; hoc plerumque persequutores in iustos præstant, medicinam illis afferunt, dum student vulnera.

Persequutores, vt apes illis mellificant, in quos sæuiunt. Psal. 117. Vgo Car.

Purgatur afflicti, & pressi mens, persequentis verò animus iniquitate putrescit; huc spectabat sanctus Augustinus conc. 2. in Psal. 36. *Tuum corpus premit aduersitas, illius persequentis animum putrefacit iniquitas. nam & quidquid in te profert, in illum redit. Illius enim* PERSECVTIO TE FACIT PVRGATVM, *illum reum.*

Purgatur aduersitate afflicti, & pressi mens. S. Aug.

Vitiorum rubiginem persequutio auferet, si æquo excipiatur animo; voluit istuc sanctus Gregorius lib. 2. moral. cap. 19. *Dum stultus*, inquit, *sapientem laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profectò hunc ab omni vitiorum rubigine* VRENDO PVRGAT.

Persecutio vitiorum rubigini auferenda. S. Greg.

Vtiles persecutores esse dum sæuiunt, indicauit 496.
illis verbis Dauid Psalm. 40. v. 8. *Aduersum me cogitabant*

Vtiles persecutores sunt. Ps. 40. 8.

cogitabant mala mihi; satis erat dixisse, *adversum me*; cur addit *mihi*? Vt vtilitatem illi parturiisse colligeremus, dum aduersùs eum sæuirent; quis nesciat hunc casum adhiberi, cum vtilitas profectúsque commodúmque significatur? Pulchrè Vgo Carensis hic, *Cogitabant mihi, id est*, AD VTILITATEM MEAM, nam in iustorum commodum resilit, quidquid mali, & incommodi inferre illis persecutores cogitant.

Vgo Car.

Totus spiritualis, totus spiritualis fit, qui persequutores aquo animo fert. Psal. 26. 2.

Qui persequutores forti animo suffert, illorum nequitia probus euadere potest, totúsque, vt ita dicam, spiritus, totus, veréque spiritualis. De persequutoribus suis loquens Propheta Regius Psal. 26. v. 2. ait, *Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*; ita ne edere carnes nocentes studeut? Deinceps igitur eos ferens, earo non erit, non erit carnalis, carnales effectus absumuntur, spiritus erit, & spiritualis. Periré sanctus Augustinus enarrat. 1. in hunc Psalmum: *Quare autem persequuntur? vt edant carnes meas? Quæ sunt carnes meæ? carnales affectus mei; saniant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale, manducent carnes meas, finitis carnibus* SPIRITVS EST, ET SPIRITALIS.

Persecutiones, vt desiderat, acquiescant, haud petendum. Psal. 118. 86.

Qui sapit, suæque vtilitatis amator persecutiones non fugiet, sed feret; eiusdē Prophetæ hæc sunt verba Psal. 118. v. 86. *Iniquè persequuti sunt me, adiuua me.* Pende verborum vim, non postulat auferri persequutiones, persecutores non sæuire, ne sui profectus hostis ipse esset, auxilium tātùm postulat, vt ferre possit, quod egregiè notabat S. Ambrosius ibi dum ait, NON *petit*, VT *persecutiones* QVIESCANT, SED *in persecutionibus se* POSTVLAT ADIVVARI. Adsit persecutio, sed cum ipsa diuinum auxilium; denique ferri persequutio debet, quin & amari, quæ latores suos, suos amatores in cœlum effert.

S. Ambr.

ADAGIVM DCLXII.

Caipha concilium.

497. SI conciliabulum, & congressus audiet, in quo iniustitia præsidet, tribunal suum impietas, & calumnia habet; quid in Caiphæ concilio iniustissimè contra innocentiæ auctorem Christum actum sit, ex sacris litteris constat; nollem plura huius formæ concilia reperire; talia sunt omnia hæreticorum. hinc sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 31. quæ est in laudem sancti Athanasij, vbi de Arrio loquens, qui vrbes honestissimis studiis claras hæresi sua infecit, ait: *Siue Babylonis turrim, quæ linguas pulchrè diuisit, (quemadmodum vtinam illæ quoque in malum nempe concordes) siue* CAIPHÆ CONCILIVM, *quo Christus condemnatur, siue quocumque tandem alio nomine conuentus hic appellandus est, qui omnia euertit, ac perturbauit.*

ADAGIVM DCLXIII.

Aula Caiphæ.

SVperiori simile prouerbium, ac tantùm non idem; locus vbi iustitia contemnitur, innocentes condemnantur, aula Caiphæ dicetur; in cuiusdam epistola, qui S. Martini Papæ exilium describit, hæc leguntur: *Eduxerunt autem sanctum, Apostolicum virum de cella iudicij, magis autem ex* AVLA CAIPHÆ.

Nouarini Adagia SS. Patr.

ADAGIVM DCLXIV.

Filius Caiphæ.

NOtæ nequitiæ homo, & sacratum rerum temerator, Caiphæ imitator prouerbij quadam specie, Caiphæ filius dici poterit; hinc illud S. Petri Damiani lib. 1. epist. 20. *Quicumque se ad hoc flagitium impulerunt,* FILII CAIPHÆ, *primogeniti dicendi sunt Satanæ, adiutores Antichristi, aduersarij veritatis.*

ADAGIVM DCLXV.

Vita Mathusalem.

VIta diuturna, maximéque longæua, prouerbiali forma vita Mathusalem solet appellari, quod sumptum à Mathusalem, qui vitam longius produxit, quàm inter omnes mortales alius produxerit. Beatus Thomas à Villanoua concione funebri, ita loquebatur: *Si quis in gaudio, & delicijs vitam agit, bone Deus! quam à se illi breuitate coarctat, pygmæa illi videtur, & anicula, quantumuis longissima vita, etiamsi superet* ОІАS MATHVSALAM. Vitam virtute Mathusalem ille merebatur, cuius hæc ingens, hæc verba apud eundem auctorem eone. in Septuagesima, refert enim quidam illorum Monachorum sanctorum, dicebat, si viuerem aono Mathusalem, mihi deesset tempus ad commemorandum Dei beneficia, & deploranda mea peccata. Paulò aliter extulit S. Hieronymus epist. 2. quæ est ad Nepotianum, vbi ait: *Viuacem senem* MATHVSALEM ANNIS *comparant*; quod in illos torqueri poterit, quem ministri, vt illo blandiantur, multorum annorum numero onerant, multos pollicentur. Quidam Poëta ex nostris probæ notæ, licèt non adeò antiquæ; ita cecinit: 498.

Hæc in MATHVSALEMIS
Victura credis SÆCVLIS.

EXCVRSVS LXXI.

Præsens vita breuis, licèt diuturna vt Mathusalem sit.

Vita qualibet breuis, *licèt vita Mathusalem par.*
Vita Mathusalem, & aliorum productissima, breuis est alteri vitæ *comparata.*
Vita omnis breuis, *quæ finem habet.*
Breuis illa vita, quam praui mores *inficiunt.*
Bona opera vitæ diuturnæ *testimonia.*
Mors in nomine Mathusalem *latet.*
Vita mortis prodromus.
Vita hæc vt pernix eques *decurrit ad metā.*
Vita abeuntis breuitas, *&* celeritas.
Digitus *est Dies.*
Longæuus senex pro mortuo *computatur.*

VIta quælibet etiam diuturna, putanda est breuis, quia celeriter abit, & citò finit; coniice oculos in perennaturam, & vitæ huius breuitatem cognosces; quæ breuis statim euadit, etiamsi tantum producatur, quantum producta vita fuit Mathusalem; hinc illud S. Hieronymi epistola 3. quæ est de morte Nepotiani: *Debemus & nos ani-* 499.

Vita qualibet breuis, licèt vita Mathusalem par. S. Hier.

mo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, quod velimus, nolimus, abesse longiùs non potest, nam si nongentos vita excederemus annos, vt ante diluuium viuebat humanum genus, & Mathusalem nobis tempora donaretur; tamen NIHIL ESSET *præterita longitudo, quæ esse desisset, etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum, qui mille; postquam idem vitæ finis aduenerit, & irrecusabilis mortis necessitas; transactum omne tantumdem est, nisi quòd senex magis onustus peccatorum falce proficiscitur.* Quis ergo amplius sibi de vitæ diuturnitata blandiatur?

Vita Mathusalẽ, & aliorum productissima breuis est, alteri vitæ comparata.
S. Basil.

Vitam Mathusalem, & alterius cuiuscumque diuturnam, breuem esse putandam, quin nec vitam, sed mortem, si futura spectetur, expectetur æterna, censebat etiam sanctus Basilius, cuius hæc sunt verba hom. de legendis Gentilium libris: *Nec Biantis*, inquit, *saluberrimum dictum præteribo, qui ad Ægyptios eunti filio, ac percontanti, quod ei maximè gratum faceret, Viaticum, inquit, senectutis possidendo, virtutem videlicet viaticum appellans, ac breui definitione describens vt humanæ vitæ vtilitatem suppeditantem definiuit. Ego autem, etsi Tithoni senectam, & Arganthony, ac Mathusalem illius, qui mille annos triginta vixisse dicitur: denique si tempus omne ab initio, quo cœperunt homines, computes, sanè vt pueri sententiam ridebo, ad prolixum illud, & nulli senio obnoxium seculum respiciens, cuius nec finem est vllum mente deprehendere, non magis, quàm immortalis animæ mortem cognoscere, ad cuius possessionem admonemur, comparandum esse viaticum, ac omnem lapidem secundùm prouerbium mouendum, vnde aliqua nobis vtilitas ad hoc consequendum prouentura sit.*

500. Breuis vita putanda est, licèt tam diuturna esset, quàm fuit vita Adæ, vita Mathusalem breuis est, quæ finem habet, illa verè diuturna, quæ nunquam finit; præclarè sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 7. *Etiamsi nongentis viueremus annis, & antiqui homines, tamen* BREVE *putandum esset, quod haberet aliquando finem, esse cessaret?*

Vita omnis breuis quæ finem habet.
S. Hier.

Breuis illa vita quam praui mores inficiunt.
Petr. Delph.

Mathusalem, quis annos excedat, breuissimam vitam traduxisse probabitur, nisi benè vixerit, breuis diuturnitas omnis vitæ est, quam praui mores inficiunt ac deturpant. Pulchrè Petrus Delphinus Camaldulensis lib. 3. epist. 1. *Verè*, inquit, *sic est, da hominem, qui diutissimè vixerit, qui & Nestoris, & Mathusalem annos excesserit; laxa huic etiam longè ampliùs angustias temporis, nónne iste non modò punctum, sed* PVNCTO MINVS VIXISSE *sibi videbitur*, SI CORRVPTIS MORIBVS *dum fuerit in corpore se ipsum fœdauerit, atque maculauerit, si desidiosè, ac turpiter, si minus, quàm Christianum hominem, ac renatum fonte Baptismatis deceat, sanctè, & religiosè vitam duxerit.*

Bona opera ad vitæ diuturnæ testimonia.
S. Hier.

Vt igitur quis probet se diu vixisse, non vitæ annos producat, sed bonæ vitæ bonos labores, & bona opera; satis diu vixit, qui benè, non annorum ratio habenda, habenda sapientiæ, ac probitatis; scitè, & humiliter sanctus Hieronymus epist. 13. *Noli*, inquit, *frater charissime, annorum nos æstimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam, Salomone testante: Cani hominis prudentia eius. nam & Moyses septuaginta Presbyteros iubetur eligere, quos ipse sciret esse Presbyteros, vtique non æuo, sed prudentia iudicandos. & Daniel adhuc puer longæuos iudicat, atque impudicos senes ætatis lasciua condemnat. Noli, inquam, fidem pensare temporibus, ne me idcirco meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare.*

501. Alibi obseruabam in nomine Mathusalem mortem ipsam lucere, vt documento hæc res esset semper mortem cogitandam, etiam diu victuro. Addo מתושלח *mortem suam misit*, ex מות, & שלח, aliquibus sonare, siue *mortis suæ arma*, vt vita ipsa diuturna quædam mors sit, & quo diutiùs quis viuit, diutiùs quoque moriatur. In prima littera illius, qui tam diu ad hominum mentem vixit, latet mors, vt vitæ primordium ad mortem tendere intelligamus, vt scitè ille proclamauit in catena Græca Iob. *O vitæ primordium*, MORTIS PRODROMVM; *nuper est infans, ad vitam ingressus, nec interposita mora, mortuorum pannis amicitur. Natura enim finis memoriam reuocat iis, qui nascuntur.*

Mors in nomine Mathusalem latet.

Vita mortis prodromus.

De hoc vitæ ad mortem cursu, ita loquitur sanctus Theodorus Studita serm. 66. *Non id annorum permultis egimus curriculis? igitur præsens transibit quoque, nihil est enim in hoc seculo constans, quin dies vmbræ labuntur instar, vitaque nostra, ceu* PERNIX EQVES *decurrit dum vrgeamur ad metam*; & ab externa schola, Seneca ad eandem mentem de consolatione ad Polyb. cap. 3. ait: *Quid est noui hominem mori, cuius tota vita nihil, quàm ad mortem iter est?*

Vita hæc, vt pernix eques decurrit ad metam.
S. Theod. Stud.
Seneca.

Porrò cursus celeritatem exposuit Propheta Regius cùm dixit, *Quot sunt dies serui tui?* Psal. 118. v. 84. Dierum potius meminit, quàm annorum, vt vitæ abeuntis celeritatem indicaret, quod notabat etiam sanctus Ambrosius ad hunc locum: *Propheta*, inquit, *quasi celeritatem transcurrendæ istius vitæ non annorum, sed dierum æstimatione subducit, dicens; Quot sunt dies serui tui?*

Vitæ abeuntis breuitas, & celeritas.
Psal. 118. 84.
S. Ambr.

502. Dierum numero subducenda vitæ nostræ ratio est, vt celeritatis moneamur: alius ipsum vitę diem digito ob breuitatem comparauit, hinc prouerbium illud, Δάκτυλος ἡμέρα, id est, *digitus dies*, quo indicetur, vitæ humanæ spatium esse exiguum, quasi digitale. Hyperbole infra illam, Spithama vitæ. Alcæus poëta apud Athenæum, Πίνωμεν, τί τὸν λύχνον ἀμμένομεν; δάκτυλος ἡμέρα. κὰδ δ' ἄειρε λύχνους μεγάλαις, ἃς τὰ ποικίλλας. οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς λαθικαδέα ἀνθρώποισιν ἔδωκεν. ἔγχεε κέρνα ἕνα καὶ πλεῖον. id est, *bibamus, quid lucernam moramur?* DIGITVS EST DIES: *accipe maioribus poculis, quæ te obducas: vinum namque Semeles Iouisque natus obliuiosum mortalibus dedit, infunde, misce vnum atque plura.* De vitæ breuitate rectè censuit, quòd hac breuitate luxui delitiisque litandum existimauit, falsus fuit, & à recta mẽte alienus; abstinendum potiùs à voluptatibus, atq; adeò à vitæ celeritate hæc mẽs haurienda, vt exiccandis poculis minimè vacetur.

Digitus est dies.

Denique adeò breuis etiam diuturna vita habenda est, vt non esse putandus sit, qui diu viuit; hinc, qui ad centesimum annum peruenit, habendus Hebræorum mente, ac si non esset, ac obiisset; scitè sapiens ille, in Pirke auoth cap. 5. בן מאה כאלו מת ועבר ובטל מן העולם. hoc est, *filius centum annorum*, AC SI MORTVVS ESSET, *& abiisset ab hoc mundo*. Eant senes, & se diu adhuc victuros blandiantur, multos sibi vitæ annos pollicentur, cùm esse non videantur, cùm adhuc fuiit, nec viuere cùm viuant.

Longæuus senex pro mortuo computatur.
Hebr.

EXCVRSVS LXXII.

Mors annorum legi haud paret, cogitanda est semper, semper expectanda.

Mors ad modum furis *se habet, nullam legem seruat.*

Iunior Abel *primus moritur.*

Mors

Mors præ oculis *semper habenda.*
Mors natura vectigal.
Mortis meditatio, *vt nouacula superflua carnis desideria radit.*
Locus *in quo primus homo positus fuit mortem ab homine cogitari suadet.*
Discessus *nostri cogitatio à malis discessum suadet.*
Dies mortis homini ignotus, *ne in homines hostiliter sæuiret.*
Mors ob oculos *habenda.*
Mortis memoriam *abolere Dæmon studet.*
Perditissimus est, *qui mortis memoria non fit melior.*
Mortis memoria *à peccato homines auocat.*
Pulchra de morte *sententia.*

503. *Mors ad modum furis se habet, nullam legem seruat.*

DIu vixit Mathusalem, & mortem vel ipso nomine circumferebat, ne aliquis annorum sibi multitudine blandiretur, mortémque haud cogitaret morti obnoxius; expectanda semper mors est, quæ nullum expectat, nulli parcit, statuta ætatis tempora non nouit, ad libitum mortales aggreditur, nulla habita annorum ratione; ad modum furis se haber, qui in furando certis non vtitur regulis, nisi vt non cogitantes inuadat, & imparatos; scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 27. *Mors*, inquit, *viuentes furatur*, NEQVE LEGEM *sibi præstitutam* NOVIT. Immaturus mori aliquis videatur, non est ad mortem, maturi omnes sumus, ex quo nati. (S. Basil. Sel.)

Iunior Abel primus moritur. Iunior Abel primus omnium moritur, ne de iuuentute sibi aliquis blandiretur; nullam annorum rationem habet mors, ad libitum homines rapit, non ætatis immaturitate absterretur. Debebat Adam prior mori, debebat Eua, debebat Cain, si ætatem mors spectauisset, non spectauit, iuniorem abstulit, ne quis florenti ætati deinceps crederet, & annorum prauitare à morte se longè arbitraretur abesse.

Mors præ oculis semper habenda. (S. Godefr.) Mors præ oculis semper habenda est, semper mors cogitanda; vtile illud sancti Godrefridi institutum, & dignum, quod imitemur, hic, vt refert auctor eius vitæ, *Quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus, & brachia sua composuit supinus, dicens: O si veniat hora illa nostri transitus! ô si ad hanc horam aptare, & præparare me digneris, Domine Deus meus.*

Mors naturæ vectigal. (Petr. Blef.) Mutum naturæ *vectigal* esse, & cuique vectigal istuc soluendum; hinc illud Petri Blesensis epist. 20. *Debitor naturæ est, vt ei mortis* VECTIGAL *exoluat; soluendum omnibus hoc vectigal est.*

504. *Mortis meditatio, vt nouacula superflua carnis desideria radit.* (Petr. Cell.)

Mortis cogitatio ad modum nouaculæ se habet, quæ crescentia quotidie carnis desideria, & concupiscentias veluti pilos abradit; festiuè Petrus Abbas Cellensis lib. de panibus cap. 11. *Meditatio mortis velut* NOVACVLA ACVTA *radit renascentia quotidie superflua desideria carnis.*

Locus in quo primus homo positus est mortem ab homine cogitari suadet. (Seuer.) Mortem ab homine spectari Deus voluit, mortem timeri, dum Paradisum in orientali plaga condidit, in eúmque hominem transtulit, quem formauerat, vt orientem solem in occasúmque euntem videns mortem haberet ob oculos, casurũ se, casuraque omnia cogitaret, sicque à peccato mortis causa abstineret; flecti huc possunt Seueriani verba, qui in catena Lipp. ita loquitur: *Deus hominem ibi primum habitare voluit, vnde principium lucis exoriretur. nam quemadmodum sydera ab ortu tendentia ad occasum rursum apparent, sic & hominem oportebat à vita properare ad mortem, & occidere.*

Discessus nostri cogitatio à malis discessum suadet. (S. Theod. Stud.) Discessus nostri cogitatio à malis discedere nos monet, mortis consideratio præstat ne facilè in scelera labamur, mortis nimirum memoria frænum est, quod mentem nostram, & concupiscentiam frænat, & compescit; hinc illud sancti Theodori Studitæ serm. 12. *Si nos obitus non refrænat, & quid tandem reuocabit, si mortis arcanum minus erudit; & quid noxiis affectibus compescet?*

Dies mortis homini ignotus ne in homines hostiliter sæuiret. (Anast. Nic.) Dies mortis cuilibet est ignotus, non casu id factum, sed summa Dei prouidentia, & inter alia ob hanc causam, ne scilicet in alienum sanguinem quis sæuiter, mortisque suæ mortem necteret, & copularet, illius nempe, quem hostili odio prosequeretur; huc spectabat Anastasius Nicænus quæst. 19. in Script. vbi inquirens, cur diem mortis suæ homines ignorent, ait: *Si hoc prænoscerent, multa fierent absurda, vnusquisque enim habens inimicum, & sciens quòd appropinquat dies mortis suæ, interimeret eum, morte afficeret, reputans quòd siue à Deo, siue ab homine esset sibi moriendum, libenter moreretur, inimico suo priùs interfecto.*

505. *Mors ob oculos habenda.*

Mors ante alia cogitanda, mors præ cæteris habenda præ oculis, docuit istuc Deus, dum Adamo soporem immisit antequam ederet, antequam loqueretur, vt statim mortis, cuius imago somnus ille erat, moneretur; certè mortem Christi dormiens figurabat, quod notabat etiam Tertullianus lib. de anima cap. 43. (Tertull.) *Ille*, inquit, *fons generis Adam ante ebibit soporem, quam sitiit quietem; ante dormit, quàm laborauit, immo quàm & edit, immo quàm & profatus est, vt videant naturalem indicem somnum omnibus naturalibus principaliorem, inde deducimur etiam imaginem mortis, iam tunc eam recensere, si enim Adam de Christo figurabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, & de iniuria perinde lateris eius vera mater viuentium figuraretur Ecclesia.*

Mortis memoriam abolere Dæmon studet. (S. Basil. Sel.) Mortis memoriam abolere in nobis Dæmon studet, vt in immania quæque scelera trahat sic primis parentibus dixit: *Nequaquam moriemini*, quo mortis obliuione diuina præcepta temerarent; scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 3. *Furtim*, inquit, *demit mortis memoriam, vt legis munimenta deprædetur.*

Perditissimus est qui mortis memoria non fit melior. Qui mortis memoria non fit melior, nec mentem ebibit, cœlo dignam, nec excusationem aliquam meretur, & tanquam condemnatus haberi potest; est denique Iudæ par, qui Christum tradidit, licèt mortem circumferret, nam Iscariotes est dictus: Iscariotes autem vox mortis, seu occisionis vocatur, aut memorans mortem, seu memoria mortis; hoc quoque remedio occurrere eius impietati Deus voluit, vt posset à tam immani facinore reuocari. Præclarè sanctus Paschasius lib. 6. in Matthæum rem vrget, aliique post ipsum, vt alibi obseruabam. (S. Paschas.)

Mortis memoria à peccato homines auocat. (Gen. 2. 17.) Contra concupiscentiæ vim frænum mortis memoria est, interdixit Deus Adæ vnius arboris fructum, adiecit, *In quocumque die comederis, ex eo morte morieris*, Gen. 2. 17. pœnam minatur simul, & remedium offert, quo comprimeret appetitum; mortis memoriam iniecit, vt eam cogitans, se ab interdicti fructus esu temperaret; egregiè id expendebat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus oratione 3. vbi Deum sic cum Adamo loquentem inducit: *Ideo mortis terrorem* (S. Basil. Sel.)

cum lege tibi obtuli contra nefariam appetentiam auxilio futurum, & si mens ad eam inclinet, terrore obiecto firmetur.

Pulchro de morte sententia.

Pulchrè ille de morte,

Mors vitanda malo, sancto inuitanda, malorum
Vltimus est finis, vel sine fine malum.

Nimirum talis erit cuique mors, qualis ille, qui moritur, bona si bonus, mala si malus.

ADAGIVM DCLXVI.

Niniuitarum ieiunium.

506. IEiunium summo cultu celebratum ingenti squalore, singulari abstinentia prouerbialiter Niniuitarum ieiunium dicetur; sumptum autem prouerbium est ex ieiunio, & pœnitentia, quod arripuerunt, quam inierunt ad Ionæ prædicationem, Niniuitæ. huc facit, quod narrat Beatus Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 29. vbi de quibusdam ita scribit. *At illi tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes a cibis, & poculis muros ciuitatis psallendo circuirent, mulieres quoque amictæ nigris palliis dissoluta cæsarie supposito cinere plangendo sequebantur. & ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam retulit, vt diceretur ibidem* NINIVITARVM IEIVNIVM *celebrari.* Poterit & ad alios transferri, quorum singularis sit pœnitentia, singulari ieiunio exornata. Sed iniecta ieiunij mentione, non patitur nos hinc abire ieiunos, tantisper igitur in ieiunij laudem, commodationé mque excurremus.

EXCVRSVS LXXIII.

Niniuitarum ieiunium expenditur, & pœnitentia.

Laude digni Niniuitæ, qui ad ieiunium currunt.
Ieiunio vtuntur tanquam inexpugnabili propugnaculo.
Ieiunio contra Dei iram *se muniunt.*
Ieiunio se Rex armauit *in aliorum exemplum.*
Regis sui exemplum *sequuntur Niniuitæ.*
Saccus *præstitit, quod non potuit purpura.*
Niniuitæ nobis imitandi.
Pariari pecudibus *potest, qui non ieiunat iræ diuinæ auertendæ.*
A belluis se discriminat, *qui ieiunat.*
Dæmon in primos parentes *maximè sæuijt, quia eos ieiunos vidit.*

507. IEiunant Niniuitæ, vt Dei iram auerterent, qui per Prophetam excidium omnibus minabatur. Rectè ad ieiunium curruut, quia luxu, ac crapula Deum ad iram prouocauerant. Iure eos laudat sanctus Maximus hom. in litaniis, hisce verbis: *Legimus in Prophetis, cùm Niniue ciuitati subuersio diuinitus immineret, & iuxta sententiam Dei destruendi illam tempus ingrueret; consistentes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi vt abiectis crapulosis epulis ieiunia continuata susciperent, & diuitiarum ambitione seposita, humilitate se paupertatis induerent, scilicet, vt exinde remedium perciperent, vnde ijs perditio contingebat, hoc est, vt iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent, & offensam, quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret.*

Laude digni Niniuitæ qui ad ieiunium currunt.
S. Maxim.

Ieiunio vtuntur tanquam propugnaculo inexpugnabili; sancti Cyrilli Alexandrini hom. 1. de festis Paschalibus hæc sunt verba: *Illi verò* (Niniuitæ) *ieiunium velut* INEXPVGNABILE PROPVGNACVLVM *arripientes diuinam declinauere iracundiam, séque à malis imminentibus liberauerunt.*

Ieiunio vtuntur tanquam inexpugnabili propugnaculo.
S. Cyrill. Alex.

Intorserat in illos Propheta iræ diuinæ sententiam, cùm futuram subuersionem prædixerat; quid hîc illi, vt hoc telum auerterent, & quodammodo retorquerent? abstinentiæ arma sumunt, ieiunio se muniunt, ieiunarunt ipsi, & cum ipsis ipsorum quoque iumenta; egregiè rem versat Beatus Eucherius hom. de pœnitentia Niniuitarum, ait enim: *Ergo Niniuitæ pœnitentia atque abstinentia, iræ desuper imminentis suspenderunt ruinam, & paruuli, ac pecora pariter abstinentes egressam à Domino plagam, atque sententiam, iam cadentem (vt sic dixerim) retorserunt. Tam manifestum indicantes afflictionis remedium, vt sibi etiam animaliũ crederent profuturũ esse ieiunium.*

Ieiunio cõtra Dei iram se muniunt.
S. Eucher.

Ieiunarunt Niniuitæ, vt Dei iure in eos sæuituri iram auerterent; ieiunio Deum placare student, ieiuniis flectere; præiuit in exemplum Rex, qui vt populus vniuersus ieiunaret, se armauit ieiunio, humilitate se muniuit, non poterant, non debebant non agere subiecti, quod fieri à Principe conspiciebant; in huius Regis laudem eleganter excurrit sanctus Maximus hom. de ieiuniis Niniuitarum, & inter alia hæc affert: *Sapiens Rex qui sciret quemadmodũ aduersa sibi superare deberet, hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè Rex, qui vt intelligeret, quibus armis vteretur pro temporis qualitate, cùm enim insidiabantur illi homines, apprehendit arma, bella: cur irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ, sapiens, inquam, Rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse quàm Regem; obliuiscitur enim se Regem esse, vbi Deum Regem omnium pertimescit, nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. obliuiscitur se ergo Regem esse, dum proycit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, & ieiunijs perseuerat, orationibus immoratur. Mira res dum se Regem hominum esse non meminit, Rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur Princeps non perdit imperium, sed mutauit. Principatum enim antè militaris disciplinæ tenuit, nunc cœlestium disciplinarum obtinet principatum. Non, inquam, perdidit imperium, quia sine ferro, sine iustitia pro ciuium salute primus inuigilat: primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi Rex primus indixit, & solus omnium causa prior cœpit esurire quàm miles; necesse enim erat vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis.* EXEMPLO *igitur* SVO *præparat religioni exercitum, non armis, sed sola deuotione munitum.* Quàm feliciora regna essent, si suis Reges ad Deum placandum præirent. 508.

Ieiunio se Rex armauit in aliorum exemplum.
S. Maxim.

Deposuit Niniuitarum Rex purpuream vestem, saccum induit, Regem suum secuti statim sunt Niniuitæ, tantum superioris exemplum in subditos potest. Expendebat istuc sanctus Ephræm de pœnitentia in hæc verba: *Surgens itaque Rex festinanter vestem suam abiecit purpuream, ac sacco se vestiuit, abiecerunt & illi sua indumenta, saccósque gestarunt, ac cum eo lugebant Niniuitæ, qui antea semper splendidè vestiti incedebant, tunc velut Indi apparebant metu futurorum malorum.*

Regis exemplum sequitur Niniuitæ.
B. Ephræm.

Nimirum saccus potuit, quod præstare purpura non poterat: maior sacci virtus, quàm purpuræ; maior cineris vis, quàm diadematis. Scitè sanctus Chrysost. hom. 1. de pœnitentia, ait quippe: *Erat rem quidem nouã videre,* PVRPVRAM SACCO CEDENTEM

Saccus præstitit, quod nõ potuit purpura.
S. Chrys.

præstantiori

præstantiori effectu. Quod enim purpura nequiuit, id saccus potuit; quod consummare diadema non valuit, hoc cinis perfecit. Sic ille de Niniuitis loquens.

Niniuitæ nobis imitandi.

Niniuitarum exemplo, in magnis, quæ nobis imminent, calamitatibus, ad ieiunium currendum est, quòd Legati munus exercet, quo Dei auxilium à Deo postulamus. Huc spectauit sanctus Maximus hom. in Litaniis, & de ieiunio Niniuitarum, vbi cùm Niniuitarum pœnitentiam, ieiuniúmque laudasset, adiicit: *Ita fratres, omnia in commotionem nostri facta esse, nemo est, qui nesciat; vt quotiescumque tribulationibus purgemur, ad hæc præsidia concurramus: vtputa aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus, & vincamus. Solent quidem homines, quotiescumque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causa destinare Legatos, nos, quod est melius, legationem ad Deum per ieiunia destinemus: ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde, & orationibus conferamus; auxilium enim illi non aliunde rogando petinerunt, sed de suis ieiunando visceribus exegerunt.* — S. Max.

509. *Pariari pecudibus potest, qui non ieiunat ira diuina auertēda.* — S. Max.

Ieiunauerunt Niniuitæ, ieiunarunt cum illis & pecudes; pariari pecudibus potest qui indicto sibi ieiunio non ieiunat, saluti suæ consulturus; hinc illud eiusdem sancti Maximi hom. de ieiunio Niniuitarum, *Stolidior*, inquit, *pecude est qui indicto pro se ieiunio non ieiunat; nónne enim* PECVS EST, *qui non intelligit, quid illi immineat, quid incumbat?* Et vt auertat, quod illi à Dei manu imminet periculum, euitet, ieiunet.

A belluis se discriminat, qui ieiunat.

In hoc se homo à belluis discriminat, quòd ventri non indulget, à cibis per ieiunium abstinet, abstinentiæ cùm Deus iubet, litat. homini primo certi cibi esus est inhibitus, nullus est inhibitus animalibus, vt vel hinc innuetetur brutis ferè parem, qui ventri seruit, & aliquo tempore abstinere à cibo nescit. In catena Græca cap. 3. Gen. hæc habentur: *Homo ita à Deo constitutus est, ne aliorum animalium exemplo ventri semper seruire cogatur, sed statuto tempore, si in censum generis humani referri, non autem in bestiarum ordinem redigi velit.* — Cat. Græc.

Dæmon in primos parētes maximè fæuiit, quia eos ieiunos vidit. — Cat. Græc.

Vt Christo ieiunium placet; ita displicet Dæmoni, qui fors ideirco in primos parentes acriùs sæuiir, quia eos ieiunos vidit, ferre eorum ieiunium non potuit, ad illud soluendum statim prouocauit. sic in catena Græca cap. 3. Gen. *Credidit omnino non ex modestia naturali eos abstinere à cibo, sed quòd ita iussisset Deus illos non soluisse ieiunium; quocirca percunctatus est Euam, Quamobrem vos Deus solos esse ieiunos in tantis opibus iussit?* illud, *in tantis opibus*, ac si ex Dæmonis mente non cohæreat, aliquem diuitiis grauem, leuem ieiunio ventrem circumferre, quod vtinam plures diuites id re ipsa non confirmarent.

Non nudo ieiunio, sed vitæ mutatione Deum Niniuitæ flexerunt.

Ieiunauere Niniuitæ, sed non nudo contenti ieiunio, etiam alia opera bona addiderunt, &, quod caput est, vitæ mutationem in meliorem. nemo ergo sibi de nudo ieiunio blandiatur, in melius quoque mutanda est vita, meliores quoque mores induendi, hoc præstiterunt Niniuitæ, nec enim solo ieiunio contenti, in vitiis, in quibus iacebant, perstiterunt, sed damnata priori vita sanctiorem inierunt, sicque propitium sibi Deum priùs iratum reddiderunt, quod expendebat sanctus Chrysostomus in catena Græca Ieremiæ, quæ nuper Ghislerij opera prodiit; sic enim habetur cap. 14. *Ieiunarunt & Niniuitæ: sed non per hoc Deum flexerunt. Sed quo? mutatione prauitatis. Quid enim prodest quæso à carnibus animalium abstinere, humanas verò degustare? Vino abstinere? pecunia verò cupiditate ebrium esse?* — S. Chrysost.

Nouarini Adagia SS. Patr.

510. *Nuda abstinentia ira diuina placanda nō satis est nisi accedat conuersio.* — Ion 3. 10.

Flexit Deum non nuda abstinentia, sed vitæ mutatio; hinc illud Ionæ 3. 10. *Vidit Deus opera eorum*; sed quænam opera? fors quia ieiunarunt? vidit etiam istuc, sed hoc diuinæ iustitiæ flectendæ haud satis erat; quid igitur vidit, quò flectatur, vitæ in melius mutationem; subdit enim statim, *qui conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiā, quā loquutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit*; vides, quid Deus viderit, quid Deum ab infligendis malis amouerit. Præclarè hanc rem vrgebat sanctus Chrysostomus hom. 3. ad populum Antiochenum, expendens verba producta, *vidit Deus opera eorum*, additque, *Qualia opera? quòd ieiunauerunt? quòd saccum induerunt? nihil horum, sed hæc omnia tacens intulis: Quoniam conuersus est quisque à vijs suis malis, pœnituit mali, quod dixerat facere ipsis Dominus. Cernis, quòd non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum, & beneuolum reddidit.* — S. Chrysost.

Ieiuniū fundamentum castitatis, & radix gratiæ.

Casta ieiunia dici alibi dixi, adductisque auctorum probæ notæ verbis confirmaui, causam reddidi, quia ieiunia castitatem generant, ac parturiunt; non aberrabit, qui ieiunium castitati hoc esse dixerit, quod in ædificiis fundamentum cui substernuntur. Certè sanctus Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio, ieiunium efferens, aiebat: *Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est, radix gratiæ fundamentum castitatis*; fundamentum istuc si auferas, nullo ferè negotio castitatis fabrica cadit. — S. Ambr.

Non à ferculis tātum ieiunandum, sed & à vitiis. — S. Chrysost.

Cùm qui ieiunat à ferculis, non ieiunat à vitiis, sed temerè ea deglutit; ita perstringit sanctus Chrysostomus serm. 1. de ieiunio, *Qui propter peccatum ieiunat, & in peccatis volutatur, quid amplius facit, quam si in luto lotus sit, iterúmque in luto volutetur? principio à peccato ipso abstinendum est.* Audi me qui legis, verum ieiunium haud est, quod à bonis operibus est ieiunum.

EXCVRSVS LXXIV.

Ieiunij armatura.

Ieiunij tempus, tempus militiæ.
Ieiunium Christianæ militiæ *principatus.*
Castra *nostra, nostra ieiunia.*
Ieiunium Christi castra, *murus spiritus*
Ieiuniorum arma *nobis sumenda.*
Ieiunij armatura *orationis murus.*
Ieiunium strenuis militibus telum.
In Christi militia *aliter, ac in sæculari cibariorum abstinentia commendatur.*
Ieiunij *nexus, &* militiæ.
Ieiunium scutum *est.*
Abstinentiæ clypeo *vtendum.*
Ieiunij scuto *contra Dæmonem pugnandum, & abstinentiæ lorica.*
De scuti *amißione Græcorum mos.*
Quàm graue ieiunij scutum *proiicere.*

511. *Ieiunij tēpus, tempus militiæ.* — S. Bern.

AD militiam vocamur, dum ad ieiunium, ieiunij tempus Christianæ militiæ tempus est. Beatus Bernardus de Quadragesima loquens serm. 1. in capite ieiunij: *Hodie*, inquit, *sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ; nemo ergo in vmbra iaceat, nemo pugnam detrectet, in aciem eundum est.* Sanctus Petrus Chrysologus in

 ieiunio

Ieiunium Christianæ militiæ principatus. S. Petrus Chrys.

ieiunio Christianæ militiæ principatum agnoscit, ducémque eius statuit misericordiam; hæc illius verba serm. 8. *Est ieiunium Ecclesiasticæ vitæ viaticum. Est ieiunium inuictus* CHRISTIANÆ MILITIÆ PRINCIPATVS; *sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat cùm duce misericordia pugnat.*

Castra nostra, nostra ieiunia. S. Ambros.

Castra ieiunia esse, in quibus contra hostis insidias stamus, & contra Satanam pugnamus, asserit S. Ambrosius serm. 25. vbi explicat etiam, cur stationum nomine ieiunia significentur; sic autem ille scribit. CASTRA *nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes, & commorantes in eis inimicos insidiãtes repellamus; castra planè sunt ieiunia Christianis, à quibus si quis aberrauerit, à spirituali Pharaone insidiatur, aut peccatorum solitudine deuoratur.*

Ieiunium Christi castra, murus spiritus. S. Petrus Chrysol.

Christi castra ieiunium appellat etiam S. Petrus Chrysolog. Deique arcem, *Ieiunium, Fratres, scimus esse Dei arcē, Christi castra,* MVRVM SPIRITVS, *vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam seruauit in Paradiso, quem inde detraxit gula. hoc in arca custodiuit, hoc, mundum ebrietas cùm demersit. Per hoc Loth Sodomitium extinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio.* Sic ille scribit ser. 12. plura in ieiunij laudem adiiciens.

Ieiuniorum arma nobis sumenda. S. Hier.

Arma ieiunia sunt, & miles sine armis est, qui sine ieiunio manum cum Satanico hoste conserit. S. Hieronymi sunt verba epist. 8. quæ est ad Demetriadem; Ieiuniorum tibi arma sumenda sunt. Eadem ferè mente sanctus Nilus in capitibus parænetícis ita scribit:

Ieiunij armatura orationis murus. S. Nilus.

Ὅπλον γὰρ τὴν νηστείαν, καὶ τὴν προσευχὴν τεῖχος, καὶ λουτρὰ τὰ δάκρυα. id est, ARMATVRAM *enim ieiunium, orationem* MVRVM, *& balneum lachrymas esse putato.* Sanctus Ephræm de ieiunio, militum telum illud vocat dum ait:

Ieiuniū strenuis militibus telum. S. Ephræm.

Ieiunium Prophetas suscitat, Legislatores sapientiam docet. Ieiunium bona animæ custodia, & corporis securus cohabitator. Ieiunium strenuis militibus TELVM, *athletisque exercitium.*

In Christi militia aliter, ac in sæculari cibariorum abstinentia commendatur. S. Basil.

Qui in Christi castris militat, ieiunium amet, abstinentiæ amicus sit: secularibus militibus cibaria iuxta proportionem exhibita olim sint, spirituales contrà maiorem dignitatem habent, si minus cibariorum habent, abstinentiam seruent, ieiunium colant. hoc nos vocat sanctus Basilius hom. 2. de ieiunio hisce verbis: *Mundi quidem militibus ex laborum proportione cibaria augeri solent. Spiritualibus autem militibus ij, qui minus habent cibariorum, maiorem obtinent dignitatem.*

512. *Ieiunij nexus, & militia.* Exod. 38. 8. LXX.

Ieiunij, & militiæ nexum probant illa verba Exod. 38. v. 8. *Fecit & labrum æneum, cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Militare verbum est *excubare*; hinc quidam ex Hebræo legunt, *de speculis* MILITANTIVM *mulierum*; LXX. *Ex speculis earum,* QVÆ IEIVNAVERVNT *apud portas tabernaculi:* bene militat, qui ieiunat; excubabant hæ mulieres in ieiuniis.

Abul.

Abulensis hîc hanc excubationem sic exponit: *Quæ excubabant ad ostium tabernaculi: id est, non dederunt ista specula quælibet mulieres de populo, sed solùm illæ, quæ valde deuotæ erant, & excubabant orationibus, & ieiuniis circa ostium tabernaculi Domino vlteriùs famulantes*; in excubatione orationem notauit quoque Chaldæus interpres, dum vertit:

Chald.

Qui veniebant, vt orarent. quæ versio notat ieiunio orationem nectendam, animandum ieiunium orationis fusu, orationis comitem ieiunium esse.

Ieiunium scutum est.

Iræ se diuinæ opponunt Niniuitæ, scutum sumunt, quo eius ictus reiiciant; nam scuti vice suis cultoribus ieiunium deseruire nemo nisi ieiunij hostis pernegabit. hoc certè titulo illud donat sanctus Basilius hom. 1. de ieiunio, ait enim eius laudes recensens:

S. Basil.

Ieiunium Prophetas generat, potentes roborat. Ieiunium legislatores sapientiam docet, animæ bonum propugnaculum, corpori securus cohabitator, SCVTVM *fortiter agentibus, exercitium athletis.* Sanctus Bachiarius epist. de recip. laps. ad Ianuar.

S. Bachiar.

Ego illum certè in prælio vidi constitutum, pugnabat cum SCVTO *ieiunij aduersùs illecebras gulæ.* Sanctus Chrysostomus serm. 1. de ieiunio abstinentiam clypeum vocat, quo impudicis voluptatibus resistimus; sícque de eius necessitate sentit:

Abstinentia clypeo vtendum. S. Chrys.

Cùm ante conflictum, ad resistendum libidinosis voluptatibus, CLYPEVS *nobis abstinentiæ necessarius fuit, multò magis in ipso nostro certamine, ieiunij auxilium ad nostram victoriam flagitandum est.*

513. *Ieiunij scuto contra Dæmones pugnandum, & abstinentia lorica.* S. Basil. S. Ambr.

Hoc scuto, hoc clypeo contra Dæmones vtendum est. nam, vt ait sanctus Basilius hom. 1. de ieiunio: *Ieiunium scutum est ad militiam, contra Dæmones*; & sanctus Ambrosius lib. 4. in Lucam, loricam illud vocat, quo gulæ, quæ diaboli telum est, resistimus. *Didicisti*, inquit, *Diaboli telum*, id est, gulam; *sume* LORICAM *abstinentiæ.*

De scuti amissione Græcorū mos. Plut.

Nefas olim apud Gentiles erat sine clypeo domum redire, vt mulcta damnaretur, qui illud amisisset. Plutarchus in vita Pelopidæ, *Græcorum leges*, inquit, *non qui ensem, aut lanceam, sed qui clypeum amisissent, mulcta damnabant*; & in Laconicis loquens de Demarato; *Apud Lacedæmonios, qui scutum abiiciunt, ignominia afficiuntur, qui verò galeas, thoracémve, minimè.* Isocrates quoque in orat. de pace, infames habitos asserit, qui clypeum abiecissent; verius id, iustiúsque ad spirituale ieiunij clypeum, abstinentiæque scutum flectamus: dum hîc sumus, in acie stamus, cúmque sæuissimis hostibus pugnamus, & quis adeò suæ salutis prodigus sit, vt scutum abiiciat. Aduocanda huc sunt sancti Basilij verba, qui hom. 1. de ieiunio paulò post initium, ita scribit:

Quàm graue ieiunij scutū proiicere. S. Basil.

Angeli per singulas sunt Ecclesias, eos, qui ieiunant, describentes. Vide quæso ne ob breuem ciborum delectationem plectaris, ne te reum, ac desertorem aciei Angelo describenti constituas. Minus sanè periculum fuerit aliquem in acie scutum proiicere, quàm arma ieiunij maxima detrectare. Aciem Christi nemo transfuga deserat, nemo ieiunij scutum abiiciat.

EXCVRSVS LXXV.

Ieiunium ad cœlum vehiculum.

Ieiunium animam eleuat.
Ieiunium vehiculum *ad cœlum.*
Eliam ieiunium extulit.
Ieiunium etiam Eliam eleuat, *Achab eiicit ebrietas.*
Elias ieiunio munitus currum igneum *non timet, tanquam non esset corruptibilis.*
Elias plus meruit, *quia plus ieiunauit.*
Aligeros *cultores suos ieiunium reddit.*
Fideles olim in mundanorum hominum festis ieiunabant.

514. *Ieiuniū animam eleuat.* Hiper.

IEiunium cultoris sui animam eleuat, sursúmque attollit; scitè Hiperitius lib. 4. Apoph. anachor. *Siccatum ieiunio corpus monachi* ANIMAM *de profundo* ELEVAT, *& siccat fistulas delectationum, ieiunium Monachi*; & pari etiam illorum, qui illud colunt. Huc flectit sanctus Ephræm, quòd se

S. Ephræm.

securis

securis ferro extraxisse legitur, hoc quippe cùm in aquam ceciditlet, ad imperiū Elisæi admoto ligno arido extractum est, 4. Reg. 6. Sic igitur rem versat, & ad ieiunium allicit citatus Pater tract. ad eos, qui in Relig. rud. *Lignum*, inquit, *aridum ex mandato Elisæi ferrum securis de profundo aquæ extraxit, corpus autem Monachi, quod ieiunio exaruit,* ANIMAM *de profundo sursum* ATTOLLIT.

4. Reg. 6.

Ieiunium vehiculum ad cælum est. Idem.

Nec attollit tantùm à profundo, sed ad cœlum vsque euehit, vt idem sanctus Pater hom. de ieiunio, vehiculum eum vocauerit, quo ad cœlum itur; *Ieiunium*, inquit, VEHICVLVM *est ad cœlum.*

Eliam ieiunium extulit. S. Zeno.

Hoc vsus vehiculo ad cœlum Elias iuit, sicut vetitum cibum edens in scelerum profunda lapsa est Eua. Audiendus hîc sanctus Zeno serm. de ieiunio: *Vide*, inquit, *ieiunando Elias, quò ascenderit, vide Eua, quò descenderit manducando, & ibi ad manducandum auctor, & consiliarius serpens est, imò Diabolus in serpente, hic vt ieiunans ascendat ad cœlum, auctor est, & monitor Deus.*

Ieiunium Eliam eleuat. Achab deiicit ebrietas. S. Pet. Chry.

Ascendit Elias ieiunans, descendit Achab ebrietate correptus; quod sanctus Petrus Chrysologus serm. 12. his verbis expendebat: *Ieiunium Eliam perduxit* AD COELVM *quando Achab impium ebrietas ad inferna deiecit*; & serm. 166. *Ieiunium Eliam leuauit* AD COELVM, *& purificato sic corpori ignei currus addixit obsequium.*

515. *Elias ieiunio munitus currum igneum non timet tanquam non esset corruptibilis.*

Elias plus meruit, quia plus ieiunauit. S. Ambr.

Sed hîc aliquis inquirat, cur non timuit Elias currum igneum ascendere, aëreos currus dirigere? an quia ieiunij virtute munitus? plusquam homo corruptibilis esse videbatur: Bene ille auctor, cuius mihi nomen excidit: *Quis currus igneos ascendere valuisset, regere currus aëreos, nisi qui naturam humani corporis corruptibilis ieiunij virtute mutasset?* Sanctus quoque Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio, hunc raptum in ieiunium retulit dum scribit: *Ieiunus Elias curru raptus est ad cœlum, & quadraginta dierum, ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam; tunc denique* PLVS MERVIT, QVANDO PLVS IEIVNAVIT, *meritò illum dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlestem vitam viuebat in corpore, ac superna vsum conuersationis exhibebat in terris.*

Aligeros cultores suos ieiunium reddit. S Petr. Chry.

Diceres aligeros cultores suos ieiunium reddere, vt illo muniti ad virtutum fastigia euolent, & ad pietatis auctorem in cœlo regnantem; huc spectant eiusdem sancti Patris verba serm. 2. *Vacuandus venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis authorem totus* ALIGER *peruolare. Hoc Elias probat, qui Dominici continuatione ieiunij defæcatus, à carnali pondere mortis victor euolauit ad cœlum.* Eliæ iter iam placet, cui placet Eliæ ascensus, ieiunium non displiceat.

Fideles olim in mundanorum hominū festis ieiunabant. S. Aug.

Olim fidelium mos erat, vt hoc quoque lectori offeram, illis diebus ieiunare, quibus homines seculo addicti festa celebrabant. Sanctus Augustinus in Psal. 98. *Ideo pro illis oramus, quando diebus illorum festis non ieiunamus, vt fiant sibi ipsi spectaculum; quando enim viderint se, displicebant sibi*; & nonnullis interiectis; *Ergo si nouimus mala illorum, quia de ipsis malis & nos liberati sumus, doleamus illos, & si dolemus illos, oremus pro illis: & vt exaudiamur, ieiunemus pro illis. Non enim nos nostra ieiunia celebramus per dies festos illorum. Alia sunt ieiunia nostra quæ celebramus per dies Pascha futuros, per alia atque alia quæ solemnia nobis sunt in Christo: per istos autem dies ad hoc ieiunamus, vt quando ipsi lætatur, nos pro illis gemamus. Lætitia enim sua admonent dolorem nostrum, & faciunt nos recordari, quàm miseri sint adhuc.* O hanc eandem mentem ebiherent, qui Christò seruiunt, ieiunij mentem saginarent cùm mundi mancipia terrenis deliciis corpus nutriant, & inanibus gaudiis distenduntur.

ADAGIVM DCLXVII.

Per alieni profectus scalam ruere in præcipitium.

IN inuidos torqueri hæc sententia potest, 516.
quæ prouerbialem habitum non repudiat. Torsit sanctus Petrus Damianus, qui opusc. 49. cap. 4. ita scribit: *Nonnulli aliis ieiunantibus, tanto liuoris, atque inuidiæ felle torquentur, vt illorum salutem sibimet in perniciem vertant, &, vt ita loquar,* PER ALIENI PROFACTVS SCALAM IPSI IN PRÆCIPITIVM CORRVANT. Porrigi ad illos omnes poterit, qui ex aliorum probitate, ipsi peiores fiunt.

ADAGIVM DCLXVIII.

Cyclopis honore quempiam afficere.

QVi honoris, & muneris loco postremum aliquem ad exitium, ac mortem reseruat; is Cyclopis honore aqualiter eum afficere dicetur. Vsus est sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 4. aduersùs Iulianum: *Quos cùm & vita, & sermone & mutua concordia claros, & celebres, iam inde à Græcia esse nosses,* CYCLOPICO HONORE EFFICIEBAS, *postremósque ad periculum reseruabas*; quæ verba sic exponit Elias scholiastes; *Quidnam autem hic* CYCLOPICVS HONOR EST, *& vnde desumptus? Olysses, & Homerus prodidit post Troiæ excidium, ac itaque illuc oberrans, ac loca subinde commutans, in Cyclopum insulam tandem appulit. Cùmque è naui descendisset, ac per insulam oberraret, in antrum quoddam incidit, illicque signa quædam incolarum nactus consedit incolas expectans. Venit autem vir quidam prodigiosa, & inusitata magnitudinis; neque enim, vt Homeri verbis vtar, similis erat viro frumentum edenti. Cyclops porrò hic erat, armenta pascens, eaque iam in antrum reducens, qui cùm ipsum, ipsiúsque socios conspexisset, quinam essent rogabant. Vlysses autem cùm alia, tum nomen suum exponit, Vlim sc. se ipsum mutato nomine nuncupans. Tum verò ille duos ex ipsis simul arripuit, atque contriuit, eorúmque corporibus sibi cœnam parauit. Qua quidem ex re metu perterritus Olysses, vino quod secum in vtre detulerat, eum delinit, ac verbis mulcet, munúsque hospitale ab eo requirit. Ille verò, Hoc, inquit, hospitale munus tibi do, quòd te postremum comedam. nec tamen Cyclops iste id quod in animo habebat, perficere potuit. nam cùm Olysses ipsius mentem vino concussisset, oculis eum orbauit. Quapropter* CYCLOPICO *etiam* HONORE *Iulianus magnos hosce viros* AFFICIEBAT, *postremos eos ad persecutionis periculum reseruans.*

ADAGIVM DCLXIX.

Ipsi lapides vlulant.

IN miserabili excidio vrbis alicuius prouer- 517.
biali hyperbole dicetur, & lapides cum ho-

minibus vlulare: anno Domini DCC LXXV. Francorum Regi scribens Stephanus Pontifex, de Longobardorum Romanam vrbem abstinentium impietate, & feritate aiebat: IPSI LAPIDES *nostros desolationes videntes* VLVLANT *nobiscum*, quod ad significandum quamlibet aliam maximam calamitatem transferetur.

ADAGIVM DCLXX.

Sus artium repertricem.

SAnctus Hieronymus Paulæ, & Eustochij nomine ad Marcellum scribens epist. 17. ita loquitur: *Magistrum cupimus docere discipule, & vt est vulgare prouerbium,* SVS ARTIVM REPERTRICEM. Cui erit locus quoties indoctior doctiorem informat, imperitior peritiorem.

ADAGIVM DCLXXI.

De pudicitia posse cum Bellerophonte contendere.

PRouerbiali hac comparatione somma alicuius pudicitiæ, & pudicitia cultus, & amor efferatur; hinc illud Synesij in Caluitij encomio; *Planéque mihi videor* DE PVDICITIA CVM BELLEROPHONTE POSSE CONTENDERE. Bellerophontis castitas, & pudicitia summè ab auctoribus celebratur. Origenes lib. 4. contra Celsum illius meminit, illúmque ita effert, vt Iosephum Patriarcham illi præferat, ait enim: *Multo* BELLEROPHONTE PRÆSTANTIOR *hac parte Iosephus, qui in carcere includi maluit, quàm castitatem amittere*; quod minimè legimus de Bellerophonte.

ADAGIVM DCLXXII.

Inferno crudelior.

LOcus prouerbio erit, cùm fæua alicuius crudelitas erit premenda, quod fecit Beatus Amadeus hom. 5. de laudibus Virginis, vbi in Iudæos inuehens ait: *Infernus ipse scelus exhorruit*, quo scilicet Dei filius morti traditus est, *& inferi furia conturbata sunt, Iudæus* INFERNO CRVDELIOR, *nec scelus exhorruit, nec fidem adhibuit.*

ADAGIVM DCLXXIII.

Vrna Belidum tibi non deest.

518. PRouerbialem faciem hoc habet, quod vsurpabitur, cùm quempiam inutilis, & inanis laboris notare volemus; hinc illud Petri Blesensis epist. 91. NON DEEST *tibi* VRNA BELIDVM, *dum in saccum pertusum diuitias congregas*; sumptum à Belidum fabula.

ADAGIVM DCLXXIV.

Nero.

SÆpius, & crudelis *Neronis* nomine prouerbialiter significabitur, hic quippe Imperator notæ fuit, & detestandæ crudelitatis, & impietatis. Huc facit illud Hildeberti Cenomanensis Episcopi epist. 33. *Quotidie*, inquit, NERO *nostris occursat aspectibus, quotidie Polymnestor quisquis, vel naturam flagitio, vel leges contemptu fatigauit, heredem te sua reliquit ignominia.*

ADAGIVM DCLXXV.

Neroniana pietas.

SVa crudelitate, atque sæuitia Nero locum prouerbio fecit, vt Neroniana pietas hostilis, & sæua dicatur, quæ mera sæuitia sit, mera crudelitas; hinc illud sancti Petri Damiani epist. 10. *Sed hic fortè flendus ille tyrannus, qui mihi* NERONIANA *semper* PIETATE *condoluit, qui me colaphizando demulsit, qui me certè aquilina, vt ita loquar, vngue palpauit.*

ADAGIVM DCLXXVI.

Caini discipulus.

QVi percitus inuidia sæuit in suos, & propinquorum suorum, aut etiam aliorum necem quærit, vt obsequatur inuidiæ, is prouerbij quadam forma Caini discipulus audiet; hinc illud sancti Basilij Seleuciæ Episcopi orat. 17. *Saulem primùm irritat inuidia, deinde inuidia accendit ad cædem, & dum virtutis studium studet inhibere supplantando,* CAINI DISCIPVLVM *Saulem facit.* 519.

ADAGIVM DCLXXVII.

Oportet pinum vlulare, quia cecidit cedrus.

NVllos inficias ibit prouerbialem salinam hanc sententiam sapere, quam refert hisce verbis sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 26. quæ est plaga grandinis: OPORTEBAT, inquit, PINVM VLVLARE, QVIA CECIDIT CEDRVS, *ac vicinorum plaga erudiri, atque per aliena mala res suas constituere.* Desumptum istuc est ex illo Zachariæ cap. 11. VLVLA PINVS, QVIA CECIDIT CEDRVS; quibus verbis monemur vt diuitum calamitatibus prostratáque fortuna erudiamur, adeò vt diu eos videmos oppressos iacere, quos opum copia erexerat, eorum exemplo perterriti nobis, rebúsque nostris consulamus, qui tanta diuitiarum potentia minimè fulcimur, & vniuersè quoties valentioribus, fortioribus cadentibus infirmiores, imbecilliorésque monemus, vt sibi prospiciant, séque securos non putent, hac vtemur parœmia.

ADAGIVM DCLXXVIII.

Vltra Gades nauigare.

PRouerbium est, quo vti licebit cùm quis in aliqua eos limites sermonésque excedit, quos egredi difficile putatur, & summæ virtutis gradus. Pindarus de Gadibus loquens ait: *Quod* VLTRA GADES EST, *atque sapientibus, & insipien* 520.

insipientibus inaccessum est. Ad prouerbialem formulam spectabat illud, quod est apud sanctum Gregorium Nazianzenum Nicobuli ad filium. *Quod si etiam* VLTRA GAOES NAVIGARE *libeat, eò quoque dux sibi Deus sit.* Paulo aliter refertur orat. 300. quæ est in laudem Basilij, nimirum, *Atque hac*, inquit, *ita se habebant, erátque doctrina mercibus nauis onusta, quantum quidem humanæ naturæ assequi datur; neque enim* VLTRA GAOES *transmeare cuiquam concessum est.* Cuius adagialis formulæ tunc erit vsus, cùm quis ad eum modum, finémque peruenerit in re aliqua, extra cuius milites oon se naturæ vires porrigunt. Gades porrò locus est, vt alij notauerunt, circa occiduas partes inter Hispaniam, & Afrieam, vbi mare permeabile esse negauit antiquitas, vt notauit hîc scholiastes, aitque in prouerbiorum sensum referendum, & ad Nemesium; ita idem sanctus Pater loquitur: *Atque hac cursim paucísque, vt mei moris est, versibus perstrinxi, quæ autem* VLTRA GANES *sunt, proieci.* Vniuersè quilibet ea, quæ vltra Gades sunt, proiicere dicetur, quoties ea prætermittet quæ vltra suas vires, aut terminos præstitutos.

ADAGIVM DCLXXIX.

Satanæ primogenitus.

Celestissimus quisque, & insigni impietate infamis, Satanæ primogenitus prouerbiali quadam hyperbole dici poterit; hinc illud sancti Petri Damiani lib. 1. epist. 20. *Quicumque se ad hoc flagitium impulerunt, filij Caiphæ* PRIMOGENITI *dicendi sunt* SATANÆ, *adintores Antichristi.* Sanctus quoque Polycarpus, vt refert sanctus Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, *cùm ei fortuitò obuiam fuisset Marcion, & diceret, Cognoscis nos? respondit, Cognosco,* PRIMOGENITVM DIABOLI.

Diaboli primogenitus dictus quoque Iudas est; sic illum indigitat Petrus Abbas Cellensis lib. de panibus cap. 8. *Iudas non solùm non soluit Deo primogenitum suum, sed etiam ipsi Deo Patri surripuit primogenitum, & vnigenitum suum. Cessit itaque in* PRIMOGENITVM DIABOLI, *quia excessit in primogenito Dei. Fraudolentissime Iuda, parum est tibi fraudem fecisse de anima tua, nisi addas manus sacrilegas iniicere ad misericordiæ Dei viscera. Parum est tibi Diabolo præbuisse iugulum tuum, nisi iugulares & Dominum nostrum. Parum, inquam, tibi est perdidisse præmium tuum, nisi & tolleres pretij nostri pretium; satis meliùs permaneres in discipulatu Christi, quam euadere in magistratu Antichristi.*

ADAGIVM DCLXXX.

Ædificare Babel.

521. Qvi opus aliquod moliuntur, quod supra eorum vires sit, & oudam superbiam, quódque confusionem tantùm sit pariturum laborantibus, prouerbialiter dicentur ædificare Babel; desumptum est ex historia, quæ in libro Genesis habetur, de illis, qui ausu nimis temerario erigere turrim tentauerunt, quæ culmine cœlum tangeret; optimè sanctus Bernardus serm. 4. in die Ascensionis, *Videas*, inquit, *alium litterarum, alium mundialis curæ, istum placitationum displicentium Deo, illum seruilis cuiuslibet artis, tam vehementer affectare scientiam, vt laborem non reputet tantummodo, vt possit aliquibus doctior reputari; sic* ÆDIFICANT BABEL, *sic putant ad Dei se peruenturos similitudinem, sic concupiscunt, quod non expedit, quod expedit omittentes.*

ADAGIVM DCLXXXI.

Ab igne.

IGnis ad omnem fabricam res potissima; huc pertinet etymoo Varronis, ignem dictum à nascendo, quòd inde omnia nascantur. atque inde etiam fors natum prouerbium ab igne, ad significandum initium cuiusque rei; quo vsus sanctus Basilius Seleucius lib. 1. vitæ sanctæ Theclæ: ἀφ' ἑστίας γὰρ, ὡς εἴπειν, ἀρξαμένη τῆς κατηχήσεως ἡ μάρτυς. idest, AB IGNE *enim, vt dicitur, Martyr auspicata est Catechesin.* quo genere loqueodi satis indicat, vulgare hoc esse prouerbium.

ADAGIVM DCLXXXII.

Aureus modò est, qui antea luteus.

CVm quis à prauæ vitæ fœditate, atque spurcitie, ad sanctiorem, nitidiorémque transit, tunc huic prouerbio locus dabitur; sancti Chrysostomi hæc sunt verba hom. 7. in epist. ad Coloss. VERE *quippe* LVTEI *sumus ante Baptismum,* POSTEA *verò* AVREI.

ADAGIVM DCLXXXIII.

Stipula Tartari cedrus facta est Paradisi.

QVi à perditissimo vitæ statu, ab improbissimis moribus laudabili mutatione ad 522.
sanctissimæ vitæ culmen peruenit, is dici poterit tanquam Tartari stipula in Paradisi cedrum euasisse; sic extulit sanctus Petrus Damianus, sanctum Bonifacium Martyrem serm. 20. dum de illo loquens infit: *Cùm vitæ eius ac beatæ consummationis gesta percurrimus, quid aliud inuenimus, quàm quia* STIPVLA TARTARI CEDRVS FACTA EST PARADISI. *De lupanari siquidem prodiit præliaturus ad stadium, de stadio suspenditur ad tormentum, de tormento ducitur ad gladium, de gladio subleuatur victor, & coronatus ad cœlum.* Idem sanctus Pater sancti Ioannis Euangelistæ laudes recensens inter alios titulos, quibus illum donat, etiam cedrum appellat Paradisi; sic enim ille scribit serm. 2. de sancto Ioanne in calce; *Meritò dicatur os Dei, lingua Spiritus sancti,* CEDRVS PARADISI, *lux Ecclesiæ, sidus hominum, specimen Angelorum, logotheca diuinitatis, forma fidei, columna cœli.*

ADAGIVM DCLXXXIV.

Onus & gigantinis humeris formidabile.

DE magno, & nimio onere dicitur, cui ferendo quilibet impar, quod optimè in Pontificiæ

Pontificiæ dignitatis culmine cadit, de hoc quippe loquitur sanctus Bernardus epist. 236. vbi de Eugenio, ad Romanam Curiam scribens, ait: *Quid putatis gerere animi nunc hominem illum, qui de secreto interna contemplationis, & amica solitudine cordis tanquam infans, à gremio, & sinu matris subitò perturbatus tractum se ad medium videt, & quasi ouem ad victimam ductum ad tam insueta, & insuauia? Nisi Dominus supponat manum suam; heu necesse est obruatur, & opprimatur* ONERE *insueto, & nimio, quod &* GIGANTINIS, *vt aiunt, vel* IPSIS *quoque Angelicis* HVMERIS FORMIDABILE *videatur.*

ADAGIVM DCLXXXV.

Explicare solem lucidum esse.

523. PRouerbialem saliuam istuc sapit; conueniet hæc sententia illis, qui enixissimè laborant, vt ea probent, aut explicent, quæ cuilibet nota, & manifesta sunt, cuilibet aperta. Vocari huc possunt sancti Chrysostomi verba, qui in Psal. 44. ita loquitur: *Constitues eos Principes super omnem terram. Egent ne hac interpretatione? ego quidem minimè existimo, quemadmodum* NEC QVÙD SOL SIT LVCIDVS.

ADAGIVM DCLXXXVI.

Alter Pharisæus.

QVi se, suaque putidè iactat, cætetis se ita confert, vt præferat, superbè contemnit alios, se super alios effert, hic alter Pharisæus prouerbiali scommate dicetur, tanquam illi similis, qui, vt Lucas cap. 18. ait, aiebat: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, vel vt etiam hic publicanus, ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Humilis Idiota de se humiliter, de nobis verù ita loquebatur cap. 14. de cursu vitæ, quod opus nuperrimè lucem videt; ALTERVM PHARISÆVM *me sentio, qui iustificans se ipsum, cæteros in genere, & publicanum in specie accusabat; sic etiam ego inter me ipsum iustifico, & aliorum vitam condemno; peccata mea leuia puto, & in aliis grauia.*

Superbum Pharisæum, humilémque publicanum ita inter se conferebat sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de rebus suis;

Ascendisse duos sacrata volumina quondam
In templum narrant homines; quorum alter inani
Turgebat fastu, tanquam ipse charior esset,
Nemo Deo, nemo melior, nec sanctior vsquam
(Hic PHARISÆVS *erat.) lucra est ab iniqua dolore*
Saucia corda gerens alter, luctúsque iacebat.
Ille quidem inflatus meritorum, ex ordine summam
Subducens, legis decimas, ieiunia crebra
Iactabat, priscísque viris de laude mouebat
Certamen, tumido calcans sermone telonem;
Hic autem lachrymans feriebat pectora palmis.
Nec verò in cœlum sedem Patris altitonantis
Spectabat, verùm in terram seruilia figens
Lumina, stánsque procul fundebat pectore vocem:
Parce tuo famulo, Deus optime, parce roganti,
Aspice me facilis, noxarum mole grauatum.
Non lex, non decimæ, non me benefacta tueri,
Ac dulcem misero poterunt afferre salutem.
Ficta nec in nostrum caput hic comitia torsit,
Quin etiam impuris pedibus contingere templum
Hô vereor; sed me ipse Pater lenissime serua,
Inque hominem stillet tua gratia sancta prophanum,
Quæ spes vna malis à te donata refulget.
Talia dicentes, audit Deus, ac miseratur,
Quem videt afflictum luctu spernitque superbum,
Hos pater aspiciens confestim tale tulisti
Iudicium: hincque mihi lata est fiducia nata.
Sum miser, hoc fateor, sum pessimus, ille telones.
Consimiles edo gemitus similémque medelam
Expecto, numénque tuum Pater optime supplex
Obtestor.

Repleti Pharisaico spiritu, quínam sint, explicat sanctus Bernardus serm. 65. in Cant. *Liquantes*, scilicet, *culicem, & camelum glutientes*; minimè religiosè obseruantes, maiora contemnentes.

Vtile nobis monitum exhibet Abbas Hyperichius lib. 5. de viris Patrum libello 15. de humilitate num. 50. vbi hæc leguntur: *Dixit Abbas Hyperichius; Imitare publicanum illum, ne cum Pharisæo damneris.*

Fastum, & superbiam hominum premens sanctus Hieronymus simili formula vtitur, sic enim ille loquitur epist. 11. quæ est ad Ageruchiam; *Vnde subrepit obliuio conditionis suæ, vt terrenum animal, & iam iámque soluendum erigatur in superbiam, & animo cœlum teneat.*

Verè ea præstiterat, quæ iactabat superbus Pharisæus, & tamen condemnatur; quid de illo fiet, qui ea putridè de se prædicat, quæ verè non præstitit; rem vrget sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 88. in hæc verba: *Si Pharisæus cùm ea fecisset quæ iactabat, propterea condemnatus, quia si iactauit; qui te iactas garriens duntaxat, ac non item boni aliquid faciens, téque grauiori pœnæ obnoxium reddens; quàm Pharisæus mulctatus est.*

Vera animæ pulcbritudo est mentis non iactare pulchritudinem, ab operum quæ præstamus, prædicatione omnino abstinere; hinc sponsa à sponso laudabatur Cant. 4. *Pulchra sunt genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet*; alij vertunt, vt haber etiam sanctus Hieronymus, *præter taciturnitatem tuam*; quæ taciturnitas accipi etiam de illa potest, qua quis opera sua, laude alioquin digna, silentio inuoluit, vt ea nescire videatur, dum non iactat. Pulchrè sanctus Chromatius in Matth. de octo beatitud. qui huc spectans ait: *Præter taciturnitatem tuam, hanc scilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.*

ADAGIVM DCLXXXVII.

Pharisaicum supercilium tollere.

ATtollere supercilium, fastum, & arrogantium signat, ad auxerim facit, si *Pharisaicum* adiiciatur; in hoc insignes Pharisæi, vt tumidè, & fastuosè se præferrent cæteris, cæteros negligerent, iactarent sua, aliena deprimerent. Sanctus Nilus in ascetico libro de quibusdā ita loquitur: *Cùm diuinæ Philosophiæ scopum ignorent*, PHARISAICVM *tamen* SVPERCILIVM TOLLVNT. Sanctus Hieronymus lib. 1. aduersùs Pelag. *Repentè mutaris in Stoicum, & de Zenonis tonas supercilio.* Zenones non minùs fastuosi, superbíque Pharisæi, qui cùm de vana sibi sanctitate blandirentur, cæteris se præferebant, spernebant cæteros. 524.

Fœda Pharisæi superbia in hoc apparet, quòd non

non silentio clamabat ad Dominum, sed alta voce, vt indicio esset non ad Dei aures voces dirigere, sed ad eorum, qui aderant; eleganter eum, eiusque superbiam exagitat sanctus Paulinus in epist. ad sanctum Augustinum, quæ inter epistolas sancti Augustini est 58. *Ille*, inquit, PHARISÆVS IVSTITIAS SVAS *tanquam nescienti Domino recolens, prædicabat in templo: non orans, vt exaudiretur, sed exigens, quasi debitum mereri pro operibus bonis quidem, sed ingratus Deo, quia quod iustitia ædificauerat, superbia destruebat: nec idipsum silentio, sed voce clamabat, vt appareret eum non diuinis auribus loqui, qui ab omnibus vellet audiri. Atque ideo non placuit Deo, qui placebat sibi.*

Pergit, & quid Pharisæo, cui pares Iudæi sunt, iactantia benefactorum suorum profuerit, sic exponit: *Quoniam dissipauit Dominus ossa hominum sibi placentium. Confusi sunt*, inquit, *quia spreuit illos, qui cor humile, & contribulatum non spernit. Denique & in ipsa Euangelij parabola, qua* PHARISÆI, *& publicani persona confertur, euidenter ostendit ipse Dominus, quid hominem suscipiat, quid repellat, sicut scriptum est: Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ideo protestatur magis iustificatum abiisse Templo publicanum de confessione peccatorum suorum, quam Pharisæum de imputatione iustitiarum suarum. Merito autem ille laudatur qui repudiatus abscessit à facie Dei, qui cùm ipso nomine etiam peritiam legis præferret, oblitus fuerat in Propheta dicentem Dominum: Super quem habitabo nisi super humilem, & quietum, & trementes sermones meos: ille autem in corde contrito sui accusator accipitur, & obtinet veniam de confessis peccatis, propter gratiam humilitatis; sancto illo Pharisæo quales Iudæi sancti sunt, reportante sarcinam peccatorum de iactantia sanctitatis. Ipsius nimirum sunt forma Iudæi illi, de quibus Apostolus ait, quòd suam iustitiam statuere cupientes, quæ ex lege est, iustitiæ Dei sunt subiecti, quæ est ex fide, quæ reputata est patri nostro Abraham ad iustitiam.*

Pharisæi iactantiam, & superbiam cum publicani humilitate conferebat in hunc modum sanctus Augustinus enarrat. in Psalm. 39. *Longè à superbis est Dominus, propè ad humiles. Excelsus est enim Dominus, & humilia respicit; sed non se putent latere qui superbi sunt: excelsa enim à longè cognoscit. Cognoscebat à longè* IACTANTEM SE PHARISÆVM, *subueniebat de proximo confitenti publicano. Iactabat ille merita sua, & tegebat vulnera sua: non iactabat ille merita, sed afferebat vulnera. Ad medicum venerat, sciebat se languidum, sciebat se sanandum. Oculos ad cœlum leuare non audebat, pectus percutiebat, sibi non parcebat vt ille parceret, se agnoscebat vt ille agnosceret, se puniebat vt ille liberaret. Tales hîc voces sunt, audiamus eas piè, & amemus piè, corde, lingua omnibus medullis nostris hæc dicamus. Nemo se putet iustũ, viuit qui loquitur, viuit, & vtinam viuat. Adhuc hic viuit, adhuc cum morte viuit: & si spiritus vita est propter iustitiam, corpus tamen mortuum est propter peccatum, & corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Pertinet ergo ad te clamare, pertinet gemere, pertinet confiteri, non te exaltare, non te iactare, non de tuis meritis gloriari.*

Quid timeri ab elato supercilio debeat, ostendit sanctus Valerianus hom. 14. de bono humilit. dum ait: *Tu assume officium libertatis, & statim animum superbientis agnosces, nunquam profectò ille aut sine suo alterius peccato diem transigit, qui supercilio elatus incedit.*

Pharisæi imitatores superbi sunt, quales & illi, quos perstringebat sanctus Optatus Mileuitanus lib. 2. *Pharisæus tumidus, superbus, inflatus, tales, quales & vos videmus*; & paulo pòst, SVPERBIA IN PHARISÆO *magistro vestro de templo damnata descendit*; multos in omni æuo Magister iste discipulos habet, multos sectatores.

ADAGIVM DCLXXXVIII.

Ambitione Pharisaica circundari.

QVi in operibus suis auram popularem quæ- 525.
rit, se suaque vbique ostentat, vt cæteris præferatur, is *ambitione pharisaica circundari* prouerbiali quadam saliua dicetur. Hinc illud sancti Hieronymi monitum ad Nepotianum epist. 2. *Nolo*, inquit, *dilatare fimbrias, & ostentare, habere phylacteria, & conscientia repugnante* PHARISAICA AMBITIONE CIRCVNDARI; istuc idem sibi quisque dictum putet, vt ab hac lue sit immunis; ambitione pharisaica corripitur, qui hominum laudes venatur, solique iactantiæ litat, dum laborat.

ADAGIVM DCLXXXIX.

Orare pharisaicè.

ORatio superba, & iactantia grauida, omnis humilitatis expers, in qua orans bona sua iactet, non supplex à Deo, & petat, quibus indiget, prouerbialiter *pharisaica* dicetur; desumptum ex oratione illa, quam tumidus Pharisæus virtutes suas recensens effundebat Luc. 18. hinc vtile illud sancti Nili monitum cap. de oratione: *Ne* ORAS PHARISAICE, *sed more potiùs publicani.*

De publicani precibus ita scribit sanctus Hieronymus epist. 58. quæ est ad Damasum, *Deus ipse, qui nullis contra viribus superari potest, publicani precibus vincitur.* Pharisæi linguam *tyrannicam* vocat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 35.

Pharisæum orantem publicanum sic exhibet sanctus Zeno serm. 1. in Psal. 130. PHARISÆVS *insultè manus tendit in cœlum quæ cædis sæpè, sæpè ministræ sunt rapinarum. oculos impudenter extollit, quorum lenocinio mundus in flore est. intonat lingua, caretque nunquam veneno serpentis, &, quod omni est maius insania, Deo se laudat. Publicanus autem non membratim Deum, sed totus exorat: quia timore totus est humilis sua peccata contestans, secundùm Domini dictum, à quo procedunt vniuersa genera peccatorum, pectus crebrò percutiens, quodammodo cor suum manu verecundè castigat, postulatque tantùm veniam delictorum taciturnitate, non voce. Quorum quis quid sit consequutus, accipite. Qui totum sibi ipse promiserat, inanis qui nihil præsumpsit, iustificatus de templo discessit.*

Pharisæum tumore, & superbia plenum orantem procacissimum vocat Tertullianus lib. de orat. cap. 13. cui humilem, modestum publicanum opponit, & præfert; *Ille*, inquit, *publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus atque deiectus orabat, iustificatior* PHARISÆO PROCACISSIMO *discessit.*

Qui & exteriora, & interiora negligit, cæcior ipsis Pharisæis est. Eusebius Gallicanus exhortat. ad plebem de obtrect. respiciens ad illud Christi Luc. 11. 19. *Pharisæe cæce priùs id, quod intus est, munda*, ait, *si is* CÆCVS *dicitur, qui interiora non mundat, qui negligit exteriora penè iam desperatus, &*

mortuus

mortuum est. hîc nos Pharisæi tumor, superbia, & sola vanitate grauida deprecatio sistit, apice calami hunc tumorem ad omnium medicinam tangemus, pungemus hoc morbo laborantes, vt hunc morbum a nostris expungamus, vt nullus iam Pharisæus sit, nullus oret pharisaicè.

EXCVRSVS LXXVI.

Sua non iactet, non iactet se, qui Deo preces fundit, Deo placere quærit.

Oratio pharisaica est, quam iactantia *inficit.*
Publicanus se deiiciens vt vectigal *exegerit.*
Orationis cursum aura *popularis frangit.*
Iactantia nubes *orationi se opponit.*
A iactantia veneno *Annæ oratio aberat.*
A pharisaico spiritu, Pharisæi *parabola vt nos auocet.*
Perstricti Pharisæi exemplo, *qui iis gloriantur, quæ non præstiterunt.*
A spiritu pharisaico *aberat sanctus Cæsarius.*
Percutiuntur superbi, vt ritè orationem Deo *fundant.*
Nemo de suis meritis glorietur.
Iactantia vtitur diabolus tanquam scala *vt nos inuadat.*
Omnia Christi exemplo Deo tribuenda.
Quàm cautè Sancti iactantiam *vitarent.*
Iactantiam vt in nobis Christus *cohibuerit.*
A laudum *suarum recensione abstinendum.*
Iactantia viam *ad immania* scelera *sternit.*

526. *Oratio pharisaica est, quam iactantia inficit.* S. Hier.

PHarisæi, non Christiani oratio est, quam bonorum operum iactantia concitatur, qualis illa, de qua sanctus Hieronymus lib. 3. aduersùs Pelagianos, vbi ait: *De hoc superbiæ tumore, & illa orandi prorumpit audacia, qua scribens ad viduam quomodo Sancti debeant orare pronuncias. Ille enim, inquis, meritò ad Deum extollit manus, ille preces bona conscientia fundit, qui potest dicere: Tu enim nosti Domine, quàm sanctæ, quàm innocentes, quàm puræ sint manus, quàm iusta, quàm immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi vt mihi miserearis, preces fundo. Christiani est hæc, an Pharisæi superbientis oratio?*

Publicanus se deiiciens, vt vectigal exegerit. S. Basil. Sel.

Efferebat se Pharisæus, & deiectus est, deiiciebat se publicanus, & erectus est; hîc quoque publicanus publicanum agit, vectigal poscit, & obtinet, sed spiritaliter spiritale. Festiuè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 35. expendens illa verba, *descendit hic iustificatus ab illo*, ait enim: *Inuersus est ordo, apparuit publicanus iusto Pharisæo iustior, idque iusti iudicis iudicio. Commutata rerum est natura: in altum fastu elatus deiicitur, ad ima vergens per sententiam erigitur. O publicanum clementiæ mercatorem! O publicanum, qui de portu felicitatis rectè* VECTIGAL *petit! O peccatorem, qui ad libertatem peccatoribus viam aperuit. Docuisti vectigalium redemptionem iustitiâ valentiorem, non desiisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.*

Orationis cursum aura popularis frangit. S. Hier. S. Nilus.

Preces orationésque eneruat, qui iactantiam earum comitem facit, auræ popularis flatus precùm iter intercipit, ne in cœlum euehantur; hinc à probo Doctore probum monitum ab hoc vitio orantes auertente. Sancti Hieronymi epist. 2. quæ est ad Nepotianum, hæc sunt verba: *Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum* FRANGAT AVRA POPVLARIS. Sanctus Nilus orat. 7. quæ est de inani gloria, lapidis similitudine, idem significabat: *Lapis iactus non ascendit in cœlum, nec gloriosi hominis* PRECES *ad Deum perueniunt.*

527. *Iactantia nubes orationi se opponit.* Thren. 3. 44. S. Innoc.

Iactantia illa nubes est, quæ orationis transitum impedit; sic enim ait Ieremias Thren. 3. v. 44. *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio*; huc flexit hæc verba sanctus Innocentius io procem. ad 7. Psalmos Pœnitentiales; NVBES, inquit, *superbiæ vitæ, idest, iactantia, quæ velut* NVBES *sine aqua circumfertur à ventis, orationem ad Deum transire non sinis.*

A iactantia veneno Annæ oratio aberat. S. Pasch.

A iactantiæ veneno Annæ oratio aberat, quod sic colligebat sanctus Paschasius lib. 4. comment. in Matthæum: *Hic*, inquit, *de Anna legitur, cùm multiplicaret preces coram Domino, & Heli obseruaret os eius. Quòd illa loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur; quid putas, nunquid vt videretur orabat? Non vtique, sed clauso ostio, scilicet tacita conscientia, vt exaudiretur in cubiculo, Deum, cui præstò sunt omnia, rogabat.*

A pharisaico spiritu Pharisæi parabola vt nos auocat. S. Chrys.

A pharisaico spiritu, pharisaicáque iactantia, nos Pharisæi parabola auocabat; sanctus Chrysostomus hom. 3. in Matthæum: *Nequaquam*, inquit, *huiusmodi bona frequenter euentiles, ne quis ea fortè diripiat. Quod etiam Pharisæus passus est in lingua illa circumferens, vnde & Diabolus rapuit, quamquam certè illa cum quadam gratiarum actione memorabat, atque ad Dominum cuncta referebat; sed ne hoc quidem suffecit ei.* Quid hîc illi, qui bona sua referunt, vt se efferant, nec in Deum illa iactant, sed se tantùm, & sua commendant, & laudant?

528. *Perstricti Pharisæi exemplo qui iis gloriantur, quæ non præstiterunt.* S. Isid. Pelus.

Arguitur Pharisæus, quòd opera, quæ verè præstiterat, tumidè iactauerit; quam pœnam illi merentur, qui putidè ob illa se iactant, quæ verè ab illis præstita non fuerunt? Egregiè hos premit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 88. *Si*, inquit, PHARISÆVS *cùm ea fecisset, quæ iactabat, propterea condemnatus, quia si iactauit, quid te iactas garriens duntaxat, ac non item boni aliquid faciens, teque grauiori pœna obnoxium reddens, quàm Pharisæus mulctatus est. Cùm tamen nihil reprehensione dignum admisisset, verùm hoc vnum illi crimini datum fuisset, quòd de probis actionibus gloriaretur.*

A spiritu pharisaico aberat sanctus Cæsarius. Acta. 1

Quàm à pharisaico hoc spiritu aberat sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus, de quo ita scribit auctor vitæ illius; *Post orationem, quam cum lacrymis fudit, statim reuerti ad domum Ecclesiæ cœpit: erat enim consuetudinis eius, vt cum Spiritu sancto sibi insinuante preces suas exaudiri pro infirmis agnosceret, statim cum celebritate exinde discederet, ne si illo præsente fieret, quod ipse à Domino impetrasset, aliqua* ARROGANTIÆ NASCERETVR OCCASIO, *quia & reuera frequenter, & dulciter, quasi in figura, vt nemo intelligeret, dicebat: Cui animarum cura credita est, fortiter debet timere curam corporum exercere.*

Nemo de suis meritis glorietur. Ephes. 5. 8.

Inglorius meretur esse, qui de suis meritis putidè gloriatur, ab hoc nos vitio auocare Apostolus studuit, cùm ait Ephes. 5. v. 8. *Eratis autem aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; absolutè & ex nobis, & à nobis tenebræ sumus, lux vera in Domino, ne quidquam nobis tribuamus, nostraque merita iactemus. *Diligenter aduertendum*, inquit

hîc

Primasius.

hic Primasius, *quia tenebræ nos fumus, lux autem in Domino, vt* NEMO DE SVIA MARITIS GLORIETVR.

Percutiuntur superbi, vt ritè orationē Deo fundāt. Psal. 103. S.Aug.

Tangi percutique superbi solent, vt orationem Deo fundant, & Deo se subiiciant. Sanctus Augustinus in Psalm.101. ita loquitur: *Qui aspicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt. Montes superbierant, iactabant se, non eos tetigerat Deus; tangit illos, & fumigabunt. Quid est, fumigare montes? Precem Domino reddere. Ecce magni montes, superbi, montes ingentes non rogabunt Dominum: se rogari volebant, & superiorem non rogabant. Quis enim potens, & tumidus, & superbus in terra, qui dignetur humiliter rogare Deum? De impiis loquor, non de cedris Libani, quas plantauit Dominus. Impius quilibet, & infelix anima rogare Deum nescit, & vult se rogari ab omnibus. Mons est, opus est vt tangat illum Deus, & fumiget: quando cœperis* FVMIGARE, DAEIT DEO PRECAM, *tanquam sacrificium cordis. Fumigat ad Deum, deinde tundit pectus. Incipis & flere, quia & fumus excutit lachrymas. Qui tangit montes, & fumigabunt.*

Iactātia vtitur Diabolus tāquam scala vt nos inuadat. Franco Abb.

Iactantia vtitur Satanicus hostis, tanquam scala, qua in cordia nostri arcem ascendat cuncta bona funditus deleturus, vbi hanc arcem occupauerit; scitè Franco Abbas tom. 12. de gratia Dei: *Omni custodia, fili mi, cor tuum serua, nec claustra cordis tui aliquando reseres callidissimo testatori; quia nullo pacto potest. Signaculum Crucis Christi infringere, nisi fortè (quod absit) fallacia eius blanditiis delinitus sponte velis ad mœnia tua hostem sæuissimum admittere. Hoc itaque modo exclusus, ad alia se vertit fraudis argumenta, tentans* SCALA IACTANTIÆ, *arcem cordis tui conscendere: te sanctum, te Deo placitum victorémque sui contestans.*

Iactantiam vt in nobis Christus cohibuerit.

Corporia sui gloriam coërcuit nono miraculo Christus, vt hominum vanitatem in hoc quoque damnaret, qui fotis ostendant, quæ nusquam sunt. Animæ Christi beatæ gloriosum corpus conueniebat, cohibuit hanc gloriam Christus, vt in nobis iactantiam cobiberet.

529. *Omnia Christi exemplo Deo tribuenda. Matt.11.25.*

Singularem humilitatem Dei omnia tribuentem sapiunt illa Christi verba: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*, Matth. 11. v. 25. omnia Patri tribuit, nihil sibi, qui tamen discipulos elegerat, instruxerat, erudierat, vt suo nos exemplo ab omni iactantia; & fastu auocaret. Peritèrem

Franco.

premebat Franco tom.10. de gratia Dei; *Vide*, inquit, *quomodo vbique gratiam commendet, vbique gloriam Patris prædicet. Confiteor, inquit, tibi Pater Domine cœli, & terra, nihil sibi de fide credentium assignat, nihil de institutione discipulorum sibi arrogat, qui elegerat, qui vocauerat, qui instituerat, qui iustificauerat. Ipse vasa iræ discernit à vasis misericordiæ: ipse alios, atque alios in illud, atque illud ministery sui opus distribuit, duodecim speciali gratia eligit, quos & seorsum familiarius instruit, foris parabolas turbis proponit, discipuli proposita differit. Nec tamen quidquam bonum sibi tribuens, sed ad gloriã patris omnia referens, pro abiectione superborum, atque elatione humilium gratias agit, dicens: Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, qui abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Diligens lector, diligenter attende, quomodo Dei vnigenitus, æterno Patri coæternus, cum quo illi vna substantia, eadem est gloria, vnum idémque consilium, opúsque indiuisum, quomodo ad* SOLIVS PATRIS GLORIAM OMNIA SVA REFERAT, *vt te purum hominem infirmum, & impotentem doceat, quò* TVA OMNIA, *si tamen Deo digna fuerint*, REFARRA DEBFAA. *Nec enim ait,*

Nouarini Adagia SS. Patr.

abscondimus hæc, & reuelauimus: sed abscondisti, & reuelasti.

Quam cautè Sancti iactātiam vitarent.

Mirum, quàm cauti Sancti Dei fuerint, nec iactantia dum magna præstarent, corriperentur; obseruo hoc seruasse aliquando aliquos, vt crucis signum mirabile quidpiã facturi sub suo vestimento formauerint, ne aliquid de sequuto miraculo illis tribueretur. In actis sancti Nicetij Episcopi Treuerensis ita scribitur: *Dæmoniacus cùm apprehensa columna aueli à decem viris non posset, Sanctus Dei sub vestimento suo* PROPTER IACTANTIAM *faciem crucem Christi contra Dæmonem relaxari præcepit, qui protinus corruens*, & quæ sequuntur.

Acta.

A laudum suarum recēsione abstinendum. Psal. 10. Agelli.

A pharisaica iactantia aberat Dauid, cùm diceret Psal. 10. *vt sagittent in obscuro rectos corde.* verba hæc humilitatem redolent, sic enim ea versat noster Agellius hic: *Modestia*, inquit, *Dauid intelligenda est* A IACTANTIA PROCVL REMOTA, *sic namque de se tanquam de alio loquitur, & vt magis* A EVI PRÆDICATIONE AESIT, *laudes suas, ne singulariter emineant, cum multis coniungit tanquam de pluribus rectos corde.*

Iactantia viam ad immania scelera sternit. Gen. 4. 8.

In maxima facilè crimina labitur, qui iactantia corripitur, & ruit in pœnitenda qui iactantiæ laborat vitio, & non Cain ad fratricidium sibi per iactantiam viam strauit? Certè in campum Abelem duxit occisurum Abelem; Gen.4. 8. *Dixit Cain ad Abel fratrem suum, Egrediamur foras*; cur foras duxit, neque enim illi longiùs eundum, vt se ab hominum conspectu eximeret, cùm mundum solus Adam, sola Eua incoleret, an tanquam agricola in campum duxit, vt suæ diligentiæ frater spectator esset, iactaréique laborem suum, suam industriam? Huc euasit sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum in Genesim, vbi loquens ex Græco, *Egrediamur in campum, subdit: Audis quo pacto vocarit in agrum, vt* APECTATOR SVÆ DILIGENTIÆ CVLTVRÆQVE ESSAT, *& pulcherrima florum varietate oculos pasceret*; sicque per iactantiá gradum sibi ad homicidium fecit, sanguinem fudit, qui effundere sua voluit, sua ostentare.

S. Cyrilli.

EXCVRSVS LXXVII.

Orationem euehit humilitas, superbia inficit.

Pharisæos acriter reprehendit *Christus, vt nos ab eorum vitiis auocaret.*
Pharisæi fastus, *& oratio iactantia infecta.*
Orationis vehiculum *humilitas.*
Orationis alia *humilitas.*
Verè orationem Deo sternit, qui sternit se ipsum, *& deiicit.*
Erigitur super alios, *qui se infra alios deprimit.*
Superbi oratio nullius frugis.
Fastus *virtutum faces extinguit, bellum Deo infert.*
Veritatis, *&* confessionis *nexus.*
Humilitas quantum iustis *prosit.*
Publicanus in cœlum oculos *non leuans* cœlum ad se inclinauit.
Virtutum cæterarum decus, *&* ornamentum *humilitas.*
Humilis superbia probanda *in superbiæ neglectu.*

530. *Pharisæos atriter reprehendit Christus vt nos ab eorum vitijs auocaret.*
S. Petr. Chry.

PHarisaici supercilij, pharisaicæ iactantiæ, ac supetbiæ condemnatio monitio nostra est; nos iustruimur, dum illius fastus pungitur, & in omnium exemplum producitur io medium; ab hac causa in Pharisæos maximè Christus sæuiebat, vt in illorum reprehensione cæteri erudirentur, quod fulminum exemplo ita explicat sanctus Petrus Chrysologus serm. 171. *Sicut enim fulgura cùm saxa, montes, arbores, ipsa domorum culmina terribili collisione dissoluunt, sensus hominum, mentésque corripiunt: ita Dominus quoties in Pharisæos intonat,* SVOS *timore salutari* CORRIGIT, *& emendat*; quod vniuersè dici potest quoties mali etiam in hac vita plectuntur.

Pharisæi fastus, & oratio iactantia infecta.
S. Basil. Sel.

Pharisæi fastum, orationémque superbia infectam, his pulchrè verbis repræsentat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 35. *Quid Pharisæus? stans, inquit, orabat. Oculis, atque ore obuersus cum Deo sermocinabatur, fortè & in nubes propemodum se raptum iri expectabat, vt in cælo cum Deo colloqueretur.*

Orationis vehiculum humilitas.

Pharisæus orans, & sua superbè iactans inducitur, & damnatur, vt in illo disceremus vitandam maximè iactantiam, fugiendum fastum dum sternimus Deo preces, amplectendam humilitatem, quæ orationem ita exornat, vt ad Deum euehat. nam, vt ait sanctus Chrysostomus in Psal. 9. *Orationis* VEHICVLVM, *est humilitas.* Beatus Laurentius humilitatem orationis alam dixit, sic ille scribit de casto connub. cap. 22. *Humilitas, & charitas spirituales orationis sunt* ALÆ, *quarum remigio, vsque ad interiora ingreditur velaminis, vbi verbum in sinu residens paterno æterna virtute generatur*; his alis oratio destituta erigere orantis mentem minimè poterit, neque scitè in sublimia subuolare.

S. Chrys.
Orationis alia humilitas.
B. Laur. Iust.

Verè orationē Deo sternit, qui sternit se ipsum, & deiicit.
S. Greg.

Quin verè Deo orationem non strauit, qui Deo non sternit seipsum, suæ vilitatis notitia; hinc Iob in terram corruens Deum adorauit cap. 1. 20. vt istuc innueret, quod affirmamus. Peritè sanctus Gregorius lib. 2. moral. cap. 16. *Notandum*, inquit, *quòd in terram corruens adorauit, ille enim veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia puluis sit,* HVMILITER VIDET; alioquin veram orationem non videtur offerre, qui hoc non videt. Puluerem se vidit, puluerem se dixit Abraham Deo loquutus, cinerémque se esse apertè est fassus Gen. 18. vt hinc maximè orationem suam extulerit, quia se non extulit, sed demisit.

531. *Erigitur super alios, qui se infra alios deprimit.*
S. Basil. Sel.

Apud Deum euehitur, qui se demittit, & ferè super homines effertur, qui infra homines se luat; istuc accidit Abrahamo dum puluerem, cinerémque se vocauit, quod expendebat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 28. vbi humilitatem laudans ait: *Quando Abraham suo illud sermoni prætexuit: Sum puluis, & cinis, tunc* NATVRÆ AGNITIONE, NATVRÆ TERMINOS EST MERITÒ SVPERGRESSVS.

Superbi oratio nullius frugis.
S. Antioch.

Displicet oratio Deo, quam fastus inficit, deturpat superbia, de superbientis oratione ita sentit sanctus Antiochus hom. 44. *Quemadmodum fructus marcore, aut carie vitiatus cultori suo nihil adfert commodi, ita & superbi oratio nihil ex Deo relatura & frugis bona.*

Fastus virtutum faces extinguit, bellum Deo infert.
S. Basil. Sel.

Porrò oratio superbiæ vitio infecta adeò Deum non placat, vt magis irritet, non pacem ab eo obtineat, sed bellum suscitet, & vniuersæ virtutes omnes, quibus Deo adhæremus, euertit, & diruat; probè io superbiam arietat Beati Basilij Seleuciæ Episcopi calamus, qui orat. 35. ait: *Superbia* ARX ÆGRITVDINVM, *quæ Deo bellum petit, quæ ad naturam pertinentia ignorat, quæ Diaboli morbo iactatur, quæ virtutis cursus inutilis efficitur: & si vniuersas in medium virtutes repræsentes, extinguit earum faces ingruens fastus. Ieiunij cum superbia copulati emolumentum nullum: superuacanea virginitas superbia sorde inquinata: iustitiam Deus auertatur fastui seruientem: beneficentiam edit animi tumore æstuantem.*

Veritas, & confessionis nexus.
Psal. 84.
S. Aug.

Ob oculos nobis publicanus habendus, imitanda nobis publicani humilitas, atque deiectio est; publicanum his verbis nobis in exemplum proponebat sanctus Augustinus in Psal. 84. expendens illa verba: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit*; sic ergo horum verborum nexum expendit Aduocatus Pater, & publicani humilitatem efferens ait: *Confitere peccata tua, & orietur de te veritas; si enim cùm sis iniquus, dicis te iustum, quoniam à te orietur* VERITAS. *Intende illud, publicanum longè à Pharisæo in templo orantem, Domine propitius esto mihi peccatori; ecce veritas de terra orta est*, quia confessio peccatorum ab homine facta est; quid ergo sequitur, *descendit hic iustificatus ab illo.*

Humilitas quantum iustis prosit.
S. Chrys.

Quod si tantum peccatori publicano humilitas puraque confessio profuit, quantum iustis proderit, & innocentibus? sic enim rem vrget sanctus Chrysostomus hom. 38. ad populum Antiochenum: *Cum simus*, inquit, *peccatores, hoc nos esse quod sumus cogitantes efficimur iusti, sicut &* PVBLICANVS; *quanto magis si cùm iusti, peccatores esse nos putemus.* istuc idem sanctus Pater versat hom. 3. in Matth. in hunc modum: *Si etiam cùm* PECCATORES *sumus, hoc nos arbitrando esse quod sumus iustificamur, sicut & publicanus; quanto magis si cùm* IVSTI *fuerimus, esse nos peccatores putemus? Si igitur tantum valet in* PECCATORE CONFESSIO, *considera quantum* HVMILITAS *possit in* IVSTO; & in Psalm. 4. de eadem publicani oratione loquens ia fit: *Si* PECCATOR, inquit, *iustus ab oratione factus est, considera cuiusmodi erit* IVSTVS *si talem orationem offerre didicerit.*

532. *Publicanus in cœlū oculos non leuās, cœlum ad se inclinauit.*
S. Bern.

Publicani humilitatem sic efferebat sanctus Bernardus serm. de quatuot modis orandi: *Regnum*, inquit, *cælorum vim patitur, vim faciebat publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cælum leuare, ipsum* COELVM *ad se* POTVIT INCLINARE. Et sanctus Augustinus io Psalm. 93. Publicanum se humilitatem deiicientem, se tumidè efferentem Pharisæum considerans aiebat: *Videte, fratres, magis placuit Deo* HVMILITAS *in malis factis, quàm* SVPERBIA *in bonis factis*; amanda ergo humilitas malis, vt boni fiant, bonis, vt meliores euadant.

Virtutum cæterarum decus, & ornamentum humilitas.
S. Basil. Sel.

Cæterarum virtutum decus, & ornamentum humilitas est, vt verus fuerit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus, qui orat. 28. ita eam effert; *Alius mansuetudinem amat, & in sacris litteris in admiratione est: alius zelo cælesti obarmatur, & Deum laudatorem sibi comparat. Verùm etsi plures saluti congruant modi, tamen omnibus* HVMILITATIS ORNAMENTVM *conuenit; ea comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & iustitia purgatior, & verior misericordiæ fructus.* Catent suo decore virtutes humilitate destitutæ, quin nec virtutes sunt, nec omnino sunt.

Humilis superbia probanda in superbia neglectu.

Vt admitti superbia possit, in superbiæ neglectu admittenda est, vt maior nostra mens sit, quàm vt ad superbiæ vilitatem demitti dignetur; superbia, quæ magnos ferè inuadit, nobiles corripit, ignobilem radicem habet, à vilitate originem

suam

suam trahit, superbire nescit, qui verè nobilis est, nescit extolli, qui verè magnus, regiámque mentem circumfert; hinc illud sancti Valeriani hom. 14. quæ est de bono humilitatis: *Superbia,* inquit, *vilitatis est vitium, & indicium ignobilitatis; nescit autem* EXTOLLI NOBILITAS *mentis, semper accrescit apud indignos mores cum potestate supercilium.* Humilis, & amplectenda illa superbia est, quæ in superbiæ contemptu, tanquam rei vilissimæ, est sita. S. Valerian.

EXCVRSVS LXXVIII.

Adorare pro orare; nonnulla alia de oratione.

Compositum adorandi *verbum pro simplici* orandi *non semel positum.*
De ipso adorare *quid sit.*
Adorantes *dicti qui orabant.*
Orationis fructus reddendi *verbo significatus.*
Animi nerui *oratio.*
Quo habitu *supplices Macedones orarent.*
Magna *à Deo in oratione quærenda.*
Cœlestia, *non terrena petenda.*
Inuisibilia *quærenda, contemnenda visibilia.*
Cordis petitiones *Deus exaudit.*
A Deo Deus *quærendus.*
Cùm Deus non quæritur, *orantis animus litatur.*
Deum inuocare *non videtur qui terrena à Deo postulat.*
In veritate *Deum inuocat, qui Deum non quærit.*
Assumant pennas *vt aquilæ oraturi.*
Instare orationi *quid.*
Grauiter orationem premit *Diabolus.*
Grauis Dæmoni *oratio.*
Oratio Diabolum irritat.
Oratio murus *aduersùs Dæmonem.*
Ad muniram precibus animam *Dæmon non audet accedere.*
Inuidet *homini oranti Dæmon.*
Multiloquium *in oratione inhibitum fidem commendare.*
Orationes diuinæ gratiæ excubiæ.

533. PHarisæi oratio nos ad orationis tractationem vocauit; verbum quoque quo eius oratio significatur, aures nobis vellit, vt eius vim, notionémque explicemus, quod eò libentiùs præsto, quòd eadem opera lux aliquotum auctoris dictis immittetur; ait igitur Dominus apud sanctum Lucam cap. 18. 10. ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι: *Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus Pharisæus, & alter publicanus*; verbum postremum aliter vertit sanctus Cyprianus, adorandi quippe verbum habet. nam cùm dixisset tract. de orat. Dominica: ADORAMVS *autem fratres dilectissimi, nec illuc ignores, quemadmodum in templo cum Pharisæo publicanus orauerit*; paulo pòst subdit: *Quæ dominus in Euangelio suo ponit, & dicit, Homines duo ascenderunt in templum* ADORARE, *vnus Pharisæus, & alter publicanus.* Posuit nimirum compositum pro simplici; quod nouum, insolénsque nec nostris, nec prophanis est.

Compositum adorãdi verbum pro simplici orandi non semel positum. Luc. 18. 10. S. Cypr.

Tertullianus hoc sensu adorandi verbum extulit lib. de orat. cap. 14. *Quid amplius referent isti, qui clarius* ADORANT, *nisi quòd proximis obstrepunt? Imò prodendo petitiones suas quid minus faciunt, quàm si in publico orentur?* vbi apertè vides adorandi verbum auctorem hunc posuisse pro orandi; eodem sensu idem verbum auctor idem efferebat cap. 1. *Consideremus benedicti cœlestem eius sophiam, in primis de præcepto secretè* ADORANDI, *quo & fidem hominis exigebat, & modestiam fidei desiderabat.* ad locum Matthæi respicit, vbi Saluator in secreto, & clauso ostio orandum cœlestem Patrem iubet. Tertull.

Propertius lib. 1. eleg. 4. Propert.

—Maneat sic semper, ADORO,
Nec quicquam ex illa quod querar inueniam.

Verbum compositum pro simplici vsurpauit, vt notauit etiam Lipsius cap. 7. variarum lectionum. Lips.

Iuuenalis eodem sensu efferebat in his versibus, Iuuen.

—Libertas pauperis hæc est,
Pulsatus iacet, & pugnis concisus ADORAT,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

534. Ab hac huius verbi notione lucem accipiunt illa verba Prophetæ Regij Psalm. 71. *Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, &* ADORABVNT *de ipso semper*; sensus esse potest, orabunt pro ipso. Genebr. hîc; *De ipso* περὶ αὐτοῦ. *Hebr. orabunt pro ipso; precabuntur ei felicia; anthropopathos de Christo loquitur, vt de Rege optimo, pro cuius incolumitate, & vita diuturnitate assiduè rogat populus.* Rem firmo ex sancto Augustino hîc, vbi legit hunc locum, *Et orabunt de ipso semper*; addit aliquos legisse, *pro ipso, vel pro eo.* Pergit, *Pro eo verò, quomodo intelligatur angustum est, nisi quia cùm oratur pro Ecclesia, pro ipso oratur, quia corpus eius est; de Christo quippè, & Ecclesia præmissum est Sacramentum magnum; erunt duo in carne vna*; noster Agellius huic explicatui calculum suum adiicit, dum ait: *Sed & pro Christo* ADORARE *sic intelligi sine illius maiestatis detrimento potest, quo modo intellexit Augustinus, ne litteram torqueamus, præsertim cùm orare, seu adorare* περὶ τινὸς *de aliquo nusquam sit in Scriptura, nisi eo sensu positum, vt sit adorare, seu orare pro aliquo.*

De ipso adorare quid sit. Psal. 71. Genebr. S. August. Agell.

Ex his, quæ hucusque attulimus, apparet, quàm immeritò se aliqui torserint, quòd pro illis verbis Act. 16. v. 25. *Media autem nocte Paulus, & Sylas orantes*, aliqui codices habeant, *adorantes*; cùm dici possit *adorantes* dictum pro orantes; vnde non benè Lorinus Actuum commentariis ad hunc locum, ait, *eos fuisse deceptos, qui adorantes transtulerunt; quia*, inquit, *rationem habuerunt præpositionis* πρὸς, *cùm Græcè sit* προσευχόμενοι; *sed eadem est vis compositi, & simplicis verbi, nec reperitur* προσεύχεσθαι *pro adorare*; nimis seuerè laboriosus iste auctor talem versionem carpit, sicut enim in Græco eadem est ratio simplicis, & compositi, sic etiam est in Latino, vt ex his quæ diximus constat; potest igitur & versio ista sustineri, ex notione, quam composito huic verbo adductis bonorum auctorum exemplis dedimus; sed quia hîc sumus, alia de oratione in legentis vtilitatem adducamus.

Adorantes dicti qui orabant. Act. 16. 25.

535. De orationis fructu loquens Christus Matth. 6. ait, *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*; quid reddet? non verbis verba, sed verbis *Orationis fructus red-*

dendi verbo significatus. Match. 6. S. Paschas.

rem, & precum fructum; ita sanctus Paschasius lib. 4. in Matth. *Noli orare vt videaris ab hominibus, sed ora intus clauso ostio, vt Pater tuus videat, & Pater qui viderit in abscondo, reddet tibi.* REDDIT AVTEM NON VERBA PRO VERBIS, *neque pro precibus precem, sed fructum orationis, & mercedem fidei. Homines verbis plerumque nuda verba reddunt, nihil praterea, Deus pro verbis supera dona exhibet.*

Animi nerui oratio. S. Chrys.

Animi neruos orationem vocat sanctus Chrysostomus hom.2. de precatione tom.6. vbi ita rem explicat: *Quòd quis animi neruos preces appellauerit, mihi profectò verè dicere videatur. Etenim vt corpus, opinor,* NERVORVM *beneficio constat, currit, stat, viuit, compactúmque est, iisque incisis, omnes corporis numeri dissoluuntur; sic animi per sanctas* PRECES *& conglutinantur, & constant, cursúmque habet pietas facilem, ac secundum.*

Quo habitu supplices Macedones orarent. Alex ab Alc.

Singulare est, & dignum scitu, quod de Macedonibus refert Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 19. morem nimirum apud eos fuisse, vt si quid suppliciter à Diis, vel hominibus exposcerent, seminudi, vel interiori tantùm amicti tunica obtestarentur; res sanctiori ritu vestienda est. Fiet rerum terrenarum affectu veluti externa veste si quis spoliet Deum oraturus. Huc adnocari potest illud sancti Ambrosij octon. 19. in Psal. 118. *Et tu cùm oras,* MAGNA ORA, *idest, & ora quæ æterna sunt, non quæ caduca. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est; noli pro auro, quia metallum est; noli orare pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad Deum non peruenit, non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit beneficiis.* Vides vt orantes spoliet Sanctus iste, & nudos à terrenarum tegmine requirat?

Magna à Deo in oratione quærenda. S. Amb.

Cœlestia, non terrena petenda. Matth. 6.

A terrenis non abiungit Christus, cùm Patrem quæ in cœlis est orare nos docuit; *Pater noster,* inquit, *qui es in cœlis,* Matth. 6. & non etiam in terris est; est qui vbique est, sed terræ nulla fit mentio ne terrena peteremus. Scitè sanctus Chrysostomus hom. 20. in Matth. *Cùm Deum esse dicit in cœlis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed à* TERRIS ABDVCIT ORANTEM, *eúmque supernis habitaculis, ac regionibus affigit excelsis.*

Inuisibilia quærenda, contemnenda visibilia. Matth. 5. S. Pasch.

536. Inuisibilia quærenda, visibilia contemnenda, rectè monet Matth. 5. dum clauso ostio orare nos Patrem Christus iubet; opportunè sanctus Paschasius lib. 4. in Matthæum: *Clauso,* inquit, *ostio Deum orat quisquis & quæ à foris improbè se immergunt vi spiritus, & obseruationis custodia, funditus ne surrepant, repellit. Appetunt enim nostra interiora, & obstrepunt ad* CORDIS OSTIVM VISIBILIA, *& omnia, quæ huius vitæ sunt temporalia. Propterea obseruandum est, & totus interior homo intrinsecus colligendus, quatenus cubiculum ingrediatur;* alioquin rebus terrenis tantùm mentis sinum aperit, spiritualibus, & inuisibilibus neglectis à recta orandi ratione multum abit.

Ad hanc mentem dixit Dauid Psalm. 36. *Dabit tibi petitiones cordis tui,* non carnis, sed cordis petitiones probandæ; hinc illud sancti Augustini in Psalm. 36. *Signanter accipe* PETITIONEM CORDIS TVI, *discerne petitionem cordis tui à petitionibus carnis;* discerne quantum potes, nec frustrà dictum est in quodam Psalmo, *Deus cordis mei.*

A Deo Deus quærendus. Psal. 36. 7.

Deum ritè orat, qui à Deo non aliud quærit nisi Deum, Dauidis verba sunt Psalm. 36. v. 7. *Subditus esto Domino, & ora eum;* orandum Deum dixit, non exposuit quid ab illo petendum, vt scilicet rectè innueret curandum potius quàm quæreremus, quàm quid; quod tetigit etiam Vgo Vict. annot. in Psalm. 36. *Quid est,* inquit, *aliud Deum orare, nisi mente humili, atque deuota ad eius misericordiam semper respicere? Propterea enim non dixit tibi,* ORA EVM HOC, SIVE ILLVD, SED TANTVM, ORA EVM; *quia nihil aliud à te, quàm affectum bonum exigit: qui tuam necessitatem, etiam te non loquente, cognoscit. Cùm ergo oras, quem petas potius, quàm quid petas cogitare tibi dulce sit.*

Vgo Vict.

Cùm Deus non quæritur, orantis animus lassatur. S. Greg.

Vires suas amittit oratio, amittit & orans si in oratione aliquid à Deo quærat, & non quærat Deum; nam, vt ait sanctus Gregorius lib. 15. moral. cap. 27. *Cùm* DEVS IN ORATIONE NON QVÆRITVR, *citiùs in oratione animus* LASSATVR; erigitur si Deum quærat, eúmque solum.

Deum inuocare non videtur, qui terrena à Deo postulat. Psal. 52. 6. S. Aug.

Qui terrena, & peritura à Deo postulant, Deum innocare non videntur, de his ait idem Regius Propheta, *Deum cùm innocauerunt,* Psalm. 52. v. 6. sanctus Augustinus in Psalm. 85. ita illustrat hæc verba, *Inuocant, sed non Deum. Inuocas quicquid amas. Inuocas quicquid in te vocas; inuocas quicquid vis, vt veniat ad te. Porrò si* DEVM *propterea inuocas, vt veniat ad te, peruenit, vt veniat ad te hæreditas, vt veniat ad te sæcularis dignitas, illa inuocas, quæ vis vt veniant ad te.*

In veritate Deum inuocat, qui Deū non quærit. Psal. 144 18. Prou. 1. 28.

537. Qui à Deo aliud præter Deum quærunt, inuocare illum videntur, verè non inuocant; eiusdem Dauidis verba sunt Psalm. 144. v. 18. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate;* signatè additum, *in veritate,* ne omnes inuocantes verè inuocantes crederemus; nam & Prou. 1. v. 28. scriptum est, *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam;* non meretur audiri qui ea, quæ à Deo, Deo præfert. Audiendus hîc idem sanctus Pater, qui in Psalm. 144. ait, *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, & vbi est illud, erit enim cùm inuocabunt me, & non exaudiam eos? ergo vide quid sequitur, omnibus inuocantibus eum in veritate; nam multi eum* INVOCANT NON IN VERITATE. *Aliud ab ipso quærunt, non ipsum quærunt. Quare amas Deum? quia dedit mihi sanitatem; ergo si bonus est Deus, quia ista tibi dedit, quanto beatior erit cùm seipsum tibi dederit?*

S. Aug.

Assumant pennas vt aquila oraturi. Rich.

Assumendæ vt aquilæ nobis pennæ, vt à terrenis mentem subducamus, in cœlestia eleuemus. Richardus in Prologo in 6. lib. Trinitatis; *Quid mirum si ad diuinitatis arcana mens nostra caligat, cùm omni penè momento terrenarum cogitationum* PVLVERE *sordescat? Excutere de puluere virgo filia Sion. si filij sumus, Sion sublimem illam contemplationis scalam erigamus, assumamus* PENNAS VT AQVILÆ, *in quibus nos possimus à terrenis suspendere, & ad cœlestia leuare.*

Instare orationi quid. Coloss. 4. 2.

538. Segnes, desidésque nos in oratione esse nolebat Paulus, cùm dixit, *orationi instate,* epist. ad Coloss. 4. v. 2. non dixit, nudè *orate,* sed *instate* orationi, vt rem laboriosam esse orationem innueret, segnitiémque omnem, ac desidiam ab orantibus excludendam. Scitè sanctus Chrysostomus hom. 9. in epist. ad Coloss. *Scit,* inquit, *Diabolus quantum bonum sit oratio, & ideo grauiter eam premit. Scit Paulus quòd multi qui precantur, sint desides, & segnes. Quamobrem dicit,* ORATIONI INSTATE TAMQVAM DE RE LABORIOSA. Perpende illud, *grauiter eam premit,* scilicet grauiter premit orationem Diabolus, à qua grauissimè premitur.

S. Chrys.

Grauiter orationem premat Diabolus.

Grauem illi orationem nostram esse asserit sanctus

Grauis Dæmoni oratio. S. Bern. B. Alcui.

sanctus Betnardus serm. 3. in dedicat Ecclesf. *Grauis equidem*, inquit, *nobis est inimici tentatio, sed longè grauior est illi oratio nostra.* B. Alcuinus poëm. 179.

DÆMONIS *aduersùs magna est oratio virtus.*

Agath.

Interrogatus Agathon Abbas, quæ virtus plus haberet laboris? respondit, orare Deum, eò quòd Dæmones orantem semper impugnant, vt otationem interrumpant.

Oratio Diabolum irritat. Elias. Plut.

Elias Presbyter in Asceticis, *Super canibus virgam quatiens eos in se irritas*, DÆMONES *autem qui puram fundere* ORATIONEM *nititur.* Plutarchus de præcept. connub. *Tigres memorant sonitu tympanorum semel in rabiem agi, ac laniare semetipsas*; Dæmon quoque discerpitur orationis puræ.

539. *Oratio murus aduersùs Dæmonem.* S. Chrys.

De orationis muto, quem Dæmon timet, ita loquitur sanctus Chrysostomus lib. 2. de orando Deum; ORATIO ECCLESIÆ MVRVS, *qui rumpi non possie, munimentum inconcussum; Dæmonibus quidem formidabile; piis verò, nimirum nobis tutum, ac salutiferum.*

Ad munitam precibus animam Dæmon non audet accedere. S. Chrys.

Muniti precibus animam, ad eámque sic munitum Dæmonem accedere non audere, habet idem sanctus Pater eodem libro in hæc verba: *Ad animam precibus munitam non audet* (Dæmon) *propiùs accedere, metuens robur, ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrauit, magis vegetans animum, quàm cibus vegetat corpora.* & hom. 53. in Acta Apost. *Non leonis rugitus sic fugat, vt iusti oratio Dæmones.*

Inuidet homini oranti Dæmon. S. Nilus.

S. Nilus cap. de orat. *Vehementer inuidet* HOMINI ORANTI DÆMON.

Multiloquiũ in oratione inhibitum fideiy commẽdare. Math. 6. Tertull.

Cur in oratione mulriloquium Christus inhibuerit. nam Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui*, sic exponit Tertullianus lib. de orat. cap. 1. dum ait: *Hoc ad fidem, & modestiam fidei pertinet, si non agmine verborum adeundum putemus, quem vltrò suis prospicere certi sumus*; sponte suis ptouidet Deus, nec est quòd verborum multitudine ab illo extorqueamus, ad quod paratissimus est, qui multam in Deum fiduciam habet, non multis vtitur verbis, vt quod orat exoret.

Orationes diuina gratia excubia. S. Paulinus.

In otationibus ab aliis pro nobis fusis spitituales excubias diuinæ gratiæ custodiendæ notauit sanctus Paulinus, cuius hæc sunt verba epist. 13. ad Delphinum, *Sed custodiat* EXCVBIIS ORATIONVM TVARVM *gratia tua munus in nobis, & operationem manuum tuarum non omittat in nobis.* has nos quoque excubias ab eo, qui hæc perlegerit, postulamus.

EXCVRSVS LXXIX.

Puræ in oratione manus eleuandæ.

Manus *nobis data vt illas in oratione extendamus.*

Orantes in cælum manus *eleuent, cælestibus inhient.*

Innocua, & impolluta manus, *quæ in oratione eleuantur.*

Puris manibus *Deos in auxilium vocandos putabant Gentiles.*

Rebus cœlestibus *inhiet qui Deum orat.*

Manus *olim oraturi abluebant.*

Sordes à moribus *potius, quàm* à manibus *abstergenda.*

Vera manuum expiatio *quænam sit.*

Manibus *spiritales munditia necessaria.*

Leuanda puræ manus *per innocentiam.*

Nouarini Adagia SS. Patr.

Manus *in oratione extenduntur vt ligatæ ad pœnitenda non porrigantur.*

Scelera oratio *soluit.*

A corporis vinculis *soluitur orans.*

Placat Deũ oratio, *si Deo placeat orantis vita.*

עתר *quid.*

Puritas in thure *colligendo.*

Res ad orationis thus *transfertur.*

Vestimenta abluat, *qui Deo occurrit.*

Candidis vestibus *Ecclesiam oraturi intrabant.*

Nuprialis *in oratione* vestis *induenda.*

Expansæ *in cælum orantis* manus *significabant ad omnia patienda paratum qui orabat.*

Manus sublatio *signum erat aliquem esse deuictum.*

Aliter in oratione *accidit.*

Manuum expansio *ingent orantis affectum prodebat.*

Manuũ eleuatio *orantẽ ad bona opera vocat.*

Orationis, *&* operis *nexus.*

Orantis vox *non est grata, nisi & benè operantis facies sit pulchra.*

In orantes *oculos Deus conicit, quia opera orationi nectunt.*

Infructuosæ, *&* steriles *ne sint preces.*

Opera *orationem commendent.*

Actio contemplationis basis.

ORantis habitus erat manus ad Deum extendere, vt notissimum ex diuinis litteris est; quia manus huic præcipuè muneri sunt destinatæ, vt eas in orationis signum eleuemus, quod notabat sanctus Chrysostomus orat. de prouidentia, dum ait: MANVS *data sunt, vt eas ad oratione extendamus*; non aptè manibus vtitur, qui eas in oratione non eleuat. 540.

Manus nobis data vt illas in oratione extendamus. S. Chrys.

Ad hunc ritum spectabat Paulus cùm diceret ad Timotheum scribens, epist. 1. cap. 2. *Volo autem vos orare in omni loco leuantes puras manus*; quæ verba sic explicat sanctus Anselmus hîc, *Orent leuantes ad cælestia, non deprimentes ad terrena manus puras à peccatorum sordibus; ne enim confundantur* MANVS AD DEVM LEVATÆ, *debent & à peccatis esse pura, & in omnibus operibus exercitata.*

Orantes in cœlũ manus eleuent, cœlestibus inhiẽt. 1. Tim. 2. S. Anselm.

Ipsamet manuum in cœlum extensio, innocuas, & impollutas esse manus orantis significabat. Præclarè Tertullianus in Apologet. cap. 30. *Illuc* (in cœlum) *suspicientes Christiani* MANIBVS *expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus.*

Innocua, & impolluta manus quæ in oratione eleuantur. Tertull.

Vel Gentiles ipsi puris manibus inanes suos Deos inuocandos putabant; operiebant tamen capur; ita Plautus in Amphit. *Inuocat Deos immortales, vt sibi auxilium ferant* MANIBVS PVRIS, *capite operto.*

Puris manibus Deos in auxilium vocandos putabant Gẽtiles. Plaut.

Puræ in oratione manus eleuandæ, in cœlum expandendæ sunt, vt tebus cœlestibus inhiare se præbeat, hærere cœlo, qui preces puras fundit; hinc illud Origenis lib. 3. contra Cœlium. *Quicunque purus est* MANIBVS, *eásque tendens ad cælum, vtpote vacans rebus cœlestibus, potest dicere, Eleuatio manuum tuarum sacrificium vespertinum, venit ad nos.* Huc facit & illud Vgonis Victurini annot. in Gen. cap. 14. ad illud, *Leua manum tuam*, ait

Rebus cœlestibus inhiet qui Deum orat. Orig. Vgo. Vict.

enim, *Leua* MANVM *non cupidus terrenorum, sed ad Dominum Deum, qui meliora, & plura dare potest*; quod præcipuè in oratione fit.

541. *Manus olim oraturi abluebant.* S. Chrys.

Olim vt puras in oratione manus eleuarent, manus lauabant; sancti Chrysostomi hæc sunt verba hom. 36. ad populum, *Ideo libenter non oramus, nisi lotis hoc* MANIBVS *faciamus, tamquam Deum offensuri, & sub nequam constituti conscientia.*

Sordes à moribus potius, quàm à manibus abstergenda. Idem.

Sed quid refert, manus quidem abluere, non mentem; sordes in manibus non ferre, circumferre in moribus? grauiter rem vrget idem sanctus Pater eodem loco; SORDIDIS *quidem* MANIBVS ORARE *non audes, sordem autem, & immunditiam offerens ex rapina nil mali censes? Ipsas manus sordibus, & immunditia non finis impleri, sed priùs purificatas ita postmodum eas offers, & talis sordes nullum habet peccatum, illa verò accusatione digna, atque calumnia. Ne solùm igitur hoc consideremus, quomodo* PVRAS OFFERAMVS MANVS *orantes, verùm & vt quæ offeruntur pura sint*; pura sit & conscientia offerentis.

Vera manuũ expiatio quænam sit. S. Chrys.

Pergit, & Isaiæ verbis explicat quænam probanda sit sordentium manuum expiatio, quæ abstersio vtilis, & opportuna; *Sint*, inquit, MANVS PVRÆ, *non eas tantùm aqua abluamus, verùm & iustitia puris. hæc est manuum expiatio; si verò simus iniustitia pleni, si millies etiam eas laues, nullum est emolumentum. ait enim, Lauamini, mundi estote.* (Isa. 1.) *Quid igitur nunquid dixit; Ite ad fontes, ite ad balnea, vel flumina? nihil horum. sed quid? Auferte iniquitates vestras ab oculis meis. hoc est mundari, hoc est ab inquinamento liberari, hæc est verè munditia.* Et nonnullis interiectis addit: *Nihil est magnum si* CORPVS ABLVES, *Iudaica est ista purgatio, inutilis, & non expediens, cùm interior desit.* claudit; *Cùm in anima fuerit tabes, quid nobis proderit* CORPORIS PVRITAS? *nihil puris est nobis opus orationibus. Orationes autem puræ esse non possunt, cùm fœda sit anima, quæ parit eas.*

542. *Manibus spiritales munditia necessaria.* Tertull.

Manibus munditiæ necessariæ sunt, sed spiritales; nam nihil corporalis officiunt. Ab hac mente ita loquitur Tertullianus lib. de orat. cap. 11. *Cæterùm*, inquit, *quæ ratio est*, MANIBVS *quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem abire? quando & ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ vt à falsò, à cæde, à sæuitia, à veneficiis, ab idololatria, cæterisque maculis, quæ spiritu concepta manuum opera transiguntur puræ alleuentur; hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiosè curant ad omnem orationem etiam cum* LAVACRO *totius corporis aquam sumentes*; opportuna ablutio est, quæ vitiorum maculas abstergit, criminum sordes tollit.

Leuanda pura manus per innocentiam. S. Ambr.

Puræ manus eleuentur, sed ea puritate, quam exhibet morum innocentia; scitè sanctus Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. 4. *Actus tuos leues si vis operari orationem tuam; leua* PVRAS MANVS *per innocentiam.*

Manus in oratione extenduntur vt ligata ad pœnitenda, non porrigenda. S. Chrys.

In oratione manus extendebantur, vt oratione quodammodo vincirentur, ne ad pœnitenda porrigerentur. Præclarè sanctus Chrysostomus hom. 79. ad populum Antiochenum: *Quid* MANVVM IN ORATIONS *vult extensio? Hæ multis sceleribus ministerium exhibent, & propterea iubemur eas extollere, vt orationis ministerium sit eis vinculum nequitiæ, & à malitia separatio: vt cùm rapturus, vel oppressurus, vel alterum sis percussurus, recorderis quòd has ad Deum pro patronis emissurus es, & per has illud spirituale sacrificium offerre debeas, nec illas confundere, ne actionis prauæ ministerio fiducia priuere.*

Scelera oratio soluit. Idem.

Manus oratio ligat, ne in scelera extendantur, sed scelera ipsa soluit; sic enim loquitur idem sanctus Pater oratione de Oratione; *Ingens bonum omnique possessione præstantius oratio est, ipsa enim salutis criminum catenis Deum ad misericordiam præparat, & periculis, in quæ errore, & incuria solemus incurrere, securos, & liberos reducit*; addit: *Ipsa criminum vincula precibus dissoluemus.* Olim aliquando vt iudicem flecterent, catenis collo alligatis actabant, nos contrà oratori catenas iubemur frangere, & frangimus dum oramus.

543. *A corporis vinculis soluitur orans.* S. Chrys.

Certè anima à corporis vinculis liberatur, cùm Deo nectitur; Angelus par efficitur, qui e puro corde puras emittit preces; Deum in oratione freqoens alloquitur. Audiendus hîc idem sanctus Pater in Psalm. 4. *Homo*, inquit, *qui cum Deo loqui didicit, vt par est, eum, qui cum Deo loquitur, erit deinceps* ANGELVS, *ita liberatur anima à vinculis corporis, ita ei ratio in altum tollitur, ita è terris migrans in cœlis habitat, ita de victu curam omnem abiicit, & quæ ad victum pertinent despicit.*

Placat Deũ oratio si Deo placeat orantis vita.

Placat Deum oratio, si placeat orantis vita, quæ placet si pura sit; obseruo, vt ab Hebraico fonte aliquid muniem, sub eodem verbo orandi, & placendi notionem delitescere, עתר vtrumque significat, vt notabat etiam Pagninus in lexico; nempe vt harum notionum nexu sciremus, illius preces, orationémque Deo gratam esse, cuius vita, (עתר quid.) moresque Deo placerent; seu quia dulcibus, suauibúsque verbis fundi debent preces, quibus Deus flecteretur; indicauit istuc & regius Psaltes Psal. 18. (Psal. 18.) vbi orationis sacrificium Deo placiturum indicat, si puritas, & sanctitas præmittatur; *Et erunt*, inquit, *vt* COMPLACEANT *eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*; sed præmiserat, *Immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*; placebunt nimirum Deo oris eloquia si sordes exsint à mente, à maculis sit alienus, qui preces fundit.

Puritas in thure colligenda.

Gentiles adeò religiosi erant in colligendo thure, quod in Deorum suffitu adhibebatur, vt id muneris puris pueris committerent, qui lotis vestibus essent, sine sordibus, sine maculis; sic tradit Christianus Grammaticus, doctus Matthæi (Christ. Grã.) interpres, ad cap. 2. eius verba subscribo: *Semper*, inquit, *fuit vsus apud Paganos, vt quando colligendum erat* THVS, MVNDI PVERI CVM LOTIS VESTIBVS *id colligerent*; ac si minus gratus Deorum suorum naribus effusis è thure odor esset futurus, si inquinatis vestibus esset collectum.

Res ad orationis tunc transfertur.

Vellem superstitiosum hunc ritum sanctiori, ac religiosiori vestiri, thuri in sacris litteris oratio comparatur quæ in modum thuris in Deum euaporatur, ita Radulphus, & sanctus Gregorius Magnus in cap. 4. Cant. (S. Greg. Cant. 4.) sic enim exponit ea verba, *odor vestimentorum tuorum sicut thuris*; *Bene*, inquit, *odor vestimentorum tuorum sicut* THVRIS *esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis* ORAT, *dum præueniendi intentione, ea quæ potest bona operatur.* Hoc igitur orationis thus mundis animæ vestibus, puris manibus colligendum est, ita vt ante orationem sordes omnes abstergantur.

544. *Vestimenta abluat, qui Deo occurrit.* Exod 19.10.

Huc respexisse videtur Deus cùm Moysi dixit antequam in montem ascenderet, Deóque occurreret, populum vniuersum lotis vestimentis expiaret, sic enim ad illum Deus Exod. 19. v. 10. *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua*; quo externo ritu animæ puritas, & innocentia commendatur, qua Deo occurrere

Dei

Theod. Gloss.

Dei seruus debet, vt censuit Theodoretus hîc quæst.36.Imò per montem, ad cuius radices ablutis vestibus Hebraicus populus iubetur accedere, contemplationem intelligit hîc Glossa, & collem thuris in amoris cantico orationis montem aliqui interpretantur;lotis igitur animæ vestibus ad colligendum spiritale orationis thus egredi debemus sanctiori quàm Gentiles ritu.

Candidis vestibus Ecclesiam oratori intrabant. S. Chrysost.

Quid? quòd apud antiquos fideles quarundam Ecclesiarum erat consuetudo, vt candidis vestibus induti templum Deum oratori ingrederentur. Rem habet Beatus Chrysostomus in Matth.52. *In nonnullis*,inquit,*iam Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant quomodo* MANIBVS LOTIS, CANDIDIS INDVTI VESTIMENTIS *in Ecclesiam ingrediantur.* Candida vestis induenda ei, qui orationis cubiculum ingredi vult, nam sicut nuptiali veste carens qui ad nuptiale conuiuium intrauerat, eiectus est;ita nuptialis,hoc est,candida, pura vestis ei necessaria, qui orationis thus colligere debet. Fallor ni hoc voluit Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio verbi, & animæ cap.22.sic enim ait: *Depone iniquitatis fasciculos deprimentes te,abiice à te cupiditatis onus, absterge maculas interioris aspectus,* & LOTA ANIMÆ FACIE, *atque* VESTE INDVTA NVPTIALI *securus accede ad ipsum,tuásque illi petitiones edicito.* Non spernentur preces ab animo ita parato fusæ. pura sit animæ facies, munda sit mentis vestis, vt grata oratio illi sit ad quem dirigitur. redeo ad manuum eleuationem.

Nuptialis in oratione vestis induenda. B. Laur.Iust.

545.
Expansa in cœlum orantis manus significabat ad omnia patiendo paratum, qui orabat. Tertull.

Expansis olim manibus orabant, vtque vel habitu proderent se ad omnem supplicium paratos esse; egregiè Tertullianus in Apolog.cap.30. vbi cùm exposuisset innocuas manus in oratione expandisse fideles,subdit:*Sic itaque nos ad Deum.* EXPANSOS *vngula fodiant, cruces suspendant, ignes lambant,gladij guttura detruncent,bestiæ insiliant;* PARATVS EST AD OMNE SVPPLICIVM IPSE HABITVS ORANTIS CHRISTIANI; nihil timet,qui Deo orationem sternit.

Manus sublatio signum erat aliquem esse deuictũ. Suid. *Aliter in oratione accidit.*

Olim manus sublatio signum erat aliquem esse deuictum; in Suidæ prouerbiis cent.1.prou.63. *Tolle digitum qui in certamine deficiunt*, SVBLATIO *enim* MANVS *signum est aliquem deuictum fuisse*,in oratione manus eleuatio victoriæ signum est,vnde & Moses dum manus in cœlum extolleret, Amalech vincebat.

Manuum expansio ingens orantis affectũ prodebat. Ps.142. S.Chrys.

Ista manuum expansio ingentem orantis affectum significabat, ad hanc mentem canebat Propheta Regius, *Expandi manus meas ad te*, Ps.142. v.6. expandebant manus, non extendebat dumtaxat,tamquam orans ex suo, & cordis sinu exiliret in Dei sinum; opportunè sanctus Chrysostomus hîc: *Non dixit,extendi,sed*, EXPANDI, *ostendens magnam cordis affectionem quod propemodum è corde properat exilire, & ad ipsum excurrere.*

Manuum eleuatio orantẽ ad bona opera vocat. S.Aug.

Verùm quia manus operis instrumentum, & signum est,manuum eleuatio,quæ in oratione fit, nos ad opera vocat, monétque orationem à bonis operibus non esse abiungendam; huc vocabat sanctus Augustinus producta,& explicata superiùs Pauli verba de puris manibus eleuandis, ait enim enarrat.in Psal.62. *Leuemus & nos* MANVS NOSTRAS *ad Deum in prece, & non confundentur manus nostra leuata ad Deum si exerceant in bonis operibus. Quid enim facit qui leuat manus? Apostolus enim dicit, leuantes* PVRAS MANVS, *vt cùm leuas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Ipsas manus cogita in bonis operibus exercere, ne erubescant leuari ad Deum.*

546.
Orationis, & operis nexus. Thren.3. S.Greg.

Hunc orationis,& operis nexum probant & illa Ieremiæ verba Thren.3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum*,sic enim ea ad nostram mentem explicat sanctus Gregorius lib.18. moral. c.5. *Corda* CVM MANIBVS LEVAT, *qui orationem suam operibus roborat, nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor leuat, &* MANVS *non leuat; quis vero operatur,& non orat, manus leuat, & cor non leuat.* Quid hîc illi, qui nec manus leuant, nec cor?

Orantis vox non est grata,nisi & bene operantis facies sit pulchra. Cant.2.14. Chald.

In amoris Cantico sic sponsam sponsus alloquitur cap.2.v.14. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis,vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Orantis vox plenè grata non est, nisi & benè operantis facies sit pulchra; vox dilectæ dulcis dilecto est,si facies quoque sit decora, hoc est,commendent opera, quod preces quærunt, si orationi opera iuncta sint. Accinit Chaldaica paraphrasis, quæ producta verba ita illustrat:*Ostende mihi aspectum tuum,& opera tua recta, fac me audire vocem tuam, quoniam vox tua suauis est* IN ORATIONS *in domo Sanctuarij,& aspectus tuus pulcher in operibus bonis.*

In orãtes oculos Deus cõiicit, quia opera orationi nectunt. Ps.33.16.

Ex his procliue erit Dauid mentem aperire, quæ in illis verbis latet Psal.33.16. *Oculi Domini super iustos,& aures eius in preces eorum*; defixos in iustos tenet oculos,apertas eorum precibus aures habet;sed cur auditurus iustos, iustos Deus videre prohibetur? An vt hinc disseramus bona opera orationem exornandam, ac veluti animandam? Videt iustos Deus, dum bona opera, in quibus se exercent, contemplatur; non enim nudis verbis orant, qui iusti sunt, sed verbis opera adiiciunt, quæ fortiùs verbis ipsis clamant; huc spectauit noster Agellius in huius Psalmi commentario. nam post aliqua,quæ in horum verborum explicatum dixerat,addit etiam istuc: *Seu potiùs, quia eiusmodi iusti homines eum orant, non nudis precibus plerunque agunt*, SED ORATIONEM SVAM IEIVNIIS, VIGILIIS, BONIS OPERIBVS COMMENDANT, *in ea bona opera precibus adiuncta coniecti sunt oculi Domini, quia hac intuetur, & videt, ad preces etiam aures eius patent: è contrario namque dixit per Isaiam, minacibus verbis deterrens iniustos,& à timore Dei alienos homines. Cùm extenderitis, inquit,manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam:manus enim vestra sanguine plena sunt.*

Agell.

547.
Infructuosa & steriles ne sint preces. S.Cypr.

Sterilis oratio est, quæ operibus destituitur. damnatur in arboribus sterilitas, cur non & in precibus? Scitè sanctus Cyprianus lib.de oratione Dominica: ORANTES *non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant; inefficax petitio est, cùm precatur Deum* STERILIS ORATIO. *Nam cùm omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique sermo non habens fructum, promouere Deum non potest,qui nulla est operatione fœcundus.*

Opera orationem commendant. Eccl.18.23. B.Ambr.

Hæc est illa præparatio, quam Sapiens sapienter orationi præmittendam docuit,cùm dixit Eccles.18.23. *Ante orationem præpara animam tuam;* bonorum scilicet operum fructibus; hinc illud sancti Ambrosij exhortat.ad Virg. *Ante orationem præpara animam tuam,vt id quod oras* MORES TVI *loquantur,fides adiuuet,opera commendent.* Imparatus ad orationem pergit, qui benè operari contemnit.

Actio contemplationis basis. Nicet.

Denique actionem contemplationis basim, ac fundamentum appellatam reperimus? Nicetus in orat.sancti Gregorij Nazianzeni de Christi natiuitate:

uitate: *Actio*, inquit, *contemplationis basis, & fundamentum est.* cadit contemplationis fabrica, quæ hac basi destituitur.

EXCVRSVS LXXX.

Orationis vtilitas, precum fructus.

Virtutum cæterarum basis *oratio.*
Vitæ fundamentum, *& radix deprecatio.*
Oratio animæ lux, *&* Sol.
Orationis radij *vitiorum tenebras expellunt.*
Quàm noxium orationis Solem *non intueri.*
Luce *perfectum orantium corpus.*
Dulce vehiculum *in via oratio dicta.*
Orationes in tenebris fusæ cœlesti lumine *perfunduntur.*
Ecclesiæ arma *oratio.*
Armis in bello *caret, qui caret oratione.*
Deprecationis armatura *in tentationibus.*
Fortes, *&* strenuos *cultores suos reddit oratio.*
Orantis habitus, habitus certantis.
Lingua pugnare *cur dictus Israëliticus populus.*
Preces tanquam regia arma *nos tuentur.*
Belli trophæum, *& vexillum oratio.*
Orationis scutum *ab ira Dei suos protegit.*
Tela *contra se ministrat hosti, qui oratione hostem non deiicit.*
Orationis clypeus *cum vita candore.*
Orans in immunditia *non iaceat.*
Arcui *oratio pariata.*
Orationis auxilium *vt à suis postulauerit sanctus Augustinus.*
Orationis laus.

548. QVia hîc sumus de oratione, alia in legentis fructum implantanda; multa de hoc argumento etiam in aliis voluminibus tradidi, sed multa adhuc supersunt, quæ litteris consignentur; numquam satis esse potest, quod dicitur, cùm plura semper supersint, quæ dictis adiiciantur.

Virtutum cæterarum basis oratio. S. Chrysost.

Basis oratio est, cui superstruendæ virtutes cæteræ; quæ si hac base careant, facilè ruent. Scitè sanctus Chrysostomus lib. 2. de orando Deum, *Quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio: hanc vbi primum, seu* BASIM *ac radicem in anima fixerimus, tum oportet diligenter superstruere pudicitiam, mansuetudinem, iustitiam, pauperum curam, breuiter omnes Christi leges.* Precationem cæteris omnibus tamquam radicem, ac basim substernendam affirmat idem sanctus Pater lib. 1. de orando Deum: *Precatio*, inquit, *seu* RADIX, ET BASIS *cæteris omnibus substernitur, neque secus ac nauem & domum, ea quæ substrata sunt, valida reddunt, ac ne soluatur continent: ita nostram vitam, orandi studium, & continet, & vbique firmam reddit, adeò vt absque hoc nihil nobis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat.*

Vitæ fundamentum, & radix deprecatio. Idem.

Oratio animæ lux, & sol. Isa. Abb.

Oratio animæ lux dicta est, per ipsam quippe supera lux anima perfunditur. Abbatis Isaiæ orat. 4. hæc sunt verba: *Animæ tuæ lux est oratio*; vt in tenebris sit, qui sine oratione est, luce illustretur, qui orationem fundit. Elias Presbyter in Asceticis Solis radiis comparabat; *Vt sol*, inquit, *numquam est sine radio: sic in mente semper sit, & maneat oratio, sine qua sollicitudines rerum sub sensus cadentium velut quædam* NVBES *non aquosæ circumuolantes, mentem à perfruenda claritate sua impediunt.*

Elias.

549. Quod sol est terræ, hoc menti deprecatio est; nebulas, tenebrásque sol eliminat, dum oritur, oratio vitiorum tenebras à mente tollit, & sacræ lætitiæ vera luce beat; huc spectabat sanctus Isaac Presbyter, qui lib. 1. de contemptu mundi sic orationis virtutem efferebat: *Sicut reuelatur facies terræ per* RADIOS SOLARES, *obscuritate aëris occupante, ita potens est* ORATIO *soluere, & annihilare ab anima nebulas vitiorum, & irradiare mentem luce lætitiæ, & consolationis, quod gignere solet in cogitationibus nostris, & maximè cùm habuerit pabulum à pagina sacra, & vigilantia, quæ mentem illuminat, & illustrat.*

Orationis radij vitiorum tenebras expellunt. S. Isaac.

Quod corporeis oculis est sol, hoc non corporeis oratio est; hinc illud sancti Chrysostomi lib. 1. de orando Deum. *Quemadmodum* SOL *lucem præbet corpori; sic animæ lumen est* PRECATIO: *proinde si cæco damnosum est non intueri solem, quanto grauius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?*

Quàm noxium orationis solem non intueri. S. Chrysost.

Quid? quod aliquando etiam orantis corpus mirabili luce perfusum legimus? Philiberti Abbatis apud Rothomagum Galliarum vrbem in Ecclesia deprecantis oculi veluti duo sidera fulgere sunt visi, vt refert Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 85. orans luce circumfunditur sanctus Vincentius, vt narrat in eius vita Surius, circumfunditur sanctus Herebertus; Beatæ Idæ Louaniensis corpus tamquam lucerna intus illustrata apparuit, dum oraret, vt habetur in eius vita *cap.* 16.

Luce perfusum orantium corpus.

550. In tenebris funduntur preces, ac cœlesti lumine perfunduntur; hinc illud sancti Petri Damiani opusc. 11. cap. 12. *Nec cum Sardanapalo plumis innatare pensilibus inhiat, qui peruigiles cum Machario noctes ducere in orationibus intentus anhelat. Deseratur publicum, hominum fugiatur aspectus, scrutentur anguli, remotiorum recessuum abdita penetrentur,* FVRTIVÆ *quippè* ORATIONES *enim inferunt cœlo, & indulgentiam rapiunt, dum frequenter in tenebris,* COELESTI LVMINE *perfunduntur.* Beatæ noctes, & felices, quas orationis lux denoctat, & illustrat.

Orationes in tenebris fusæ cœlesti lumine perfunduntur. S. Pet. Dam.

Dulce vehiculum in via oratio dicta Petro Blesensi est; sic enim ille habet serm. 1. in Ascensione Domini: *Dulce* VEHICVLVM *est in via oratio, fidelis præcursor ad Dominum, primitians ei aduentum ascendentis.*

Dulce vehiculum in via oratio dicta. Petr. Bles.

Fortissima arma orationes sunt, sternendis hostibus idonea. Sanctus Ambrosius lib. de viduis: ARMA, inquit, *Ecclesiæ fides, arma Ecclesiæ* ORATIO *est, quæ aduersarium vincit*; & serm. 86. fidelium arma referens, quibus contra aduersarium suum pugnant, inter alia & orationem recenset, qua satanicum hostem, & longè positum vulneramus, ait enim: ARMA *hæc nostra sunt quibus nos Saluator instruxit,* ORATIO, *misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quàm murus tuetur, misericordia facilius liberat quàm rapina, oratio longius vulnerat quàm sagitta.* SAGITTA *enim non nisi proximè conspectum percutit aduersarium.* ORATIO *autem etiam longiùs positum vulnerat inimicum.* Alij quoque sancti Patres armorum similitudine orationis vim nobis commendauere, sanctus Nilus in instit. ad Monachos: *Qui puræ orationis præsidio munitus non est, is* ARMIS *in bello caret*; ad hanc mentem sanctus Thomas Aquinas dictitare

Ecclesiæ arma oratio. S. Ambr.

Armis in bello caret, qui caret oratione. S. Nilus. S. Thom.

Deprecationes armatura in tentationibus. S.Chryſ.

dictitate ſolitum legimus, *animam ſine oratione eſſe ſimilem militi nudo, qui præliatur* SINE ARMIS; ſanctus Chryſoſtomus hom.3. in Acta Apoſtolorum, ita ſcribit: *Armatura in tentationibus eſt deprecatio, & hoc abundè didicerant priùs ab ipſo magiſtro, in illis verbis: Hi omnes erant perſeuerantes in deprecatione.* Et Orat.habita in magna hebdomada, ait: *Magna armatura precatio, magnum ornamentum precatio.*

Fortes, & ſtrenuos cultores ſuos reddit oratio. Ioſ.5. Abul.

551. Animas addit deprecatio, fortes cultores ſuos reddit aduersùs hoſtes; cùm eſſet Ioſue in agro Iericho, leuauit oculos ſuos, & vidit virum contra ſe ſtantem, euaginatum gladium tenentem, pertexitque ad eum, Ioſ.5. Cor non timuit, cur non ſe fugæ dedit inermis, & ſolus, nam defixus in oratione fuerat, vt ait Abulenſis hîc quæſt.69. at hoc impauidum Ioſue reddiderat, strauerat orationem, ſterni ab vllo non timebat; ſatis erat armatus, quia oratione ſe munierat.

Orantis habitus, habitus certaminis. Pſal.17. Euthym.

Hinc in diuinis litteris certaminis genus contra hoſtes eſt, ad Deum manus extendere orantis habitu; qui vocati Dauidis verba poſſunt, aientis Pſal.17. *Qui docet manus meas ad prælium*; ſuccurrit Euthymius hîc: illud præterea dici poteſt, quòd extendere manus ad Deum, aduersùs inimicos validiſſimum eſt genus certaminis.

Lingua pugnare cur dictus Iſraëliticus populus. Num.22.4. S.Aug. Orig. Idem.

Ab hac cauſa & lingua pugnare dictus eſt populus Iſraëliticus, labiis hoſtes ſuos ſternere, hinc Num.22.4. hæc habentur: *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere*; latet hîc orationis vis; cur potiùs vituli lingua herbam carpentis mentio fit, quàm pede terram calcantis, cornu quod obiicitur ventilantis? vt rectè moneremur linguam exhibere velut arma, dum ea orationem Deo fundimus, quibus hoſtes côteramus; huc ſpectabat S. Auguſtinus ſerm.93. de tempore, vbi hunc locum ita legit, ita explicat: *Scriptum eſt, quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem; ita populus Iſrael ablinget populum Amalech ſuper terram. Per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam* MANV ET ARMIS, *quàm voce* PVGNABAT ET LINGVA, *id eſt, orationem ad Deum fundebat.* Pergit. *Ergo & tu ſi vis vincere, audi Apoſtolum dicentem, orationi inſiſtentes, & vigilantes in ea.* Idem habet Origenes hom.11. in lib Num. ad hæc verba reſpiciens, ait: *Per quod (vt à maioribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei non tam manu, & armis, quàm voce, & lingua pugnabat, id eſt, orationem fundens ad Deum proſternebat inimicos. Ita ergo & tu ſi vis vincere inimicos, eleua actus tuos, & clama ad Deum.* Et hom.13. in lib. Num. idem Origenes ita ex cuiuſdam Magiſtri mente ſcribebat: *Aiebat magiſter ille, qui ex Hebrais crediderat, vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tamquam falce quacunque inuenerit ſecat. Ita ergo & populus hic, quaſi vitulus* ORE, & LABIIS PVGNAT, & ARMA HABET IN VERBIS, *ac precibus.*

Preces tanquam arma regia nos tuentur. S.Io. Clim.

Quid preces nobis præſtent armorum regiorũ ſimilitudine, ſic explicabat ſanctus Ioannes Climacus gradu 26. *Sicut fures cùm alicubi* REGIA ARMA *repoſita conſpiciunt, non facilè illuc aſcendunt, ita qui familiares cordi habet preces, non facilè à Dæmonibus furibus mentis furtum patitur.*

Belli trophæũ & vexillum oratio. S.Ephræm. S.Greg.Nyſſ.

552. Belli trophæum, vexillúmque oratio dicta eſt. Sanctus Ephræm tract.de orat.ita loquitur: *Oratio corporum robur, rei familiaris adminiſtratio, recta iuris legúmque conſtitutio, Regni potentia* TROPHÆVM, *atque* VEXILLVM *belli, tutela pacis.* Sanctus quoque Greg.Nyſſenus hoc eodem titulo inter alias orationem donat lib. de oratione, ait quippe: *Oratio corporum* ROBVR *eſt, abundantia domus, recta iuris ac legum in ciuitate conſtitutio, regni vires,* BELLI TROPHÆVM, *pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio, coniunctorum conſeruatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonij fides, viatoribus* SCVTVM *eſt.*

Orationis ſcutum ab ira Dei ſuos protegexit. B Laur. Iuſt.

Pendo poſtrema verba, *viatoribus ſcutum*; non contra homines modò tanquam ſcuto vti oratione poſſumus, ſed quod magis eſt, & contra Deum, iræ ſcilicet eius ictibus auertendis. Beati Laurentij Iuſtiniani hæc ſunt verba cap.2. de orat. *Hæc Deum mitigat, & velut quoddam* SCVTVM *ab ira Dei protegit.*

Tela contra ſe miniſtrat hoſti, qui oratione hoſtem non deiicit. S.Chryſ. S Petr.Dam. *Orationis clypeus cum vita candore.*

Hoc ſcuto qui non vtitur, adeò hoſtilium armorum ictum non retundit, vt etiam eius tela prouocet, tela nociturо miniſtret. *Oratio iugis*, inquit ſanctus Chryſoſtomus ſerm. de Moyſe, *infirmitas hoſtis. Cæterùm ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantia non fatigat.* Vniuersè ſcuto orationem comparat etiam ſanctus Petrus Damianus lib.5. epiſt.2. in calce. Carthaginenſes albis ferè clypeis vtebantur, vt ait Alex. ab Alex. lib.6.cap.22. Cimbri quoque & Teutones, vt habet Plutarchus in Mario, pulchriorem, duriorémque orationis clypeum reddet, qui morum, vitæque candorem adiiciet, vt pura orantis oratio, vita, mores candidi, & ab omni criminum nigredine alieni.

Orans in immunditia non iaceat. Pſ.5. Vgo Car.

Propheta Regius Pſal.5. aiebat: *Manè aſtabo tibi*; ſua ineſt vis aſtandi verbo; *Aſtans*, inquit Vgo Carenſis, *non* IACET *in immunditia, nec curuatur ad terrena*: probus orantis habitus, ſi ſordes neſciat, terrenis minimè inhiet. 553.

Arcui oratio paria:a. S. Paulinus.

Arcui orationem pariat ſanctus Paulinus, qui dum ab aliis etiam tenditur, fit vt in arcum prauum non facilè conuertamur; ſic eum ille loquebatur epiſt.1. ad Victricium: *Te verò tendente pro nobis* ARCVM ORATIONIS, *non conuertemur in arcum peruerſum.*

Orationis auxilium, vt à ſuis poſtularit S. Auguſtinus.

Orationis auxilium ſic poſtulabat à ſuis ſanctus Auguſtinus epiſt.121. *Sanè memineritis, & pro nobis non negligenter* ORARE. *Nolo enim ſic nobis honorem quem periculorũ gerimus deferatis, vt adiutarium, quod neceſſarium nouimus, auferatis. A familia Chriſti oratum eſt pro Petro. Oratum eſt pro Paulo, & nos in eius familia eſſe gaudemus, & incomparabiliter pluſquam Petrus, & Paulus* ORATIONVM *fraternarum auxiliis indigemus: Orate certatim concordi, ſanctóque certamine: non enim aduersùs alterutrum certatis; ſed aduersùs Diabolum Sanctis omnibus inimicum. In ieiuniis, & vigiliis, & omni caſtigatione corporis quamplurimum adiuuatur oratio.*

Orationis laus. Dauid. de Aug.

Excurſum iſtum hac Dauidis de Auguſta ſententia obſignabat, quæ paucis verbis multa in orationis commendationem continet; ſic autem ille ſcribit in form. nouit. cap.37. *Oratio facta eſt* COLVMNA *ſanctarum virtutum, deitatis ſchola, viduarum marita, Angelorum cognata, fundamentum fidei, Monachorum corona, coniugatorum leuamen. Beatus qui te amat, beatiſſimus qui te frequentat; beatus qui te aſtringit, ſed beatior, qui in te perſeuerat.*

EXCVRSVS LXXXI.

Iuſtitiæ aliarúmque virtutum nexus, & orationis.

Pennas *orationi addit viri iuſti vita.*
Volare *facit orationem bona vita.*

Iuſtitia

Iustitiæ flabra *in oratione.*
Orationis *nexus,&* iustitiæ.
רנה *quid* , iustitia *preces commendat.*
In orationis fusu , vt iustitiam *aliqui signo polliceerentur.*
Iustus *sit,qui orationis columnam in cælo erigere vult.*
Columna *virtutis testimonium.*
Qui iniusta *committit clamans non auditur.*
Orare non videtur qui iustitiam *non innocat, dum orat.*
Iustitiam *tantùm à suis Diis aliqui postulabant.*
Pythagorei ne iniusta *peterent , quod optabant voce promebant.*
Fiduciam *habeat,qui precatur.*
Spei, *&* orationis *nexus.*
Solus clamat ad Deum , qui in Deum sperat.
Obedientia *precibus substernenda.*
*Excipit Deus orationem nostram , si nos exe*quamur *voluntatem suam.*
Precum *&* obedientiæ *coharentia.*
Paret Deus *orationibus nostris,si nos superioribus pareamus.*
Dei aures *in suorum precibus est non nuda eius audientia,sed obedientia significetur.*
Humilitas *animare orationem debet.*
Pauperem se putet, qui exaudiri à Deo vult.

554. *Pennas orationi addit viri iusti vita.* Euseb.

EFferri oratio nequit, nisi orantis iustitia, ac innocentia veluti quibusdam alis efferatur;in terra vbi funditur oratio iacet,si iustitia destitutus sit , quia eam sternit ; viri iusti vita pennas orationi adiicit,quibus in cælum euolet. Præclarè Eusebius apud Agell. Psal.118. Πτεροῖ τὴν δέησιν τοῦ δικαίου ὁ καλὸς αὐτοῦ βίος, καὶ παραπέμπει αὐτὴν ἕως ἐνώπιον φθάσαι τοῦ θεοῦ. ἀλλὰ καὶ τὸ πνεῦμα ᾧ προσεύχεται, κουφίζει τὴν εὐχὴν, καὶ φέρει πρὸς θεόν. ἡ ἁμαρτία δὲ βαρεῖα οὖσα τῷ μὴ καλῶς βίου ἐξηγουμένῳ μακρυνεῖ ἀπὸ θεοῦ τὴν εὐχὴν τοσοῦτον ὅσον ἐστὶ βαρεῖα πλεῖον ἢ ἔλαττον. id est, PENNIS, *inquit , quibusdam instruit orationem viri iusti vita, quam ex ratione instituit , & prosequitur eam quoad in conspectum Dei veniat. quin etiam spiritus quo fit oratio , eam quodammodo leuat , & ad Deum perducit. at peccatum eius orantis , qui perditè viuit,cùm graui pondere premat , tanto longius faciat Deo precem,quanto grauius onerat orantem.*

Volare facit orationẽ bona vita. Ps.118. 169.

Nimis grauis eius oratio est,cuius mens criminibus grauatur , vt in sublime euehatur iustitiæ flabra necessaria sunt. Festiuè sanctus Ambrosius ad illa regij Prophetæ verba : *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine,* Psal.118.v.169. explicans quid sit deprecationem in Dei conspectu appropinquare , ita de probæ vitæ alis sentit; VOLARE FACIT ORATIONEM BONA VITA, *& dat alas precibus spiritales, quibus Sanctorum ad Deum euehatur oratio* ; subdit nonnullis interiectis : *Orationem suam dirigit cælum ; mittit eam in conspectu Domini Saluatoris , dans illi* FLABRA IVSTITIÆ *, sapientia, flamina, remigia deuotionis, & fidei,innocentiæ, puritatisque subsidia , peccato enim grauescit oratio, & longè fit à Deo , tantò autem plus grauatur,quantò improbior est vita deprecantis.* humi iacet oratio,si orantis animus sceleribus sordescat.

Iustitia flabra in oratione. S.Ambr.

555. *Orationis nexus & iustitiæ.* Psal.4. Hesych.

Hunc orationis , & iustitiæ nexum probauit Dauid cùm diceret , *Cum inuocarem , exaudiuit me Deus iustitiæ meæ* , Psal.4.*Iustitiæ suæ.* Deum dixit, non dixit *orationis*,vt ita colligeremus orantis iustitiam ita necessariam orationi esse , vt sine illa non sit , & per illam sit. Scitè Hesychius in Cat. auctor Patrum Græcorum in Psalm.4. *Non dixit, Deus orationis meæ,sed iustitiæ meæ, vt scilicet* IVSTITIAM, *&* MORES *precantium precationem facere;& opera supplicantium pro verbis orationis haberi.* oratio non est oratio si sine iustitia sit.

רנה *quid iustitia preces commẽdat.* Psal 16.1. Agel.

Iostitiæ , & orationis cohærentiam indicauit idem Propheta Psal.16.v.1.cùm dixit:*Exaudi Domine , iustitiam meam , intende deprecationem meam,* iustitiam deprecationi præmisit , vt innueret esse necessariam,eáque velut alis in cœlum euehi. Scitè Agellius hîc : רנה *rinna est in Hebræo, quæ dictio vocem argutam,canoram,& resonantem significat ; itaque iustitia videtur interior esse, at verò deprecatio exterior;perfecta namque est oratio,cum* PRECES IVSTITIA *commendat*;preces comitatur,perficit,& animat.

In orationis fusu,vt iustitiam aliqui signo pollicerentur. Nicet.

Nonnulli ritu superstitiosiore, dum orationem Deo sternerent , quodam signo iustitiam pollicebantur,ac si putarent orationem Deo gratam minimè futuram,quæ iustitiam non saperet, non redoleret; deTascodrugis ita scribit Nicetas Chon. lib.4.Thesaur.hæresi 20.*Solebant quo tempore Deum precabantur naso medio superponere digitum , hoc nimirum signo se* AD IVSTITIAM *vltro amplexandum paratos esse significantes.* Sanctior,& religiosior euadet ritus , si non extimo digiti medij naso superpositi signo iustitiam colat,dum se ante Deum per orationem sistit.

556. *Iustus sit,qui orationis columnam in cælo erigere vult.* S.Cyr.Hier.

Iustitiæ alis in cœlum euecta Cornelij centurionis oratio est;hinc act.10. iustus fuisse dicitur, deinde in cœlo orationem eius fuisse auditam, exaudirámque adiicitur , vt hinc colligeremus orationem orantis iustitia in cœlum ferri. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catech.3. de hoc iustitiæ , & orationis nexu ita loquitur : *Cornelius erat vir iustus , & Angelorum visione dignus habitus, cùm tanquam* COLVMNAM *bellam in cælo coram Deo suas orationes,& eleemosynas constituisset.*

Columna virtutis testimonium. Aristid.

Pende illud , *tanquam columnam bellam* ; solent ea columnis sculpi , quæ æterna memoria digna sunt,vt numquam deleantur, & obliterentur , vt hinc coniicias , quanti apud Deum iusti viri oratio fiat,quæ in memoriæ perennaturæ monimentum ante ipsum in cœlo sistitur , & cùm cœli columnæ in Dei conspectu contremiscant , vt ait Iob cap.26.v.11. orationis tamen columna iustitiæ basi innixa non contremiscit , neque concutitur, firma,&,vt ita dicam,immobilis manet.

Iphicrates Thebanus,vt ex Lysia commemorat Aristides,ita gloriabatur : ἐμοὶ στήλη οὐρανομήκης ἕστηκεν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ μαρτύριον τῆς ἀρετῆς. id est, *Erecta mihi stat in Peloponneso* COLVMNA, *cælo tenus alta , virtutis meæ testimonium* ; veriùs , iustiúsque iustus quilibet gloriari potest , quòd in cœlo columnam erectam habeat,dum iustitiæ lætans in terris preces fundit.

Qui iniusta committit, clamans non auditur. Exod.14. 15.

Ad Dei aures voces illæ non perueniunt , non peruenit orantis clamor , si iustitia sit viduus qui clamat , iniusta committat ; hinc Moysi dixisse Deum legimus Exod.14. v.15. *Quid clamas ad me?* clamabat populus , nec clamorem eius audiuisse Deum audimus, non clamabat Moyses, sed tacebat , & clamor eius ad Dei aures peruenit ; nimirum iustitiæ cultor erat Moyses, iniusta quærebat populus , atque adeò clamantis populi clamor

euehi

S.Ambr.

euehi ad Deum non potuerit. Pulchrè S.Ambrosius in Psal.118. octon.19. expendens producta verba, sic ait: *Sonum eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur, tacebat Moyses, & audiebatur. non populo dictum est, Quid clamas ad me? non enim ad Deum clamabat populus, qui* INIVSTA *& viris indigna clamabat.* Grandis clamor iusti operatio est, clamor non est, si iniusta postulet, qui orat.

557. *Orare nō videtur, qui iustitiam non inuocat dum orat.* Isai.59.4. Chald. *Iustitiā tantum à suis Diis aliqui postulabant.* Cœl. Rhod.

In veritate orare non videtur, qui iustitiam non inuocat dum orat; Isaiæ 59.v.4. *Non est qui inuocet* IVSTITIAM; Chald. *Non est qui* ORET IN VERITATE, ac si oratio, quæ iustitiam non quærit, verè oratio non sit. Fuisse ex Gentilibus populos aliquos, qui iustitiā tantùm à suis orationibus postularet, refert his verbis Cœlius Rhodiginus lib.23.cap.19. lect.antiq. *At ex Indis, qui Pedaly vocantur, nil ferè in sacrificiis aliud à diis immortalibus exposcebant, quàm* IVSTITIAM, *arbitrati omnium planè compotes se futuros, si eam modò vnam forent consecuti.*

Pythagorai ne iniusta peterent, quod optabant voce promebāt. Clem. Alex.

Etiam Pythagoræi quod optabant voce postulabant, vt iniusta postulare vererentur, postularent iusta; ita Clemens Alex. lib.4. stromat. *Τί ποτε οἱ Πυθαγόρειοι βούλονται μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύοντες; ἐμοὶ δοκεῖ οὐχ ὅτι τὸ θεῖον οἴονται μὴ δύνασθαι τῶν ἡσυχῇ φθεγγομένων ἐπαΐειν, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχὰς ἃς οὐκ ἄν τις αἰδεσθείη ποιεῖσθαι πολλῶν συνειδότων.* id est, *Quid igitur volunt Pythagorai, quod voce optandum esse iubeant, mihi videntur ea de causa illud sanxisse, non quòd existimarent Deum tacitè loquentes non exaudire, sed quòd* IVSTA, *& liberalia esse debere vota vellent, quæ nullus facere dubitaret, etiam pluribus consciis.* Nollem ab Ethnicis Christianos vinci, meliorémque mentem in non melioribus reperiri.

558. *Fiduciā habet qui precatur.* S.Chrys.

Præter iustitiam sunt alia, quæ orationem animant, & exornant, & in primis spes fiduciaque orationis comes esse debet, vt in eum speremus, quem oramus. Sancti Chrysostomi hæc sunt verba hom. in Psal.4. *Ante omnia oportet eum, qui precatur, habere* FIDVCIAM.

Spei, & orationis nexus. Iob.13.15. Chald. *Solus clamat ad Deum, qui in Deum sperat.* Exod.14.15. S.Ambr.

Adeò adnexa orationi spes est, vt vix spes ab oratione discriminetur. Iob.13.15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Chald. hoc posttemum sic affert, *coram eo orabo*, ac si spes in orationem migret. Exodi 14.15. Moysi Deus dixit, *Quid clamas ad me?* numquid solus inter tam copiosam populi multitudinem clamabat Moyses? an solus clamasse dictus est, qui spem suam in Deum coniecerat? ita coniicit, & calculum suum adiicit S. Ambrosius in Psal.118. octon.19. dum ait: *Moysi dictum est, Quid clamas ad me? hoc est, quid de me speras, tu solus ad me clamas, qui virtutem meam excitas, tu solus ad me clamas, qui per vniuersam terram nomen meum annuntiari expectas.* Clamare non videtur, qui non sperat, licèt exertè clamat.

559. *Obedientia precibus substernenda.* Ps.36. S.Aug.

Obedientia quoque substernenda precibus est. Psal.36. ait Dauid, *Subditus esto Domino, & ora eum;* subditus Deo est, qui eius obtemperat legi, hoc si præstiteris, fundere orationem ritè poteris. Sanctus Augustinus hunc locum ita legit, ita exponit hîc: *Subditus esto Domino, & obsecra eum. hoc est, sit vita tua obedire præceptis eius, hoc est enim subditum illi esse, & obsecrare donec det, quod promisit. Perseueret bonum opus, perseueret & oratio.*

Excipit Deus orationē nostram; si nos exequamur voluntatem suam. Isa.49.8. Chald.

Excipit Deus orationem nostram, si nos exequamur voluntatem suam. Isaiæ 49.8. *Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te.* Chald. ad nostram mentem vertit, *In tempore quo vos facitis voluntatem meam, ego suscipio orationes vestras.* Alioquin, *quæ ratio est*, verba sunt Saluiani lib.3. de gubernatione, *vt doleamus nos non audiri à Deo, cùm ipsi Deum non audiamus, vt molestum sit despici a Deo* PRECES NOSTRAS; *cùm præcepta eius despiciantur à nobis?* Salu.

Precum, & obedientiæ nexus. Isai.11.10. Chald.

Precum, & promptæ patientiæ nexum, & cohærentiam probat & illud, quod habetur Isaiæ 11. v.10. *Ipsum gentes deprecabuntur.* Chaldæus, *Ipsi regna obedient;* ac si Deum deprecari, & ipsi obedire in idem resiliret, idem esset.

Paret Deus orationibus nostris, si nos superioribus pareamus. Euseb.

Paret orationibus nostris Deus, si nos parentes nostris superioribus inueniat; scitè Eusebius Gallic. hom.3. ad Monachos: *Quanto* OBEDIENTIORES *fuerimus Præpositis, & Patribus nostris, tantùm* OBEDIET *Deus orationibus nostris.*

560. *Dei aures in suorum precibus est non nuda eius audientia, sed obedientia significatur.* Psal.33.

Obedire iustis Deum indicabat Propheta Regius in verbis illis Psal.33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Aliqui legunt, *in precibus eorum;* notanda loquutio tamquam mysterio grauida; dicendum potiùs videbatur, preces iustorum in Dei auribus esse, quam Dei aures in iustorum precibus; nisi quòd non nuda Dei audientia significatur, sed & obedientia quædam, qua illis obedit, qui obediunt, vt ob id iusti dicantur. Appositè & ad hanc mentem opportunè Saluianus lib.2. de gubern. Dei, expendens hæc verba, hanc phrasim versans, ait, *Id quod dicis diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non* AVDIENTIA *tantùm Dei, sed quadam quasi* OBEDIENTIA *designatur.* Parentem nimirum Deum habet, qui Deo paret.

Humilitas animare orationem debet. Psal.87. Vgo Car. Psal.101. S.Aug.

Humilitas denique animare orationem debet, ne Pharisæo similes reiiciantur orantium preces; innuebat istuc Dauid cùm diceret: *Inclina aurem tuam ad precem meam,* Psal.87. *cùm dicit, Inclina precem, innuit esse iustum, & humilem*, ait Vgo Carensis, & Psal.101. *In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam;* quæ verba huc vocans S. Augustinus in illius Psalmi commentario, ait: *Si me extollo, largè fis, si* ME HVMILIO, *inclinas aurem tuam ad me.*

Pauperem se putet qui exaudiri à Deo vult. Psal.33. S. Aug.

Qui tumidè, ac superbè de viribus suis præsumit, exaudiri non meretur. Dauidis verba sunt Psal.33. *Iste pauper clamauit, & exaudiuit eum.* Bonus nexus pauperis exclamantis, & exauditi, qui pauperem se putat, qui suis non fidit viribus, non se cùm sua faceat auditur à Deo, à Deo exauditur. Diues alioquin Dauid tamquam pauper clamabat, quia suis opibus non fidebat; sanctus Augustinus huc respiciens in huius Psalmi enarratione, ait: *Audi quare iste inops clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Inops clamat, & exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? vt si habes aliquid, non inde præsumas de viribus tuis: at intelligas te indigentem, vt intelligas te tamdiu esse* PAVPEREM, *quandiu non habes illum, qui facit te diuitem.* Indiga armis copia est, quæ sine Deo est.

EXCVRSVS LXXXII.

Genua tangere supplicandi habitus, pura manus, pura lingua sit Dei genua in oratione contrectantis.

Manus genibus *à supplicibus admota.*
Aures in genibus *habere quis dictus.*
Cur absque femoralibus *icones Imperatorū.*

Genua

Genua *à supplicibus tacta.*
Medicorum genua *ab ægris tacta.*
Sinistra genua *tacta, dextera mentum.*
Amba manus *ad genua protensæ.*
Tangebant supplices genua *, tamquam aliquid sacrum.*
Simulachrorum genua, *& plantæ tactæ.*
Genua *prehendi & à nostris solita.*
Sacerdotum genua *tangi solita.*
Dei genua *pura lingua manu contrectanda.*
Manus *de lingua.*

Manus genibus à supplicibus admotæ.

561. INter alios deprecandi ritus apud antiquos etiam hic olim frequens, & maxime vsitatus, vt illorum quos deprecarentur genua contrectarent. Multa sunt solemnis huius consuetudinis tum prophanorum, tum nostrorum exempla; illustriora quædam hîc sistenda, vt illud probetur, quod de oratione præfiximus. Claud. 1. Rap. loquens de porcis, (Claud.)

—genibúsque suas cum supplice fletu
Admouere manus.

Eurip. sub persona Adrasti Regis, (Eurip.)

——ἐν μὲν αἰσχύναις ἔχω
Πίτνων πρὸς οὖδας, γόνυ σὸν ἀμπίσχειν χερὶ
Πολιὸς ἀνὴρ ... id est,
——*Pudet me*
Solo procumbere, GENVA *tua amplecti manu,*
Vir cùm sim senex, & pari fortasse tecum felicitate olim.

Aures in genibus habere quis dictus.

Aristippus Socraticus pro amico intercedens, cùm nihil impetraret, genua tyranni est amplexus, votique compos factus, *Non ego,* inquit, *huius adulationis auctor sum, sed Dionysius, qui aures habet* IN GENIBVS, vt refert Suidas. Hinc aliqui putant Imperatorum icones, absque femoralibus perpetua pictorum, & statuariorum contentione depingi, vt nuda eius genua supplices contingerent. Cœlius Rhodiginus de hoc tangendi genua ritu, ita scribit lib. 15. cap. 18. lect. antiq. *Ad supplicantium,* inquit, *ritum spectant, quæ in Græcorum commentariis obseruata nobis sunt; veteribus inquiunt dici receptissimi moris fuit, vt supplicantes caput dextra,* GENVA *eius, cui se ingererent, sinistra supplices contingerent.*

Suid. Cur absque femoralibus icones Imperatorum. Genua à supplicibus tacta. Cœl Rhod.

Medicorum genua ab ægris tacta. Seneca.

Medicorum genua ab ægris tacta indicat Seneca de breuitate vitæ cap. 9. in hæc verba: *At eosdem ægros vide, si mortis periculum admotum est propiùs medicorum genua tangentes, si metuunt capitale supplicium, omnia sua vt iuuant, paratos impendere. Tanta in illis discordia affectuum est.*

Sinistra genua tacta, dextera mentum. Homer.

Homer. Iliad. genua manu sinistra apprehendi solita significat, & mentum dextera, dum ait:

——λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

id est, ——*apprehendit* GENVA
Sinistra, dextra autem mentum tenuit.

Tethri Iliad.

——λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

id est, ——*apprehendit* GENVA
Sinistra manu, mentum dextera.

Amba manus ad genua protensa. Petron.

Petronius in Satyrico ambas manus protensas refert illis verbis: *Protendo ad* GENVA *vestra supinas manus.*

Tangebant supplices genua tanquam aliquid sacrum. Plin.

562. Tangebant supplices genua, tamquam aliquid sacrum, vt solent aræ adorari. Plinius lib. 2. c. 45. ita scribit: *Hominis* GENIBVS *inest, & quadam religio, obseruatione gentium, hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant fortasse, quia inest iis vitalitas, quippe quorum inanitate perfossa, ceu cingulo, quatenus fugiat.*

Simulacrorum, & genua, & planta tacta. Arnob.

Gentiles plantas, & genua simulacrorum suorum tetigisse tangit Arnobius lib. 6. *Ita enim non videtis hæc signa, quorum plantas, &* GENVA *contingitis, & contrectatis orantes?*

Genua prehendi & à nostris solita. S. Chrys.

Nostri quoque huius consuetudinis meminerunt; sanctus Chrysostomus hom. 19. in Gen. ad calcem: *Ideo oro, & precor, & quasi* GENVA *vestra contingo.* Idem habet idem sanctus Pater hom. 11. in 1. epist. ad Thessal. vbi arguit eas matres familias, quæ nimis seueræ in seruas sunt; hæc huius Patris verba: *Videns puella se esse redactam in magnam animi perplexitatem, veniens ad reuerendam personam dominæ suæ familiarem, quæ & mihi narrauit, &* GENVA PREHENDENS, *& multum lacrymans, & eiulans rogauit, vt ipsam dominam pro ipsa oraret.* Vbi obiter vides etiam mulieres genua contrectare solitas dum orarent.

Sacerdotum genua tangi solita. S. Chrysost.

Nostros Sacerdotum genua tangere solitos, lo- 563.
cuples testis Beatus Chrysostomus in illud Apostoli: *Salutate Priscam, & Aquilam;* ait enim, *Hypocritarum opus est publicè quidem, & omnibus videntibus; osculari manus Sacerdotum,* GENVA TANGERE, *supplicare vt pro se orent, & baptizandos ad illorum ianuas deducere: domi autem, & in conuentibus, tantorum bonorum auctores, & ministros multis abluere probris, vel opprobratores illorum ferre.* Hæc de hypocritarum more Chrysostomus. Quod vtinam à nostri æui hominibus exularet, qui sæpe sacros viros publicè laudibus efferunt, clam verò proscindunt maledictis. Quin huc euasit aliquorum temeritas, ac obtrectandi libido, vt & in publicis conuentibus illorum nomen, ac famam sordente lingua collutulent. Sed ad orationem, cuius causa hæc præmissa, calamum vertamus.

Dei genua pura lingua manu contrectanda. S. Anast.

Nos dum oramus, Dei quodammodo genua prehensamus. Igitur pura manus esse debet, quæ id præstet, pura deprecantis lingua, & vita; sicut enim nobilis alicuius viri genua contrectare stridentibus manibus, & luto cœnóque illitis nullus auderet, alioquin ad iracundiam posset prouocare, non ad concedenda, quæ petuntur allicere; sic & Deum deprecantis lingua, quæ tamquam manus Dei contrectat genua, minimè polluta esse debet, sed omni vitiorum cœno carere. Audiamus sanctum Anastasium Sinaitam quæst. 10 Euang. sancti Matthæi; sic enim ad nostram mentem loquitur: *Si quis manus habens plenas stercore, hic supplex tuos prehensaret pedes, non solùm eum non exaudires, sed etiam calce pedes repelleres. Quemadmodum ergo audes tu sic ad Deum accedere? Lingua enim est manus precantium, & per eam* DEI GENVA PREHENSAMVS; *ne eam ergo polluas, ne dicat tibi: Si autem multiplicaueris preces, non te exaudiam.* Igitur omne peccati cœnum expuat Deum oraturus, ne reiiciatur, non sordescat deprecantis manus, non vita, ne auertat Deus ab oratione faciem; sic enim per Isaiam prædixit cap. 1. v. 15. *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, lauamini, mundi estote.* Dei genua sordentibus ne contingat manibus non patietur se exorari, si tam irreuerenter accedas. Ad eundem ritum, ad eandem mentem spectabat etiam sanctus Chrysostomus, à cuius fonte illud hausit S. Anastasius; sic enim ille scribit hom. 52. in Matthæum: *Si quis pedes tuos stercore sordidatis manibus attingeret, non modò non exaudires, verùm etiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo* (S. Chrysost.)

Deum

Deum orare? nam qui orat quasi manu lingua vtitur, qua GENVA DEI SVPPLICANOO ATTINGIT.

Manus de lingua. S.Aug. Et verò manus de lingua diei non est insolens; sanctus Augustinns lib.5. confess. cap.1. ita loquitur: *Accipe sacrificium confessionum mearum de* MANV LINGVÆ MEÆ, *quam formasti*; quibus verbis illustrari Sapientis verba possunt, quibus ait, mortem, & vitam in linguæ manibus esse. Prov.18.21. Prou.18.21. *Mors & vita in manu linguæ.* Manus de lingua dicatur, vt bona quæ loquimur, ita opere compleamus, vt in manum versa lingua videatur, & manus in linguam.

ADAGIVM DCXC.

Alcinoi Regis mensa.

564. DElitiis omnibus mensa refecta, lautitiis omnibus onusta, *Alcinoi mensa* dicta prouerbialiter est; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni in præceptis ad Virgines,

Non mihi si grandes auri donaris aceruos
Electrúmque nitens, immensaque iugera terræ,
Et latas vestes, & splendida tecta, simúlque
ALCINOI REGIS MENSAM, *non denique vita*
Altera si detur rugosa ignara senectus;
Sic tamen amplectar deformem crimine vitam
Turpiter, atque velim deserto viuere Christo.

Meminit huius mensæ & epist. 12. Basilio scribens: *Velut*, inquit, *ad Alcinoi mensam nos noui, & ærumnosi naufragi sumus*; & in carmine ad Vitalianum ita canit:

Nam tua sunt cuiuis communis portus agenti
Tecta tua ALCINOI, MENSA *est iucundior horto*
Plena viris epulisque tumens quas prodiga tellus
Porrigit, atque aer liquidus, pelagúsque ministrat.

ADAGIVM DCXCI.

Os Caiphæ.

OS Caiphæ dicetur habere, qoi verum aliquod oraculum promit, veritatem aliquam veluti diuinitus afflatus enuntiat, impius alioquin, & imperitus; qoalis fuit Caiphas, cùm de Christo prophetans, ait: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, Ioan.11. v.50. De se humiliter sentiens, Absalon Abbas serm. 34. qui est in purif. Beatæ Virginis sic aiebat: *Quoniam ex me non sufficio, ipsa loquatur in me, ipsa imperfectum meum perficiat, quæ* OS CAIPHÆ *peccatoris in verba prophetiæ aperuit, & sermonem protulit per os bruti animalis.*

ADAGIVM DCXCII.

Angusta est offa alterius.

PRouerbium in eos quadrat, qui duriore fortuna conflictantur, facultatibus, opibúsque amissis, hi quippe aliorum mensam admodum angustam experiuntur, hospitibúsque suis citò in fastidium veniunt. hac explicatione donat Scholiastes hæc sancti Gregorij Nazianzeni verba in carm. de vitæ itineribus.

ANGVSTA EST OFFA ALTERIVS; *labor arua secare*
Permoue, quo currunt penè tot Orcus habet.
Nouarini Adagia SS. Patr.

ADAGIVM DCXCIII.

Longo longiùs fugere.

PRouerbialem salinam præfert hęc formola, & significat quàm longissimè à re aliqua recedere. S.Irenæus lib.1. aduersùs hæreses cap.4. ita loquitur: *Si aliquis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures* LONGO LONGIVS FVGIENT, *ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium*; illius quoque operum editor prouerbialem saporem sub hac formula sensit.

ADAGIVM DCXCIV.

Oculis clausis liquet.

DE re manifestissima, & meridiana luce magis clara hoc sensu extulit Tertullianus de Pallio cap.2. dum ait: *Nostra certè mutatio, quod* CLAVSIS, *vel in totum Homericus* OCVLIS LIQVET, *totum veriforme est.*

ADAGIVM DCXCV.

Inter colubros, & scorpiones incedere.

QVi in summo discrimine est, & inter pericula est constitutus, vt suæ saluti timere debeat, is adagialiter inter colubros, & scorpiones incedere dicetur; eleganter, & ad res animi transferetur, vt si quis inter malorum hominum errores reperiatur, hoc sensu extulit S.Hieronymus ad Ruffinum scribens, vbi plura esse quæ in Origenis libris περὶ ἀρχῶν, cauenda sint, eruditè declarat, ait igitur: *Accipe quod petisti, sed ita, vt scias detestanda tibi in eis esse quamplurima, &* INTER SCORPIONES, ET COLVBROS INCEDENDVM; quod de omnium hæreticorum libris dici potest.

ADAGIVM DCXCVI.

Vibices aliis probro vertunt, qui vulnera habent.

HOc prouerbium in eos torqueri commodè potest, qui cùm grauissimis onusti sceleribus sint, leuiores quasque culpas in aliis seuerissimè damnant; in hoc sensu extulit S.Gregorius Nazianzenus orat.8. vbi, & pares prouerbiales formulas adducit, dum ait: *Vbi sunt, qui* VIBICES *nobis* PROBRO VERTVNT, CVM IPSIS VVLNERA HABEANT? *qui offendicula nostra exagitant, cùm turpiter ipsi prolabantur? Qui maculis nostris gaudent, cùm ipsi in cœno volutentur. Qui festucas nobis obiiciunt, quæ nec insidentes magnum dolorem offerunt? & facile depelli, atque efflari ab oculis possunt, cùm interim ipsi trabium mole oppressi calcent?*

ADAGIVM DCXCVII.

Synagoga Antichristi.

COngregatio qualibet, quæ errorum magistra sit, ea verè Christi Ecclesiæ cōtraria sit,

aptè Antichristi] Synagoga dici poterit. hinc illud sancti Hieronymi Dialogo contra Luciferianos: *Sicubi audieris*, inquit, *eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas; scito non Ecclesiam Christi, sed* ANTICHRISTI ESSE SYNACOGAM; quod in omnia hæreticorum conciliabula optimè quadrat.

ADAGIVM DCXCVIII.

In pertusum dolium aquam ingerere.

INutilis, cassúsque labor hac parœmia significatur, quæ & prophanis familiaris, & à Danaidum supplicio desumpta est. Nostri vtiliùs versant, & salubria, monita eliciunt. Beatus Chrysostomus hom.10. in epist. ad Ephesios ad deliciis deditos flectit, dum ait: *Si quis* IN DOLIVM PERFORATVM LIQVOREM INFVNDERET, *in eum planè operam sumeret; sic deliciis deditus suas in pertusum dolium infundit delicias, vix infunduntur cùm effluunt.*

Hoc prouerbium ad illos accommodat sanctus Ephremus Syrus, qui iniuriarum memores orationes fundunt, atque ieiunant. Hæc eius verba de ieiunio: *Ieiunium iniuriarum recordationem non admittit, quoniam, qui molestias, ac dolores, iniuriásque sibi illatas memoria retinent, quamuis videantur orare, & ieiunare, similes sunt iis, qui* AQVAM *exhauriunt, &* IN DOLIVM FERTVSVM INFVNDVNT. *Non enim oratio malum in corde aduersùs proximum suum cogitantis, grata est Domino.*

Qui mundo seruiunt, & inutili in hac seruitute labore distenduntur, percelli hoc eodem prouerbio poterit; scitè sanctus Chrysostomus hom.77. in Matthæum, *Quid*, inquit, *caduco huic mundo laboras, cur* PERFORATO AQVAM DOLIO INGERIS?

ADAGIVM DCXCIX.

Herodiana malitia. Herodianus animus.

565. SOlâ malitiâ nobilis, solâ nocendi sæuiendi libidine insignis, hac parœmia traducetur, & maximè si in paruulos quis sæuiat, & innocentes, quod impius ille Herodes fecit. Opportunè huc cadunt sancti Bernardi verba, qui serm.3. de Epiphania in eos inuehens, qui nouitium feruorem conantur extinguere, eique se opponunt, quod in animarum profectum nouè instituitur; sed præstat hîc mellifluum Doctorem audiri: *Misera*, inqnit, *planè ciuitas, in qua regnat Herodes, quoniam* HERODIANÆ *sine dubio particeps erat* MALITIÆ, *& ad nouæ salutis ortum Herodiana mouebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minimè regnabit, etiamsi adesse contingat, quod & ipse Deus auertat. Non* HERODIANA MALITIA, *& Babylonica crudelitas est nascentem velle extinguere Religionem, & allidere paruulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinent, si quid Religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, planè cum Ægyptiis paruulos Israelitici geminus necare conatur, imò cum Herode nascentur persequitur Saluatorem. Sed iam inchoatam prosequamur historiam. Credo si quis conscius est huius rei, studiosius sibi cauebit de cætero,* ET HERODIANVM *execrabitur* ANIMVM, *ne similem exitum sortiatur.*

ADAGIVM DCC.

Clamor nauticus.

ABsonus, tumultuosus, strepetúsque clamor nauticus dictus est; hinc illud Petri Blesensis epist.6. *Vos autem tumultuoso strepitu, &* CLAMORE NAVTICO *de nugis assiduè disputantes, inutiliter aera verberatis. Vos circa litteram & syllabam, & circa huiusmodi elementares doctrinæ primitias vestrum adhuc ingenium exercetis.*

ADAGIVM DCCI.

Potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

NVllius desperandam conuersionem, déque nullius salute dum viuit conclamatum adeò, vt licèt perditæ vitæ sit, & in peccatis obduruerit, redire rursus ad Deum per Deum possit, si quis significare voluerit, vtetur hoc prouerbio, quod desumptum ex Matthæo cap.3. v.9. vbi Ioannes ait: *Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ex lapide in filium Abrahæ suscitatur, qui ex malitiæ duritie innocens, & sanctus euadit; quod efficere Deus potest. Prouerbialem huic sententiæ faciem adiicit sanctus Bernardus lib.4. de consid. dum ita loquitur; *Scio induratum cor populi huius, sed* POTENS EST DEVS DE LAPIDIBVS ISTIS SVSCITARE FILIOS ABRAHÆ.

Cùm quis alioquin durus emollescit, ex aspero, & inflexibili flectitur, & fit lenis, hanc sententiam, quam Ioannes Iudæos alloquens protulit, proferremus. Petrus Delphinus in hunc sensum adhibuit hæc verba lib.1. epist.5. *Orabis interim pro me Saluatorem nostrum, vt in reformanda religione duriora fortè futura patrum corda, emolliat* SVSCITETQVE FILIOS ABRAHÆ DE LAPIDIBVS; & lib.6. epist.20. *Solius Dei est corda accendere, ac mollire, &* SVSCITARE DE LAPIDIBVS FILIOS ABRAHÆ; itaque vniuersè adhibebitur, quoties à perditis moribus ad sanctiorem melioremque vitam Deiope aliquis transitum facit.

EXCVRSVS LXXXIII.

Nemo sibi de Patrum sanctitate, ac nobilitate blandiatur.

Peristricti, qui generis nobilitatem *iactant, virtutum nobilitate destituti.*

Vacuum *de gloria ostendit, qui in patribus gloriatur.*

Iudæis perditionis causa *de parentibus gloriari.*

De sanguinis nobilitate *nobis non esse gloriandum, vt nos Christus doceat.*

Abrahæ discipulus *qualis, qualis filius.*

Quid

566. *Perstricti, qui generis nobilitatem iactant virtutum nobilitate destituti.* Petr. Bles.

QVid auos suos Hebræi iactent, quid se Abrahæ filios esse glorientur? nouerint duas habuisse vxores Abrahamum, Saram, & Agar, domina illa erat, hæc ancilla, vt dubium esset an à domina, vel ab ancilla quisquam descenderit; quod egregiè vrgebat Petrus Blesensis epist. 3. idipsum & in duabus vxoribus Iacobi expendens, hæc eius verba: *Sicut non portabit filius innocens iniquitatem patris, sic nec filium reprobum decet de patris actibus gloriari. Et quæ nobis argumenta prætendit, vt eius te filium probes, cuius pomposam memoriam magnificas & extollis; sanè ideo Dominus Abraham ex Sara, & Agar: ex duabus etiam vxoribus, & duabus ancillis voluit Iacob prolem suscipere, vt vniuersitatis humana successio de parentum conditione incerta, & ignara, vtrùm à libera, vel ancilla descenderit, sede generositatis vbique gloria non extollat, titulos enim Saræ, aut Rachelis, quos sibi quandoque adscribit, vaga, & vulgaris opinio proscribit, & abolet nequitia in moribus, seruitus in peccatis, vt se filios ancillarum conuersatione testentur, qui de aliorum virtute, quam apud se non nouerunt, instantur. Præterea in domo Iacob spurij pariter, cum legitimis funiculum hæreditatis sortiti sunt, & communiter inter se familiæ iudicium dictauerunt.*

Vacuum se gloriæ ostendit, qui in patribus gloriatur. Auct. oper. imp.

Fatui, delirique Hebræi, qui habere se patrem iactant Abrahamum, filij prorsus degeneres, scitè dictum ab authore operis imperf. hom. 3. in Matthæum: *Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus; in gloria hæc gloria est, quæ in parentum meritis tantùm sita;* iure Hebræos premit sanctus Cyrillus Alexandrinus in Amos cap. 9. *Eò dementiæ miseri processerunt, vt sibi ad felicem statum, & ad gloriam satis fore arbitrarentur ex radice Abrahami prodiisse.* (S. Cyr. Alex.)

Iudæis perditionis causa de parentibus gloriari. Matth. 3.

Cùm accederent Pharisæi ad Ioannem, seuerè eos arguit, acriter in eos inuehitur Matth. 3. Cur non potiùs blandè eos alloquitur ad pœnitentiam alliciens? An quia de patrum suorum nobilitate tumidi pungendi ad salutem erant, vt detumescerent cùm hic illis tumor ruinæ causa extiterit? Voluit hoc Chrysostomus hom. 11. in Matth. vbi inter alia multa quæ affert, affert ista: *Quia eos superbum sapere de patientum nobilitate cognouerat; & hanc illis perditionis esse causam, satis necessariò radicem huius arrogantiæ incidit.* non adeò mali Hebræi essent, nisi sibi de tam bonis patribus blandirentur. (S. Chrysost.)

567. *De sanguinis nobilitate nobis non esse gloriandum, vt nos Christus docuit.* Petr. Bles.

Non esse inaniter de patrum nobilitate gloriandum ostendit Christus, cùm in sua genealogia etiam iniustos voluit recenseri; quod scitè expendebat Petrus Blesensis epist. 3. dum ait: *Quid inter parentelas hominum variando distinguis? Ab vno patre descendimus vniuersi, & singuli. Certè speciosus forma præ filiis hominum Christus Iesus, de quo scriptum est, quia vir nobilis est in portis eius, cuius nobilitatem & generationem Propheta non sufficit enarrare, & qui vnius nostræ generositatis est auctor, de iustis, & iniustis, de magnis, & ignobilibus carnem traxit, nam & agnus paschalis iuxta L X X. Interpretes, de ouibus, & capris assumebatur, in quo manifestissimè vides, quod apud Christum omnis fortuna, omnisque conditio acceptatur; vt quid ergo te in aliorum virtute commendas, & aduersùs pauperem de tui generis excellentia gloriaris?*

Abrahæ discipulus qualis, qualis filius. Hebr.

Quibúsnam characteribus insignitus esse debeat, qui discipulus Abrahæ est, ita explicant Hebræorum sapientes in Pirke auoth. cap. 5. כל מי שיש בידו שלשה דברים הללו מתלמידיו של אברהם אבינו : עין טובה ורוח נמוכה ונפש שפלה, quæ hunc sensum reddunt: *Quisquis has tres qualitates habet, is discipulus Abrahæ patris nostri est; bonum oculum humilem spiritum animum demissum;* ab arrogantia scilicet immunem, à fastu ab ira, alioquin nec discipulus, & multò minus filius erit.

ADAGIVM DCCII.

Caucaso obruptior.

QVadrabit in hominem agrestum, rudem, & intractabilẽ, cuius lapidea, non carnea sint viscera; Tertullianus de Marcione loquens lib. 1. cap. 1. ait, *Marcion Scytha tetrior, Istro fallacior,* CAVCASO OBRVPTIOR. 568.

ADAGIVM DCCIII.

Leonem ex vngue describere.

VSurpabimus cùm quis insignem aliquem virum, in minimis & exilibus effert, cùm adsint grandia, atque sublimia, quibus omnium admiratio verti in stuporem possit. Sanctus Chrysostomus hom. 4. in epist. 2. ad Timoth. de Beatissimo Paulo, quem laudauerat, loquens ait: *Tandem, sed* LEONEM *profectò imprudens* EX VNGVE DESCRIPSI. *Illa illa cœlestia, illa sanè diuina quis concipiat animo? quis promat eloquio, quando ille cum Imperatore cœlesti amictus gloria comes adueniet.*

ADAGIVM DCCIV.

De Paradiso in infernum.

SI quis à perfecto feliciqúe statu, ad imperfectissimum, miserrimúmque abeat, *de Paradiso ad infernum*, cadere prouerbialiter dici poterit; hinc illud sancti Bernardi serm. 63. in Cantica: *Præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus saltus de excelso in abyssum, de claustro in sæculum,* DE PARADISO IN INFERNVM; quod accidit, quia nouitius ille feruor paulatim intepescit, tepor ingrauescit, laxescit vigor disciplinæ.

ADAGIVM DCCV.

Alterum Samuelem se alicui exhibere.

ESt palàm liberéque aliquem monere, & apertè illi ostendere, quæ ab illo præstanda; hinc illud S. Bernardi epist. 232. EXHIBEBO, inquit, *tibi quandiu vixero,* ALTERVM SAMVELEM, *tu vtinam non alterum Saulem mihi.*

ADAGIVM DCCVI.

Mora melior est.

IN moræ, & cunctationis laudem hoc prouerbium vulgò iactabatur, cuius meminit 569.

Sidonius Apollinaris lib.2. epist.6.vbi ait: *Prouerbialiter celebre est sæpe* MORAM ESSE MELIOREM, *sicut & nunc experti sumus.*

ADAGIVM DCCVII.

Cur ad cælum volas, cùm sis pedes.

DE iis, qui viribus imparia moliuntur, & opus aggrediuntur, quod perficere nequeant. hoc sensu extulit sanctus Gregorius Nazianzenus orat.27.de composta disser.tat. CVR, inquit, AD COELVM VOLAS, CVM SIS PEDES? *nosce primò te ipsum, quæ in manibus sunt considera.*

ADAGIVM DCCVIII.

Infernus quidam.

POEnæ, & cruciatus, omniúmque malorum cumulus, quibus in inferno æternùm damnati torquebuntur, locum prouerbio fecit, vt domus, in qua quis infelicissimè degit, ei infernus quidam esse dicatur, quod transferri ad animum, ac conscientiam potest, hinc illud sancti Bernardi serm.4.in Assumpt. INFERNVS QVIDAM, *& carcer animæ rea conscientia est*; & vniuersè, quilibet impius gehenna quædam sibi est.

Infernum, & gehennam animam referre, quæ vitiis referta cupiditatibus plena est, & libidinis igne succensa, asserit sanctus Petrus Dam. lib.2. epist.5. *Mens odiosa cupida, curis tantummodo secularibus dedita, libidinis igne succensa, nonne tibi videtur* INFERNVS, *in quo videlicet & Diabolus habitat, & concupiscentiarum ignes æstuare non cessant*; & nonnullis interiectis: *Hæc flebilis anima* GEHENNA *facta est, Tartarus, &* INFERNVS, *quam & cruciant tormenta curarum, & vitiorum vastat incendium.*

Singulare est, & dignum, quòd in mentibus omnium implantetur illud, quod de nuda inferni pronunciatione legitur potuisse, scilicet inferni nomen dormitantis auribus ad lapsum torporem ab illo excutere; rem his verbis narrat Thomas à Kempis part.1.serm.6. *Frater quidam infra matutinas parum cœpit dormitare. Quod attendens frater proximè illi assistens, silenter auribus eius, hoc verbum tantùm ingessit,* INFERNVS. *Quo audito, ille subitò perterritus, & expergefactus, omnem torporem à se abiecit. Cogita ergo piger de Inferno, & non dormitabis in choro lassus præ tædio.*

ADAGIVM DCCIX.

Alis suis implicari.

QVi suis ipsius artibus capitur, suis argumentationibus conuincitur, sibi ipse ruinæ occasio est, *is suis alis capi* dicetur. Sanctus Chrysostomus hom.38. in 1.ad Corinth. de errore loquens ait: *Vides, vt nihil sit errore magis imbecillum, vides, vt* SVIS *ipsius* ALIS IMPLICETVR.

ADAGIVM DCCX.

Saxis durior.

IN eum torquebitur, cuius mens adeò obduruerit, vt scindi ad pœnitendum nolit, licèt grauissimè deliquerit; tetigit Iudæorum duritiam his verbis Beatus Amadæus hom.5. de laudibus Virginis: *Saxa scissa sunt in Christi scilicet morte. Iudæus* SAXIS DVRIOR, *neque scidit animum suum, nec scelus exhorruit*; quod ad duros quoque, & in malo pertinaces transferri poterit.

ADAGIVM DCCXI.

Dei se existimare Secretarium.

VTitur Daccianus in speculo Monacho- 570.
rum, in eos inuehens, qui cùm aliquid profecisse sibi visi fuerint, statim alios contemnunt, alios iudicant, tanquam si ipsi Dei Secretarij euaserint, hæc eius verba: *Statim alios diiudicare, & dispicere incipiunt, se sanctos iam,* DEIQVE SECRETARIOS EXISTIMANT. Torqueri in illos poterit, qui sibi nimium arrogant, déque sanctitate, aut rerum diuinarum cognitione sibi temerè blandiuntur.

De temeraria rerum diuinarum curiositate ita sentit sanctus Zeno serm.2. de æterna Filij Dei generatione: *Hunc curiosi opinationibus vanis violare conantur, nec intelligunt miseri, quoniam curiositas reum efficit, non peritum.*

Non se Dei Secretarium iactabat Saluianus, cùm diceret lib.3. de gubern. Dei. *Possum rationabiliter, & satis constanter dicere, Nescio secretum, & consilium diuinitatis ignoro*; & paulò pòst, *Qua causa autem Deus hæc, de quibus loquimur, ita faciat, nolo à me requiras. Homo sum, non intelligo secreta Dei, inuestigare non audeo, & ideo etiam attentare formido: quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris?* Hic mihi temperare non possum, quin in hos temerarios hos diuinorum secretorum scrutatores, calamum tantisper acuam, eósque vellicem, vt puncti resipiscant, & aliam mentem induant, aliter sapiant.

EXCVRSVS LXXXIV.

Diuina temere discutienda non sunt.

Miranda Dei opera, non temerè discutienda.
Nemo Dei secreta *audax temerator penetret.*
Aberrat, qui diuina examinat *cùm credere debeat.*
Perstricti, qui in diuina erumpunt.
Dat temeritatis pœnas, *qui Dei occulta peruadit.*
Impudentes diuinitatis scrutatores *perstricti.*
Regum quodam more adducto illi notantur, qui in diuina temerè discutiunt.
Ex diuinis pauca nostræ notitiæ *permittuntur.*

Seraphim,vt à nimia curiositate *nos auocent.*
Deus super Cherubim ascendit, *quia omni scientia superior.*
Curiosi *essentiæ sapientiæque diuinæ scrutatores damnati.*
Deus lucerna nigredinis.
Non ascendit Deus in cor, *& minus in linguam.*
Diuina curiosè *haud inquirenda.*
Dauidis exemplo temerarij diuinorum inuasores *arguuntur.*
Diuinitatis arcana *sectatores fugiunt.*
*In diuinis,*qui temere se erigit,*descendit.*
Temerarij diuinorum scrutatores *in temeritatis pœnam,nec obuia penetrant.*

571. *Miranda Dei opera, non temere discutienda.* Psal.33.14.

Miranda Dei opera sunt, non temerè discutienda; ille ampliorem diuinarum rerum indipiscitur iustitiam, qui quæ inuestigare non potest, stupens admiratur, & deuotus reneretur; hoc rectè docuit exemplo suo Dauid cùm diceret Psal.133.v.14. *Mirabilia opera tua,& anima mea cognoscis nimis*; valde nimirum cognoscit, non quia ea temerè scrutaretur,sed quia humilis venerabatur, & mirabatur; opportunè rem premit sanctus Maximus hom.1. in die natalis Domini; *Beatus,* inquit, *Dauid, virtutem omnipotentiæ eius (Dei) intendens, clamabat, dicens: Mirabilia opera tua Domine, & anima mea nouit valde. Valde enim sciebat anima prophetalis, opera Dei omnem meditationem humanæ mentis excedere? propter quod sapientissimus Patriarcha mortalis sensus conclusus angustiis,* QVÆ INVESTIGARE NON POTERAT, MIRABATVR. *Quis ergo hominum discutere, aut inquirere audeat, tantus, quod Propheta miratur? mirabilia,* inquit,*opera tua,& anima mea nouit valde.* (S.Max.)

Nemo Dei secreta audax temerator penetret.

Nemo temeratius, & audax,secreta, & occulta scire præsumat, & diuinæ Trinitatis tribunal impius irrumpat, vt eorum notitiam quærat,quæ ideo Deus occulrauit ne passim noscerentur, & ad illa cuilibet aditus pateret; ab hoc ausu quemlibet auocabat Paulus cùm diceret: *Tu quis est,qui respondeas Deo.* Rom.9. v.20. sic enim hæc verba illustrat, Sedulius hîc. *Hac*, inquit, *& his similia commouenti, atque in huiusce mysterij cubiculum, proteruius, & importunius ingerenti cum increpatione dignissima exclamationis occurrit. O homo, tu quis est, qui contrà respondes Deo? quasi diceret, Tu quis es,qui te in aula Regis immergis, &* INTERIORIS CVBICVLI AVSVS ES SECRETA PENETRARE? (Rom.9.20. Sedul.)

Aberrat, qui diuina examinat cùm credere debeat. S.Max.

Aberrat,qui discurere diuina tentat, non quærit credere; hinc illud sancti Maximi hom.1. in natali Domini: *Omnis*, inquit, *qui opera Dei magis vult examinare, quàm credere,non sequitur animæ sensum,sed carnis errorem.*

572. *Perstricti qui in diuina irrumpunt.* S.Basil.Sel.

Grauiter eos, qui in cœlum in cœlestia audaces irrumpunt, & in diuina, perstringit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.24. dum ait: *Ne metire, quod à mensura alienum est: ne partire substantiam, quam partiri non est. Cœlum laudibus effert,* TV METIRIS? *Cherubini se submittunt,tu examinas? Gabriel tremens adstat, tu verò maledictis impetens circumstas?*

Dat temeritatis pœnas qui Dei occulta peruadit.

Lacus quidam in Comitatu Mansfeldicu esse perhibetur, cuius hæc sit natura, vt si piscatores missos hamos retiaque immergant profundiùs, ea amburantur,haud aliter ac si in ignē missa fuissent. Time ne idem tibi accidat si diuinarum sacrarum profunda, atque secreta rimari profundius velis, quàm debeas; senties citò temeritatis tuæ pœnas, & vel ignem sub his aquis deprehendes quo ausus tui retia comburantur, quod multis huc vsque accidisse & videmus, & dolemus.

Impudentes diuinitatis scrutatores perstricti. S.Zeno.

Rerum diuinarum damnanda curiositas est, quia & noxia; diuinitatis impudentes scrutatores ita premit sanctus Zeno serm.1. in Psal.110. *Deus noster, fratres, humilis corde est: & ineffabilis eius illa sapientia, ac virtutis potestas intra hominem susceptum iacet magis admirabilior; quia tantus est, & talis. Et homo* CVRIOSVS *cor suum extollit, conatúrque eius comprehendere* ALTITVDINEM, *cuius non sequitur humilitatem?*

Regum quondam more adducto illi notantur qui in diuina temerè irrumpūt.

De diadematis illud obseruo, Regibus displicuisse, quempiam illa suo capiti imposuisse; hinc illud apud Nicephorum Gregoram lib.10. hist. Romanæ in fine, qui talem ausum morte vindicatum recenset, remque ad eos torquet, qui temerè in sacra, in diuina irrumpunt, digna sunt quæ hîc sistantur eius verba; sic autem ille loquitur: *Alexandrum aiunt Macedonem illum, post longum illum victoriarum cursum, & magnos triumphos,cùm animum relaxare,& recreare vellet,triremi conscensa in Euphrate nauigasse, ac in medio flumine diadema illi delapsum esse; quod cùm nauta quidam adnatans excepisset, & quia aliter ad nauem redire non poterat, capiti suo impositum illi retulisset; homini pro ea recuperata talentum donasse, sed quia eam indignè capiti suo imposuisset, caput obtulisse. Quòd si homo hominem eodem secum pileolo vsum viuere, & solem intueri, ferre non potuit: quid de iis dicemus, qui adeò petulanter in Theologiam irrumpunt?*

573. *Ex diuinis pauca nostræ notitiæ permittuntur.* Isa.6.

De diuinis rebus plura à nostra notitia subducuntur, quàm nobis sint manifesta; Seraphim duo vidit Euangelicus Propheta Isaias cap.6. sex alis munitis, sed duabus tantùm volabant, velabant quatuor, nimirum vt ita colligeremus, plura esse, quæ nos lateant, quàm illa, ad quæ aduolare per notitiam possimus, quod peritè tetigit sanctus Petrus Damianus lib. 4. epist. 9. *Alarum ergo Seraphim & plures sunt, quæ* VELANT, *& pauca, quæ* VOLANT: *quia ex diuinorum operum celsitudine, cùm* PERPAVCA *ad nostram permittantur aduolare notitiam, plurima in thesauris* SECRETORVM COELESTIVM *seruantur occulta.* (S.Petr.Dam.)

Seraphim à nimia curiositate nos auocant. S.Bern.

A nimia, noxiáque rerum diuinarum curiositate nos Seraphim auocant, quos vidit Isaias cap.6. dum Domini caput, pedes alis velant; sic enim habet sanctus Bernardus tract. de gradibus humilitatis: *Seraphim caput Domini pedésque velantia ad hoc ibi posita puto, vt tuæ* CVRIOSITATIS *modus imponatur, quatenus nec cœli iam magis impudenter, quàm prudenter* ARCANA RIMERIS, *nec Ecclesiæ mysteria cognoscas in terris.*

Deus super Cherubim ascendit, quia omni scientia superior. Psal.17. S.Greg.

Ob hanc causam ascendisse Deum super Cherubim dixit Propheta Regius ne illum intra sapientiæ nostræ angustias clauderemus, sic enim ille loquitur Psal.17. *Ascendit super Cherubim, & volauit*; quæ verba sic ad hanc mentem explicabat sanctus Gregorius lib.17. moral. cap.15. *Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, proinde super plenitudinem scientiæ ascendisse perhibetur, & volasse, quia maiestatis eius celsitudinem,* SCIENTIA NVLLA COMPREHENDIT; *volauit igitur, quia longè in altum, ab intellectu*

nostro se rapuit, volauit super pennas ventorum, quia scientiam transcendit animarum; vt meta illa scientia insipientia sit, quæ Deum intra suæ imbecillitatis augustias claudere nituntur.

574. *Curiosi essentiæ, sapientiæque diuinæ scrutatores damnati.* Psal. 8. S. Chrysost.

Curiosos essentiæ diuinæ, scientiæque scrutatores arguit Dauid, cùm Psal. 8. exclamans dixit, *Quam admirabile est nomen tuum Domine in vniuersa terra*; admirator Dei est, non est scrutator, nec essentiam Dei, sapientiámque temerarius inuestigat, sed humilis, vel nudum Dei nomen admiratur: *Vbi sunt*, inquit sanctus Chrysostomus in huius Psal. commentario, *qui Dei essentiam curiosè peruestigant? si enim cùm nomen eius dixisset, adeò admiratus est, vt obstupesceret, quorum venia eis dabitur, qui se* DICVNT NOSSE DEI ESSENTIAM, *cùm ne Propheta quidem, quàm sit admirabile nomen eius, cogitare potuerit.*

Deus lucerna nigredinis. Hebr.

Deus apud Hebræos *lucerna nigredinis* dicitur in Zohar, quia nimirum posuit tenebras latibulum suum. *Quæris, quid sit Deus*, inquit sanctus Augustinus in Psalm. 85. *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Cordis illi latitudo angusta est, & non erit angusta oris angustia, breues verborum limites: *De* DEO, *& vera dicere periculosum est*, ait sanctus Cyprianus in Symbolum, *Deúsque*, ex sancti Augustini mente lib. II. de ord. *melius* SCITVR NESCIENDO.

Non ascendit Deus in cor, & minus in linguam. S. Cypr. S. Aug.

Diuina secreta curiosè haud inquirenda. S. Zen.

A curiosa rerum diuinarum perscrutatione ita nos auocat sanctus Zeno serm. de Iona; *Humana deuotionis religiosa confessio est, de Deo hoc nosse, quod licitum est; sicut enim in simplici corde* SCRVTANDA *sunt testimonia eius, ita curiositate non sunt inquirenda secreta. Quis enim causas, naturásque cœli huius, & superiorum sciat? Quis corpoream aëris huius, vt quidam putant, inanitatem se differere posse mentiatur? Quis terram aqua portari, an aquam terra gremio contineri se nosse præsumat? Quis spiritus aërios? quis figuras ventorum? quis inter marinos æstus fluminum augmenta? quis denique opificium Domini, Deique consilium se deprehendisse gloriabitur?*

575. *Dauidis exemplo temerarij diuinorũ inuasores arguuntur.* Psal. 130. S. Ambrof.

Eos, qui temerè se efferunt, & in diuinorum secreta tumidè irrumpere audent, egregiè Dauidis exemplo perstringit sanctus Ambrosius lib. 5. de fide cap. 8. ad illa verba respiciens: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*, Psalm. 130. sic enim ea ad nostram mentem versat præfatus Pater, *Non est exaltatum cor meum, neque in vanum elati sunt oculi mei, Dauid dicit. Rex Dauid exultare cor metuit in rebus humanis*, NOS EXALTAMVS ADVERSVS DIVINA SECRETA.

Diuinitatis arcana scrutatores fugiũt. Prou. 23. 5.

Non esse Dei arcana temerè scrutanda docuit Salomon Prou. 23. 5. dum ait, *Ne erigat oculos tuos ad opes, quas habere non potes, quia facient sibi pennas quasi aquila, & volabunt in cœlum.* Quæ verba sic ad nostram mentem interpretatur sanctus Rabanus Maurus comment. in Prou. 23. *Ne erigas*, inquit, *mentem tuam ad* PERSCRVTANDA DIVINITATIS ARCANA, *quæ penetrare non potes, hæc enim cœlestibus solùm ciuibus patent.*

S. Raban.

In diuinis, qui temerè se erigit descendit. S. Macar.

Descendit profundiùs, qui temerè se altiùs euehit, vt diuina scrutetur; scitè sanctus Macarius hom. 12. *Quanto plus volueris cognoscendi ratione* SCRVTARI, *ac penetrare, tanto plus in profundum descendes, & nihil oraprehendet.*

Temerarij diuinorũ scrutatores in temeritatis pœnam, nec obuia penetrãt. S. Greg.

Hac porrò pœna puniuntur, qui Dei secreta rimari conantur, vt nec obuia, & intellectu facilia percipiant, quod notat sanctus Gregorius lib. 20. moral. cap. 10. *Fit*, inquit, *vt vix in dictis Dei exteriora capiant, qui se secreta spiritualia penetrasse singulariter putabant.* Ex quo fit, vt plerumque minus Dei sensa consequantur, qui acutiores videbantur, & hebetiores diuinam in verbis diuinis mentem percipiant, quod negatur prudentioribus, quia nimirum hi de sua sapientia superbiunt, & diuinorum arcanorum scrutatores sunt.

ADAGIVM DCCXII.

Stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem.

576. Hæc omnia de vehementer imparibus vsurpabantur. Vtitur sanctus Bernardus, vt probet tam grandia esse diuina erga nos beneficia, vt exilia, & nihil ferè sint quæcumque ei sistere pro illis possumus; hæc eius verba serm. de quadruplici debito: *Cùm ei donauero, quidquid sum, quidquid possum, illud sic est, sicut* STELLA AD SOLEM, GVTTA AD FLVVIVM, LAPIS AD MONTEM, *granum ad aceruum? Non habea nisi minuta duo, imò minutissima corpus, & animam, vel potiùs vnum minutum voluntatem meam; & non habeo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficijs præuenit, qui toto se totum me comparauit.*

ADAGIVM DCCXIII.

Cuniculum omnem mouere.

Cum quis in aliqua omnia tentasse, nihil non fecisse, nulli labori pepercisse dicemus, illum prouerbialiter *omnem cuniculum mouisse* affirmabimus; Theodoretus quæst. 37. in Deut. *Itaque* CVNICVLVM OMNEM MOVIT, *vt salutem consequerentur Iudæi; simile illi, omnem lapidem mouere.*

ADAGIVM DCCXIV.

Tarquinius.

Notæ improbitatis, & superbiæ Rex locum prouerbio fecit, vt sceleſtiſſimus quisque, qui scelera fastu animet, Tarquinius dici queat; huc flexit Hildebertus Episcopus Cœnomanensis epist. 33. *Quotidie*, inquit, *Nero nostris occursat aspectibus; quotidie* TARQVINIVS, *quotidie Polymnestor. Denique quisquis vel naturam flagitio, vel legem contemptu fatigauit, heredem te sua reliquit ignominia.*

ADAGIVM DCCXV.

Qui bene pascit se, bene viuit.

577. Vulgi prouerbium protulit, vel reiecit sanctus Bernardus serm. 1. in festo Apost. Petri, & Pauli. *Dicitur*, inquit, *vulgò, quia*, QVI BENE SE PASCIT, BENE VIVIT; *sed mentita est iniquitas sibi, quia non bene viuit, nisi qui bene facit.*

Ab

Ab Epicurea schola hoc dicas profluxisse, non à Christiana, quæ carni, carnisque deliciis bellum incidit, & calcandam carnem docet, non fouendam.

ADAGIVM DCCXVI.

Captionum substructio ex arena.

RAtiones, & argumenta, quæ nullam firmitatem habeant, nullum veritatis fundamentum, facilique negotio disiiciantur, hac prouerbiali phrasi circumscribentur; hinc illud Zachariæ scholastici Episcopi Metylenes, disput. de mundi opificio, *Vestram*, inquit, *illam* EX ARENA CAPTIONVM SVBSTRVCTIONEM *diluemus*. Tàlis substructio fallax, facilíque negotio casura hæreticorum omnium doctrina est, veritatis fundamento destituta.

ADAGIVM DCCXVII.

Vlyßis argutiæ.

VAfer, astutus, callidus, versutúsque fuit Vlysses, & talem vbique Homerus exhibet, si quis sua calliditate patris sit notæ, in eum prouerbium istuc optimè quadrabit; vtitur Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 35. *Videbis illic*, inquit, VLYSSIS ARGVTIAS *fidem Polymnestoris adhiberi.* aut ante illum Sidonius lib. 5. epist. 7. *Videbis illic periuria Laomedontis*, VLYSSIS ARGVTIAS *adhiberi*; & Gregorius Turonensis Achillis dixit in præfat. lib. 1. mirac. *Non Stachi ingenia, non Achillis argutias.*

ADAGIVM DCCXVIII.

Offerre Isaac.

578. ELeganter dicetur quis offerre, & immolare Isaac, cùm quod vnicum, quod summè charum est, prompto animo exhibet; sumptum est ex historia Abraham vnicum filium suum Isaac, quem maximè diligebat immolantis Isaac offert, qui alienæ vtilitatis, alienæ salutis causa, differri gaudium suum sinit, differri beatitudinem, quod egregiè præstitit sanctus Martinus, dum acquirendæ gloriæ vicinus, regno cœlesti proximus, suorum precibus motus dixit; *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recusô laborem, fiat voluntas tua*; sic enim ad hæc illius verba ait sanctus Bernardus serm. in festo sancti Martini: *O verè sanctissimam animam! ô inæstimabilem caritatem! ô obedientiam singularem. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, de reliquo superest tibi corona iustitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie iustus iudex: & adhuc dicis, non recusô laborem, fiat voluntas tua.* OBTVLISTI *planè* ISAAC: *vnicum illum quem diligis, quod in te est, iugulasti, immolasti singulare gaudium tuum pia deuotione, paratus redire iterum in pericula, innouare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde deferri adhuc ab illa tanta felicitate, è diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in breuis mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ reuocari: postremò (quod maximum est) à Christo tuo peregrinari diutiùs, si modò ipse voluisset, nec sanè dubium quin ampliorem gratiam mereatur qui paratum se exhibet ante mandatum, quam qui obedire satagit post mandatum.*

Pergit, & sancti Martini obedientiam cum Angelorum obedientia confert, illiúsque verba cum verbis beatissimi Petri, dum esset in monte sancto; *Magna quidem obedientia vestra Angeli sancti, sed, quod dicere audeam pace vestra, nescio an inueniatur in in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris. Magnum est Petro quòd Dominum secuturus omnia reliquisti, sed audiui te in monte dicentem vbi transfiguratus est coram vobis: Domine bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula. Non est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recusô laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, siue manere in corpore, siue dissolui, & esse cum Christo. Et magna quidem in horrenda morte securitas, magna in visione Christi desideranda perfectio reperitur. sed id quidem longè ampliùs per omnem modum, quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, viuere quoque non renuis & expectatione molestissima fatigari, in quo enim alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo, tam deuotè clamabat, fiat voluntas tua*; sed quia hîc sumus, Abrahami virtutes in filij oblatione expendamus, vt ad paria lectorem prouocemus.

EXCVRSVS LXXXV.

Abraham filium Deo offerens expenditur, & meliora Deo offerenda ex eius oblatione colligitur.

Gratum Deo spectaculum *exhibuit Abraham filium offerens.*
Abrahami filium offerentis repræsentatio.
Se in filio mactabat *Abraham.*
Abrahami deuotio *in filij mactatione.*
Totius orbis pater *euasit Abraham, quia vnico se filio priuare volebat.*
Christi diem *vidit Abraham filium offerens.*
In Abrahamo Dei affectus *paternum affectum vicit.*
Abraham patientiæ *simulachrum.*
Adamas *Abraham, & saxum eius pectus.*
Posteros informaturus *filium Deo mactat Abraham.*
Isaac timore *fidem non fædauit.*
Dei præceptum non discutit *Abraham.*
Imago oblati Isaac, *qualis olim esset.*
Lachrymas *hæc imago ab intuentium oculis exprimebat.*
Filius mactandus *lachrymas ab Abrahami pectore non elicuit.*
Christi passionem *induit Isaac.*
Iusto lætitia *non perit.*
Chariora *Deo litanda.*
Verus pater Abraham, quia filium *mactare voluit.*
Bonorum operum fructus *pro Isaac offerendus.*
Nos ipsos *Deo offerre debemus.*
Abrgha imitator *mortificationis* cultor.

Isaac ritè offert, qui se ipsum Deo mactat.
Perstricti, qui peiora Deo offerunt.
Ad immania scelera itur cùm deteriora *Deo offeruntur.*

579. *Gratum Deo spectaculum exhibuit Abraham filiũ offerens.* S. Basil. Sel.

STrenui Athletæ munus exercuit Abraham, in arenam descendit, Deo spectante spectantibus Angelis gratum omnibus spectaculum exhibuit, filium Deo obtulit. Pulchrè de illo sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 7. *Dei amanti, & spiritali auditori* ABRAHAMI *Deo amicissimi facinora memorabilia hodie denarrabimus, cui Deus obtigit amoris diuini agonotheta, natura autem aduersatrix fuit animi paterni stimulis armata; arena verò fuit Isaaci dum armatam ferro dexteram ab amãtissimo parente expectabat iugulatio. Athletam quem ad tantam diuini huius amoris exercitationem prouocabat Deus, in medium terrarum orbis stadium coniicit multis antè virtutum experimentis, velut in palæstra eruditum.*

Abrahami filium offerentis repræsentatio. S. Zeno.

Abrahamum offerentem Deo filium sic exhibebat sanctus Zeno Episcopus Veronensis serm. 1. de Abraham. *Lætar pater filio quoque gaudente: & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert.* PEDES *quoque* CONSTRINGIT, *ne in exitu mortis concitata victima calcitraret, securus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem.*

Se in filio mactabat Abraham. S. Petr. Chry.

Offerebat Abraham filium suum, offerebat & se ipsum in filio, vt simul & sacerdos esset, & victima; sancti Petri Chrysologi hæc sunt verba serm. 10. *Abraham afferebat filium suum, imò* SE IMOLABAT IN FILIO, *sanctificabat mentem suam, atificabat fidem suam, vt esset idem victima, & Pontifex, sacerdos, & sacrificium. Patris erat passio ibi tota, vbi filius immolabatur;* quàm verò gratum hoc charitatis sacrificium Deo fuerit, pergit exponere: *Patris suspensa est dextera, Patris gladius est remeatus, quia non quærebatur mors filij, sed Patris charitas probabatur; nec expectabatur sanguis filij, vbi* TOTA VICTIMA IN PATRIS DILSCTIONE *constabat, Scriptura dicente; Nunc scio, quia diligis Deum, quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* grata Deo victima dilectio, electum sacrificium.

Abrahami deuotio in filij mactatione. S. Zeno.

Abrahami deuotionem in filij mactatione sic expendebat sanctus Zeno serm. 1. de Abraham: *Volo, dixit Deus, mihi fieri sacrificium* ABRAHAM *tuis manibus in monte de filio tuo; hæc mihi victima placet, hoc me sanguine deplacabis, iste meis sacris debetur, vnde immolari iam iubeo; non contristat frontem deuotissimus Abraham; nec dolor patri lachrymas persuasit, sed exultat, & gaudet; nec timuit, ne parricidium ei imputaretur, sed magis vt deuotioni pareret, lætabatur hoc iussisse Deum.*

Dei præceptũ non discutit Abraham. S. August.

Filium Deo obtulit Abraham, nec Dei mandatum discutit, sed fideliter obtemperat; quod expendit sanctus Augustinus lib. qq. ex vtroque mixtim q. 117. *Sanctus Abraham exemplum generi humano datus est fidelissimus: in ipso enim præfigurata sunt omnes gentes ad salutem venire per fidem, cuius vt superabundans incrementem fidei nosceretur, tentatur, ac iubetur filium suum Deo immolare, quod factum non erat vnquam. Et nec rei nouitate turbatur,* NEC DISPVTAT AN FIERI DEBSRST. *Deo iubente, parricidium, qui homicidium ne fieret, comminatus est. Sic de Dei voluntate intrepidus, & securus, non cunctatur prouidum esse quod iubet Deus: & hunc filium, quem duo senex ex promissione susceperant, præmium fidei meritorum iudicent, & in quo omnis spes ex promissione futuri seminis habebatur. Quod vt omni deuotione impleret, matri eius non indicauit, ne quod dicationi eius impedimentum afferret, sciens circa affectum filiorum procliuiores in amore esse mulieres: ideóque celauit eam non ambigens impleri debere quod iubet Deus, vt hoc exemplo doceremur omni cura Dei facere mandata. Si enim fidelissimus Abraham in re tam graui, & aspera obediens inuenitur, quanto magis nos quibus illa præcipiuntur, quæ possunt portari.*

Totius orbis pater euasit Abraham, quia vnicum filium Deo obtulit; scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 7. *Vnius filij nullam rationem duxisti, orbis terrarum pater esto. Cum Isaaco gentes habe filias vnius sacrificij merito orbem terrarum, pater esto gentium, si quidem pater eris Christi, cuius in possessione gentes sunt;* tantum refert ad Dei vocem sua offerre, offerre se. 580.

Totius orbis pater euasit Abrahã, quia vnico se filio priuare volebat. S. Basil. Sel.

Christi diem vidit Abraham filium offerens. Ioan 8. Arnob.

Christi diem vidisse Abraham, in hoc sacrificio ita explicat Arnobius Afer in cap. 8. Ioann. ad illa verba: *Abraham Pater vester expectauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*, Ioann. 8. v. 56. sic enim ille scribit, *Priusquam Christus venerit, ante duo millia annorum Abraham defunctus est; quomodo ergo Dominus dixit, Abraham vidit diem meum, & gauisus est? tunc scilicet cùm Isaac ad victimam lignum portabat, & arietem victimæ dignum dedit, & gaudens filium recepit, tunc exultauit, quia* CRVCIS LIGNVM DEDIT, *& gaudens filium recepit, tunc exultauit, quia Crucis lignum vidit, & Christum passurum cognouit.*

Ab Abrahamo Dei affectus paternũ affectum vicit. Franco Abb.

Obtulit Isaac Deo Abraham Patriarcha, cogitans Deum Patrem, se patrem esse nesciebat, affectus in Deum, patris affectum ita coërcuerat, vt eius mentem corripere non sit ausus. Pulchrè de eo Franco Abb. tom. 3. de gratia Dei; *Gladio accingitur, filium assumit, ligna præparat,* NS TVNC OE REPROMISSIONE HÆSITANS *quando gladium in iugulum filij euaginat; vincit* PATERNVM AFFECTVM *affectus in Deum, & qui Deum patrem agnoscit, patrem se esse nescit.*

Abrahamum patientiæ simulachrum vocat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 7. *Tentatione purgat Abrahamum* PATIENTIÆ SIMVLACHRVM, *vt nitidiori opere ostentato spectantem rapias in admirationem: nauiculam ventus agitat, quo gubernatoris artem magis admireris.* 581.

Abraham patientiæ simulachrum. S. Basil. Sel.

Adamas Abraham, & saxeum eius pectus. S. Chrys.

Adamantinum Abraham vocat sanctus Chrysostomus hom. 4. in epist. 2. ad Corinth. & saxeum eius pectus: *Nec verba* (filij) *tantam vim habebant, vt vel* SAXEVM PECTVS *emollire possint, nec tamen adamantem illum pertulerunt, imò nec concusserunt, nec dixit, Quid patrem vocas, qui paulo post pater tuus futurus non est.*

Posteros informaturus filium Deo mactat Abraham. Euseb.

Eruditurus posteros suos Abraham, vt institutionem exemplo exornaret, immolat Deo filium, vt altiùs pietatem in aliorum mentibus plantaret; flecti huc potest quod habet Eusebius Emiss. Hom. 1. in initio Quadrag. *Abraham diuina voce laudatur: Scio, inquit, quia Abraham* PRÆCEPTVRVS SIT FILIIS SVIS, *vt timeant nomen meum. Prædicatur, quod posteros suos eruditurus esset in Domino qui iam ad hoc fidei virtute peruenerat, vt filium posset immolare pro Domino.* Probus probitatis, pietatis magister, qui fecit prior, quod alios docturus est, & reipsa præstitit, quod lingua dicturus.

Isaac immolandus timere fidem non fœdauit. S. Zeno.

Isaac immolandus non timet, sed quia non timuit immolatus est, satis Deo fuit patrem vidisse, patrem exuisse, vt filium immolaret, & filium ab timore viduum, ne timore imbecillem fidem prodetet. Præclarè sanctus Zeno serm. 2. de Abraham; vbi rem sic versat: *Abraham Dominum filio,*

Sacer

Sacerdotem prætulit patri: nec pium se credidit, nisi probasset fidelem. Denique carissimi, intrepidus ad ministerium immolationis armatur, rimatur ad ictum vulneris securus animus: sed securior manus. elatus in immolandum gladius libratur: nec puerum mors vicina contristat: nec trepidatio FIDEM *prodit infirmam. sub hac denique immolantis, immolandique constantia absolui meruit, dum humanum ex se deponit timorem.*

582. *Imago oblati Isaac qualis, & olim esset.*

Quî olim Isaac oblatus pingeretur, docet sanctus Gregorius Nyssenus orat. in Abraham; vbi ait in tergo manus circumductas habuisse, adeóque pium spectaculum lachrymas à spectatoribus excussisse, hæc illius verba apud Synodum Nicenam XI. quæ est VII. in ordine, act. 4. *Vidi sæpiùs inscriptionis imaginem,* ET SINE LACHRYMIS *transire non potui, cùm tam efficaciter pictura ob oculos poneret historiam, procumbit enim ante anima Isaac genibus innixus, circumductas ferens in tergo manus; ille verò à tergo pueri innixus pedum curuamini sinistram comam pueri apprehendit ad se trahens; declinat autem faciem ad se puerum miserabiliter intuens, dextram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad sedem dirigit, iámque gladius acies ipsum corpus propemodum attingit, cùm illum diuina vox à facto deterret.*

Lachrymas hæc imago ab intuentium oculis exprimebat. S. Greg. Nyss. *Filius mactandus lachrymas ab Abrahami pectore non eliciut.* S. Zeno.

Excitabat lachrymas nuda rei imago, quas tamen res ipsa exculpere ab Abrahami pectore non potuit, neminem legimus lachrymas fudisse id, quod expendebat sanctus Zeno serm. 3. de Abraham: *Charissimi,* inquit, *membra, quæ osculis premere consueneras, armatus gladio iubetur occidere, ad gladium nascitur puer; talem casum nemo doluit, nisi quæ genuerat mater,* NEMO PLANGIT *viuas exequias.*

Christi passionem induit Isaac. S. Basil. Sel.

Videt super se ferrum Isaac, nec sacrificium mente abnuente impedit, aut inficit, lubens Christi passionem induit, quod tetigit etiam sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 32. vbi ait: *Suscipe in Isaaco animi inæquabilitatem, qui vinctus ad cædem obuolitante ferro lubens erat, vt* IMAGINEM PASSIONIS *indueret.* Passurum Christum referens, passurum cogitans, fortis cruciatus omnes fert, nulla tormenta expauescit.

Iusto lætitia non perit. S. Bern.

Pro Isaac arietem immolare missus est Abraham, quam rem ita versat sanctus Bernardus in declamat. *Non Isaac,* inquit, *sed aries morietur. non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cuius vtique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest.*

Chariora Deo litanda. Prud.

Obtulit Abraham Isaac, & hac oblatione docuit Deo ea offerenda, ac litanda, quæ chariora nobis, quæ pretiosiora sunt. Peritè id colligebat Prudentius in præfat. Psychomachiæ dum canit,

Abram parenti dictus, ABRAHAM *Deo*
Senile pignus, qui dicauit victima
Docens ad aram cum litare, quis velit
Quod dulce cordi est, quod pium, quod vnicum,
Deo libenter offerendum credito.

583. *Verus pater Abrahã, quia pro Deo filio se priuare non timuit.* S. Zeno.

Isaacum offerre paratus erat Abraham, mactare Deo filium volebat, veriùs se patrem esse credidit, qui vt Deo pateret, filio se priuare non defugiebat, mutata tamen victima est: at non mutatus animus offerentis, eadem mente obtulit sacrificium non idem. Præclarè sanctus Zeno serm. 1. de Abraham: *Eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat;* A FILIO AD AGNVM TRANSTVLIT DEXTERAM SEMPER LÆTVS, ET GAVDENS, *nec mutatus est vultus eius, cùm esset victima commutata; cum tanta lætitia arietem obtulerit, cum quanta obtulerat & filium;* magis nimirum refert, qua mente, quo animo quis offerat, quàm quid affectus munus venustat, & nobilitat.

Bonorum operum fructus pro Isaac offerenum. S. Fulg.

Filium obtulerit Abraham, nos bonorum operum fœtus libare Deo debemus; huc spectabat sanctus Fulgentius serm. 5. ex iis, qui nouissimè in lucem prodierunt: *Abraham,* inquit, *duxit filium ad mortem, vt meliùs susciperet resurgentem. Abraham* OBTVLIT FILIVM, *& vos de* IVSTIS OPERIBVS, *ac laboribus offerte Domino sacrificium, vt vnum cum Patre Abraham habeatis gaudium in regno cœlorum.*

Nos ipsos Deo offerre debemus. S. Greg. Naz.

Nostra Deo offeramus, offeramus nos ipsos; non amittimus nostra quæ Deo offerimus, sed acquirimus, non amittimus nos dum nos Deo sistimus, sed magis simus nostri, quia nostri non sumus, sed Dei; scitè de rebus quæ Deo offeruntur a nobis sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 27. quæ est de pauperum amore: *Hoc quoque ipsum,* inquit, *accipere est, Deo aliquid* DONARE; & suus plenius est, qui suus non est, sed totus Dei.

Abrahæ imitator mortificationis cultor. Tho. à Kẽp.

Abrahæ imitator est, & Isaac offert, qui se perfectæ mortificationi subiicit; verus in hac re Thomas à Kempis part. 1. serm. 11. *Quicunque mortificationi tota die, idest, per totum tempus vitæ suæ se tradit simplici ex corde obediendo,* EXEMPLVM ABRAHÆ IMITATVR, *qui vnicum filium suum Isaac in holocaustum offerre, ligare, & occidere non recusauit.*

584. *Isaac ritè offert, qui se ipsum Deo mactat.* S. Chrys.

Isaac ritè offert, qui Deo se ipsum offert, & per carnis mortificationem mactat; Isaac est, qui omnia tormenta propter Deum sustinet, hac laude insignis extitit gentium Apostolus, de quo ita scribit sanctus Chrysostomus hom. 8. de eius laudibus, *Paulus,* inquit, *alter Isaac, sponte in hostiam colligatus.* offert Isaac, qui non sua tantùm offert, sed se; *Da,* inquit sanctus Ambrosius cap. 9. in cap. 31. Prouerb. *non tamen argentum da, te ipsum da.*

Perstricti qui peiora Deo offerunt. Tertull.

Eos, qui peiora diis suis offerebat, ita perstringit Tertullianus cap. 13. Apologet. *Non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta, & tabidosa quæque mactatis, cùm de optimis, & integris superuacua quæque truncatis capitula, & vngulas, quæ domi quoque pueris, vel canibus destinaueritis. Quam de decima Herculis, nec tertiam partem in iram eius imponitis.*

Ad immania scelera itur cùm deteriora Deo offeruntur. S. Chrys.

Occidit fratrem Cain, vnde immane hoc facinus initium sumpsit, ab eo quòd deteriora Deo obtulit? nimirum ab exiguis initiis ad maxima crimina suos Dæmon ducit, vbi quis in Dei cultu deficit, facilè in maiora labetur, nisi resipiscat. Audiri hîc potest S. Chrysostomus hom. 87. in Matthæum, vbi de Cain fratricida loquens ait; *Non confestim fratris cædem illi suggessit, ne magnitudine rei commotus tam scelestum facinus abominaretur, sed priùs persuasit* DETERIORA OFFERRE, *nullum esse id dicens peccatum, deinde inuidia veneno succendit, nihil etiam hinc mali sequuturum persuadendo, ita sensim in eum elapsus ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessauit, quàm malorum omnium verticem imposuit.* Decurrere ad immania scelera qui timet, meliora Deo offerat, non deteriora.

ADAGIVM DCCXIX.

Solis radio scriptum.

DE re valde perspicua, quæ vix alicuius aciem notitiámque fugiat. Prouerbiali hac formula vtitur Tertullianus lib. de resurrectionine carnis cap. 47. *Age iam,* inquit, *quod ad Thessalonicenses, et ipsius* SOLIS RADIIS *putem* SCRIPTVM, 585.

adeò

adeò claret qualiter accipiunt lucifugæ istæ scripturarum?

ADAGIVM DCCXX.

Judas inter Apostolos.

586. VBi sancta aliqua familia mali alicuius onere grauatur, & inter bonos iniquus adest, tunc ibi Iudam adesse recepto prouerbio dicetur, quod vulgi sermone tritissimum est; huc facit illud sancti Bernardi cap. 48. de modo bene viuendi ad furorem; *In monasterio*, inquiens, *sunt sancti Apostoli Iesu Christi, est etiam ibi* IVDAS ISCARIOTH *traditor Domini.* Licèt deinde rem coërceat, ad eos, qui Iudæ imitatione diuitiis inhiant paupertatem professi. Pergit igitur sanctus Pater & ait: *Qui propter Deum omnia, quæ habent in hoc mundo, ad imitationem Apostolorum derelinquunt, causa solius æternæ vitæ, cum eisdem Apostolis lætabuntur, & remunerabuntur in æterna beatitudine; qui autem postquam ad conuersionem monasterij venit, de rebus monasterij facere fraudem præsumit, Iudas est, & pœnam Iudæ sustinebit in inferno, quia de hoc quod commune est, facere fraudem præsumis, proprium facit.*

De Iuda scriptum est Psalm. 40. *Homo pacis meæ, in quo speraui*; quæri potest, quî in eum Christus sperauerit? an quia suos, suorúmque affectus in se transformauerat Christus? sanctus Augustinus hîc rem ita versat: *Quis est iste homo pacis ipsius? Iudas. Et in illum Christus sperauit, quia dixit, In quem speraui? Nónne illum ab initio nouerat? Nónne antequam nasceretur futurum sciebat? Nónne omnibus discipulis suis dixerat, Ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est. Quomodo ergo in illum sperauit, nisi quia in membris suis ipse, & quod multi fideles de Iuda sperauerunt, hoc in se transfigurauit Dominus. Quando enim videbant* IVDAM *multi, qui crediderunt in Christum, ambulare* INTER *duodecim* APOSTOLOS, *sperabant in illum aliquid, quia talis erat, quales & cæteri. Christus autem, quia in membris suis erat hoc sperantibus, quomodo in illis est esurientibus, & sitientibus? quomodo dixit, Esuriui, si dixit, Speraui.*

ADAGIVM DCCXXI.

Camelus etiam scabiosus multorum asinorum onera sustinet.

VSorpabimos, cùm aliquem etiam infirmum alteri præferemus, qui integer omnino sit, aut cùm ordinis supremi infirmum excellete supremum inferioris significabimus. Adagium esse indicat Synesius epist. 113. vbi ita scribit: *Mihi quidem vt ab ea rectà in illos eundum est, experimentúmque de tam audacibus hominibus capiendum, quales tandem cùm sint insultare Romanis non dubitent, quocumque ij modo sesè habeant.* CAMELVS *enim (aiunt)* ETIAM SCABIOSVS MVLTORVM ASINORVM ONERA SVSTINET. Sic cuiuslibet audacia, atque iactantia coërcebitur, qui maioribus, perfectioribúsque se coæquat, eo quòd in illis aliquam maculam notet, aliquam imperfectionem, aut si fortiores spernat, quòd debiles sint, ac imbecilles, cùm eorum imbecillitas fortior eius fortitudine sit.

ADAGIVM DCCXXII.

Puero gladium præbere.

QVi ea alicui committenda, quæ noxia illi futura, aut quibus ille impar, puero gladium committere prouerbialiter dicetur; & poterit eleganter etiam ad doctrinam transferri, vt scilicet earum rerum notitia iis denegetur, qua in errorem ob eorum imperitiam laberentur; hoc sensu protulit hoc prouerbium Clemens Alexandrinus 1. stromatum, dum ait: *Nonnulla*, inquit, *consultò prætermitto, timens scribere, quæ etiam caui dicere, non vtique inuidens, neque enim fas, sed iis timens in ea inciderent, ne in aliam fortè partem accipientes laberentur, &* PVERO GLADIVM, *vt dicunt qui prouerbiis vtuntur,* PRÆBERE *inueniremur.* 587.

ADAGIVM DCCXXIII.

Marcionis spongia.

CVm Marcion, quos vellet, sacræ Scripturæ libros abstergeret, & deleret, hanc audaciam in expungendis libris, & temerario ausu intercidendis, qua plerique laborant hæreticorum, Marcionis spongiam prouerbialiter appellabimus. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 4. ita illum perstringit; *Erubescat* SPONGIA MARCIONIS, *nisi quòd ex abundanti retracto quæ abstulit, quam validius sit illum ex his reuinci, quæ seruauit.*

ADAGIVM DCCXXIV.

Spartaco nequior.

PErditissimæ vitæ conclamatissimæque nequitiæ Spartacus fuit, vt male apud omnes audiat, multa de illo scriptures, vt in hoc solùm nobilis, quòd nobiles auctores malitiæ eius prodiderint; scelestissimus igitur prouerbiali hyperbole Spartaco nequior dici poterit. Symmachus lib. 2. epist. 46. *Nihil igitur miror familiam* SPARTACO NEQVIOREM.

ADAGIVM DCCXXV.

Pistillo retusior.

TArdus, imperitus, omnis acuminis expers, *pistillo retusior*, quadam prouerbij specie dicetur, hoc titulo donatur à sancto Paschasio Radberto lib. 2. in Matthæum: is qui per illa verba, *antequam conuenirent*, integerrimæ Mariæ virginitati oblatrare ausus est: qui titulus in omnes hæreticos appositissimè quadrat.

ADAGIVM DCCXXVI.

Quies, quæ laborem sequitur, gratior est.

IN laboris commendationem vsurpari hoc prouerbium poterit; hinc illud sancti Thomæ

mæ à Villanoua ferm.2. de sanctis Cosma, & Damiano: *Sicut in vulgari prouerbio dicitur*, QVIES, QVÆ LABOREM SEQVITVR, GRATIOR EST, quietis condimentum labor est.

EXCVRSVS LXXXVI.

Labor quieti substernendus, præmittendus operi labor.

Requiem *qui quarit, laboret priùs.*
Præmitti *labor quieti debet.*
Deus hominem laborare *docuit dum hominem elaborauit.*
Labor *dulcia reddit, qua amara.*
Humana natura debitum labor *cuique soluendum.*
Vtilis labor *ad virtutes excolendas.*
Laboris laudes, *&* *encomia.*

588. *Requiem, qui quarit, laboret priùs.* Gen. 2. Oleast.

REquiem qui quærit, laboret priùs, labor quieti substernendus est, docuit istuc Deus, dum sex diebus operatus legitur vno requieuisse; *requieuit Deus*, inquit Moses Genes. 2.2. *die septimo*. Scitè Oleaster ad hæc verba: *Hic aduertas non esse quiescendum, nisi satis priùs laboraueris, quemadmodum & Creator tuus; similiter pluribus diebus* LABORANOVM, *paucis quiescendum, operatus est enim rerum omnium artifex sex diebus, & vno solo quieuit, quo exemplo eos arguit, qui parum, aut nihil laborantes, quasi toto tempore vita sua otiari volunt, priores Apostolus arguit, pracipiens non laborantem nec manducare.*

Pramitti labor quieti debet. S.Petr.Dam.

Præmitti labor quieti debet; nam *ad requiem*, verba sunt sancti Petri Damiani opusc. 13. cap. 8. *non nisi* PER LABORES, *& certamina peruenitur; quomodo quis ad* REQVIEM *peruenit, qui nec dum ad certamina ipsa, qua in medio sunt constituta, descendit? Quo enim pacto quis valeat aulam ingredi regiam, si eam qua pra foribus est, nondum transiuit arenam? qui propaginare non didicit, qui palmitum sarmenta non seuit, qui glebas sarculis numquam fregit, qui vomeribus noualia non sulcauit, quomodo excussis paleis in horreo frumenta recondere, aut plenis musto canalibus poterit amouere.*

Deus hominẽ laborare docuit dum hominem elaborauit. Gen. 1. 26.

Laborem hominem Deus docuit, dum hominem condidit, Dei verba sunt, *faciamus hominem*, Gen.1.26. non dixit, *fiat homo*, vt rebus aliis dixit, sed *faciamus*, quia ita labor quidam, & quoddam studium significabatur, vt homo sui studio corriperetur dum Dei studium in sui formatione expanderet, laborem non defugeret, cùm Deum in se quodammodo laborantem audiret. Acutè rem premit sanctus Ambrosius serm. 1. in Psalm. 118. *Si Deus maiori quodam studio te creauit, cur ipse tui studium relinquis? si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris.* S. Ambr.

Labor dulcia reddit qua amara. Genebr.

Labor ferculum est, non qualecumque, sed dulce, sapidúmque, vt per illud amara quæque dulcissima reddantur; hinc illud Genebrardi, LABOR *est ferculum ita suaue, vt omnia etiamsi amara dulcescere faciat.*

589. *Humana natura debitum labor cuique soluendum.* S. Max.

Creditori quod quis debet ex iustitia soluit, iniustus audiret, nisi solueret; humanæ naturæ debitum labor est, qui naturæ sunt participes, laborem quoque soluere debent; hinc illud sancti Maximi cent.4.cap.37. LABOR *omnis est debitum, quod videlicet, iusta de causa naturaliter persoluitur ab omnibus, qui sunt participes natura.*

Vtilis labor ad virtutes excolendas.

Vtilis nobis labor est, quo virtutes nutriuntur, vt desidia, & otio vitia fouentur. Verus in hac re Beatus Isaias Abb. orat. 16. LABOR, inquit, *secundùm Deum, ad virtutem auxilio est, desidia vitiorum est mater, moderati corporis labores in excolendis virtutibus prosunt, & inertia pullulant vitia*; nulli se libentius virtutes credunt, quàm labori, nulli se vitia facilius committunt, quàm desidiæ.

Laboris laudes, & encomia. Io. Euf. de act. vol. lib. 6.c. 44.

Bellè ille laborem extulit; *Labor est magna commendatio virtutis, fides sapientia character, virorum prasidium, vita amulator, muneris angelici, custodit nos, & docet supellex diuina habitationis, vaticinium iustitia, penus gaudij, fœnus voluptatis, natalis dies immortalitatis, aquaductus fama*; digna verba, quæ hîc insetantur, digniora, quæ mentibus omnium insideant, vt ab omnibus ametur labor.

EXCVRSVS LXXXVII.

Otium, quàm Christo displiceat, quàm noxium nobis.

Otium *Deus maximè odio habet.*
Ad malorum extrema decurrit, qui negligentia *in Dei obsequio laborat.*
Omnium vitiorum fons *otium.*
Otium hamus *Diaboli.*
Vitiorum coagulum *otium est.*
Desidia virtutis venenum.
Otium fons *omnium malorum.*
Premuntur, *qui labori, operíque addicti obtiment à labore, & ab opere.*
Christi, & Dei exemplo *à desidia cauendum.*
Otio non torpeat, *qui carnis, qui cupiditatibus vinci non vult.*
Amor *Dei ab illius pectore exulat, quod otij domicilium est.*
Ad gehennam *sibi viam sternit, qui otio torpet.*

EXtuli laborem, premendum & otium, quod laborem opprimit, vt vitetur illud, ametur iste. 590.

Otium Deus maximè odio habet. S. Gaud.

Otium maximè odio Deus habet, vt idcirco Iudæorum dies festos repudiauerit, sabbata neglexerit, quia ea ad otium conferebant; quod innuit sanctus Gaudentius tract.11. in Ioannem, dum ait: *Posteaquam Iudai neglectis* SPIRITVALIBVS NEOOTIIS, *qua pro anima salute Dominus agenda praceperat, omnia legitima sabbati ad* OTIVM, *luxuriámque contulerant, clamat ad eos continuò Dominus per Prophetam, Sabbata vestra odit anima mea.*

Ad malorum extrema decurrit qui negligentia in Dei obsequio laborat.

Ad malorum extrema decurrit, qui negligentia in Dei obsequio corripitur, corripitur desidia, otio indormit, valde quispiã videatur profecisse, vitæ sanctitate super alios sit, infra etit si torporem admittat, negligentiæ fores aperiat. Coniice oculos in Iudæos, qui cùm aliis gentibus eminerent, nunc infra omnes sunt; quid huc eos adegit? inter alia negligentia, atque desidia, quod voluit etiam sanctus Ambrosius in Psalm. 118. vbi ait: *Zelo fidei populus Gentilium vitam sibi acquisiuit, quam negligentia, atque desidia Iudaorum populus amisit.* S. Ambr.

Omnium vitiorum fons otium. Eccles.2. 14. Vatabl.

Omnium vitiorum fons otium est Eccl. 2. 14. *Va duplici corde, & manibus, malè facientibus.* Vatablus, *manibus remissis*; Regia, *manibus dissolutis*, scilicet,

licet, qui otiu torpet malè operatur, inque multa scelera desidia correptus labitur, vt idem ferè sit,

Otium hamus Diaboli. S. Thom. *Vitiorum coagulum otiũ est.* quempiam malè operari, & remissis manibus esse. Beatus Thomas, vt habetur in vitis Patrum Occidentis lib.7.cap.8. otiositatem dicebat esse *hamum*, cum quo Diabolus piscabatur, & ad per omnium vitiorum genera homines trahebat; aliique *vitiorum omnium coagulum*, otium dicitur. Verus Sapiens

Desidia virtutis venenum. Silius. Eccles.33.29. *Multam malitiam docuit otiositas*; sedula magistra sedulitatis, hostis, & diligens in docendo, quæ alioquin diligentiæ inimica est, & nouerca. Desidiam virtutis veneuumdixit Silius lib.3.117. ita canens,

—— blandóque veneno
Desidiæ virtus paulatim euicta senescit.

591. Vitandum hoc venenum, statim euomendum

Otium fons omnium malorum. si viscera subierit.

Ruet facilè in alia vitia, qui otio se addixerit, desidiæ se mancipium constituerit. Pater ille familias in Euangelio, quos seuerè arguit, quos otiosos in platea repererat; *Quid hic*, inquit, *statis tota*

Matt.20.6. *die otiosi?* Matth.20.6. nullius alterius illos criminis insimulat, sed solius otiositatis; cur ita? quia ab ista sciebat omnia alia scelera velut a suo fonte promanare.

Premuntur, qui labori, operique addicti abstinẽt à labore, & ab opere. Hic verò mihi pende, eos argui à patrefamilias, quos nemo adhuc conduxerat, nemo excolendæ vineæ adhuc addixerat; quid fecisset si conductos iam torpori indormientes repetisset? nos iam conducti sumus, nos in vineam ducti vineæ colen-

S.Bern. dæ appliciti; quid igitur respondebimus otiositatis arguti? Audiendus sanctus Bernardus serm. 2. de Purif. Mariæ, qui ad producta verba ita scribit: *Cùm arguantur otiositatis, ipsi quoque quos nemo conduxit, qui iam conducti sunt, si otiosi inuenti fuerint, quid merentur: fides quippe sine operibus mortua est.*

Christi, & Dei exemplo à desidia cauendum. Multa de Christo leguntur; otio torpuisse nusquam legimus, quin nec illius calumniatores illum otiositatis insimulare ausi sunt, licet multa falsò illi crimina appinxerint, adeò ab otio Christus abfuit; Deum præterea quieuisse dum mundum condidit, reperimus, non tamen vnquam otio feriatum; nimirum quies Deo placet, non placet otium, discriminandum istuc ab illa est, fugiendum otium est, amanda quies, Deum post mundi molitionem quieuisse legimus, non in otio

S. Pet.Bles. fuisse; festinè Petrus Blesensis quendam ad studiorum laborem inhortans epist.9. *Frater*, inquit, *vtinam operareris, & intelligeres, & inter otium, & quietem discerneres: audisti quietem Domini, quieuit enim ab omni opere, quod patrarat, verumtamen eius otium non legisti.*

592. Otio non torpeat, qui carnis cupiditatibus vin-

Otio non torpeat, qui carnis cupiditatibus vinci non vult. S. Nilus. ci non vult; extulit Moyses manum, & victus est Amalech; nos quoque ad bona opera manus admoueamus, vt carnis vitia in fugam vertantur; scitè sanctus Nilus orat.1. de gula, *Manuum*, inquit, *Moysis sublatio Amalech in fugam conuertit, & Monachi honestis in rebus occupatio carnis cupiditates expellit.*

Amor Dei ab illius pectore exulat, quod otij domiciliũ est. S. Isaac. Exulat leui brachio ab illius pectore diuinus amor, quod otij, ac desidiæ domicilium est, ligna humore madida ignem non concipiunt, nec cor otio torpens Dei amorem. Peritè sanctus Isaac Presbyter lib.1. de mundi contemptu; *Ignis in humidis lignis non accenditur, & diuinus calor in corde diligentis otium non gignitur*; quin natus iam, aut sopitus, aut penitus extinguitur.

Ad gehennã sibi viã sternit, qui otio torpet. S.Pet.Bles. Denique sternit sibi viam ad gehennam, qui otio torpetur, desidiæ indormit, grauiter Petrus Blesensis epist.9. in calce: *Adhuc*, inquit, *rogo te, ne timeas, aut differas hunc laborem effeminari quidem otio, & torpore; pigritia nihil aliud est quàm suffocare virtutem, nutrire superbiam, viámque construere ad gehennam, de his dicitur: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia. Proculdubio, qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum Dæmonibus: & qui cum hominibus non laborant, cum Dæmonibus laborabunt*; ne ergo cum Dæmonibus flagellemur, cum hominibus laboremus, laboremus pro Deo.

ADAGIVM DCCXXVII.

Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet.

VTemur, cùm alterius malitiam, & improbitatem alteri proficuam esse significabimus, 593.
& per aliorum iniurias ad innocentiam iri, multúmque iustis prodesse si ab iniustis torqueantur; familiaris hæc patribus prouerbialis formula est, vt ex auctoritatibus patet, quas subiicio. Cassiodorus de amicitia: *Cui nocere homo existimas, & ipse ad innocentiam te promouit; scriptum est enim,* ABEL ESSE NON POTEST, QVEM CAIN MALITIA NON EXERCET. Meminit huius prouerbij etiam Petrus Blesensis epist. 80. vbi ait: *Scriptum est, Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet*; & epist. 87. *Tanquam aurum in fornace probauit te Dominus*; NON EST ENIM ABEL, QVEM CAIN MALITIA NON EXERCET. Vsus est etiam sanctus Gregorius hom. 38. in Euangelia; ABEL, inquit, ESSE RENVIT QVEM CAIN MALITIA NON EXERCET; *sic in tritura area grana sub paleis premuntur, sic flores inter spinas oriuntur, & rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit*; & lib. 9. epist. 39. itarem versat idem sanctus Pater: *Pensate quæso vbi erit patientia, si deest, quod toleretur. Ego* ABEL ESSE NON SVSPICOR, QVI CAIN NON HABVERIT. *Boni enim, si sine malis fuerint perfecti, esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum*; & Petrus Delphinus auctor nobilis, & probæ notæ lib.4. epist. 22. *Sunt*, inquit, *mali bonis admixti ad bonorum exercitium, Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet.* Sistendus paulisper hîc calamus, vtiles cautiones ex Abelis, Cainique historia decerptæ, vtilia monita legenda.

ADAGIVM DCCXXVIII.

Alter Abel.
Secundus Abel.

INsigni insignis innocentia, qui tamen malorum sæuitiæ pateat, nocentium iniurias sustineat, & Deo persecutionum tolerantiam immoletur, is *alter*, seu *secundus Abel* audiet. Alter Abel Paulus fuit, quin & primo illo maior meliórque victima, & pluries illi mactata Deo suo; hinc sanctus Chrysostomus homil. de eius laudibus: *Paulus* SECVNDVS ABEL, *verùm non semel, sed per dies singulos immolatus.* Poterit & in Pauli imitatores, qui pro Deo strenuè patiuntur, res porrigi.

EXCVR

EXCVRSVS LXXXVIII.

Cain sæuities in Abelem expenditur, expenditur eius facinus.

Ingens Caini *facinus.*
Cain victus est *dum Abelem visus est strauisse.*
Caini malitia *expenditur.*
Sæuiens Cain in Abelem, eius honorem auxit, *Deique in eum amorem.*
Caini facinus quàm graue.
Caini pœna ob mali operis exemplum.
Impius facilè *didicit mala perpetrandi* modum.
Etiam ob Caini scelus *diluuium mundo immissum.*
Abel fratris sæuitia purior *euasit.*
In immania scelera ruit, *qui Deum indicem non cogitat, aut etiam non credit.*
Qui futuram vitam *non cogitat, nihil non fædum committere potest.*

593. *Ingens Caini facinus.* QVàm ingens Caini in fratrem inuidentia, quàm grande in innocentem odium, explicari non potest, vel post mortem in eum sæuiret, & se eiusdem custodem ita esse negat, vt rursus iugulatorem esse vellet si posset. Hanc crudelitatem expendit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. in hæc verba: *S. Basil. Sel.* *Esto dextera vsum Diabolo commodaris, cur etiam linguam commodasti? Num quid custos fratris mei sum ego? O vocem ipsa cæde magis execrabilem! ô sententiam impiam, & lingua impietate teteriorem, nec verò cæde ipsa consopiuit inuidentiam, odia etiamnum renouat, cùmque exosum Abelem non videat, contra fratris animum stomachatur; fortè mæret quòd emortui iugulum repetere nequeat. Numquid custos fratris mei sum ego? verè non es custos; at iugulator.*

Cain victus est dum Abelem visus est strauisse. *S. Chrys.* Strauit Abelem Cain, sed hoc ipso Abel victor euasit, superior fuit, inferior factus licèt videatur; præclarè sanctus Chrysostomus serm. de laude Dei, vbi ita confert Abelem cum Caino vt præferat, dicens; *Occidit Cain, Abel enecatus est. Vter horum extinctus? ille ne qui post mortem ad Deum clamitans questus est. Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; an is, qui vitam omnem transegit trepidus? is sanè, is erat quouis mortuo calamitosior. Vides itaque, quàm longè præstet illatum iniuriæ tolerantia, vel si fuerit ad vsque interitum peruentum. Edisce præterea, quàm sit conditione inferior qui illam intulerat. Percussit Germanum Cain, è vitáque sustulit: horum tamen coronatus est alter, alter pœnas pro scelere luit: iniustiùs Abel occisus est, mortuus tamen cædis fratrem insimulans vexabat, & comprehensum manibus tenebat.*

Caini malitia expenditur. *S. Prosper.* Caini facinus ita expendebat sanctus Prosper part. 1. de promission. cap. 6. *Sed his ausibus facinus suum Cain multis etiam vinculis connodauit: effectus contemptor diuini mandati superbiæ caput, author inuidæ princeps illatæ mortis, & primus in hominibus parricida.*

S. Zeno. Istuc idem Caini scelus ita describebat sanctus Zeno Veronensis serm. de patientia dum ait: *Miratur orbis vacuus, sed duobus angustum, mirantur elementa, hominem, qui factus sit ad imaginem, & similitudinem Dei posse iugulari; & hoc à fratre erubescit rudis terra pro sanguine impiata; solus Cain exultat infelix, quòd teste caret, putat se caruisse facinore.*

594. *Sæuiens Cain in Abelem eius honorem auxit, Deique in eum amorem.* Sæuire in fratrem frater potuit, perimere potuit, non tamen Dei in eum amorem imminuere, nec honorem; actùmque auxit potiùs dum fratrem occidit. Diligi à Deo videbat fratrem, peremit, vt eximeret à Dei dilectione, non exemit tamen, quin eò magis accendit in eum Dei amorem, quo fœdiùs in eum debacchatus est; *Interficiebat Cain fratrem suum Abel*, inquit sanctus Chrysostomus homil. 8. in epist. ad Roman. *S. Chrys.* *quandoquidem dilectum videbat; expectans illum à dilectione exturbare. Extendit autem dilectionem magis, ac magis, & ipsum sanè mortuum Deus magis inuestigabat cùm diceret, Vbi est Abel frater tuus? non enim inuidentia amorem extinxisti, quin potiùs incendisti magis. Ante enim illum tibi subdiderat Deus, posteaquam verò illum interemisti, vel mortuus te vlciscetur, tanta est mea erga illum dilectio.* nimirum mali bonis opitulantur, dum in eos sæuiunt, & meliora illis bona indipiscuntur, quo grauiora illis damna aut inferunt, aut conantur inferre.

Caini facinus expenditur. *S. Zeno.* De Caini facinore ita scribit sanctus Zeno serm. de patientia: *Miratur orbis vacuus se duobus angustum. mirantur elementa hominem, qui factus sit ad imaginem, & similitudinem Dei posse iugulari, & hoc à fratre. Erubescit rudis terra pro sanguine imperata. Solus Cain exultat infelix, quòd teste caret. putat se caruisse facinore, quem Deus vidit, quem conscientia redarguit, quem fratris sanguis accusat.*

Premitur Cain, quia mali exemplum præbuerat. *S. Aug.* Premere Deus voluit Cain, vt signo illo puniretur eius temeritas, qua omnium primus in malo omnibus in exemplum præiuerat. Sanctus Augustinus ita loquitur lib. qq. ex veteri Testamento q. 5. *Timens ne aliquis eum pro hoc facto occideret, ait ad Dominum, Maior causa est relinqui me. si eiicis me hodie à facie tua, & à facie terræ abscondam me, & ero gemens & tremens super terram. Et erit, omnis, qui inuenerit me, occidet me. Territus itaque Cain verbis iusti iudicis Dei timet despici à Domino, ita etiam vt à conspectu hominum confugere se debere putet, certus, quia qui irato Deo viuit, etiam ab homine posset occidi. sed quid ei respondet Dominus? Non sic, inquit: hoc est, non ad hoc te remisi cùm non merearis viuere, vt ab aliquo occidaris, sed vt gemas, & tremas, quasi primum malum exemplum dederis super terram.*

595. *Impius facilè didicit mala perpetrandi modum.* Insurrexit in fratrem Cain, & inuidia correptus Abelem occidit, & : binam didicit homicidium, vbi cædem edoctus est, qui nullum adhuc mortuum viderat, nullum occisum? An occidi animalia viderat, & inde didicit necem inferri etiam homini posse? Impius facilè ex quauis re sceleris perpetrandi occasionem sumit. Summè, egregiéque rem versat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. dum ait: *S. Basil. Sel.* *Laboriosus auctor, pro animi sui perspicientia, penitus inquirat, à quo Cainus cædem facere sit edoctus? vnde sciuerit plagam mortem afferre, hominem mortuum ne conspexerat? nullum, nullius cædis audaciam suam antegressa spectaculum, quod ad inuitandum inuitaret hausit; qui cædis igitur euasit perpetrator, qui nondum fuerat spectator? quod tandem dicemus hominum quidem interemptionem nullam antè viderat, sæpe in quibus naturam cognoscit morte affectam, & ex indecentia, quam viderat, didicit, cepitque audaciam.*

Etiam ob Caini scelus diluuiū mundo immissum. Anonym.

Caini scelus in fratrem adeò Deo displicuit, vt huc aliqui euaserint, Deum scilicet orbi diluuium immisisse, præcipuè propter hoc facinus. Anonymus, sed probæ, antiquæ notæ auctor, ita refert: *Sanguinem Abel requisiuit de manu Cain, propter quem maximè, vt nonnulli perhibent, diluuium mundo induxit*; vt hinc appareat, quàm grande scelus apud Deum sit fratrem sæuire in fratrem, & maximè in iustum, & innocentem.

Abel fratris sæuitia purior euasit. B.Laur.Iust.

Exercet Cain Abel, nec exercet duntaxat, sed etiam purgat. exercuisse, purgasse fuit; quod proprium iustorum est, qui instar palmitum tribulationum falce purgantur. Festiuè Beatus Laurentius Iustinianus in fasciculo amoris cap. 8. *Discurre obsecro mentis oculo per generationes singulas, & veram intelliges esse sapientiæ vocem, nullus etiam reperitur, ab ipso mundi exordio palmes verus, qui non tribulatione purgatus sit. Abel innocens iniustè moriens fratris iniquitate purgatus est, Noe aquarum inundatione purgatur*; & vniuersè iusti malorum sæuitia puriores fiunt, melioresque.

596. *In immania scelera ruit, qui Deum iudicem non cogitat, aut etiam non credit.* Salu.

Peccauit Cain se fratris cæde polluens, sed à Deo monitus non resipuit, nescire se dixit vt esset suus frater, negauit se eius esse custodem, Genes. 4. 9. & vnde tanta nocenti temeritas, tanta peccatori inuerecundia? An quia huic quoque errori aditum aperuerat, Deum malorum hominum malas actiones effugere? spectabat huc Saluianus lib. 1. de gubern. Dei: *Impiissimus pariter, & stultissimus, qui ad perpetrandum maximum nefas sufficere sibi credidit si aspectus vitaret hominum, fratricidium, Deo teste, facturus. Vnde puto, quòd hæc in illo iam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis est: Deum terrestria non respicere, & actus sceleratorum hominum non videre.* Malorum extrema timenda sunt, cùm quis iudicem Deum non timet, atque adeò impius non credit. firmant hæc, quæ diximus, Chaldaica paraphrasis ad illa verba Gen. 4. *Egrediamur foras*, ait enim: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum, non est iustitia, neque iudex neque seculum aliud, nec præmia recipient iusti, ac tunc interfecit eum*; nihil adeò fœdum, quod timeri ab eo non possit, qui Deum iudicem, vitam futuram promissam bonis mercedem à sua mente abraserit.

Qui futuram vitam non cogitat, nihil non fœdum committere potest. Gen. 4. Chald.

EXCVRSVS LXXXIX.

Vtilia quædam monita ex Caino, & Abele.

Caini, & Abelis exemplum fouendæ virtuti, *amolienda iniquitati.*

Caino pares Hebræi.

Cain Abelem, quem viuum *non timuit, timuit* occisum, *vt ob id tremore corriperetur.*

Bonorum virtutem non spectare *via ad vitia.*

In morte iustorum cura *non moritur, quam de illis Deus habet.*

Cur anni *posterorum Cain non recensiti.*

Quàm graue malum peccatum.

Inuisus Deo *Cain, inuisus & parentibus.*

Religiosos interficit possidendi amor.

In Cain signum *positum ob aliorum correctionem.*

Premuntur ij, qui in animas *sæuiunt.*

Caini pœna *à pari scelere omnes auocat.*

Quàm grauis eos cruciatus maneat, qui Caini exemplum *sequuntur.*

Caino pares, qui Caini pœnâ *à scelere non auocantur.*

Abel *nomine docet in Deum esse omnia referenda.*

597. *Caini, & Abelis exemplū fouenda virtuti, amolienda iniquitati.* S. Basil.Sel.

QVæ de Caino, quæ de Abele in sacris litteris legimus, totum ad nostram cautionem, ad nostram vtilitatem est, in humanarum infirmitatum medelam monumentis consignata sunt. Præclarè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. *Deus, quorum fuerit opifex, iis mederi non erubescit. vniuersam igitur Scripturam animi medicamentis confestim obseuit, præsertim, quo loco Caini & Abelis historiam digerens literarum monumentis vtriusque institutum palam consignauit, quo extaret impòsteros excitandæ virtutis exemplum, & nequitiæ fugiendæ*; in Abele prouocamur ad virtutem, in Caino reuocamur à vitiis.

Caino pares Hebræi. Arnob.

Caino pares Hebræi sunt, inuidiæ liuorisque oblatione Abelem non imitantur iustitiæ sacrificio, de illis ita scribit Arnobius in Psalm. 4. *Iudæi peccant vsque hodie. Quod eis ideo euenit, quia non sacrificant sacrificium iustitiæ sicut Abel, sed sicut Cain liuoris, atque inuidiæ.*

Cain Abelem, quem viuum non timuit, timuit occisum, vt ob id tremore corriperetur. S. Chrys.

Sæuierant in fratrem Cain, eòque tandem euasit, vt ferre eum non ferens auferret, sed quem viuentem non est veritus mortuum pertimuit, tremebant Caini membra dum vixit, vt corporis motu fateretur à fratre occiso se victum, eúmque pertimescere, quem occidere non timuerat; huc flecti potest illud sancti Chrysostomi serm. de laude Dei tom. 5. cùm explicans illa Dei verba: *Vbi est Abel frater tuus?* subdit; *Non enim tua hac cæde Cain, sunt Abel honores imminuti, sed aucti magis, & ampliati, quia etsi antehac illum tibi subiecerat Deus, nunc tamen de te vel extinctus supplicium sumet, plurimum enim is Deum colebat. Vter igitur horum de eade sententiam laturus est, qui sumpserit, an qui dederit pœnas? qui tanto fuerit apud Deum dignus honore habitus, an qui noua quadam sit exquisita pœna affectus. Viuentem Abel, nihil es Cain veritus; mortuum ergo pertimesce. Hunc cùm in humanis ageret tibi vel morigerum haud tolerasti; mortui ergo acerbior huius erit in te dominatus.*

598. *Bonorū virtutem non spectare via ad vitia.* S.Ambr.

Negauit se Cain fratris sui custodem, affirmat se nescire vbi esset, Genes. 4. 9. iam prodebat lapsus, cui radicem tectis nimirum oculis fratris virtutes non spectabat; ab eius innocentia, & sanctitate auerteret oculos; Abelis exemplum non est imitatus, arcere fratrem poterant in fratris cæde virtutes, quæ in Abele micabant; succinit sanctus Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. dum ait: *Et si contumeliam prodat hic sermo, sanat tamen, quòd si bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis, pietatem, & innocentiam Abelis imbiberet si vel ad tantas virtutes respexisset*; explicari non potest, quantas ad bonum vires habeat exemplum bonorum, spectataque iustorum virtus.

In morte iustorum cura non moritur, quam de illis Deus habet. S. Basil. Sel.

In occiso Abele ostendit Deus in morte iustorum eam curam non mori; non perire, sed viuere, quam de illis habet; id quod his verbis expendit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. *Docet*, inquit, *Deus, quanta sibi iustorum cura vel post mortem, neque enim ob cædem Cainum puniuisset nisi Abeli, vel interemti solicitudine teneretur.*

Cur anni posterorũ Cain non recensiti. S. Cyrill. Al.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum de Cain, & Abel, obseruat in sacris litteris annos posterorum Cain non recenseri, sicut posterorum Seth; causam adiicit his verbis: *Argumento hoc minimè obscuro fuerit iis, qui rectè omnino de his iudicare velint, quòd Deus nos sustineat peccatorum vitam cognoscere*; vt nulla eorum ratio habeatur, qui Deum offendunt, inque diuinam eius maiestatem, sceleribus arietant, istuc idem expendebat sanctus Chrysostomus homil. 21. in Genesim; *Generationes illas, quæ ex Cain vsque ad Lamech ne memoria quidem dignatur.* Pergit statim in eandem rem; *illorum memoriam quasi nunquam vixissent ita silentio præterit monstrando nobis, quàm graue malum sit peccatum, quod qui agunt, se primum, & maximè perdant, ecce enim illi è catalogo expunguntur.*

Quàm graue malum peccatum. S. Chrys.

599. Non Deo tantùm inuisus, sed & parentibus fuit Cain; Genes. 4. 25. ait Eua, *Posuit mihi Deus semel aliud pro Abel, quem occidit Cain*; satis erant priora verba proferre, cur mentionem ingerit fratricidij, vt innueret, quàm vel ipsis genitoribus abominabilis esset Cain ob facinus patrarum; quod tegitir sanctus Chrysostomus homil. 20. in Genesim. *Vidistis*, inquit, *quomodo & parentibus natura ad amandos filios propensis propter pessimum hoc facinus, abominabilis fuerit Cain.*

Inuisus Deo Cain, inuisus & parentibus. Gen. 4. S. Chrys.

Religiosos interficit possidendi amor. Vgo Car.

Occidit Cain Abelem; Cain possessionem sonat, Abel luctum ad religiosas has notiones transfert Vgo Carensis in Psalm. 70. ait enim, *Religiosos diuites quorum luctum interficit possessio sicut Cain Abel.* Sanctus Ambrosius de Cain, & Abel. lib. 1. cap. 1. *Cain dictus est acquisitio*; nimirum vbi quis acquisitioni rerum terrenarum redditus est, in fœdissima etiam scelera facilè ruit.

In Cain signum positũ ob aliorum correctionem. Lytan.

Portò in Cain posuit Deus signum, vt nullus eum interficeret, Gen. 4. quod factum, inquit hîc Lytanus, *non solùm ad Cain diuturnam punitionem, sed etiam propter aliorum correctionem.*

Premuntur ij, qui in animas sæuiunt. S. Chrys.

Ex Caini facinore, qui in corpus fratris sæuiit, eos premit sanctus Chrysostomus, qui gladium in animas acuunt; hæc eius verba serm. de laude Dei: *Necauit Cain quondam germanum Abel, & propinquitatis sanguinem fudit, quæ cædes tanto iniquior habenda est, quanto consanguinitas ipsa sublimior. Is vtique corpus ferro transfodit: tu verò in animam gladium acuis.*

Caini pœna à pari scelere omnes auocat. S. Basil. Sel.

Caini pœnam cæteris in exemplum esse Deus voluit à pari scelere auocarentur; tremore corporis eum punitum aliqui censent, tremor ille quietem creare cæteris debet. Præclarè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. *Tremens, & gemens eris super terram. Monita non cepisti mea, ærumnis constrictus esto, tuaque trepidatio posteris vertatur in legem. Tremens obambula, animata lex videntibus occurrens, spirans columna auertat à pari pœna; lex, inquam, atramenti vice trepidationis nota conscripta, malum tacere nescium intuentibus sit hortamento, & perturbata natura quietem suadeat.*

600. Luenda grauiora iis supplicia, qui post Caini exemplum, idque in gratiæ tempore in fratres sæuiunt, expendebat sanctus Chrysostomus homil. 18. in Genesim in hæc verba: *Si hic Cain*, inquit, *nullum ante se inuenit, qui tale quidpiam egerit; nihilominus tamen intolerabilem, & grauem sustinuit pœnam; quid verisimile est nos passuros qui eadem, vel etiam grauiora peccamus, idque post tantam gratiæ largitatem.*

Quàm grauior eos cruciatus maneat, qui Caini exemplum sequuntur. S. Chrys.

Caino pares, qui Caini pœna à scelere non auocantur.

Tremore quoque puniuit Deus Cain, vt vel corpore spectatores à sceleribus auocaret, diuinæ iustitiæ timorem tremens in videntium mentibus ingeneraret. Plerique tamen adeò erant fatui, vt nec sic à peccato absterrerentur, quibus & illi pariandi, qui nocentium, & præcipuè pœnas mentis oculis intuentes Caini imitantur, & Caini imitatores, quos ita perstringit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 5. *Omnes imitatores, & impietatis hæredes habebat Cain, neque tremor illius corporis circumpositus videntes reprimebat, sed per animi prauitatem mali quoque metum illius intuebantur.*

S. Basil. Sel.

Caino sceleratiores, qui in Ecclesia ad scelus alios inducunt. S. Chrys.

Eos Caino sceleratiores censet Beatus Chrysostomus, qui in Ecclesia ad iuramentum fratres adigebant; sic ille scribit homil. 15. ad populum Antiochenum. *Tu sceleratius, quàm Cain patrans homicidium, ille nempè fratrem suum in deserto, tu verò fratrem tuum immolas in medio Ecclesiæ*; quod iustiùs in illos quadrat, qui alios lacerant, proscindunt, animæ suæ necem, & aliorum procurant, aut indignè Christi corpus sumunt.

Abel nomine docet in Deũ esse omnia referenda. S. Ambr.

Diuinæ gloriæ litare labor noster debet, non proprio tantùm commodo, propriæ vtilitati; in Deum omnia sunt referenda, non intra nostræ vtilitatis limites coërcenda. Præclarè id ex Caini nomine, & exemplo, Abelísque colligit sanctus Ambrosius lib. 1. de Cain, & Abel cap. 1. *Cain*, inquit, *dictus est acquisitio, quòd omnia sibi acquireret; Abel, qui omnia referret ad Deum pia deuotus mentis intentione, nihil sibi arrogans, vt superior frater, sed totum scribens conditori, quod accepisset ab eo.* Perdet omnia, & non omnibus etiam se ipsum, qui se ipsum tantùm quærit, vbi omnia acquirit, Deo ipso neglecto & Dei cultu, & gloria.

EXCVRSVS XC.

Contumeliæ, & iniuriæ Abelis exemplo ferendæ, nocentibus ignoscendum.

Malorum contumelia ferendæ *Abelis exemplo.*

Non statim *ad vindictam currendum.*

Amandi *persecutores licèt in nos sæuiant.*

Salutaris medicina *iniuriam inferentibus ignoscere.*

Quanti meriti *inimico parcere.*

Diuinum quidpiam *iniurias condonare.*

Iniuriarum vindicta *Deo committenda.*

Qui inimicum diligit, *se diligit.*

Diabolum ferit *qui hostem suum non* ferit *cùm possit.*

Singulare condonandarum iniuriarum exemplum.

Qui iniurias remittit, vltorem ſuum Deum *ſtatuit.*

Diuinæ vindictæ genus pro iis preces fundere *qui in nos ſæuiunt.*

Ab iniuriarum vltione, *vt Chriſti exemplum nos auocet.*

Aliorum iniuriæ, & contumeliæ cenſioni noſtræ *tribuendæ, non inferenti.*

Contumeliæ manſuetudine, *&* ſilentio *excipiendæ.*

Pro maledictis *reſpondere* bonis monitis *debemus.*

Malorum cõtumelia ferẽda, Abelis exemplo. S. Greg.

601. FErendæ Abelis exemplo impiorum iniuriæ, ferendæ contumeliæ, ferenda illata à malis mala ſunt, & ſeruanda inter nocentes innocentia eſt, vt læſi lædere nolimus. Scitè ſanctus Gregorius homil. 15. in Ezechielem; *Ad ſeruandam innocentiam etiam læſi à proximo perdurare in humilitate feſtinamus? Abel ante oculos veniat, qui & occiſus à fratre ſcribitur, & non legitur reluctatus*; inſurrexit in illum Cain, non reperimus vim vi repuliſſe, patiens occubuit innocentiæ victima; vires magnas in hoc exerens, quia exeruit nullas innocentium, virtus in hoc ſita, vt mala patiantur, nec inferentibus reluctentur.

Non ſtatim ad vindictam currendum. S. Ambr.

Deus quoque non ſtatim morte mulctatus Cain fuit, poſt fratris occiſionem expectauit Deus, ne nos ad viodictam curreremus; id quod obſeruabat etiam ſanctus Ambroſius lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 10. *Si cominnò*, inquit, *vindictum eſſet in reum, homines quoque in vindicando nullam patientiam moderationémque ſeruarent, ſed ſtatim reos ſupplicio darent, vt doceret iudices, ne quis præproperè raperetur ſtudio vindictæ.*

Amandi perſecutores, licèt in nos ſæuiant. Vrban.

Amandi perſequutores ſunt, licèt ſæuiant; ſcitè Vrbanus Pontifex in metaphraſi Pſalmi 50. *Apes, etſi inferant punctionis dolorem, amantur tamen, quia mellis dulcedinem adminiſtrant; ſic & perſequutores meos Domine amare volo, & punctiones, quas mihi amoris conatibus inferunt tribulato ſpiritu tolerare vt mellita iucunditas ſubſequatur.*

Salutaris medicina iniuriã inferentibus ignoſcere. S. Cæſar.

Iniuriam inferentibus ignoſcat, qui ſuis infirmitatibus ſalutarem cupit medicinam adhibere. Scitè ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus homil. 11. *Primum, ac principale medicamentum eſt animæ ægrotanti ita charitatis dulcedinem retinere, vt non ſolum amicos, ſed etiam inimicos velit toto corde diligere, propter illud quod ſcriptum eſt, Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra.*

Quanti meriti inimico parcere. B. Rup.

Et Abrahæ, & Dauidi promiſit Dominus ſe filium daturum Abrahæ, quia in Dei obſequium filium Deo obtulerat; ſed cur Dauidi? quia inimico Regi pepercit, ac ſi tanti hoc eſſet meriti, quàm illud ſcitè B. Rupertus lib. 4. de victoria verbi Dei cap. 27. *Ratio*, inquit, *docet non multò minoris eſſe meriti pepercisse inimico propter Deum, quàm non pepercisse vnigenito filio propter Deum.*

Diuinum quidpiam iniurias condonare. S. Greg Naz.

Diuinum quidpiam eſſe, & aliis bonis maius acceptas iniurias condonare, iniuriam inferentibus ignoſcere, pro perſequentibus orare, in hunc modum euincebat ſanctus Gregorius Nazianzenus epiſt. 81. *Magnum*, inquit, *eſſe cenſemus de iis, à quibus læſi ſumus, pœnas ſumpſiſſe: magnum, inquam, nam & hoc ad aliorum vitia corrigenda vtile eſt: at multò hoc maius, ac diuinius eſt, acceptam iniuriam tolerare. illud enim improbitatem coercet, hoc autem ad probitatem adducit, quod quidem longè præſtantius, & perfectius eſt, quàm à vitio abſtinere. Ingentem nobis humanitatis quæſtum propoſitum eſſe exiſtimemus ea, quæ in nos admiſſa ſunt, condonemus vt ipſi quoque veniam conſequamur. Ante benignitatem, benignitatem conferamus. Zelatoris cognomentum hinc obtinuit Phinees, quòd Madianitidem, vna cum eo, qui ſtuprum ipſi inferebat, gladio tranſfixit, atque ex Iſraelitica natione probrum exemit: at maiorem hoc nomine laudem tulit, quòd ipſo populo in ſcelus collapſo preces fudit; ſtemus igitur nos quoque, vt Scripturæ verbis vtar, ac placemus: & ceſſet quaſſatio, nobiſque iſtud ad iuſtitiam reputetur. Laudibus item affectus eſt Moſes, quòd ex illata Iſraelitæ iniuria dolore commotus Ægyptium obtruncarit: verùm maiorem hinc ſui admirationem concitauit, quòd Mariam ſororem lepra propterea quod murmurauerat laborantem precibus ſuis in ſanitatem vindicauit.*

Iniuriarum vindicta Deo committatur, nemo ſibi illud ſurripiat, quod Dei eſt, latrocinij quoddam genus eſt, & ſacrilegij, vſurpare ſibi illud, quod non alterius tantum eſt, ſed etiam Dei; iure in huiuſmodi inuehitur ſanctus Valerianus homil. 12. in hæc verba: *Multi*, inquit, *accepta iniuria vicariam contumeliam parant; & vindictæ locum animo latrocinanti expectant, & vbi eſt illud quod Dominus dicit, nemini malum pro malo reddentes? at ne aliquid ſibi vindicaret iracundia, poteſtatis etiam ſpem abſtulit vltionis, cùm dicit, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus; dimittat ergo vnuſquiſque fratri ſuo ex toto corde, nullus recolat iniuriam, nemo quærat ira perſeuerante vindictam.* 602.

Iniuriarum vindicta Deo committẽda. S. Valer.

Melius eſt, vt iniuriam inferenti parcatur, hoc non latrocinari eſt, ſed latrocinium molientis dexteram coërcere; ſcitè ſanctus Valerianus hom. 13. *Qui inimicum diligit, ſe diligit, ſibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compeſcuit.*

Qui inimicũ diligit, ſe diligit. S. Valer.

Diabolum ferit, qui hoſtem ſuum non ferit, cùm poſſit, & manum ab eo abſtinet. Quod Dauidis exemplo, qui Sauli pepercit, probatur, de eo quippe ita ſcribit ſanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. 17. *David cùm in ſpelæo quæritantem ſe deprehendiſſet, parcit, cùmque inuidentem cepiſſet, humanitate ſumma vtitur; Sauli quidem pepercit, ſed, quod veroſimile eſt, dum ab eo manus abſtinet, Diabolum percuſſit, & pura ab inimici ſanguine ſeruata dextera communem hominum hoſtem conſeruauit, animo imperans, calcans odia, aciem gladij retundens, odio perſequentem ſeruans, inuidiæ reſpondens manſuetudine, quibus ſolis ſtimulis pungitur Diabolus.*

Diabolum ferit, qui hoſtem ſuum nõ non ferit cum poſſit. S. Baſil. Sel.

Optimus ille eſt, qui mala inferentibus offert bona, & calumniatores, conuitiatoréſque donis, & muneribus cumulat. Præiuit in exemplum ſanctus Lupus, in cuius actis habemus, cum hac vindicta diuina perſequutores ſuos perſequutum, *vt optima quaque fercula, & pocula illis curaret apponi, vilioribus ſibi detentis.*

Singulare cõdonandarum iniuriarum exemplum. Acta.

Qui contumelias ſuas, ſuas iniurias non vlciſcitur, vltorem ſui Deum conſtituit, quin cumulatius Deus vindicat, quàm poſſet, aut etiam vellet, qui iniuria affectus eſt, nec vindicare ſe voluit. Pulchrè Dauidis exemplo firmat Saluianus lib. 2. de Gubern. Dei, dum ait: *David ſanctus,* 603.

Qui iniuriam remittit vltorẽ ſuum Deum ſtatuit. Salu.

ctus, cùm a Nabale Carmelo contumeliæ pratulisset iniuriam, quia se ipse vlcisci distulit, vltionem statim Deo executore percepit. Extincto itaque paulo pòst aduersario suo, & manu cœlesti obruto, sic loquutus est: Benedictus Dominus, qui indicauit causam opprobrij mei de manu Nabal; eundem quoque cùm fugasset è Regno filius persecutor, iudex in breui Domini vindicauit. Nec vindicauit tantùm, sed cumulatius vindicauit, quàm ipse voluit, qui vindicabatur: vt ostenderet Deus grauiorem sibi esse iniuriam iniustè tolerantium, quàm tolerantibus suam. nam qui supra votum eius vindicat, qui vindicatur, quid aliud vult intelligi, quàm se ipsum in eo, quem sic vlciscitur, vindicari.

Diuina vindicta genus pro iis preces fundere, qui in nos sæuiit.
S. Chrys.

Diuinæ vindictæ genus est, pro iis preces sternere, qui in nos sæuiunt, nos insectantur; egit istuc Paulus, cuius exemplum ad paria nos prouocat; sanctj Chrysostomi hæc sunt verba tom. 6. hom. in Parasceuem: *Vis tibi ostendam, & alium maiorem conseruum similiter preces pro inimicis fundentem. Audi Beatum Paulum: postquam enim enumerasset quanta perpessus esset, quia quinquies quadraginta vna minus accepi, ter virgis casus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, & cùm percensuisset totam illam seriem & insidias, quas ab ipsis quotidie sustinebat, addit & ipse; Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundùm carnem, qui sunt Israelitæ.*

Ab iniuriarū vltione vt Christi exēplum nos auocet.
B. Sim. Metaph.

Ignoscendum inimicis docuit Christus dum in cruce penderet, qui ita pro occidentibus orauit, vt' simul etiam Angelos inhibuerint, ne de illis supplicium sumerent; sanctus Theodorus Martyr, vt in eius actis apud Simeonem Metaphrastem habetur, sic loquutus legitur: *Cessate charissimi, Dominus meus Christus fuit cruci affixus, reprimens Angelos, ne hominum genus vlciscerentur.*

604.
Aliorum iniuria, & contumelia censioni nostræ tribuēda, non inferenti.
S. Valerian.

Vellicat te quispiam verbis? pungit contumeliis? ictum quem sentis, censioni tuæ assigna, non inferentis audaciæ; iniuria afficieris, quia putas te affici, non afficereris si non putares; sæuit in se ipsum, qui in se sæuientis custodit verba, & corde insepelit, quibus iugiter mordeatur. Huc facit illud sancti Valeriani homil. 12. *Scimus*, inquit, *dilectissimi, quòd aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant: sed ipse sibi iniuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit, ipse se maculat, qui alterius dicta queritur in se fuisse collata.*

Contumelia silentio, & mansuetudine excipienda.
S. Petr. Dam.

Contumelias, & conuitia silentio, & mansuetudine excipienda sunt, vt ab eorum ictu nos subducamus; rem eleganter nauis, & sagittæ similitudine explicabat sanctus Petrus Damianus opusc. 13. cap. 22. *Illatis*, inquit, *contumeliis non vox contumeliosa respondeat, sed aut conuiciantis amaritudinem modestia respondentis obtusset: aut si hoc facilè obtineri non potest, ne iurgium feraliter effluat, irati linguam silentij saltem censura compescat, furentibus nempe ventis vanis sæpe velificata summergitur: si autem antenna deponitur, omnis mox flatuum impetus necesse est inaniter offundatur. Ictum quippe conuitij sagitta non inuenit, conuiciati mens sese in humilitate velut inclinata deponit.*

Pro maledictis respondere bonis monitis debemus.
1. Reg. 2. 1.

Denique pro maledictis respondere bonis monitis debemus. reponenda proba consilia pro opprobriis, quæ in nos iaciuntur; hoc volebat Anna dum caneret 1. Reg. 2. 1. *Dilatatum est os meum super inimicos meos*; alius linguam exacuisset, vt ferientes referiret, aliter ipsa fecit, aliter faciendum docuit, non exacuit os ad conuicia, ad monita, ad consilia dilatauit, nobis hîc integrum non est sancti Chrysostomi acumen prætetire, sic ille scribit tom. 6. homil. de festis diebus: *Dilatatum est os meum super inimicos meos. Animaduertite accuratam orationem, non dixit, Exacutum est os meum super inimicos meos, non enim ad conuitia, & dicteria præparatum erat, non ad accusationem, & opprobria, sed ad consilium, & admonitionem, ad correctionem, & instructionem: & propterea non dixit, Exacuta est lingua mea super inimicos meos; sed, dilatatum est os meum.* nimis angusti animi est ad illata conuitia os dilatare, sed linguam exacuere. S. Chrys.

EXCVRSVS XCI.

Inuidiæ spinæ eius mentem pungunt, quem corripiunt.

Inuidia fecit, vt mundus totus *duobus fratribus esset augustus.*
Cain inuidia pungebatur *cùm deberet commisso scelere.*
Alterius laudes spinæ *inuido sunt.*
Spinæ *in inuidi corde, quæ sunt euellendæ.*
Inuidia spinis *inuidi punguntur.*
Conscientiæ vngulis *inuidus discerpitur.*
Inuidos inuidia torquet.
Inuidi facinus *in alios sæuientis non facilè Deus patitur deleri.*
Inuidi cruciatus *quàm magnus.*
Inuidus prior *inuidiæ* ictum *sentit.*
Inuidi tormenta *aliorum gloria.*
Inuidi magis propitium *Deum iis reddunt, quibus inuident.*

INuidia Cain corripuit, vt in fratrem insurgeret, nimirum, nec tota mundi latitudo duobus recipiendis satis fuit, dum vnum liuor obsideret. Festiuè sanctus Petrus Chrysologus serm. 4. *Inuidia fecit, vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo, namque ipsa Cain, iuniorem erexit in mortem, vt esset solum zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex natura.* 605.

Inuidia fecit, vt mundus totus duobus fratribus esset angustus.
S. Pet. Chrys.

Exarsit ira Cain antequam occideret fratrem, quin ira sibi ad fratricidinm viam strauit; sed illata fratri morte inuidia non defetbuit, adhuc mortuo Abele in corde Cain viuebat inuidia, concidebat illius facies non patri sceleris pœnitentia, sed inuidia correptus ob fratris occisi, non occisam felicitatem, dictum illi à Deo est; *Cur concidit facies tua?* Genes. 4. *Angebat illum non peccatum suum, sed fratris prosperitas? id enim Aquila significauit, dicens: Hunc in modum & iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* ait magnus ille auctor; Pungebat illum liuor, cùm deberet commissum scelus.

Cain inuidia pungebatur, cùm deberet commisso scelere.
Gen. 4.

Non ab re punctum ab inuidia Cainum dixi, nam spinarnm instar illius mentem pungit inuidia, quem tangit; alterius laudes inuidi spinæ sunt, quibus figitut & cruciatur: notauit istuc sanctus Basilius hom. de inuidia, dum ait: *Fontem scaturientem nemo obturat, & sole splendente nemo oculos obuelat, neque inuidet illis, sed sibi ipsi comprecatur, vt frui contingat. Verùm sermone spirituali in*

Alterius laudes spinæ inuido sunt.
S. Basil.

Ecclesia scaturiente, & corde pio ex donis spiritus instar fontis emanante, non sustines audiri, cum lætitia, cum grato animo suspicis vtilitatem, sed pungunt te plausus audentius, & velles neque esse, qui vtilitatem capiat, neque qui laudet.

Spina in inuidi corde sunt euellenda. S. August.

Spinas in inuidi corde vidit etiam sanctus Augustinus, & docuit euellendas, sic ille scribit serm. 83. de temp. *Consideret vnusquisque conscientiam suam, & si se videt de prosperitate proximi sui inuidiæ veneno percussum, euellat de pectore suo spinas, & tribulos, vt in eo semen Domini quasi in fertili agro multiplicata segete luminis concipiatur, vt amaritudo inuidiæ, Christi dulcedine leniatur.*

606. *Inuidia spinis inuidi punguntur.* Exod 1.13. Oleast.

Inuidia cùm in Dei populum Pharao, & Ægyptij æstuarent, dum viderent eo magis multiplicari, quo magis opprimerentur, ait de illis Moses Exod. 1. 13. *Oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis*; in postremis hisce verbis latere spinas vidit Oleaster dum verti posse docuit: *Spinis puncti sunt Ægyptij*, inuidiæ nimirum stimulis cruciabantur dum Hebræos viderent prosperari; sic igitur loquitur Oleaster hîc: *Potest locus iste sic reddi, & spinis puncti sunt, scilicet Ægyptij, à facie filiorum Israel*: addit ad explicatum; idest, tantu eos odio prosequebantur, vt cùm eos viderent, quasi aculeis pungebantur, tantus eos liuor corripiebat, & odium; bene de inuidia sensit etiam Socrates, cùm eam *animi serram* vocauit.

Conscientia vngulis inuidus discerpitur. S. Aug.

Excogitatæ fuere in Christi Martyres vngulæ, quibus eorum corpora cruciarentur; vngulas in se ipso habet, cui inuidiæ domicilium est; hinc illud sancti Augustini serm. 83. de tempore: *Quid infelici viro præstat inuidia quem in secreto conscientia quibusdam vngulis liuor ipse discerpit.*

Hoc bonum inuidia habet, quòd inuidos torquet, & absumit; hinc illud in Epigram. Græcis,

Inuidos inuidia torquet. Græc.

ὁ φθόνος ἐςὶ κάκιςον, ἔχει δ᾽ ἔτι καλὸν ἐν
αὐτῷ, τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα
καὶ κραδίην. hoc est, *Inuidia est pessimum quid, sed habet quoddam pulchrum in se, consumit enim inuidentium oculos, & cor.*

Inuidi facinus in alium sæuienti non facilè Deus patitur deleri.

Inuidi in nocentem sæuientis facinus non facilè Deus patitur deleri, prostare vult, vt iniusta molitum iugiter accuset; hinc iaciens Saul lanceam in Dauidem, ferire Deus parietem voluit, vt ictus eius audaciam indicaret, adeò vt negare quod tentauerat non potuerit, prodituris pariet, quod ipse tacuisset. Egregiè rem versat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 15. dum ait: *Hastam iacit in Dauidem; ictum verò pariet excipit, omnibúsque facinus indicat. non enim omnia vident oculus hic curam remisit, neque iactum telum diuinam prouidentiam præuertit. Ita Dauid periculo exemptus est, & lapis funesta manus momentum teli sustinuit, impressionem, atque audacis facti accusator in natura sensus experte cædis tulit symbola.* S. Basil.Sel.

607. *Inuidi cruciatus quàm magnus.* S. Antioch.

Inuidia quàm noxia ei sit, qui ea corripitur, nouit ipse dum illa mordetur. Inuidi cruciatum ita nobis describit sanctus Antiochus homil. 55. *Plane inuidia vehemens, atque atrox malum, ac modis omnibus crudele est, qui enim cuipiam inuidet, animi angore discruciatur, contabescit, miserè eliquatur totus, inuidia enim quasi vermis in ligno, & in vestimento tinea; ita cor denique, & faciem eius conficit, ac macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit.*

Inuidus prius inuidia ictu sentit. Franco Abb.

Verè prius inuidus, inuidiæ ictum sentit, quàm alium perimat, prius inuidiæ sæuitiem ipse experitur, quàm suam exerceat in alios. Franco Abbas de Gratia Dei tom. 2. *Abelis hostiam Caini frater fraternæ charitatis exors, vt acceptam vidit, & inuidit, & stimulante inuidia malitia suæ mucrone priùs ipse confossus innoxium occidit, cui non aliud crimen fuit, nisi quia innocens fuit.*

Inuidi tormenta aliorũ gloria.

Illius tortor, carnifexque inuidia est, cuius mentem corripit illius bona, qui patet inuidiæ, inuidiæ obiicitur, inuidi tormenta sunt, vt eos, qui in Stephanum sæuiebãt, torqueret Deus, Stephani faciem splendere fecit tanquam Angeli; sic enim habetur Act. 6. *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli*, non ob meritum, sed ad pœnam hæc visio fuit; quod expendebat suis verbis Eusebius Gallicanus hom. de sancto Stephano: *Quamquam non fuit hoc illis gratia meriti, sed pœna peccati. nam dum morientis proditur gloria, persequentis torquetur inuidia: vide inuidia acerbitatem, pœna nulla aptior torquendis inuidis inuidia.* Act. 6. Euseb.Gall.

Inuidi magis propitiũ Deũ iis reddunt quibus inuident. S. Chrys.

Denique hoc inuidi consequuntur, vt bona iis offerant, quos inuidia prosequuntur, acuántque contra se Dei iram, propitium Deum reddant ei, cui inuident: id quod notabat sanctus Chrysostomus hom. 42. in Matthæum; *Quanto*, inquit, *maiore inuidia laboras, tanto maiora illi offers bona cui inuides; Deus enim, qui omnia perspicit, cùm viderit innocentem iniuria circumuentum, extollit multo magis, clarúmque illum facit, inuidentem autem deprimit.* Deprimi qui non vult, inuidia corripi se non sinat.

EXCVRSVS XCII.

Quàm noxium inuidiæ virus, quàm lethale inuidiæ venenum.

Inuidia sæculorum venenum.
Inuidia virus *veritatem supprimit.*
Inuidus prior inuidia venenum *sentit.*
Inuidus alienorum bonorum bono odore occiditur.
Inuidia tyrannidem *in eos exercet, quos corripit.*
Inuidia pessima fera.
Pestifera bestia *inuidia mordet quos afficit.*
Virulenta inuidia fera,
Inuidum inuidia lacerat.
Inuidia viperæ, *&* basilisco *par.*
Inuidia petitus vrgeri ad magna *debet.*

608. *Inuidia sæculorum venenum.* S.Petr.Chry.

Virus inuidiam dixi, dixi venenum, non falsus fui. nam verè est omni alio nocentius, noxius omni alio; hoc titulo plures ex Patribus inuidiam donauerunt; sanctus Petrus Chrysulogus serm. 3. *Inuidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus sæculorum venenum, & causa funeris*; & serm. 48. *Inuidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum, hanc qui non viderit, mala nescit.* Eusebius Gallicanus hom. 8. ad Monachos, *suam animam inuidus liuoris veneno adspergit*; Ioannes Satisbariensis lib. 7. de nugis consil. cap. 24. *Planè nihil est quod magis charitatem impugnet, quàm venenum inuidia*; vbi mentes hoc venenum infecerit, nihil non iniquum timeri debet. Iudæi antequam Christi gloriam viderent, sacræ Scripturæ testimonia, quæ de eo erant, in medio protulerunt, liberè inclamarũt, *in Bethleem Iuda* nasciturum, Matth. 2. inuidia verò tacti eum postea Euseb.Gall. Ioan. Sarisb.

Inuidia virus veritatem supprimit.

S.Chrysost. postea præsentem negauerunt, quod expendebat sanctus Chrysostomus hom.7. in Matthæum. *Qui*, inquit, *priusquam Christum viderent, ac veneno inficerentur inuidia, simpliciter de illo testimonia prædicta recitabant, vbi verò aspexerunt gloriam eius de miraculis coruscantem liuore corrupti, supprimunt veritatem, vt hinc appareat inuidos prius inuidiæ venenum sentire, quàm illos quibus inuident*; quod idem sanctus Pater firmat hom. 15. in cap.1. Ioannis: *Graue vitium inuidia est dilectissimi, graue, inquam, & exitiosum, non his quibus inuidetur, sed ipsis inuidentibus. Primum enim eos offendit, consumitque tanquam mortiferum quoddam virus eorum animum occupans.*

Inuidus prior inuidiæ venenũ sentit. Idem.

Inuidus aliorum bonorũ bono odore occiditur. Plut.

Videt inuidus aliorum gloriam, torquetur statim, venenum inuido est, quòd gratus odor non inuido esset; bruta quædam feruntur vnguentorum odore in rabiem agi. Plutarchus in comment de præcept. connubial. *Felem*, inquit, *vnguentorum odore exagitari, & in rabiem ferunt agi.* Inuidi imaginem hîc habemus; ipse quoque bono bonorum odore cruciatur, torquetur, occiditur.

S.Aug. Flectendum huc, quod habet sanctus Augustinus in Psal.44. *Post odorem*, inquit, *vnguentorum tuorum curremus, illi autem alij, quanto magis eum videbant in gloria prædicationis Euangelij, & in vita inculpabili, tantò magis inuidia torquebantur, & occidebantur bono odore*, quo scilicet alij recreabantur. Verè non est bonus, qui bono honorum odore non reficitur.

609. Non se intra inuidi pectus inuidiæ cohibet venenum, alios etiam petit, alios inuadit; inuidiæ virus, quid possit, sensit Ioseph cùm fratrum suorum inuidiæ patuit, fraterni liuoris sæuitiem sensit, eò quippe inuidia fratres adegerat, vt non posset quicquam fratri pacificè loqui, vt habetur Gen.36. quod expendens sanctus Chrysostomus hom.61. in Gen. ait: *Quid est, nihil potuerunt loqui ei pacificè? quia affectio dominabatur eis, & inuidia quotidie versabat, quasi captiui facti, & tyrannidem huius mali ferentes in dolo loquebantur, & nihil pacificè loqui poterant.*

Inuidia tyrannidem in eos exercet, quos corripit. S.Chrysost.

Inuidia pessima fera. Vgo Car.

Filiorum inuidiam innuere visus est Iacob, cùm à fera pessima deuoratum Iosephum dixit Genes. 37. nam, vt ait Vgo Carensis in cap.23. Prou. *Inuidia est illa pessima fera, de qua dicit Iacob Gen.37. Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph.* Fera dicitur etiam à sancto Chrysostomo hom.54. in Ioan. *Fera*, inquit, *venenosa inuidia est fera immunda, & morbus voluntatis omni venia, & excusatione indigna, omnium malorum & mater, & author; quamobrem eam radicitus euellamus*, non mirum si *mordere* inuidiam dixit Sidonius lib.1. epist.1. *Si genuinum molarem inuidia non fixerit*, tanquam pestiferam bestiam occidendam monnit sanctus Chrysostomus hom.42. in Matth. *Interimamus*, inquit, *pestiferam hanc bestiam, ac multa eius capita detruncemus.*

S.Chrysost.

Pestifera bestia inuidia mordet quos afficit. Sidon. S.Chrysost.

610. Virulenta fera inuidia est, quæ non in eos tantùm sæuit, quos petit, sed quos possidet. Viperæ eam pariauit sanctus Augustinus, quam perhibent scisso materno vtero in lucem prodire; sic ille scribit serm.83. de Temp. *Sicut aiunt: Viperas dilaceratо, & dirupto illo ipso materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci, ita & inuidia natura illam ipsam animam, à qua concepta est, consumit, & perdit*; lacerantem, ac proscindentem inuidi mentem inuidiam vidit etiam sanctus Ambrosius de fuga sæculi cap.4. & monet fugiendam: *Fuge*, inquit, *inuidiam, quæ non solùm alienos, verùm multò magis eum, quem possederit, lacerare consueuit.* Vipereæ naturæ inuidum animum esse censet etiam sanctus Chrysostomus hom.7. in epist. ad Romanos, dum de inuidia cor-

Virulenta inuidia fera. S.Aug.

Inuidum inuidia lacerat. S.Ambr.

Inuidia vipera, & basiliscо par. S.Chrysost.

repto loquens ait: *Cuinam huiusmodi animum contuleris? cui viperæ, cui serpenti, cui lumbrico, cui canthаro?* Basilisco inuidiam pariat sanctus Bernardus, quem ferunt in oculis ferre venenum; sic ille sentit serm.13. in Psal. Qui habitat: *Basiliscus (vt aiunt) venenum in oculo gerit, pessimum animal, & præ omnibus execrabile. Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? inuidiam cogitato. Quid verò inuidere, nisi malum videre est?* S.Bern.

Paruit, & Iosephi virtus basilisci huius virulentiæ, feræ huius sæuitiei, sed patuit tantùm; fortior fuit, quàm vt deiici potuerit, & maior, quo maiori petitus inuidia fuit, ad Ægypti quippe regnum fratrum eum inuidia extulit, qui virtutis regnum non tenebat, fortis inuidorum liuore excitatur, ad magna, ad grandia prouocatur. Petri Blesensis hæc ad hanc mentem sunt verba epist. 80. *Virum fortem excitat, ad virtutis exercitium alieni liuoris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit inuidia detractorum. Iacob, qui in baculo suo Iordanem transierat, non rediisset cum duabus turmis, nisi eum inuidia Esau agitasset. Ioseph non imperasset Ægypto, nisi ipsum fratrum inuidia vendidisset.* Imitemur Iosephum, inuidia petiti ad cœli regnum vrgeamus.

EXCVRSVS XCIII.

Abelis, & Caini munera, & sacrificia inter se conferuntur.

Displicuère Deo Caini munera, *quia auaritiam sapiebant.*

Selectiora *Deo offerenda Abelis exemplo, non deteriora, vt Cain.*

Parua *Deo non offerenda cùm magna possumus.*

Negligentiæ *notatus Cain.*

Tarditas *in Dei cultu damnata.*

Offerentis improbitas *improbata.*

Pœnitentia *cæteris donis gratius.*

Offerentis animum *magis Deus spectat, quàm* oblatum *munus.*

Hilaritas, *&* alacritas *in Dei obsequio desideranda.*

Gratum Deo munus non est, quum quis sua *obtulit, non* se ipsum.

Nostrùm est Abelem *imitari*, *à* Caini *moribus abire.*

Non erit ab re, neque extra legentis vtilitatem, si de Abelis, Cainíque muneribus, ac oblationibus disseramus, proba nobis monita hinc decerpentes, quæ veram in donis offerendis pietatem offerentibus inhalent. 611.

Placuere Deo Abelis munera, quòd naturaliter nata, Caini verò auaritiam quandam sapiebant; id quod in hunc modum explicabat Freculpus Episcopus tom.1. Chron. lib.1. cap.6. *De frugibus*, inquit, *terræ munera Cain obtulit, Abel autem de primogenitis agnorum, & lac. Deus enim hoc potiùs sacrificio delectatus est, quod spontaneè, & naturaliter ortum fuerat, & non in illo, quod ex inuentione hominis auari natum videbatur*, qui sapit dum Deo litat, ab eo aberit quod auaritiam sapit.

Displicuere Deo Caini munera, quia auaritiam sapiebant. Freculp.

Displicuere præterea Deo Caini sacrificia, placuere Abelis, quia ab isto selectiora oblata, ab illo deteriora; hinc illud sancti Chrysostomi hom.72. in Ioannem: *Nam etiam Cain melius fuisset*,

Selectiora Deo offerẽda Abelis exẽplo, non deteriora vt Cain. S.Chrysost.

fuisset; nihil omninò obtulisset, quàm deteriora offerendo Deum prouocare. quòd si verò deteriora offerens, Deum prouocet, qui aliena offert, quo pacto Deum non prouocat? Ego tibi dixi, inquit, *Noli rapere, & tu & rapina me honoras?* Eòdem spectabat sanctus Cyrillus Alexandrinus lib.2. in Genesim : *Obtulit*, inquit, *Abel, quæ elegantiora præstantioraque haberentur, modúmque sacrificandi haud ignarus adipes quoque apponebat. At Cain non eo modo, sed contrà magna cum negligentia offerebat. Quæ enim ex tempestiuis frugibus excellentiores essent, suis deliciis reseruabat; quæ verò deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubescebat.* Et sanctus Petrus Chrysologus serm. 109. *Probat hoc Cain, qui cum Deo parua à quo totum perceperat, ingratus Pontifex sic diuisit, vt quod erat pessimum, hoc adoleret Altari, quod erat optimum, in suam seruaret offensam. Denique cùm sua suo malè partitur cum auctore, se suosque posteros, & à vita, & ab humano genere perdiuisit.* ex quibus verbis habes non peiora tantùm oblata à Caino, sed & parua exiguaque, nec benefactoris liberalitate gratitudine respon-

S.Cyrill.

S.Pet.Chrys. *Parua Deo non offerenda cum magna possumus.*

612. disse sanctus Ambrosius lib.1. de vocatione Gentium cap.4. in Caini munere negligentiam notat iniustámque partitionem, quia electiora sibi seruauisset: *Opus*, inquit, *bonum negligenter egisti, recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio; non dignè inter me, & te diuisisti, quia electiora tibi seruasti;* nam non rectè diuidit ex sancti Augustini mente lib.15. de ciuit. Dei, c.7. *cùm electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea quæ offert Deo.*

Negligentia notatus Cain. S.Ambr.

S.Aug.

Tarditas in Dei cultu damnata.

Notam aliam in Caini sacrificio notabant Doctores, nempe tarditatem, quia primitias sibi reseruauit, sequentia Deo obtulit; ita Philo lib. de sacrificio Abelis, & Caini, *Et factum est post aliquot dies, obtulit Cain de fructu terræ donum Domino. Duplex se ipsum amantis crimen. Vnum quòd post aliquot dies, non continuò gratias egit Deo; alterum, quòd de fructu obtulit, non de primo fructu, quas vocamus primitias deriuatiuo nomine vtriusque rei causam scrutemur, prius eam, quæ præcedit ordine, oportet eos, qui boni aliquid faciunt prouolare ante alios, & incunctanter amoliri impedimenta omnia.* Philonis vestigiis insistit sanctus Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio c.22. *An ignoras*, inquit, *quòd Cain propterea displicuerit sacrificium, quoniã non primitiua obtulit, sed primitiuis ipse perfunctus est, de sequentibus munus Deo tentauit offrrè. Abel autem primitiarum suarum oblatione prædatus meruit insigni pietatis laudari oraculo?* Contrà verò de Abel scribit lib.5. epist.22. *Ideo Abel placuit, quia non est munus suum moratus, qui de primitiuis obuium obtulit;* idem habet sanctus Pater in Psal.35. *Iustus Abel, qui de ouibus suis, quas ei Dominus dederat, primitias Domino putauerit offerendas, & ideo plus placuit Deo, quia moram non fecit, deuotionem probauit.*

S.Ambr.

Idem.

Idem.

Offerentis improbitas improbata. S.Isid. Pelus.

Aliò flexit sanctus Isidorus Pelusiota, putátque in Caini sacrificio offerentis improbitatem displicuisse, hæc eius verba lib.1. epist.230. *Quandoquidem à me quæsisti, vt responsum meum literarum sacrarum testimonio confirmarem, illud scito, quòd Cain, & dona obtulit, & eorum, quæ enata fuerant primitias. Verùm Deus animi ipsius improbitatem perspiciens, ad eum oculos minimè coniecit: nec ipsius munera suscepit, quamuis etiam alioqui ex voluntate, atque animi instituto oblata.*

Pœnitentia cæteris donis gratius. S.Basil.Sel.

Gratius, præ quouis dono Deo fuisset, si pœnitentia Deo litauisset Cain qui peccauerat; vnde est illud sancti Basilij Seleuciæ Episcopi orat.4. *Si dolorem pœnitentia Cain pretium superasset antecedens sacrificium; doni namque loco retractationem consilij Deus admittit.*

Animum offerentis Deus potius respicit, quàm munus oblatum, & ab hac causa plurimam hostiam obtulisse dictus est Abel. Paulus ad Hebræos cap.11. ita loquitur : *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit.* Quæ verba sic explicat Primasius hîc : *Plurimam quippe, id est, maiorem hostiam Abel obtulit Deo, quam Cain, non quòd illa hostia rebus carnalibus maior extitisset, sed quidquid melius habuit Abel, per fidem Deo beneuolo animo obtulit, & exinde ei sua multiplicata fuerunt.* 613.

Offerentis Deus potius spectat, quàm oblatum munus. Hebr.11. Primas.

Hilaritatem, alacritatémque in offerente Caino desideratam censuit sanctus Bernardus ser.71. in Cant. ait quippe, *Hilarem datorem diligit Deus; nunquid & tristem? Profectò qui respexit ad Abel ob alacritatis candorem, auertit faciem à Cain, quia considerat facies eius, vtique à tristitia, & liuore. Aduerte qualis calor tristitiæ, seu inuidia sit, qui Dei à se auertit aspectum.*

Hilaritas, & alacritas in Dei obsequio desiderata. S.Bern.

Denique gratum munus esse non potuit, quia Deo sua obtulit, non se ipsum. Deo sua litauerit Cain, non litauit se; se ipsum sibi retinuit, quod non fecit Abel; huc euasit Beatus Rupertus lib.4. comment. in Gen. cap.12. *Vterque*, inquit, *cui debuit obtulit, & proinde vterque rectè obtulit, sed non rectè vterque diuisit. Nam ille Cain, scilicet cùm Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit.* Præiuerat in hac re sanctus Augustinus, cuius hęc est mens, hæc verba lib.15. de ciuitate Dei, cap.7. *Datur intelligi propterea Deum non respexisse in munera eius, quia hoc ipso malè diuidebat dans Deo aliquid suum, sibi autem se ipsum; quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed peruerso inde viuentes, offerunt tamen Deo munus.*

Gratum Deo munus non est, quum quis sua obtulit, non se ipsum. B.Rup.

S. Aug.

Nostrûm est Abelem imitari, vt idem sentiamus, capiamus, idem, quod de Felice loquens, cupiebat Venantius Fortunatus lib. 3. carm. 25. aiebat:

Venant.

Quæ data Christe tibi felicis munera sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.

Nostrûm est à Caini mente, & moribus abire, ne alicui occinatur illud, quod in impium quendam inuehens, protulit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. *Caini exemplo creatori honorem affert sine honore, & munus sine muneris merito.*

Nostrû Abelem imitari, à Caini moribus abire.

ADAGIVM DCCXXIX.

Quod non videt oculus, cor non dolet.

PRouerbium vulgò iactatum fuisse indicat sanctus Bernardus serm. in festo omnium Sanctorum, his verbis : *Vulgò dicitur,* QVOD NON VIDET OCVLVS, COR NON DOLET. Mirum, quàm externarum rerum obiecta, quæ oculis obiiciuntur, cor vel in hanc, vel in illam partem moueatur. 614.

ADAGIVM DCCXXX.

Os plumbeum.

OS *aureum* Chrysostomus sonat, quod nomen ab aureo eloquentiæ flumine indeptus est, aurea effudit verba vtilia, & ab omni plumbi vilitate aliena. *Os plumbeum* prouerbialiter dicetur

dicetur habere, qui nihil subtile loquitur, nihil acutum, totum remissum, & hebes, & sua vilitate contemptibile; hinc illud Gilleberti serm. 18. in Cantica: PLVMBEVM OS *est, quod nihil subtile loquitur, nihil acutum, nihil de supernis, sed totum remissum est, totum hebes, totum de imis fortasse, & de iniquis; nam iniquitas sedet in talento plumbi.*

ADAGIVM DCCXXXI.

Remigationem ad puppim conuertere.

SAnctus Gregorius Nazianzenus orat. 30. quæ est in laudem Basilij, ita loquitur: *Repentè mutabo consilij* REMIGATIONEM AD PVPPIM CONVERTI, *ab illius partibus stans, dubiámque victoriam reddidi*; in quibus verbis prouerbialem formulam notauit etiam Scholiastes, dum ait: REMIGATIONEM AD PVPPIM CONVERTI: *prouerbium de iis, qui cursum reflectunt; metaphora ducta à remigibus, qui proram in remigando pulsantes puppim rursus pulsant, cùm nauim conuertunt; hoc adagium iis quadrat, qui consilium in diuersum mutant, vel partes, quas prius tuebantur, deserunt, atque in contrarium nituntur*; prouerbium igitur habes, & prouerbij vsum.

ADAGIVM DCCXXXII.

Iudicatio longi subsellij.

615. PRouerbium de re graui, & quæ non nisi à maximo iudicum consessu cognosci præ suo pondere debeat; sicut è conuerso subsellij non longi dicetur, quæ leuis sit, nec multa discussione indigeat. Sanctus Ambrosius epist. 41. quæ est ad Sabinum, *Non erit* LONGI SVBSELLII *ista* IVDICATIO, *& mora*; prouerbium autem in hisce huius Patris verbis & Scholiastes notabat.

ADAGIVM DCCXXXIII.

Hyeme frigidior.

HOmo stupidus, tardus, & insulsus, nullo prudentiæ, industriæque calore præditus, prouerbialiter hyeme frigidior dicetur; hoc titulo insignitur Marcion à Tertulliano lib. 1. contra ipsum cap. 1. *Marcion*, inquit, *nubilo obscurior*, HYEME FRIGIDIOR, *gelu fragilior*; quo donari similes poterunt, & vniuersè illis aptari, qui nullo sedulitatis calore in sua feruoturi grandi torpore in rebus omnibus corripiuntur.

ADAGIVM DCCXXXIV.

Qui seruum suum seruat, aurum suum custodit.

REtum custodiam à seruorum sedulitate plurimum dependere experientia ipsa loquitur; hinc in prouerbium abire præfixa sententia potuit, & verè abiisse auctor Oleaster est, qui in cap. 32. Exodi ait, *Prouerbium commune est apud nos:* QVI SERVVM SVVM SERVAT, AVRVM SVVM CVSTODIT, *& qui seruum prodigit, pecuniam*; tantum refert, quos, quis seruos habeat, & qualem se habeat in seruos.

ADAGIVM DCCXXXV.

Carbones ipsi molestiam nobis inferunt, etiamsi flammam ipsam effugerimus.

PRouerbiali hac vtemur formula, quoties 616.
vitato maiori discrimine, minus quoque nobis infestum est; prouerbiali loquutione intectus sanctus Gregorius Nazianzenus, ita loquebatur: CARBONES IPSI MOLESTIAM NOBIS INFERVNT, ETIAMSI FLAMMAM IPSAM EFFVGERIMVS.

ADAGIVM DCCXXXVI.

Fracta naui de mercibus disputare.

CVm de re aliqua frustrà, & casso labore disputatio instituitur, quæ iam periit, ampliùs aut non est, aut in nostra potestate non est, vt verba, quæ de illa afferuntur, in aërem ferantur, nihil profutura vtemur hoc prouerbio; hoc ferè sensu illud extulit sanctus Hieronymus epist. 11. quæ est ad Ageruchiam viduam in Megarenses inuehens: *Verùm*, inquit, *quid ago?* FRACTA NAVI DE MERCIBVS DISPVTO; si perditis diuitiis, de diuitiarum dispositione, aut partitione quis cogitet, locus huic prouerbio erit, erit similiter si similis euentus in re alia acciderit.

ADAGIVM DCCXXXVII.

Solatium miseris est socios habere pœnarum.

VVlgò iactari hoc solet, & quadam prouerbij specie circumferri, cùm significare volumus aliorum consortium, quos socios in calamitatibus habemus, nostras quodammodo minuere, reddereque leuiores; id scitè ad Christum ipsum porrigit Thomas à Kempis, qui seruorum suorum comes in eorum tribulationibus est; sic ille scribit tract. de valle liliorum cap. 16. *Dicitur in prouerbiis à multis*, SOLATIVM EST MISERIS SOCIOS HABERE IN POENIS; *quis est iste socius tam bonus, & pius, quis scit compati miseris, & infirmis? iste est Dominus noster Iesus Christus, pro nobis passus, & crucifixus, qui in Euangelio dicit se medicum, & pastorem esse animarum, & consolatorem tribulatorum, pauperum, & infirmorum.*

ADAG. DCCXXXVIII.

In medio gehennæ expectare salutem.

EST eo loco auxilium opémque expectare, vbi expectatio cassa, nullaque futura sit; spes enim omnis exulat à gehenna. Iacit sanctus Bernardus hoc dictum in eos, qui tempore præsenti abutuntur,

abutuntur, nec agunt pœnitentiã, cùm possint; hæc eius verba serm. 75. in Cant. *Ideo dies salutis, quia in his ipse Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terra. I ergo tu, & in medio gehennae expectato salutem, qua iam facta est in medio terra, quam tibi somnias prouenturam inter ardores sempiternos facultatem veniam promerendi, cùm iam transiit tempus miserendi?* Quod opportunè in eos torquebitur, qui suæ salutis curam in tempus illud reiiciunt, quod omnem spem adimit salutis recipiendæ.

EXCVRSVS XCIV.

Pœnitentia citò ineunda, non in finem vitæ reiicienda.

Pænitentia, quam quis in extremis positus obit, parum fidendum est.
Celeritas in conuersione probatur.
Maximi post Christi aduentum pænitentia citò obeunda.
Ingentium malorum causa peccata peccatis adiicere.
Timeri magis Deus debet, quo magis pius, & patiens.
Homo volucribus similis, vt cælestia euolet.
Et vt citò se à lapsu surripiat.

617. *Pœnitentia quam quis in extremis positus obit parũ fidendum est.*

POEnitentia, quæ in vitæ finem reiicietur, sæpè tanquam non vitalis solet à Deo reiici, ægrè enim obitur, cùm ægritudo mentem torquet, & premit; insanus audire debet, qui pœnitentiam negligit; cùm sanus est, ægrotare pœnitentia solet, quæ in ægritudine initur; infirma pœnitentia ferè est, quam vltima exculpsit infirmitas, timendum ne cum moriente ipsa quoque moriatur, & in nihilum abeat. Cùm iam iam excidendus velut arbor, & à regno deiiciendus esset Nabuchodonosor post expositum somnium adiecit Daniel cap. 4. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*; aurum da indigentibus, quia regnum non potes, eo priuandus, facultates distribue, nam potestatem non potes; quid inde boni Regi non bono? Pergit: *Forsitan ignoscet delictis tuis*; cur non abstulit illud *forsitan?* cur securum non fecit Regem de venia obtinenda? Ne sibi quisquam fideret de ea pœnitentia, quam extremis positus obit; spem Regi pollicetur, non securitatem; quia nempe iam iam trudendus è Regno, & ab hominum consortio erat abiturus, cùm feris futurus bestiis similis. Præclarè id expendit Saluianus lib. 1. ad Ecclesiam Catholicam vbi hæc Danielis verba versans inter alia hæc tandem adiicit plena formidinis: *Propheta ipse, qui Regem ad redemptionem criminum vocat, per hac ipsa, qua dicit debere fieri, non tam ei venia securitatem, quàm viam inquirenda salutis ostendit. Dicens enim ad eum: Peccata tua in misericordiis redime, & forsitan propitiabitur Deus delictis tuis, hoc ipsum quod dicis, forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur, ex quo intelligi potest, quàm difficile iam in supremis positi peccatores qualibet munificentia ad perfectã indulgentiam peruenire possint; quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam: dat consilium de actu, & tamen dubitat de effectu: hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit. quare ita? quia omnes scilicet peccatores debent pro se, vel in supremis cuncta tentare, etsi non possint vlla præsumere. Si enim Regi Propheta ille per solam bonorum operum largitatem, absolutam indulgentiam non promittit, intelligere peccator non acta errorum pœnitentia potest quanta ei, & quàm larga in supremis munificentia opus est, qui vult obtinere à Domino per seram deuotionem, quod non potes vsurpare per legem.*

Dan 4.

Cui rei ad Deum conuersio retardetur, diu miserum esse cupit, qui conuerti ad Deum differt; celeritatem scitè commendat sanctus Prosper lib. epigram. n. 72. dum canit: *Celeritas in conuersione probatur.* S. Prosper.

Conuerti ad mores rectos, & viuere sanctè
In Christo meditans, quod cupit acceleret.
Cedant virtuti vanarum obstacula rerum,
Ne perdat voti tempora lenta fides.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectat cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrûm est vltima nota dies.

Qui lapsus est, citò ad pœnitentiam redeat, currat statim ad lachrymas; vrget Christi passio, vrget Crux, vrget Christus. Cecidit olim Adã, cecidit, & Petrus; gustat ille, quod non licet, loquitur iste, quod non decet, at non eodem modo vtrique subuenitur; nam, vt ait sanctus Maximus hom. 3. de Pœnitentia Petri: *Citius Apostolo, quàm protoplasto subuenitur, hunc etenim Deus, ad vesperum requirit errantem illum Dominus pullorum cantu denegantem:* vbi Christus aduenit, & passus est, vigil ad pœnitentiam currere debet, qui peccauit. 618. *Maximè post Christi aduentum pænitentia citò obeunda.* S. Max.

Ingentia timere mala debet, qui peccata peccatis adiicit, scelera inædificat sceleribus, nec de pœnitentia cogitat; hinc constabit cur Adam peccans maledictione diuina in se ipso non sit percussus, percussa terra fuerit, Cain verò fratricidij reus maledicitur, quia nempe peccato originis, quod ex parentibus contraxerat, peccatum addiderit homicidij, vt idcirco maiori fuerit pœna puniendus. Alcuinus in Genesim istuc tetigit, ait enim: *Non timuit originali peccato fratris homicidij superaddere scelus, ideo maiori maledictione dignus habetur.* Quod magis contra eos vrgendum, qui actualibus sceleribus se onerant, nec de pœnitentia cogitant. *Ingentium malorũ causa peccata peccatis adiicere.* B. Alcuinus.

Indulgentior Deus est, timeri magis debet, timorem Dei benignitas ingenerare nobis debet, non contemptum Præclarè in hac re sanctus Paulinus epist. 13. *Deum*, inquit, *magis diligas, & timeas, quo melior est, & indulgentior, magnam tibi talis formido mercedem pariet, vt hinc solicitior sis, vnde potes esse securior, id est, tanto magis Deum metuas offendere; quanto promptiùs dignatur ignoscere*; & his illustrari ea verba possunt, quæ habet Ioannes Apoc. 15. 4. *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es*; ac si Dei pietas mater timoris sit. *Timeri magis Deus debet, quo magis pius, & patiens.* S. Paulinus. Apoc. 15. 4.

Duos habent aues pedes, quatuor feræ, belluæque; bini igitur homini pedes dati sunt, vt vel hoc numero moneretur ex volatilibus esse debere, non ex serpentibus, vt nimirum in cœlestia euolet, terrenis minimè hæreat, id quod expendebat etiam sanctus Ambrosius lib. 6. exaëm. cap. 9. dum ait: *Rectè non plures, sed duo sunt homini pedes, quaterni enim pedes feris, ac belluis sunt, bini auibus, & ideo vnus quasi de volatilibus homo, qui alta visu petat, & quodam remigio volitet sublimium cogitationum, & ideo de eo dictum est, renouabitur sicut aquila iuuentus tua, eo quòd propior sit cœlestibus, & sublimior aquilis, qui possit dicere, Nostra conuersatio est in cœlis*; volucribus præterea est similis, vt statim vbi lapsus fuerit, à lapsu se surripiat, *Homo volucribus similis, vt cælestia euolet.* S. Ambr. *Et vt citò se à lapsu surripiat.*

à

à peccato, peccatique occasione celer auolet.

ADAGIVM DCCXXXIX.

Salsam aquam dulci admiscere.

619. QVi operi bono, & laude digno, malum adiungit, quo illius pulchritudo denudatur, probitasque inficiatur, is percelli hac prouerbiali nota poterit, vt dicatur salsam aquam dulci admiscete, hoc sensu extulit S. Gregorius Nazianzenus orat. 30. quæ est in laudem Basilij, vbi de Valente loquens, qui in filij infirmitate sanctum Basilium aduocauerat, & deinde fidem hæreticis adhiberat, ita scribit: *Cùm malo medicinam nullam inueniret, ad Basilij fidem confugit, ille verò nihil cunctatus confestim afficit, atque ad eius aduentum protinus remittit, morbus, paterque meliorem spem animo fouere cœpit; quod nisi* SALSAM AQVAM DVLCI ADMISCVISSET, *simul videlicet, & ipsum aduocans, & hæreticis fidem habens, sanum quoque, & incolumem filium fortasse recepisset; atque id pro certo, & indubitato habebant, qui tunc aderant, calamitatisque participes erant.* Prouerbium autem istuc esse monuit & Scholiastes ad oram libri; voiuersè aquam salsam dulci miscet, qui ex vna parte Christi se seruum profitetur, ex alia mundi mancipium est; si aliqua in eo spectes, Christianam pietarem redoleot, si alia, seculum suum capiunt.

ADAGIVM DCCXL.

Instar cicadæ pasci.

QVi inanium cupiditatum aura pascuntur, homines nullius virtutis, ac disciplinæ, cicadis comparari prouerbiali quadam saliua poterunt; huc flectendum illud, quod habet sanctus Ambrosius epist. 6. quæ est ad Irenæum, sic enim de hac re philosophatur: *Vita hominis exilior est, quam sermo fabularum, sicut mercenarius diurnam mercedem quærere, atque* (*vt* CICADAS *aiunt*) AVRA *quadam* PASCI *cupiditatem? Verè sicut cicadas, quia de die in diem viuunt, questuque rumpuntur suo. Quid aliud sunt homines nullius ponderis, nullius disciplinæ, nisi vt videantur, sicut cicadæ ad mortem nati diurnam, strepentes magis, quàm loquentes? qui sub ardore feruentium cupiditatum se mulceant, cantu sibi noxio, statimque occidant nullum fructum ferentes nihil habentes gratiæ.* Quod extendi etiam potest ad honorum appetentes.

ADAGIVM DCCXLI.

Sine oleo conari lampades accendere.

620. INiuersè de inutili, cassoque labore dicetur, & cùm quis aliquid molitur, eo destitutus, cuius vsus necessarius ei est, quod perficit, aut saltem valde ad illius perfectionem conducit. Beatus Thomas à Villanoua ad illos transfert, qui doctrina lucere quærunt, nec pietatis oleum quærunt; sic ille scribit conc. de sancta Dorothea: *Grandis fatuitas existimantium diu* LVCERE SE POSSE SINE OLEO, *verè profunda mysteria solùm penetrat vnctus. Spiritus enim est, qui reuelat mysteria, & scrutatur secreta Dei. nam & Apostoli postquam hoc oleo peruncti sunt, lampadibus suis Orbem vniuersum illustrauerunt. Quid frustrà miseri* SINE OLEO LAMPADES CONAMVR ACCENDERE? *die, noctúque sapientiæ vacamus, literis & libris indefessè incumbimus, & de pietatis oleo vltima cura est?*

ADAGIVM DCCXLII.

Alter Cham.

ITa audiet, qui maiorum suorum famæ non consulit, quin eorum labes in vulgus spargit, illisque infamiæ notam inurit? huc illud facit, quod habet Vincentius Lirinensis lib. aduersùs prophanas vanitates: *Quæ, inquit, silentio operire oportebat rediuiua opinione diffamant, sequentes omnino* VESTIGIA *auctoris sui* CHAM, *qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiauit.* Plures in omni æuo imitatores habet Cham; Sem, & Iapheth pauci imitantur, vt iusta fuerit illa probi auctoris conquestio: *Nostris sæculis multus vbique* CHAMI *oculus*, CHAMI *linguæ prorsus innumeræ: at pallium Sem, & Iapheth, vix apparet, scilicet, eue, carieque absumptum verè periit.*

Tegenda aliorum peccata sunt, non reuelanda, sepelienda sunt, non in lucem apertam proferenda. mortuos statim terræ commendamus, ac sepelimus, idem in peccatoribus fiat, alti silentij sepulchro condantur, qui peccarunt, quod non minus pium, & laudabile, quàm quod Tobias egit dum hic ageret, à mensa surgens, vt eos, qui obierant, traderet sepulturæ, Tob. 1. Nequeo hic supprimere, quæ in hanc rem opportunè offert sanctus Bacchiarius in epist. de recipiendis lapsis, ait autem de peccatore loquens: *Plangatur defunctus, sepeliatur mortuus: id est, partim nostro labore, partim verecundia sua confusione peccatum eius celetur, & auferatur à medio, nos autem consolationis linteamina, & cœlestis spei pigmenta tribuamus, ipse autem intra sepulchrum secreti sui confusus peccati pudore contineat se: ibi conscientiæ suæ verme laceretur, qui totius in eo putredines colligat peccatorum, donec nullum ex se fœtorem famæ turpis emittat. Nónne sic Beatus Tobias veniam misericordia cœlestis emeruit, mortuis in captiuitate fratribus tribuens sepulturam?*

ADAGIVM DCCXLIII.

Omnibus calculis superior.

FOrensis phrasis, quæ in Adagiorum sensum facilè referri possit, cùm talem quis in re aliqua victoriam consequitur, quæ omnium approbatione stabiliator; sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 33. quæ est in laudem Neronis, ita loquitur: *Nostram, vt sine controuersia meliorem*, OMNIBVSQVE, *vt dicitur*, CALCVLIS SVPERIOREM, *statim amplectitur, nequaquam passus mentem suam ad deteriora transuersam agi*; loquitur de Philosophia, doctrináque Christiana, quæ omnium melior, imò & sola bona omnium calculis habenda; vt non personis tantùm adagium applicetur, sed & rebus. 621.

ADAGIVM

ADAGIVM DCCXLIV.

Cathedra Sacerdotem non facit.

VErus Sacerdotis character, vera nota, & consignatio vitæ sanctitas est, & mores puri; Cathedra, & nudus gradus nimis extima sunt; hinc illud in Canonicis decretis distinctione quadragesima c.12. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; multi nomine, & pauci opere; videte ergo quomodo sedetis super Cathedram; quia* NON CATHEDRA FACIT SACERDOTEM, *sed Sacerdos Cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos, qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè sederit, iniuriam facit Cathedra; ideóque malus Sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. ad quæ verba glossa, Reprehenduntur hîc quidam, qui erant Presbyteri, vel Sacerdotes nomine tantum, & non re, vel vita; quia propter Cathedram se sanctificatos putabant; sed malè, quia locus non sanctificat hominem, sed homo locum.* Offerret se hîc locus de Sacerdotum sanctitate tractandi, nostrísque Sacerdotibus, sed quia de hac re cumulatè nobis actum est in tertio sacrorum electorum volumine, ab hoc nos labore exactus iam labor eximet.

ADAGIVM DCCXLV.

Lumbis patris habere se putat digitos grossiores.

622. IN eos prouerbium torquebitur, qui se suis maioribus præferunt, & minima sua facta magnis parentum facinoribus anteponunt; ita loquitur sanctus Hieronymus epist.62. aduersùs errores Ioannis Ierosolymitani: *Lectione*, inquit, *& quotidianis exemplis vsque ad hanc ætatem multa didicimus, multa experti sumus. Qui scorpionibus cedit, &* LVMBIS PATRIS HABERE SE PVTAT DIGITOS GROSSIORES, *citò regnum mansueti Dauid dissipat.* Prouerbium in his verbis delitescere adnotauit & Marius Victorinus hîc: desumptum autem est ex illo 2.Paralip.cap.10.v.10. *Respondebis ei, Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei.* quod miror in adagiorum sensum non posuisse Martinum Delrium, qui veteris Testamenti adagia collegit, explicauit, illustrauit.

ADAGIVM DCCXLVI.

Per cœnum ad vrbem ducere, per saxa, & scopulos ad littus contendere.

SEntentiæ adagiales, quibus vtitur S.Gregorius Nazianzenus orat.47. quæ est 1. in Iulianum, vbi ita scribit: *Quæ porrò prudentia* PER COENVM AD VRBEM DVCERE, AVT PER SAXA, AVT SCOPVLOS AD LITTVS CONTENDERE. Nobis succinit Scholiastes, qui hæc verba hac explicatione donans infit: *Prouerbiales loquutiones quæ in eos torqueri possunt, qui per stultissimas, obscœnissimásque fabulas ad allegoricos quosdam sensus ducunt.* Nihil oberit, & ad alia rem traduci, cùm scilicet, aut per impura, & per periculosa aliquo cum discrimine tenditur.

ADAGIVM DCCXLVII.

Nouus Mida.

DE auri supra modum appetente nota fabula 623.
est, quæ de Midæ cupiditate circumfertur; hinc Nicephorus Constantinop. in Breuiar. historiæ huc spectans aiebat: φιλόχρυσος δὲ ὢν ὁ μισόχρυσος νέος Μίδας Κωνσταντῖνος ἀνεδείκνυτο. id est, *sed cùm auri mirum in modum in Constantino cupiditas flagraret*, NOVVM *se* MIDAM *exhibuit.* Huc facit & illa formula apud Clementem Alexandrinum 3. Pædag.cap.2. *Nec si Midas euaserit satiari potest*, nec illius desiderium Pactolus extinguere, *cuius sunt fluenta aurea.*

ADAGIVM DCCXLVIII.

Darij opes.

Δαρίου πλοῦτος. id est, Darij opes, de immensis diuitiis prouerbialiter effertur. Synes. lib. de Regno, πλούτου σωρεύματα ὑπὲρ τὸν πάλαι Δάρειον. id est, *opum cumuli, maiores, quam Darius ille vetus possederit.* Sanctus Hieronymus epistola 2. Nepotianum laudat, quòd libellum, quem sanctus Pater composuerat, Crœsi, Dariique diuitiis prætulerit, hæc eius verba: *Feci quod voluit, & breui libello amicitias nostras æterna memoria consecraui, quo suscepto Crœsi opes, &* DARII DIVITIAS *se vicisse iactabat, illum oculis, illũ manibus, illum sinu, illum ore tenebat. Cúmque in stratu frequenter euolueret super pectus soporati dulcis pagina decidebat*; & in apologia aduersùs Ruffinum: *Quamuis Crœsos quis spiret, & Darios, literæ marsupium non sequuntur, sudoris comites sunt, & laboris serie ieiuniorum, non saturitatis, continentiæ, non luxuriæ.*

ADAGIVM DCCXLIX.

Cynara ditior.

HAc comparatione ingentes alicuius opes efferantur; scitè Clemens Alexandrinus lib.3. pædag. cap.6. *Quòd si*, inquit, *sit vel Mida, vel* CYNARA DITIOR, *sit autem iniustus, & insolens, & miser est, & in mœrore viuit, neque viuit.* nam Cynaras Cypriorum fuit Rex longè ditissimus, Libanius orat.31. tom.2. auarorum vota describens inter alia ait: *Beatos prædicant non Nestoras, non Arganthonium, non Pelea ob nuptias, non Adonim ob formæ præstantiam, non Herculem ob immortalitatem, sed Galliam, & Gygen, & Cynaram*; & serm. de vita ait, ita idem auctor loquitur. *Talenta curæ habebat; cui rei indolem meam aduersari cognoscebat; equidem ipsum imperare permittebam, & fieri Cynara.*

ADAGIVM DCCL.

Diuitiarum putredo multa.

HÆc sententia sancti Chrysostomi æuo pro- 624.
uerbialiter iactabatur, quod prouerbium ille

ille explicat, & expendit hom.48. in Matthæum: *Diuites cùm suas in se ipsis opes detineant, marcescunt, idcirco trito prouerbio fertur*, MVLTA OIVITSARVM PVTREOO *apud hominem est, nec dicitur magna copia, ingens thesaurus; putredo enim profectò est, non possidentium, sed opum ipsarum.*

ADAGIVM DCCLI.

Asinus etiam auro onustus rudere propterea non desinit.

Voties significabimus opes diuitiásque hominis ingenium mutare, nihilique ea facienda, quæ extimè tantùm hominem exornant, fortunæque otnamenta ptæ virtutum contemnenda, hoc vtemur adagio. Sanctus Gregorius Nazianzenus in carmioe ad Nicobulum ita cecinit:

Quid prodest asinis auri gestare talenta?
Auri namque etiam NVMMIS ONERATVS ASELLVS,
More RVOIT *tamen ipse suo.quid iuueris ensest*
Ex plumbo factos vagina condere pulchra,
Ex quibus vtilitas in bellis nulla redundat?
Talis enim est quisquis verarum,cùm sit inanis
Prorsus,opum,externis tantùm fluxisque superbit.

ADAGIVM DCCLII.

Diuitiis affluere, quibus Crœsi opes nequeant comparari.

De ingentibus diuitiis, & supra modum magnis adagium vsurpabitur. nam & Crœsi opes locum prouerbio fecerunt. Scitè rem versat sanctus Cyrillus Alexandrinus hom.9. de festis Paschalibus, vbi in diuitiarum contemptum, quæ à diuina iustitia possessorem suum non eximunt, ita scribit: *Et quidem collocemus hominem, si placet, in eo splendore vitæ, quo maius nihil, aut melius inueniri queat? iis præterea* OIVITIIS *affluat*, QVIBVS CROESI *quoque opes fama celebrata, atque omnium confessione* MAXIME COMPARARI NON POSSINT; *num aliquod propterea effugium reperiet? aut hac vindicem scelerum à supplicio sumendo nolentem repellent? nihil minus. Nec enim mentietur vllo modo diuina Scriptura, dicens: Nil proderunt thesauri impiis.* Huc facit & illud sancti Isidori Pelusiotæ lib.1.epist.101.vbi in hunc modum loquitur: *Verùm is quidem, qui iuris, & æqui opibus munitus est, veritatis thesaurum possidere iudicatur; qui autem his caret, etiamsi* CROESI THESAVROS *habeat, inops esse censetur.*

Paulò aliter rem versat sanctus Hieronymus epist.6.ad Principiam; vbi ita loquitur: *Erubescit quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia, frustráque eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemosynam, qui* CROESI DIVITIIS TVMET; & epist. 4. *Vidimus nuper, & planximus Crœsi opes, vnius morte deprehensas, vrbisque stipes, quasi in vsus pauperum congregatas stirpi, & posteris derelictas.*

ADAGIVM DCCLIII.

Quantum habebis, tantus eris.

Prouerbium esse, quod produximus, testatur sanctus Augustinus tract.1.de disciplina Christ.vbi ait, *Vnde & illud prouerbium:* QVANTVM HABEBIS, TANTVS ERIS; quod auarorum,& rapacium menti congruum est, non liberalium, & diuitias contemnentium. Præclarè idem sanctus Pater in Psal.51. *Prouerbium*, inquit, *auarorum rapacium innocentes opprimentium, res alienas inuadentium, commendata negantium. Quale hoc prouerbium?* QVANTVM HABEBIS, TANTVS ERIS, *id est, quantum habueris pecuniæ, quantum plus acquisieris, tanto plus poteris.* Paulò aliter extulit Petrus Blesensis ser.37.in Synodis: *Scitis, inquit, quia antiquum, & verum est prouerbium*, QVANTVM HABES, TANTVM VALES. Hæc quæ dedimus prouerbia calamum ad diuitiarum tractationem prouocant; diues diuitiarum argumentum, vt dictare integros libros possit, integra implere volumina; dictum nobis de illis non semel est, & in illas; hîc quoque aliqua de opibus coaceruate in lectoris vtilitatem, profectúmque voluimus, quæ sequentibus excursibus offerentur.

EXCVRSVS XCV.

Diuitiarum spinæ mentem lacerant.

Curæ *diuitiis adnexa.*
Qui diuitias inuenit, requiem *perdit.*
In diuitiis nemo lætetur ob noxias curas *illis adnexas.*
Spinæ *diuitiæ sunt.*
Diuitiarum sterilitas.
Diuitiæ vt spinæ sterilis, *sed mentem pungunt.*
In diuitiarum spinis *satanicus serpens latet.*
Ericium *diuitiæ vt referant.*
Magis lacerant *mentem diuitiæ, quo magis amantur.*
Diuitiarum cupiditas, quàm noxia spina.
Diuitiæ tineis *comparata.*
Diuitiarum amor cordium tinea.

Molles, & lenes dioitiæ videantor, non sunt, pungunt, & lacetant possidentium mentem, cuarum stimulos producunt, quibus diuitum cot crueietur. Paras diuitias? vix, aut ne vix quidem spinas cutarum ab illis separaueris; hine illud in apophthegmatis Hebræorum, quod dixisse Hillel senex fertur: *Qui accumulat opes, accumulat* CVRAS. 625. *Curæ diuitiis annexæ.* Hillel.

Quàm noxia diuitiarum cura, quàm noxius diuitiarum amot sit, scitè explieat sanctus Augustinus serm. 32. ex 40. nouissimè editis, in hæc vetba: *Cùm cogitas de diuitiis augendis, vide si facile dermis. Ni fallor, vti diuitias inuenisti*, REQVIEM PERDIDISTI. *Cùm vigilas, augmentum diuitiarum cogitas: cùm dormis, latrones somnias; in die sollicitus, & noctè pauidus, semper mendicus.* *Qui diuitias inuenit, requiem perdit. S. Aug.*

Quis ergo tam fatuus, qui lætus incedat, cùm diuitias auget, tanquam veræ lætitiæ sint matres, quæ

In diuitiis nemo lætetur obnoxius curis illis adnexis.

S Nilus.

quæ nouercæ sunt, tanquam gaudia parturiant, quæ gaudia inficiunt, quin & auferunt; qui sapit adeò in diuitiis, non lætabitur, vt dolore corripiatur, timore perculsus, ne illis labor impensus impensæ curæ mentem a Deo auocent; scitè sanctus Nilus in Parænesi: *Ne læteris diuitiis, curæ enim, quæ ipsis impenduntur, à Deo separantur plurimum, & præter hominum expectationem.*

Spinæ diuitiæ sunt.

S. Chrysost.

Spinæ verè diuitiæ sunt, quæ amatorum cruentant mentem. Præclarè sanctus Chrysostomus hom.3. in epist.2. ad Thessal. *Spinæ, inquit, sunt reuera diuitiæ, nullum habentes fructum, visu deformes, & ad vsum iniucundæ, eos, qui tangunt, molestia afficientes, non solum ipsæ fructum non ferentes, sed id etiam quod germinat impedientes.* Terrenæ diuitiæ falsæ diuitiæ sunt, & veræ spinæ sunt.

Diuitiarum sterilitas.

Steriles, vt spinæ diuitiæ sunt, hinc & terra, quæ aurum producit, sterilis omnino est, & aliis fructibus producendis prorsus inepta, vt vel hinc pecuniarum, & opum copiam, bonorum operum sterilitatem in eius mentem inuehere colligeremus, qui illis abundat. Quî suæ sterilitati consulere diues possit, hoc exemplo explicat sanctus Cæsarius hom. 24. *Arbor vlmea significat hominem diuitem in hoc mundo, sicut enim arbor illa sublimis est, & amæna, & humida, & tamen fructibus vacua: ita & quicumque diues sæculi huius, quamuis sublimetur honoribus, in multis facultatibus amœnus, & iucundus esse videatur, tamen si ad vitem, id est, ad pauperem Christi eleemosynarum suarum brachia quasi ramos piissimos humiliter non expandit, à fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit: vitis autem significat seruos Dei.*

S.Cæsarius.

Diuitiæ vt spinæ steriles, sed mentem pungunt.

S. Chrysost.

Steriles diuitiæ sunt, fœcundæ malorum sunt curarum, solicitudinum, fraudum; latent in spinis viperæ, latent scorpij, aliique serpentes; nocentiores in diuitiarum latent spinis, quod monuit sanctus Chrysostomus hom.23. in Ioannem, dum ait: *Quemadmodum spinæ steriles sunt, ita diuitiæ. Quemadmodum illæ eos, qui tangunt, lacerant; ita harum cupiditas. Quemadmodum facilè igni comprehenduntur, & odio habentur agricolis; ita huius seculi negotia. postremo, vt inter spinas feræ, viperæ, scorpij, delitescunt, ita in fraudibus diuitiarum.* Latet in his spinis & Dæmonis serpens, in opibus ille se occultat, quæ si obsecentur, expositus fugam arripit. Scitè idem sanctus Pater hom.8. in epist. ad Roman. *Velut serpens spinis occultatur, intra diuitiarum impostu-ram assiduè latitans, qui si spinas incideris, facilè aufugiet timidus redditus, si & in illum diuinas incantationes cauere noueris, statim vulnerabitur.*

In diuitiarũ spinis satanicus serpens latet.

S. Chrysost.

626. Alioquin vulnerat, qui diuitias accumulat, & auarè custodit; ericio comparare diuitias possumus, quæ ab omni parte spinas habent, quibus possessores suos lacerent, festiuè Vgo Carensis verba Isaiæ cap.14. *Erit Babylon in possessione ericij*, ad diuitias flectit, in Psalm.31. redditque rationem, inquiens: *Pungunt quippe cùm acquiruntur cum labore, cùm habentur pungunt per timorem, cùm perduntur pungunt per dolorem*; vnde Isaiæ 14. *erit Babylon in possessionem ericij*, quo quis arctiùs spinas stringit, eo ampliùs pungitur, & laceratur. Idem in diuitiarum spinis; plus cruciant, quo plus amantur, altiùsque vulnus cordi infligitur, quo vehementiùs per amorem, ac cupiditatem cordi adprimuntur; sic idem Vgo eodem loco; *quanto magis diuitiæ cordi inferuntur per amorem, tanto magis pungunt per dolorem.*

Ericium diuitiæ vt referant.

Isa.14.

Vgo Car.

Magis lacerant mentem diuitiæ quo magis amantur.

Idem.

Quòd si diuitiæ spinæ sunt, quid erit ipsa cupiditas, & auaritia? acutior spina est, & fœdiùs pungit; ita arguit sanctus Chrysostomus hom.6. in epist. ad Titum, *Porrò, inquit, si diuitiæ ipsæ spinæ sunt, quid cupiditas erit?* Maledicta terra est, spinas, & tribulos in peccati pœnam producere iussa est, Gen.3. grauiùs nos cupiditatis tribulus cruciat quem cordis nostri humus producit. Audiendus hîc sanctus Ambrosius serm.36. vbi ait: *Generat mihi mea terra tribulos cùm me diuitiarum secularium cupiditate discruciant, spina enim Christiano auaritia suæ radix est*; & sanctus Valerianus hom.17. de bono martyrij! *Cupiditas, inquit, corda hominum diuitiarum stimulus inquietat*; aguntur boues stimulis, diuitiarum amore vrgentur diuites.

Diuitiarum cupiditas quã noxia spina.

S. Chrysost.

S.Ambr.

S.Valer.

Diuitias si quis tineis compararet, & diuitiarum possessorem ab opibus velut tinea morderi asserat, non aberrabit, & bonos habebit censionis suæ signatores, inter alios se obsignat sanctus Chrysostomus hom.13. in epist. ad Ephes. vbi ait: *Diuitiæ sunt tineæ, sicut tinea corrodit omnia, ita hæ quoque*; & in primis mentem auocent eas possidentis, vt iure inclamauit Petrus Blesensis epist.143. in auaritiam inuehens: *O rubigo animarum auaritia! ô tinea cordium cupiditas quæ sic homines excæcasti*; & de Hierosolymitana peregrinatione acceleranda idem auctor eadem mente ferè, & verbis iisdem: *Væ, inquit, qui prædaris, scito quia prædaberis. O pecuniæ amor! ô tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum.* Nemo tam emotæ sit mentis, vt hoc languore corripi se sinat, hac rubigine obsideri, morderi hac tinea, his diuitiarum spinis lacerari; is verè diuitias habet, qui non cupit, non qui habet, ille tineas hasce, hasce spinas non sentit, qui non amat, non quærit.

Diuitiæ tineis comparatæ.

S.Chrysost.

Diuitiarum amor cordiũ tinea.

Petr.Bles.

EXCVRSVS XCVI.

Diuitiæ diuitum tortores, carnifices viperæ.

Diuitiæ omni tortore *acerbiores.*
Nummi diuitum carnifices.
Qui diuitias inuenit, requiem *perdit.*
quid, opulentiæ, & doloris *nexus.*
Diuitiæ diuitum hostes, & *homicidæ.*
Viperæ, & aspides *diuitiæ.*
Matrem suam perimunt diuitiæ tanquam viperæ.
Vipereis *diuitiarum* vinculis *nemo alligetur.*

Blandiantur possessori diuitiæ, & amicam faciem præseferant, extimam si auferas 627.
laruam, sæuire in eum deprehendes, & hostili animæ insequi, carnificis more torquere, quod præsertim verum, cùm diues iniustè diuitias acquisiuerit, & per vim terrenas opes cumulauerit; de hoc loquens sanctus Chrysostomus in illud Psal. *Noli timere cùm diues factus fuerit homo*, hæc habet ad hanc mentem: *Iam verò diuitiæ huic sunt tortore acerbiores, tortor enim corpus vincit, diuitiæ verò animam vinciunt. Adeò tamen homines desipiunt, vt hos tortores arcent, hos carnifices.*

Diuitiæ omni tortore acerbiores.

Quid? etiam iniustos possessores hanc carnificinam diuitiæ exercent; nouit hoc ille Imperator, quin & expertus est, qui tanquam tortores,

tortores, carnificésque acceptos nummos' exclusit, digna res est', quæ hic sistatur; Æneas Syluius lib. 4. comm. in Alphonsum, his ferè verbis rem narrat: *Sigismundus Cæsar ex Hungaria quadraginta millia nummorum aureorum accipient, vbi noctu, in quos converteret vsus, sollicitè cogitaret, per cubicularios ocyùs consiliarios omnes, & duces militum conuocauit, & aperta arca: Ecce, inquit, crudelissimi hi hostes, & carnifices (nummos ostendens) somnum mihi eripuerunt: accipite, & inter vos diuidite, vt mihi tranquillè dormire liceat; & illis cum pecunia distributa discedentibus, Recedit iam, ait, à me tortor ille qui me flagellauit; securiùs iam quiescam.* Igitur qui requiem amat, diuitiarum tortores expellat, eliminet sæuos hosce carnifices, opes non amet, quæ amatorem suum cruciant, & torquent, requiémque ab illo auferunt. Accipit doctissimus Idiota lib. 1. contemplat. de amore diuino cap. 33. vbi ait: *Qui diuitias inuenit, requiem perdit, & cùm vigilat, augmentum cogitat, cùm dormit, fures somniat, in die est afflictus, in nocte pauidus, semper autem mendicus.* Affinia his sunt, quæ habet sanctus Petrus Chrysologus serm. 22. *Auri*, inquit, *custos, seruator argenti securitatem non habet, nescit quietem, & cui deest securitas, quies perit, pœnâ diues est ille, non censu*; aut certè diues pœna, quia & censu, census illi ad pœnam est, in pœnam diuitiæ vertuntur, quæ pœnarum, laborúmque leuamen putabantur.

Nummi diuitum carnifices. Æneas Sylu. Idiota. *Qui diuitias inuenit requiem perdit.* S. Pet. Chrys.

628. Cruciatus, dolórque adeò agnatus diuitiis est, vt in illum verti videantur; diuitias habes? opulentus es? dolore carebis, nisi eas spreueris; ægrè sine dolore, cruciatúque est, qui non diuitiis; Iob. 20. v. 10. *Manus illius reddent ei dolorem suum*, in fonte est און opulentiámque eius, ac in idem reciderent dolor, & opulentia, atque diuitiæ. I, & diuitiis obrutus, diuitiarúmque amore captus, requiem tibi pollicearis, & quietem.

Quid, opulentia, & doloris nexus. Iob. 20. 10.

Si sapies, hostem subblandienti illa, quam præseferunt opes, facie, timebis aurum, argentúmque non amabis, quòd nocentius in te sæuiant, quàm possit hostis quilibet, & virulenta quælibet fera. Audi monentem Beatum Chrysostomum, qui hom. cùm Sartoninus, & Aurelianus acti sunt in auxilium, & de auaritia, ita de paupertate, & diuitiis loquitur: *Quamobrem rogo hanc paupertatem fugientes, illas persequimini? illas hostes, illas homicidas, illas quauis bestia sæuiores? Talis enim est pecuniarum amor, tale vesanum auri studium. Cur hostem tibi domesticum, & perpetuum conuictorem tibi facis?* Nemo se his hostibus credat, nemo mentis suæ hospitio recipiat, qui mortem timet.

Diuitiæ diuitum hostes, & homicidæ. S. Chrysost.

Viperæ potius sinum exciperent, quàm amoris brachiis diuitiæ; quis crederet ad modum viperarum habere se diuitias, & virus tanquam viperam habere, quo possessores suos inficiunt, & necant? Diuitiarum malitiam non secus, ac viperam in aureo etiam scrinio timendam rectè monebat Epictetus apud Stobæum de Temperantia serm. 5. his verbis: *Quemadmodum viperam, aut aspidem in eburneo, aureóque scrinio inspiciens, non propter materiæ pretium ipsa diligis, aut magnifacis tanquam felicia alia, sed potiùs propter naturā ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris: sic etiam in diuitiis, & fastu fortunæ malitiam videns inesse, non ad materiæ splendorem obstupesce, sed morum prauitatem contemne.*

Viperæ, & aspides diuitiæ. Epictet.

Necare matrem vipera proditur, dum nascitur, idem & diuitiæ præstitere; hinc illud Vgonis Carensis in cap. 11. Prouerbiorum: *Religio peperit diuitias, quæ simul exortæ suffocauerunt matrem, sunt enim vipereæ naturæ, vbi semper mater in partu moritur.*

Matrem suā perimunt diuitiæ tanquā vipera. Vgo Car.

Vipereis ille vinculis tenetur, qui in diuitiarum possessione ab auaritia possidetur, quæ auari mentem, sicut vipera perstringit; hinc illud sancti Paulini epist. de gazophylacio: *Facilè*, inquit, *serpit carcer auaritiæ in præcordiis, nullis misericordiæ munita visceribus, captámque vipereis alligat vinculis animam.* Viru non caret vipera, non caret auaritia, quod in obuios quosque euomat; vnde & Seneca de ira lib. 3. cap. 7. *Auaritia*, inquit, *in proximos virus suum transtulit.* transfert in eius mentem, quem corripit, vt quem diuitem extimè censeas, vipereo veneno infectus intus sit, aut morti proximus, aut iam conclamatus, iam mortuus.

Vipereis diuitiarū vinculis nemo alligatur. S. Paulinus. Seneca.

EXCVRSVS XCVII.

Cœcæ diuitiæ, cœca auaritia est, cœcus auarus.

Cœcæ *diuitiæ sunt.*
Cœcæ *diuitiæ, quia cœcas mentes reddunt, à quibus amantur.*
Cùm cœci *auari sint malè viuunt.*
Pecuniarum amor mentem vt obcœcet.
Cœca *auaritia est.*
Cœca *maximè auaritia ad ea, quæ Dei.*
Auarus cœcus *tanquam talpa.*
Diuitum cœcitas, *dum diuitias suas alienis relinquent.*

IN hoc terrenæ diuitiæ à spiritualibus differunt, quòd illæ cœcæ, hæ videntes sunt; scitè Philo lib. de Abraham: *Si verum*, inquit, *fateri volumus, diuitiæ non illæ cœcæ, sed acutè cernentes, sunt virtutum possessio.* 629.

Cœcæ diuitiæ sunt. Philo.

Cœcæ autem dicuntur terrenæ opes, quòd cœcos reddunt possessores suos; Antiphanes:

ὁ πλοῦτος ἡμῶν καθάπερ ἰατρὸς κακὸς
Τυφλοὺς βλέποντας παραλαβὼν πάντας ποιεῖ.

id est, *diuitiæ tanquam malus medicus, quos acceperint videntes excæcare consueuerunt.* Menander in se ipsum lugente.

Antiph. Menand.

Τυφλὸς ὁ πλοῦτος, καὶ τυφλοὺς ἐμβλέποντας εἰς αὐτὸν δείκνυσι. id est,
Cœca diuitiæ atque eos, qui se intuentur, cœcos reddūt.

Et cùm cœcæ diuitiæ sint, cur non cœcæ reddantur illæ mentes, quæ eas admirantur, eas stupent? Præclarè Clemens Alexandrinus lib. II. pædag. cap.... Εἰ, inquit, ὁ πλοῦτος τυφλὸς ὥσπερ ἂν αἱ περὶ αὐτὸν ἐπτοημέναι καὶ συμπαθοῦσαι τῷ πολυτελεῖ. hoc est, *si cœcæ sunt opes, quæ eas stupent, & admirantur, & in eas adfectæ sunt.*

Cœcæ diuitiæ quia cœcas mentes reddant, à quibus amantur. Clem. Alex.

Non mirum igitur, si malè diuitiarum possessores viuant, cùm tanta cœcitate teneantur. Præclarè Euripides in Phaët. apud Stobæum serm. 91.

Cùm cœci auari sint malè viuūt. Eurip.

Δεινόν γε τοῖς πλουτοῦσι, τοῦτο δ' ἔμφυτον
Σκαιοῖσιν εἶναι· τί ποτε τοῦτ' αἴτιον;
Ἆρ' ὄλβος αὐτοῖς ὅτι τυφλὸς συμπορεύεται
Τυφλὰς ἔχοντας φρένας καὶ τῆς τύχης.
Res mala, sed innata diuitibus est,
Improbè viuere. Quanam huius rei causa est?

An quia cœca diuitia ipsis conuersantur,
Mentem quoque cœcam habent, propter fortunam.

Pecuniarum amor mentē, vt obcæcet.

Cœcæ diuitiæ sunt, quia cœcitatem afferunt dum amantur; humor oculi pupillam obtuens, oculum obcœcat, & pecuniam amor auari mentem subiens mentis lumine priuat; succinit sanctus Chrysostomus, cuius hęc sunt verba hom. 21. in Matthæum: *Auarus cœcus est; amor namque pecuniarum pupillam mentis quasi quidam malignus humor influxit, densamque iam nebulam prorsus operatus est.* (S. Chrysost.)

Cœca auaritia est.

Cœcæ diuitiæ sunt, cœca & auaritia, si quidem de rebus diuinis agatur, nam alioquin in nectendis fraudibus oculatissima est, & acutissimè videns. Audiendus hîc sanctus Ambrosius, qui serm. 59. ita scribit: *Auaritia cœcitas est, errorem religionis induit, cœca, inquam, est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingeniis, non videt, quæ diuinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.* (S. Ambr.)

Cœca maximè auaritia ad ea quæ Dei sunt.

630. Cœca ad ea, quæ Dei, auaritia est, oculis plurimis referta ad lucra augenda; scitè sanctus Maximus hom. de auaritia; vbi hæc habet: *Auaritiæ cœcitas est, errorem religionis inducit. Cœca, inquam, est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingeniis, non videt, quæ diuinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.* (S. Max.)

Auarus cœcus tanquam talpa.

Cœca auaritia est, cœcus auarus, vt proinde talpæ comparari possit, cùm terræ, & terrenarum curis alta cœcitate correptus inuoluatur, terrena cogitet, nihil præterea; hinc illud Ægydij Minoritæ in aureis dictis de contemptu mundi: *Hominem auarum iure comparaueris talpæ, qui hoc solum putat bonum, euertere humum, & in ea demorari, cùm sint multa alia longè potiora, quæ is ignorat.* (B. Ægyd.)

Diuitum cœcitas, qui alienis diuitias suas relinquunt.

Huc diuitum cœcitas euadit, & stultitia, hac pœna diuitum cupiditas plectitur, vt alienis diuitias relinquant. Psal. 48. *Relinquent alienis diuitias suas*; alienis relinquant, licèt hæredes suos constituant, nam sui alieni fiunt, suos alienos experiuntur, dum à suis auxilium non accipiunt. Acutè sanctus Augustinus hîc: *Iam attendimus illos diuites, qui malè vixerunt, qui superbè egerunt, mortui sunt, & reliquerunt, non dico extraneis, sed filiis suis reliquerunt diuitias suas, & filij ipsorum viam parentum suorum sequuntur: sicut ille superbi, ita & isti: sicut illi rapaces, ita & isti: vt illi auari, & isti, alieni ab illis sunt. Nam vt noueritis, quia illi alieni sunt, subuenirent illi diuiti, qui ardebat in flamma, successores ipsius diuitiarum. Sed fortè non habuit qui illi succederent, & alieni possiderunt diuitias ipsius.* (Psal. 48. S. Aug.)

EXCVRSVS XCVIII.

Vitiorum, & diuitiarum cohærentia, atque affinitas.

Vitiorum, & diuitiarum *& in re, & in nomine societas.*

Diuitiæ vitij omnis architectæ.

Diuitiarum amor vitiorum genimen.

Diuitiæ vitiorum alimenta, *claues ad vitia.*

Flagitia omnia ex camino *æstuantis auaritiæ.*

Luxuriæ vitium *diuitiæ fouent.*

Opes prodigum filium spoliauerunt castitate.

631. Diuitiis vitia nomine cognata sunt, cognata & re ipsa, à diuitiis ad vitia facilis transitus est, à vitiis ægrè abiungitur, qui diuitiis hæret. Pulchrè S. Eucherius epist. parænet. ad Valerianum. *Adeò quædam societas est, penè etiam nominis duabus his rebus vitiis, & diuitiis*; nascuntur facilè è diuitiis vitia; etiam Sidonius in hac nominum agnatione lusit, lib. 8. epist. 7. his verbis: *Sic vitiis, vt diuitiis incubantes.* & Saluianus lib. 7. de gubern. Dei: *In omnibus Galliis, sicut diuitiis primi fuere, sic vitiis*; & lib. 7. hæc duo inter se vertit Carthaginis piacula recensens, ait enim, *Video quasi scaturientem vitiis ciuitatem, video vrbem omnium iniquitatum generi feruientem, plenam quidem turbis, sed magnis turpitudinibus; plenam diuitiis, sed magis vitiis*; & in sententiis Ethicopoliticis: *Qui diuitiis simul vitiis incubat.*

Vitiorum, & diuitiarū, & in nomine, & in re societas. S. Eucher. Sidon. Salu. Sent Ethic.

Huc facit scitum illud dictum VVillelmi Malmesburiensis lib. 1. cap. 3. *Res non pertrita, sed coruo rarior albo, homines abundare diuitiis, & nolle lasciuire vitiis.* (VVillel Mal.)

Diuitiæ vitij omnis architectæ.

Diuitem vides, & auri, argentique copia obrutum, vitia vix ab eius mente separaueris; eximum illum splendorem submoue, & conscientiam sceleribus, & vitiis innatantem deprehendes, quæ diuitiarum copia inuehit; si quis vitiorum omnium architectas diuitias esse dixerit non aberrabit, & probi auctoris calculo censionem suam firmare poterit; is est sanctus Isidorus Pelusiota, qui lib. 3. epist. 522. ita scribit: *Ne diuitias expetas vir optime, quæ superbiam, & arrogantiam pariunt, voluptates subministrant, vitij omnis architectæ sunt, atque homini amicitiam ad Deum eripiunt: verum virtutem, quæ ab omnibus malis non vindicat.* Accersunt diuitiæ vitia, & sicut ferrum magnes trahunt, excludunt à mente quam possident virtutem, vt iure dixerit Apollon. epist. ad Hestiæum: *Virtus, & opes contraria inuicem censentur, non altero deficiente crescit alterum; aduenientibus opibus virtus abit, abeunte virtute intrant vitia.* (S. Isid. Pelus. Apoll.)

Diuitiarum amor vitiorū genimen.

Non aberrabit, qui vitiorum genimen amorem 632.
diuitiarum dixit, virtutum subuersionem, ita loquitur Petrus Blesensis de Hierosolymitana peregrinatione. *O pecuniæ amor, virtutum subuersio, genimen vitiorum; aliis diuitiæ vitiorum alimenta fuere dicta, ac si vitia diuitiis ita alerentur, vt linguis ignis, & viuens citò*; fuit qui & scelerum clauem indigitauit, qua scilicet aditus recluderetur ad omnia scelera; scitè auctor ille optimæ notæ, licèt non adeò antiquæ: *Adiice maximum opprobrium diuitiarum, alimenta vitiorum esse, organum voluptatum, libertatem peccandi, clauem auream scelerum*; nulla ferè sceleris porta est, quam clauis ista non aperiat. (Petr. Bles.)

Diuitiæ vitiorum alimenta claues ad vitia. Io Eus. lib. 6. c. 17.

Flagitia omnia ex camino æstuantis auaritiæ.

Ex vna auaritia, & diuitiarum amore vitia omnia prodire, fumi, ignisque metaphora, sic explicat sanctus Petrus Damianus opusc. 60. cap. 22. *Sicut fumus ex igne clibani vaporantis egreditur, ita vitiorum omnium flagitiorúmque caligo de camino æstuantis auaritiæ generatur, sicut dicit Apostolus, quia radix omnium malorum auaritia est; fumum ergo clibanus tenebrosam caliginem generat, quia caminus auaritia, qui in pectoribus hominum prauorum æstuat, multis diuersitatum tenebris mundum pestilenter obscurat, an non mentes infelicium cæcat? quæ scilicet & fidem tollit, & omnium virtutum in eorum cordibus lumen extinguit.* (S. Petr. Dam.)

Luxuria vitium diuitiæ fouent.

Et verò, vt vitiorum semina auaræ diuitiæ 633.
sint, præcipuè tamen luxuriam nutriunt ac fouent, exulat ferè castitas, vbi diuitiæ regnant, sternunt ipsæ viam ad impuritatem, quin & ducunt. Verus Antiphanes apud Athenæum lib. 1. dum ait: *Adest Venus, vbi magna rerum copia.* Luxuriam diuitiarum comitem dixit Petr. Bles. ser. 32. (Antiph. Petr. Bles.)

his

his verbis: *Diuitiarum comes indiuiduus luxuria, quibus euiratur religio, mutetur color optimus, disperguntur lapides Sanctuarij*; hunc diuitiarum, & luxuriæ nexum ex duobus sacræ Scripturæ locis colligit in hunc modum sanctus Antonius Vlyssiponensis serm. 5. in Dum. 2. Aduentus: *Dicitur 4. Reg. 5. quòd Naaman erat vir magnus, & diues, sed leprosus. Quia vbi diuitiarum, & deliciarum affluentia, ibi luxuria lepra; vnde Isaias cùm præmisisset, Repleta est terra argento, & auro, non est finis thesaurorum eius; statim addidit, & repleta est terra equis, id est, luxuriosis.*

S. Ant. Vlyss.

Ex his dilucet causa, cur prodigus filius, à patre discedens meretricibus se miscuit, mancipium factus impuritatis, Luc. 15. census istuc fecit, fecerunt diuitiæ, quam secum ille tulit, hæc quippe eum castitate spoliatum impudicitiæ castris addixerunt. Opportunè sanctus Petrus Chrysologus serm. 1. *Census*, inquit, *filium tulit è gremio Patris, eiecit de domo, exemit Patria, spoliauit fama, exuit castitate*; actus ad impuritatem est, vbi se sensit onustum opibus, & paterna substantia locupletem; cùm sine opibus fuit, castos vixit, si eum opum vis acquisiuit, desiit illam possidere, cùm censum possidere incœpit.

Opes prodigum filium spoliauerunt castitate. Luc. 15.

S. Pet. Chrys.

EXCVRSVS XCIX.

Diuitiarum morbus superbia est. Diuitiarum vermis fastus, & elatio.

Elatio, & fastus diuitiarum comes.
Multa possidentes facilè inflantur.
Superbia *diuitiarum partus.*
Ventosæ *diuitiæ inflant suos possessores.*
Morbus *diuitiarum superbia.*
Elati diuites *seuerè corripiendi.*
Diuites superbiæ malo *facilè corripiuntur.*
Diuitiarum radix *superbia.*
Diuitiarum vermis *superbia.*
Arborum poma vermes suos habent, vermis diuitiarum, *est superbia.*
Fugienda diuitibus auaritia, ne hoc verme *corripiantur.*
Diuitiis nemo seruiat, *ne diuitiarum fastui subiiciatur.*

634. Diuitiarum ferè comes fastus, & superbia est, vt ægrè superbiam excludat, qui diuitias lubens, cupidúsque admittit, vt apud Lucianum in Tim. Plutus diuitiarum Deus ita loquitur: ἐπειδὰν τις ἀλώκῃ τὸ πρῶτον ἀναπετάσας τὰς θύρας εἰσδέχεταί με, συμπαρεισέρχεται μετ' ἐμοῦ λαθὼν ὁ τῦφος καὶ ἡ ἄνοια καὶ ἡ μεγαλαυχία καὶ μαλακία καὶ ὕβρις καὶ ἀπάτη καὶ ἄλλ' ἄττα μυρία. *Simulatque qui me primum nactus est, apertis foribus exceperit clanculum, vnà mecum introit elatio, vecordia, iactantia, mollities, contumelia, dolus, atque alia item innumerabilia.*

Elatio, & fastus diuitiarū comes. Lucian.

Illius igitur mentis hospitium superbia facilè subit, cuius diuitiarum amor est inquilinus, & ferè superbus fit, qui opes non habitat, auidè quærit, & inuentas admittit; istuc idem & Callicratides habet apud Stobæum serm. 83. in hæc verba: ἀνάγκη γὰρ τοὺς πολλὰ ἔχοντας τετυφῶσθαι πρᾶτον. τετυφωμένως δὲ ἀλαζόνας γίνεσθαι. ἀλαζόνας δὲ γενομένως ὑπερόπτας ἦμεν, καὶ μήτε ὁμοίως, μήτε ἴσως ὑπολαμβάνειν τὼς συγγενέας, καὶ φυλέτας, ὑπερόπτας δὲ γενομένως ὑβριστὰς ἦμεν. ὕβριος δὲ πέρας ἐστὶν ὄλεθρος. *Quippe multa possidentes necesse est primùm inflari, inflatos autem arrogantes fieri: arrogantes factos superbire, & cognatos tribulésque suos nequaquam sibi similes existimare: deinde contumeliosos fieri: omnis autem contumelia finis exitium est.*

Callicrat.

Multa possidentes facilè inflantur.

Superbiam diuitiarum partum dixit Seneca epist. 88. vbi de illis loquens, ait: *Inflant animos, superbiam pariunt, inuidiam contrahunt*; inflant, vt non mirum si vento comparentur, & ventosæ dicantur. Suidas, Ἔμπνιμος ὁ πλοῦτος: *ventosæ diuitiæ, hoc est, fallaces, inconstantes*; & sanctus Gregorios Nazianzenus orat. ad ciues Nazianzenos, *potius ventis fidendum, quàm diuitiis*; ventum diuitiæ referunt, non ob inconstantiam tantùm, sed etiam quia inflant possessores suos, & superbiæ tumore distentos eos reddunt.

Superbia diuitiarum partus. Senec.

Ventosæ diuitiæ inflant suos possessores. S. Greg. Naz.

Non aberrabit, qui diuitiarum morbum, superbiam dixerit; dixit sanctus Augustinus ser. 212. de Tempore, vbi ita loquitur: *Nihil tam timendum est in diuitiis, quàm superbia. Denique Apostolus hoc admonet Timotheum, Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi superbè non sapere? Non enim diuitias expauit, sed morbum diuitiarum: morbus autem diuitiarum est superbia magna.* Laborat hoc morbo, qui pecunias opésque repleri amat.

Morbus diuitiarum superbia. S. Aug.

Prudens igitur Paulus hunc morbum diuiti- 635.
bus timuit, vt ad Timotheum scribens dixerit 1. Timoth. 6. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere*, ac si ille, qui diuitias habet, nec superbia tentatur, istius sæculi diues minimè sit: *Præcipe*, inquit, non *roga*, indicans verborum lenitate hunc morbum non sanari, & elatos, superbósque diuites durè, seueréque arguendos, quò spectabat sanctus Gregorius parte 3. pastor. admonit. 3. vbi hæc habet: *Notandum valde est, quòd humilitatis Doctor memoriam diuitum faciens non ait, Roga, sed præcipe; quia etsi impendenda est pietas infirmitatis honor, tamen non debetur elationi*, quæ diuites comitari solet. Diuitum hic morbus est, qui statim curandus non adulationum fomentis, sed duræ increpationis vstione; scitè Primasius ad hæc Pauli verba: *Præcipe, non aduleris, non sublime sapere, in primis primum eorum tergit morbum; difficillimè enim diuitem inuenies non superbum.*

Elati diuites seuerè corripiendi. 1. Tim. 6. 17.

S. Greg.

Diuites superbiæ malo facilè corripiuntur. Primas.

Præcipe, inquit, *non superbè sapere*; non aliud monitum offert, sciens nihil isto magis necessarium diuitibus esse cùm diuitiæ superbiæ radix, ac materia sint; non debent hic supprimi sancti Chrysostomi verba, qui hom. 2. ad populum Antiochenum hunc Pauli locum versans, & expendens ita scribit: *Iam illud inquirere dignum est, quare non dixit: Diuitibus præsentis sæculi præcipe non ditescere, præcipe depauperari, præcipe quæ habent exhaurire, sed dixit, non sublime sapere? Nouit diuitiarum radix, & materia est superbia, & si quis modicè viuere sciuerit, non multa earum curam aget.* Sed ad vermis metaphoram, quam eidem rei probandæ calamum flectamus.

Diuitiarum radix superbia.

S. Chrysost.

Adnascitur suus pomis vermis, suos habent arbores vermes, à quibus absumuntur; diuitiarum vermis superbia est. Scitè Petrus Blesensis serm. 32. vbi ait, *Vermis diuitiarum est superbia*; apertiùs ad poma, arborésque respiciens sanctus Anselmus in 1. ad Timoth. *Sicut poma, inquit, vel arbores habent suos vermes, ita diuitiæ suum*

Diuitiarum vermis superbia.

S. Anselm.

suum vermem habent ; vermis diuitiarum est superbia; hæc quidquid boni in illo est, conterit, & absumit; & licèt id extimè non appareat, intus tamen auarus huic morsui subiectus est. Latere in diuitiis superbiam, ac fastum veluti vermem corrodentem, nutauit etiam sanctus Augustinus serm.205. de tempore in hæc verba : *Primus vermis diuitiarum superbia, mala tinea totum rodit, & ad cinerem vsque perducit*; & nom.13. in illa verba, *Ne tardes conuerti ad Dominum*, in eundem sensum ait : *Vermis diuitiarum superbia est, difficile est vt non sit superbus qui diues est; tolle superbiam, diuitiæ non nocebunt.*

S.Aug.

636. Iure Paulus ad Timotheum scribens ait epist.1. cap.6.17. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere*, quòd sciret à superbia ferè diuites corrodi, & fastu infestari, diuitum vermem superbiam esse; præcipiendum igitur diuitibus ne superbè sapiant, ne intumescant: festiuè sanctus Augustinus de verbis Domini serm.5. cap.9. *Nihil est*, inquit, *quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habent vermem suum, alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici, vermis diuitiarum superbia. Ergo præcipe diuitibus huius sæculi non superbè sapere.*

Arborum poma vermes suos habent, vermis diuitiarum est superbia.
S.Aug.

Vis ab hoc verme liberari? ne sis huius sæculi diues, sed futuri, hoc est, ne diuitias accumules ob præsentis sæculi amorem, sed ob æternæ vitæ requiem, diuitias pauperibus distribue, qui fidi sunt eorum custodes; etiam manna si in alterum diem seruabatur ebulliebat in vermes, non verò si in Sabbathum quod æternæ requietis figura est, custodiebatur; idem in diuitiis accidit; quod his verbis expendebat prædictus sanctus Pater serm.91. de Tempore: *Quod*, inquit, *pro die Sabbathi reponebatur, non est corruptum, & tu ergo si propter præsentem vitam tantummodo, & propter amorem sæculi thesaurizes, continuò vermes ebulliunt. Denique audi de peccatoribus, & iis qui præsens sæculum diligunt, quid Propheta dicat, Vermes, inquit, eorum non morientur, isti sunt vermes quos generat auaritia.*

Fugienda diuitibus auaritia ne hoc verme corripiantur.
S.Aug.
Isa.66.

Denique à superbiæ verme erit immunis, qui diuitiarum dominus, non seruus est; quod opportunè offert auctor sub nomine Chrysostomi hom. 16. in Matthæum, expendens illud Matth.6. *Nemo potest duobus dominis seruire*; ait enim, *Aliud est habere diuitias, aliud est seruire diuitiis: si habes diuitias, & diuitiæ illæ non te faciunt superbum, aut violentum, dum diuitiarum tuarum non seruus: si autem diuitiæ tuæ superbum te faciunt, aut violentus, & constrictus auaritia nemo aliquid præstans, tunc seruus es diuitiarum tuarum, non dominus.* Igitur seruire qui superbiæ non vult, augustiorem animum circumferat, quàm vt ferat superbis opibus, superbiamque fouentibus deseruire.

Diuitiis nemo seruiat ne diuitiarum fastui subiciatur.
S.Chrys.

EXCVRSVS C.

Diuitiæ discordiæ causa, vnitatis nouercæ, aurum, & argentum litium fomes, & incentiuum.

Diuitiæ diuisionis amicæ, vnitatis hostes.
Ibi vnitas *regnat, vbi diuitiarum contemptus.*
Odia *ab opum cupiditate.*
Aurum, & argentum rixas *parturiunt.*
גרה *quid*, litium *nexus, &* diuitiarum.
Pecunia litium *incentiuum.*

Diuisionis amicæ diuitiæ sunt, vel nudo hoc nomine significant diuitiæ à diuidendo dictæ; hinc illud sancti Ambrosii lib.2. de Abraham cap.8. *Diuitiæ dictæ sunt, quod mentem diuidant, atque in diuersum scindant*; parum istuc si in possessorem sæuirent tantùm, & possidentes mentem à se ipsa diuiderent, diuidunt, & ab aliis vnitatem tollunt; scitè sanctus Petrus Chrysologus ser.1. *Facultates*, inquit, *vnitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt, & violant charitatem.* adeò vt vbi diuitiæ regnant, pax vnitásque non possit: vbi opum amor viget, non viget amor, viget si illæ non amentur. In primo illo Christianorum æuo, & verè aureo, quia aurum calcabatur, summa inter fideles pax erat, summa vnio, adeò vt eorum vna anima fuisse legatur, vnum cor, Act.4.32. Sed vnde istuc? quia aurum, diuitiásque contemnebant, & in contemptus argumentum Apostolorum pedibus subiiciebant; nimirum florebat maximè vnitas, quia diuitiæ rixarum causa negligebantur. Si amentur diuitiæ, & auarè possideantur, petit statim charitas, cum qua coire auaritia nequit, quod notabat sanctus Nilus orat. de auaritia, his verbis: *Auaritia cum charitate nullum fœdus esse potest*; in charitatem arietat auaritia, non eam fouet. 637.

Diuitiæ diuisionis amicæ, vnitatis hostes.
S.Ambr.
S.Pet.Chrys.
Ibi vnitas regnat vbi diuitiarum contemptus.
Act.4.32.
S.Nilus.

Proh quàm à ratione alienum est, eos, qui Deum colunt, qui charitas est, charitatem tamen non colere, non amare? & vnde istuc nisi præcipuè à diuitiarum amore, ab opum cupiditate? nimirum inter eos vnitas coalescere non potest, apud quos diuitiarum cupiditas regnat. Grauiter rem premit sanctus Gregorius Nazianzenus orat.14. de pace, dum ait: *Nos autem si quis roget, quidnam sit quod colamus, atque adoremus, promptum est respondere, quòd sit charitas. Etenim, vt à Spiritu sancto pronuntiatum est, Deus noster charitas est. Quid igitur tandem causa est, cur, qui charitatem colimus, mutuis odiis flagramus? qui pacem, implacabile & inexpiabile bellum gerimus? Et quæ huius rei causa est? Dominandi amor fortasse, vel opum cupiditas.*

Odia ob opū cupiditate.
S.Greg.Naz.

Pardani, vt tradit Pollus lib.9. cap.6. ex eo Alexander ab Alexandro lib.4. cap.15. nummis duos insculpsere gallos, eósque inter se pugnantes; quo inter alia etiam hoc tacitè significabatur, aurum, & argentum rixas, pugnas, litésque parturire.

Aurum, & argentum rixas parturiunt.

Apud Hebræos obolus, גרה *gerah*, vocatur à verbo גרה *garah*, quod miscere, excitare significat, & propriè dicitur de lite. Prou.15. v.18. *Vir iracundus prouocat rixas*; in fonte est hoc verbum, vnde Marinus in arca vertit: *Vir furoris* יגרה *suscitabit litem.* hinc תגרה *thigrah* lis, contentio, prouocatio, irritatio. Inest hæc eadem vis etiam nummis, lites quippe excitat, iurgia pecunia miscet; miscent pecuniarum amatores. fulcit hanc mentem Oleaster in cap.27. Leuitici, vbi ait: *Dicitur Hebraicè obulus gerah, à garah, apud quod est miscere maximè litē, quia fortè, vt fieri solet, erat mixtus alio metallo, forsitan argento; aut dicitur gerah, id est, mixtio litis, quòd propter pecuniam soleant homines litigare.* 638.

גרה quid, litium nexus, & diuitiarū.
Marinus.
Oleast.

Vt litigia auferantur, contemni aurum debet, contemni argentum fomes litigiorum. Huc spectauit Saluator, dum suis discipulis aurum eripuit, peram, sacculúmque, eósque pecunia destitutos

tutos

Pecunia litium incentiuum. Luc. 10. 4. S. Ambr.

tutos pacis nunciatores præconésque in mundum misit, Luc. 10. 4. ægre mites, pacificique fuissent si pecuniarum onere pressi Euangelium prædicassent; inepti litibus auferendis fuissent, si aurum tulissent litigiorum incentiuum; huc collineauit sanctus Ambrosius lib. de Ioseph Patriarcha cap. 13. vbi hæc habet, in hanc rem: *Dominus Iesus dimittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, vt & incentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis;* lites diuitiæ suscitant, & excitatas fouent, diúque producunt, exempla huius rei frustrà quærimus, cùm illis obruamur.

EXCVRSVS CI.

Diuitiarum paupertas.

Diuitiæ mendicæ *sunt, quin & mundicitas ipsa.*
Ex diuitiis egestas *nascitur.*
Diuitiæ ipsæ indigent, *& egentiæ sunt.*
Diues non plenus, *sed* inflatus.
Maxima egestas *auaritia.*
Dives paupertate *laborat.*
Diuites nec terram *habent, nec* cœlo *digni.*

639. *Diuitiæ ipsæ mẽdicæ sunt, quin & mendicitas ipsa.* S. August.

PAuperibus non confero diuites, pauperes voco, cùm ipsæ diuitiæ pauperes sint; nimium diuitias extuli cùm paupertati pariaui, pariandæ indigentiæ sunt, & egestati; non merentur honoris nomen, sola infamia nobiles, & insignes. Præiuit sanctus Augustinus in Psalm. 52. *Non sunt illa,* inquit, *diuitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia;* quia nimirum crescit auaritia, quæ semper egena.

Diuitiæ ipsæ indigent, & egentiæ sunt.

Indigæ opes ipsæ sunt, quî ergo indigentiæ nostræ poterunt succurrere, quæ sua indigentia laborant, nec sufficiant sibi? Pulchrè ille, & verè: *Multis opes egent; nihil minus diuitiæ faciunt quàm pollicentur, promittunt sufficientiam, præstant indigentiam, nequeunt ponere naturam suam; nequeunt auferre à se, ne possint auferri, alienum petunt præsidium ne auferantur. Vides iam indigentes, quibus putabas non egere, in contrarium recidit spes; egentiæ sunt, dicis diuitias;* egent etiam securitate diuitiæ aliena ope vt seruentur, indigent ipsæ opes, & diuitiis onustum beatum te, felicémque puta, puta non egere, non diuitiæ ipsæ quibus abundas, eo magis indigæ sint, quo sunt maiores.

Ex diuitiis egestas nascitur. Luc. 22.

Amanda paupertas est, vt diues euadas, pauper eris si diuitias habeas. Obserua Apostolos tum maximè iis, quæ ad victum erat necessaria, indiguisse, cùm marsupium ac peram deferre illis permissum est, & nudos incessisse cùm calceos induere potuerunt, nihil verò illis defuisse, cùm rebus omnibus destituti incederent. Expende Christi verba apud Lucam cap. 22. ibi enim discipulos suos alloquens ait: *Quando misi vos sine sacculo, & sine pera; nunquid aliquid defuit vobis? Responderunt illi, & dixerunt illi, Nihil;* nimirum nihil habentibus nihil deficit, diues namque paupertas est, vt paupertatis angustias experirentur, permittendus illis sacculus, permittenda erat pera, mendicitatis enim parentes diuitiæ sunt, indigentiæ causa pecuniæ; hinc subdit Saluator: *sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Ad quid? vt sicut carentes sacculo necessariis non caruerunt, sic non carentes sacculo, ac pera egestatis angustiis non carerent; probè sciens ex diuitiis egestatem nasci, temporalium rerum copiam mendicitatis matrem esse; accinit huic sensui sanctus Chrysostomus homil. in locum Pauli ad Romanos: *Salutate Priscam, & Aquilam;* ait enim, *Cùm non habebant calceos, vel zonam, vel æs, nihil eis deerat. Dicit enim, Num aliquid vobis deerat? & respondentes dixerunt, Nihil. cæterùm pro tempore promisit eis vt marsupium haberent, & peram, & calceos inueniebantur, & esurientes, & sitientes, & nudi incedentes.* Huc vsque qui ab aureo ore nomen habet, itaque nunquam cautiùs egestatis angustias quis patitur, quàm cùm vitandæ egestatis causa sacculos parat, sacculos implet, opes aggerat, accumulat diuitias.

S. Chrys.

640. *Diues non plenus, sed inflatus.* S. Aug.

Extimè quis diues videatur, intus mendicus est, intus egenus, & licèt plenus videatur, non est plenus, sed inflatus tantùm; scitè rem versat sanctus Augustinus serm. 212. de tempore, vbi auarum superbúmque diuitem ita perstringit: *In carne crepat, & in corde mendicat. Inflatus est, non plenus. Vtres autem duos si videns, vnum plenum, alterum inflatum, in vtroque eadem est magnitudo, sed non in vtroque eadem plenitudo, si attendis falleris, si appendis inuenies.*

Maxima egestas auaritia. Mart. Dum. *Diues in paupertate laborat.* S. Chrys.

In diuite paupertas suum ponit domicilium, si ponat, & auaritia cum auaritia cohæreat cum egestate; hinc illud Martini Dumiensis lib. de moribus: *Quæ est,* inquit, *maxima egestas? Auaritia.* Paupertatem in diuite virtutibus viduo notabat, & sanctus Chrysostomus homil. in terræ motum, quæ extat tomo 6. suorum operum, in hæc verba: *Ait diues, deinceps verò pauper, immo verò tum cùm opibus abundabat, pauper erat. Quid enim prodest homini si aliena habeat; & sua non habeat? quid prodest homini si pecunias possideat, virtutem verò non possideat; cur ea, quæ sunt aliorum accipis, & tua perdis.* Perdit & se ipsum, qui diuitias inhiat, quas non habet, auarè possidet quos habet.

Diuites, nec terrã habent, nec cœlo digni sunt. Matth. 5. Isaac.

Nihil habere, qui terrenas diuitias habet, indicare Christus voluit, cùm Matth. 5. pauperibus cœlum dedit, & mitibus præmium, spondens terram mitibus, & nihil diuitibus relictum esse scitemus; scitè Isaac in allegor. noui Testamenti hîc: *Cœlum,* inquit, *pauperibus, terra mitibus; quid amplius volunt qui diuites fieri volunt?* nec terram habent, nec cœlo digni sunt.

EXCVRSVS CII.

Diuitiæ in stultos earum amatores imperium exercent, qui sapit diuitias contemnat, & calcet.

Diuitiæ sapienti seruiunt, *in stultum exercent imperium.*
Tyrannis *diuitiarum.*
Auari diuitias non habent, sed à diuitiis tenentur.
Diuitiæ diuitem tenent.
A diuitiis possidere *diues non debet.*
Verè diues, qui diues esse *non vult.*
Christi serui, opes se non habere *gloriantur.*
Seruile *pecuniarum* iugum.

641. *Diuitiæ sapienti seruiũt,*

DIuitiæ si vti scias, addictę tuæ seruituti erunt, si nescias, tu illarum seruituti eris addictus; seruies diuitiis nisi tibi diuitiæ seruiant; tanti re-

in stultum exercens imperium. Seneca.

fert bonus diuitiarum vsus; scitè Seneca de vita beata cap. 16. *Diuitiæ apud sapientem virum in seruitute sunt, apud stultum in imperio. Sapiens diuitiis nihil permittit; vobis diuitiæ omnia.*

Tyrannis diuitiarum. S. Chrys.

Seuerus tyrannis diuitiæ sunt, si vti nesciat ille, qui illas custodit; vt verus fuerit sanctus Chrysostomus hom. 13. in epist. 1. ad Corinth. dum ait: *Diuitiæ sunt vinculum graue his, qui vti nesciunt, sæuus tyrannus, & inhumanus omnia imperans in perniciem illorum, qui illis seruiunt.* Neronis tyrannis mitis præ ista est, qua amatores suos diuitiæ sæuiunt.

Auari diuitias non habent, sed à diuitiis habentur. Psal. 75. S. Ambr.

Habentur plerique à diuitiis, dum diuitias putantur habere, & possidentur, dum videntur possidere; acutè huc flexit sanctus Ambrosius illud Dauidis Psalm. 75. vers. 6. *Viri diuitiarum in manibus suis*; notat non dictum, diuitiæ virorum, sed viri diuitiarum, vt statim disceremus cupidos diuites diuitiarum suarum esse mancipia, & miserè diuitiis suis seruire, non aliis diuitias; hæc sancti Patris verba lib. de Nabuthe cap. 14. *Et bene viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitiis possideri. possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis.*

Bion.

Et Bion de diuite auaro; οὐκ οὗτος τὴν οὐσίαν κέκτηται, ἀλλ' ἡ οὐσία τοῦτον; *non hic substantiam possidet, sed ab ea ipse possidetur*; ita refert Laërtius lib. 4.

Diuitiæ diuitem tenent. Seneca.

Quòd si reponas, & habere diuitias diuites dicuntur; dicunt, sed verè non habent, nisi eo sensu, quo & à febre correptus habere febrem dicitur, cùm interim habeatur ab ipsa, ab ipsa torqueatur; præiuit verbis Seneca, vereor vt exemplo, epist. 119. ita loquitur: *Quod ad illos pertinet, apud quos falsò diuitiarum nomen inuasit occupata paupertas, sic diuitias habent, quomodo habere dicitur febrem, cùm illa nos habeat, è contra dicere debemus, febris illum tenet, eodem modo dicendum est, diuitiæ illum tenent.*

A diuitiis possideri diues non debet. S. Paulinus.

642. Non tenetur, qui contemnit, qui calcat, qui diuitias possidet, non possidetur ab ipsis, quod præstandum antiquorum exemplo monebat sanctus Paulinus epist. 2. ad Seuerum: *Vide*, inquit, *nunc quantum in ea tibi donauerit Deus, cui & illorum sorte tribuit portionem, qui in lege perfecti vixerunt, ita possidentes vt non possiderentur à possessionibus suis*; sed quia de diuitiarum tyrannide, & duro in suo amatores imperio pluribus alio volumine egimus, hîc plura prudens non adiiciam, ad diuitiarum contemptum diuites inhortor, vt voce terrena quippe tunc verè possidentur, cùm spernuntur, habentur cùm non amantur.

Christi serui opes se non habere gloriantur. Act. 3. S. Hier.

Verè diues ille habendus, qui aurum ita non habet, vt glorietur se non habere. Præclarè sanctus Chrysostomus homil. 65. ad populum Antiochenum: *Elimina pecuniarum amorem, & diues factus est, hic est diues, qui diues esse non vult, qui pauper esse renuit, qui pauper esse non vult.* Iactent sæculi diuites diuitias se possidere; verè non possident, inanis eorum iactantia, inanis gloria est, solida, & firma esset si se non habere aurum gloriarentur. Præiuit Apostolorum coryphæus, qui aiebat: *Argentum, & aurum non est mihi*, Act. 3. non erubescit paupertatem suam fateri, sciens in hac sitas verè diuitias, veram gloriam. Hinc illud sancti Hieronymi epist. 2. ad Nepotianum de vita Clericorum, *Quid suspicimus, & amamus, quod Petrus se non habere gloriosè testatur?* Diues solidè erat, quia minimè solidas diuitias contemnebat, ab auri, & pecuniarum contemptu diues euades, non à possessione; vt probè dixerit sanctus Ambrosius in Apolog. Dauid. cap. 8. *Qui diuitias concupiscit nudus est, qui contemnit opulentus est*; & sanctus Chrysostomus homil. 11. in opusc. 1. ad Timoth. *Seruile pecuniarum iugum fuge, quippe si illas tenere volueris, inops eris: sin autem eas aspernatus fueris, duabus ex partibus diues euades*; alioquin pauper fies, si esse volueris. Magnus diues est, qui esse non desiderat. Verus Martinus Dumiensis lib. de moribus; *Quæ sunt*, inquit, *magnæ diuitiæ? non desiderare diuitias*; eo ipso quòd quis desiderat, esse desinit, & longiùs à veri diuitiis appellatione distat quo celeriùs ad augendas diuitias mentis pede decurrit; in Christi paupertate sitę diuitię sunt, cum Christo diues est, qui pauper cum Christo est; hinc illud sancti Hieronymi epist. 1. ad Heliodorum: *Affatim diues est, qui cum Christo pauper est*, è contra maximè pauper est, qui sine Christo est diues.

Seruile pecuniarum iugum. S. Chrys.

Mart Dum.

S. Hier.

EXCVRSVS CIII.

Diuitiarum, & auaritiæ sordes, & opum lutum.

Sordes *de diuitiis.*
Pecunia habentes contaminat.
Auaritia sordium *nomine circumscripta.*
Amandus Deus, vt à pecuniæ sordibus *liberemur.*
עבטיט *quid*, luti, *&* diuitiarum *cohærentia.*
Diuites vt iumenta in luto, *in diuitiis volutantur.*
Aurum lutum *verè est.*
Qui crucem cogitat, diuitias lutum *putat.*
A pecunia contactu, *vt à* luto, *quin & veneno quinam abstinuerit.*
Epulonis diuitiis exemplo *à diuitiarum amore auocamur.*
Diuitiarum laqueus *cuique cauendus.*

Diuitiæ, quæ tanti fiunt, quæ tam auidè quæruntur, nihil aliud, quàm sordes sunt, imputant mentem, & collutulant; Oseæ 5. v. 11. *Calumniam patiens est Ephraim fractus iudicio, quoniam cœpit abire post sordes.* Chaldæus vertit, *vt enarrent post mammona iniquitatis*, quo nomine diuitiæ, & opes significantur, vt in idem reciderent & diuitiarum nomen, & sordium. 643.

Sordes à diuitiis. Oseæ 5. 11.

Argentum ipsum licèt candidum videatur, & sit, nigras tamen lineas in re producit, cui adprimitur, vt statim vel ab ipso disceremus amatorum suorum corda inficere, & mentem cui per affectum adhæret; inquinat, & maculat habentem pecunia; hinc illud sancti Ambrosij lib. 11. officiorum cap. 26. *Illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non iuuat.* Vis non attaminari? pecunias ne contingas, aut saltem pecuniæ amore ne tangaris, auarus pecuniarum possessor minimè sis.

Habentes pecunia contaminat. S. Ambr.

Adeò inter se auaritia, & sordes cohærent, vt auaritia sordium nomine circumscribatur; auarum sordidus significet; quod familiare Latinis auctoribus est. Plinius lib. 2. epist. 11. *Damnatúmque sordium*, id est, auaritiæ, & rapinæ; & Quintil. lib. 2. cap. 4. *Incusans eius sordes; calceos eum veteres dicebat vendere solere.* Horatius serm. satyr. 6.

Auaritia sordium nomine circumscripta. Plin. Quintil. Horat.

Si neque auaritiam, neque sordes, ac mala lustra,
Obiiciet verè quisquam mihi.

Amandus Deus, vt à pecuniæ sordibus liberemur.
S. August.

Vis ab his sordibus liberari? Dei amorem ama, diuinæ sapientiæ amor pecuniarum amorem extinguit, auaritiæ sordes abstergit. Pulchrè sanctus Augustinus lib.7.de Ciuit.Dei c.12. *Deus,* inquit, *mundi rector, non ab eius pecunia, sed sapientia vocaretur, cuius amor purgat a sordibus auaritia, hoc est, ab amore pecuniæ.*

עבטיט quid, luti, & diuitiarum cohærentia.
R. Dauid.
S. Hier.

644. Eximium aliquid diuitiæ diuitiarum amatoribus præseferant iusto earum iudici, nil aliud, quàm lutum sunt, עבטיט *agbthith,* apud Hebræos *lutum multum* significat, & diuitiarum copiam, vt notauit etiam R. Dauid de Pomis, cohærent hæ duæ vnius vocis notiones, cùm recto æstimatori diuitiæ licèt magnæ nihil aliud sint, quam magnum lutum; qui igitur diuitiis adhæret, is luto immergitur. Scitè sanctus Hieronymus lib.7.cap.14. Isaiæ. *Quando viderimus aliquem diuitiarum immersum luto, non dubitemus eum appellare Hericium habitatorem deserta Babylonis.*

Diuites, vt iumenta in luto in diuitiis volutantur.
Suet.

Iumenta in luto volutantur, auarus in auro; de Caligula hæc scribit Suetonius: *Nouissimè contrectandæ pecuniæ cupidine incensus sæpe super immensos aureorum aceruos, patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquando volutatus est.*

Aurũ lutum verè est.
S. Chrys.

Verè, si quis veras diuitias cogitet, veras amet, aurum luti loco habebit, lutum æstimabit; hinc illud sancti Chrysostomi homil. 53. in Ioannem, *Noli,* inquit, *aurum rapere, sed diuitias, quarum comparatione aurum lutum esse apparet.*

Qui crucem cogitat, diuitias lutum putat.
S. Hier.

Lutum diuitias putabit, qui in Christum oculos conicit, conicit in Crucem; hinc illud sancti Hieronymi in epist.2. quæ est ad Nepotianum; *Cogitemus,* inquit, *Crucem Domini, & diuitias lutum putabimus.*

A pecuniæ contactu vt à luto, quin & veneno quinam abstinuerit.
Tho. Cant.

645. Fuisse, qui vel à nudo auri, vel argenti contactu tanquam à luto, aut etiam, quod magis est, tanquam à lethali veneno abstinuerint, mecum disces ex hoc exemplo, quod Thomas Cantipratanus refert lib.2. cap. 28. vbi de puero Achas loquens ait: *Argentum, & aurum summopere vitabat attingere, & in hoc articulo casus accidit mirus valde. Negotiatores quidam ad hospitium patris eius hospitandi gratia declinarant, qui viso in tali puero habitu mirati sunt. Et cùm intellexissent puerum omnem vitare pecuniam, nummum in fundo vasis, quo bibebant, latenter immittunt, & cum modico vini puero poculum porrexerunt. Qui vbi exhausto vino nummum vidit, exclamans horrificè vas proiecit; tentisque in cœlum oculis, & manibus cum lachrymis dixit: Tu nosti Deus omnipotens, quòd inscius Ordinem meum violaui. Hinc tremebundus expalluit, & quasi ad mortem tendent nigredo eius faciem occupauit; quod videns eius pater expauit, & currens propere sacerdotem adduxit, qui puero absoluto manum imponens eum à dolore, & pœnitudine mitigauit.*

Epulonis diuitis exemplo à diuitiarum amore auocamur.
S. Gaud.

Diuitis Epulonis exemplo à diuitiarum amore diuites auocat sanctus Gaudentius præfat. ad suos tractatus, dum ait: *Caueant,* inquit, *infructuosi locupletes terribile exemplam illius sine misericordia diuitis collegæ sui, ne ad similia tormenta ducantur.* Imitemur Lazarum, quem paupertas ad cœlum extulit, vt diuitem diuitiarum onus in profundum deiecit, quia quas spargere diuitias in pauperes debuit, in luxus, in delitias perdidit.

Diuitiarum laqueus quã cauendus.
S. Ambr.

Diuitiarum laqueum vel Christo ipsi Diabolus tetendit, adeò tales insidias timere quisque nostrûm debet; sancti Ambrosij hæc sunt verba serm. 14. in Psalm. 118. *Aperuit tibi Apostolus auctorem omnium peccatorum, & demonstrauit, dicens: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli. Aduertis laqueum Diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam Saluatori. sed ille qui nihil habuit quod posset princeps istius mundi veniens suum dicere, laqueorum eius vincula dissoluit. Ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam Apostolum strangulauit: qui miser cùm esset illaqueatus, vt proderet Dominum, vbi aduertit quantum sceleris esset admissum, laqueo se ipse suspendit.* Sisto hîc, nec plura contra diuitias produco, amanti Deum hæc satis, non amanti nec plura satis essent.

ADAGIVM DCCLIV.

Formicis exilior.

HAc comparatione summa rei alicuius exiguitas, ac paruitas adagiali quadam hyperbole significabitur; hinc illud Synesij in epist. 646.
ἡμῖν δ' ἦν τι καὶ τῶν ἐκ πόντου θεραπαινίδιον, ὃ συνελθοῦσα τύχη καὶ φύσις, ὑπὲρ τὰς μύρμηκας ἰσχνότερον ἔδειξαν. id est, *erat nobis ancillula Pontica, quam cura, & natura in vnum coniuncta* FORMICIS EXILIOREM *reddiderant.*

Res venustior euadet, si ad animum transferatur, vt quasi formica alicui comparatus dicatur, si sanctitate, eruditione, ac peritia longè illo inferior sit. Præclarè Beatus Thomas à Villanoua conc. 1. de sancto Ioanne Baptista: *O quanta,* inquit, *confusio nostra est, præcedentem Sanctorum considerare sanctitatem? quales Pontifices illi, quales sacerdotes, quales Religiosi, quales Christiani, quales non quasi* FORMICÆ, *& quasi locustæ sumus illi comparati. Vnde sicut legitur quando populus appropinquaret terræ promissionis.*

ADAGIVM DCCLV.

Caluus cùm sis cum ariete obuersa fronte ne congrediaris.

DOcemur hac parœmia, minimè eos esse lacessendos homines, qui sua natura facilè irritantur; hoc sensu hoc prouerbium extulit sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 62. quæ est ad Eustochium sophistam, ait enim: *Virum sophistam castigare institui. O singularem vecordiam, ac ne à vulgari quidem prouerbio eruditus sum, &* CVM CALVVS ESSEM CVM ARIETE OBVERSA FRONTE NE CONGREDERER, *nec crabronem lacesserem, & irritarem, hoc est, linguam ad maledicendum paratiorem.* Si quis quempiam, qui facilè omnes proscindat, & nulli parcat, vellicet, & irritet, percelli hoc prouerbio poterit, ac notari.

ADAGIVM DCCLVI.

Nec vngula in Ægypto Pharaoni relinquenda.

QVidquid sumus, quicquid habemus, totum Christo, Christique obsequio offerendum est; nihil sæculo dandum, nihil mundo. hoc si quis sibi, aut alij persuadere voluerit, aptè senten-

tiam

tiam istam in medium proferet, quæ adagij viee fungi potest; sumpta autem est ex eap. 10. Exodi, v. 26. vbi Moses ait, nec vngulam in Ægypto abeunte populo mansuram. Porrò ad sensum, quem innuimus, eam flexit Drogon Hostiensis Episeopus serm. 1. de Sacramento Dominicæ passionis in hæc verba: *Sterne in via ramos oliuarum, & opera misericordiæ pedibus eius accommodes; accipe frondes palmarum, & triumphes de Principibus tenebrarum. Nihil in te resideat quod in occursum Iesu non prodeat, quia nec* VNGVLA IN ÆGYPTO, PHARAONI RELINQVENDA *est*.

ADAGIVM DCCLVII.

Fauos post fella gustare.

647. AMata sequuntur dulcia, laborem quies, aduersa secundæ res, & tristia læta. Quotiescumque istuc acciderit, hoc vtemur prouerbio; hinc illud Tertulliani lib. de corona militis cap. 14. FAVOS POST FELLA GVSTAVIT; prius Christus fel in passione gustauit, deinde fellis fauum cùm à mortuis reuixisset. Addit Tertullianus; *Nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quam rex Iudæorum proscriptus in crucem.*

ADAGIVM DCCLVIII.

Cyatho Athlanticum mare metiri.

DE re impossibili, aut supra modum difficili. Philotheus Patriarcha Constantinop. orat. panegyr. in sanctos Basilium, & Greg. postquam multa de eorum sapientia attulerat, adiicit; *Hac & istiusmodi non solùm nemo pro dignitate laudare, sed nec particulatim saltem enarrare, & describere vtcumque poterit, nisi* CYATHO ATHLANTICVM MARE METIRI *velis*. Eadem ferè formula vtitur sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 34. *Possunt me*, inquit, *hoc expedire Physici, atque inanis eruditionis laude celebres, ac verè* CYATHO MARE, *hoc est, res tantas ingenio suo* METIENTES.

ADAGIVM DCCLIX.

Mosaica mansuetudo.

INsignis mansuetudinis vis, ac singularis mititatis Mosi comparari poterit, in quo maxima virtus ista enituit; vt igitur Iobi patientia in prouerbium iuit, ita & Moysis mansuetudo; hinc illud sancti Hieronymi lib. 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum, *Qui hominem lenissimum, &* MOSAICÆ MANSVETVDINIS *responsione mea ad scriptionis insaniam prouocauerim.* Porrò Mosis mansuetudinem ita efferebat sanctus Bernardus serm. 12. in Cant. *Dominus illa exasperans nunquam potuit in omni murmure, & furore suo vnctionem spiritus, qua semel imbutus fuerat, exterminare, quominus inter assiduas lites, & quotidiana iurgia ipse in sua mansuetudine perduraret. Meritò testatus est Spiritus sanctus, de eo, qui esset mitissimus omnium hominum, qui morabantur super terram.* Hæc ille, & alia. Mititate, & mansuetudine *alter Moses* dictus est sanctus Theophanes, de quo ita scribit Theododorus Studita; *Cùmque aduersùs Dæmones, & cupiditates pugnaret mitis ac mansuetus omnibus, vt* ALTER MOSES *videbatur.*

EXCVRSVS CIV.

Mititas, & mansuetudo Mosis exemplo sectanda.

Mosis exemplum obtinendæ mansuetudini *plurimum prodest.*
Sol fugat tenebras, mansuetus *res turbulentas componit.*
A Deo mansuetudinem *Moses didicit.*
Qui humilis est, est etiam mansuetus.
Mansueti, & humilis *priuilegia.*
Natura hominem mansuetum *voluit dum inermem eum condidit.*
Satis fortis homo si mansuetus.
Medicamentum est blandus sermo.
Mansuetudinis laudes.
Alterius mansuetudo mansuetudinem docet.

MItis Moses fuit, vt in mititatis exemplum nobis proponatur, eamus post eum, qui tam insigni mansuetudine nobis præluxit. Præclarè sanctus Gregorius hom. 15. in Ezechielem: MANSVETVDINEM OBTINERE QVÆRIMVS? MOYSEM ANTE OCVLOS DEDVCANT *qui exceptis paruulis ac mulieribus sexcenta millia armatorum regens mitis fuisse describitur super omnes homines, qui habitabant super faciem orbis terræ.* Istuc asseruit, qui falli non potest; inter paucos mititatem, mansuetudinémque custodisse, fuisset paucorum inter multos solius Mosis. 648. *Mosis exemplum obtinenda mansuetudini plurimum prodest.* S. Greg.

Durus, & immitis ille populus erat, ad turbas facilis Hebræorum turba, facilis ad tumultus, sed mitis Moses eos compressit, composuitque. Ad modum Solis mitis se habet, & mansuetus, tumultuum tenebras fugat, cùm prodit; scitè sanctus Chrysostomus hom. de mansuetudine: *Quemadmodum* SOLIS IVBAR, *vt primùm apparet* FVGAT TENEBRAS, ITA MANSVETVS, *atque benignus res turbulentas* COMPONIT. Composuit non semel Moses suæ mansuetudinis luce. *Sol fugat tenebras, mansuetus res turbulentas componit.* S. Chrys.

Sæuiebat populus in Moysem, dura in suum ducem intorquebat verba, ipse tamen calumniis, & contumeliis impetitus, de suæ mititatis suggestu deiici nunquam potuit; maior fuit Moysis mansuetudo, quàm oblatrantis populi peruicacia; hunc mansuetudinis spiritum ab illo hauriebat, cum quo iugiter mente versabatur, calumnias omnes, & obloquutiones ferre potuit, quia cum Deo erat, qui illi hunc spiritum mansuetudinis inhalabat. Scitè Oleaster in cap. 12. Numerorum, vbi expendens Mosis in ferendis contumeliis, & Aaronis Mariæque detractionibus fortitudinem, ait: *Docet hic sanctus Moses pulchrè Prælatos murmura dissimulare, iniurias in faciem perpeti, neque ipsa curare, ac si non in se dicta fuissent, neque mireris talem Mosem, quoniam cum eo conuersabatur, qui omnia hæc, & multo deteriora æquo animo nouerat tolerare, nempe cum Deo.* Hæc eadem si sapis vestigia preme; sæuities, crudelitas, in eius mente non facilè domicilium ponit, qui iugiter Deo hæret, & in Deo, vt ita dicam, domicilium habet. *A Deo mansuetudinem Moses didicit.* Oleast.

Mitis Moses fuit, quia fuit humilis, nec superbiæ, fastúsque ventus subire eius animum potuit; mititatis, & mansuetudinis laude insignis non fuisset, 649. *Qui humilis est, est etiam mansuetus.*

fuisset, nisi fuisset humilitatis; illud Num. 12. v. 3. *Erat Moses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*; legunt aliqui ex Hebræo, *Erat Moses vir humilis valde*, sic inter alios produ-

Oleast.

ctus Oleaster, quia has notiones ita discruminet dum ait: *Sunt, qui hic vertunt mansuetus, sed reuera verbum Anah significat potius humilem esse, quam mansuetum, & Anau humilem*; sed reuera, vt videre in lexicis est, vtraque vox vtrumque significat, vt liberum interpreti fuerit mitem vertere; hic autem harum notioonum in vno verbo nexus aperte indicat humilitatem, ac mansuetudinem inter se cohærere, & vnam alteram gignere, alteram fouere. qui humilis erit, præditus erit mansuetudine, superbus mansuetudinem non recipit.

Mansueti, & humilis priuilegia.

Porrò Moses, quem imitandum propono, adeò Deo suo placuit, tantæ per eum miracula operatus Deus est, tantaque familiaritate cum eo egit, vt

Num. 12. 8.

ore ad os ei loqueretur; sic enim habetur Num. 12. v. 8. quia nempe mitis extitit, & mansuetus;

S. Chrys.

hinc illud sancti Chrysostomi homil. 79. in Matthæum ad calcem: *Mosi os, qui* HVMILIS *est, valde mitis erat, sic diligebat, sic osculabatur, vt præsens præsenti.* Vide hic quod superiùs diximus, humilitatem, & mititatem inter se cohærere; osculabatur Deus os illud, quod ira, quod crudelitas non inuaserat; osculum Dei sui Moses meruit qui ore tam lenia, tam mitia, tam dulcia verba fundebat, dum proscinderetur, dum increparetur, dum duris à duro populo verbis peteretur, vt non mirum si & in osculo Domini mortuus dicatur.

Natura hominem mansuetum voluit, dum inermem eum condidit.
S. Chrys.

Natura ipsa hominem mansuetum voluit, cùm inermem fecit, cùm contrà suis armis munita bruta condiderit, quod sic expendebat sanctus Chrysostomus homil. 11. ad populum Antiochenum, *Bruta*, inquit, *corporea gerunt arma: puta bos cornua, dentes aper, vngues leo. Mihi vero non in corporis natura Deus arma reposuit, sed extra corpus, demonstrans quòd* ANIMAL MITE *sit homo, & quòd non mihi semper horum tempus armorum.*

650.
Satis fortis homo si mansuetus.
Idem.

Viribus, armísque destitutus homo sit, satis fortis erit si mansuetus exerit suam virtutem qui iram suam coërcet, & mitibus verbis alienam comprimit, & extinguit hoc aquæ metaphora, sic idem sanctus Pater homil. 58. in Gen. ad finem. *Nihil mansuetudine violentius; non sicut rogum cùm valde accenditur aqua iniecta restinguit, ita & animum camino magis exardescentem verbum* CVM MANSVETVDINE *prolatum extinguit.*

Medicamentum est blandus sermo.
S. Isid. Pelus.

Medicamenti Metaphora istuc idem explicabat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 83. in hæc verba: *quòd* SERMO BLANDVS, *ac sapientia plenus medicamenti cuiusdam instar iracundiam è medio corde feruentem extinguere queat, per quam exploratum habeo.*

Mansuetudinis laus.
S. Ioã. Clim.

Mansuetudinis laudes scitè congerebat sanctus Ioannes Climacus gradu 24. in hæc verba, quæ hîc desiderari nolo: MANSVETVDO *est prominens aduersùs iram maris* RVPES, *quæ omnes illisos fluctus dissoluit, ac frangit, nec ipsa interim mouetur, aut frangitur. Mansuetudo est stabilimentum patientiæ, caritatis ianua, imò vero parens, prudentiæ argumentum; docebit enim, inquit, Dominus mites vias suas: procuratrix veniæ peccatorum, fiducia in precibus, Spiritus sancti domicilium; super quos enim respicias, nisi super mansuetum, & quietum? Mansuetudo est adiutrix obedientiæ, dux religiosæ societatis, furentium frenum, irascentium expultrix, magistra gaudij, imitatrix Christi, cœlitum proprietas, vinculum, & nodus Dæmonum, scutum aduersùs amaritudinem, seu animi acerbitatem. In cordibus mansuetorum requiescet Dominus, anima autem turbulenta illius est Diaboli.*

Alterius mansuetudo mansuetudinem docet.
S. Basil.

Alienæ mansuetudinis cogitatio mansuetudinem ingenerat, quod viridis coloris visione sic explicat sanctus Basilius epist. 5. vbi Eusebium Samosatorum Episcopum alloquens, ait: *Quamquam miseri licèt simus, vno solatio vti visum est, nempe ad* TVAM MANSVETVDINEM *oculos figere, & ex tui notione, & memoria animi dolorem mitigare. Quemadmodum enim oculi, vbi constanter splendida inspexerint, facilitatem quandam per hoc quod ad ceruleos, viridésque colores contuendos se recipiunt, nanciscuntur; ita quoque animis nostris ceu blanda quadam contrectatio dolorem tollit, tollit etiam memoriam tuæ mansuetudinis, & diligentiæ, potissimúmque postquam considerauimus pro viribus tuis omnia te absoluisse.*

ADAGIVM DCCLX.

Regnat Tabeel.

TYrannus, qui per vim regnum inuasit, & vniuersè, qui in alienam sedem se obtrusit, 651.
Tabeel prouerbiali figura dici poterit; Tabeel quippe de vsurpando Iudeæ regno consilium inierat, séque in regni sedem ambitiosus intrudere cogitabat; vtitur hac formula sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 33. Lucium quendam carpens, qui Alexandrinam Ecclesiam expulso Petro Alexandrino inuaserat; hæc eius verba: REGNABAT TABEEL *alienæ sedis hæres.* quod ad pares inuasores porrigi poterit.

ADAGIVM DCCLXI.

Caprea aduersùs Leonem pugnam iniit.

QVis imbecillior, & infirmior fortiorem, strenuiorémque vellicat, initque cum eo pugnam, à quo leui negotio vincitur, tunc vsurpari hoc prouerbium poterit. B. Simeon Metaphrastes apud Surium 11. Ianuar. de sancto Theodosio Cœnobiarcha loquens ait: *Quem Leonem existimabat se iam habere in pedicis, cum in se concitasset vehementissimè, præclarè ostendit, vt est in prouerbio,* CAPREAM INIISSE PVGNAM ADVERSVS LEONEM.

ADAGIVM DCCLXII.

Multum interest inter loqui, & facere.

NIl veriùs, nil frequentiùs vsurpatum; hinc fit, vt multa plerique verbis effundant, quæ re ipsa non præstent, pleraque polliceantur se facturos, quæ efficere aut nequeunt, aut negligunt, aut longè sermo ab opere distet, si de hominibus loquamur, non item si de Deo; scitè sanctus Bernardus homil. 4. super Missus est: *Si hominibus*, inquit, *tam facilè esset facere, quam dicere, quod volunt, & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum: tunc autem quoniam vulgaris, & verus sermo est,* MVLTVM INTERESSE INTER LOQVI, ET FACERE, *sed apud homines, non apud*

apud Deum, soli Deo, quia idem est facere quod loqui, quod velle, meritò non erit impossibile apud Deum omne verbum.

ADAGIVM DCCLXIII.

Pastor hircos mulgens sanguinem exprimet.

652. SAncti Gregorij Nazianzeni in sententiis binis iambicis versibus comprehensis ita scribit: *Pastor hircos etiam si velit mulgeat; verùm pro lacte cruoris dumtaxat fontem exprimet*; ad quæ verba hæc habet Scholiastes. MVLGENS HIRCVM SANGVINEM EXPRIMET; *prouerbium est, quo admonemur, etiam, atque etiam videndum esse, in quorum gratiam labores suscipiamus, ne prosperatis vuis labruscas colligamus. Hoc etiam adagio non ineptè quispiam admoneri poterit, ut fidei pietatem ab hæreticis fugat, quippe, qui pro lacte, idest, salutifera doctrina, non nisi cruentos, ac pestiferos errores proferunt*; poterit ad malos quoscumque porrigi, à quibus, si quidpiam probitatis elicere tentes, scelerum fontes fluent.

ADAGIVM DCCLXIV.

Hoc vno probi malos superant, bona spe.

SI quempiam in áduersis meliora sperare inhortemur, vti hac sententia poterimus, quam prouerbialiter proferri solitam, indicant hæc Synesij verba epist. 103. *Licebit*, inquit, *ex mea oratione, vel necesse erit potiùs eundem & Philosophum esse; & patriæ amantem, nec fortunam desperare, sed pro suis etiam meritis sperare meliora. Etenim hoc vno præsertim, vt veteri prouerbio dicitur*, PROBI MALOS SVPERANT, BONA SPE.

Spes nostra in suos diuitem Deum facit, diffidentia nostra pauperem Christum reddit, tantum aut fiducia, aut exigua fides potest; egregiè in hac re sanctus Petrus Damianus Apolog. de contemp. cap. 8. *Nos certè*, inquit, *minimè fidei compellimus Christum esse tenacem, nempe pusillanimorum diffidentia pauperem facit Christum, & plena fides diuitem illum, & largum in exhibendis muneribus experitur; satage tantùm in his te exercere, quæ iussit, & nulla prorsus ex his maneat dubietas, eorum, quæ promisit.*

ADAGIVM DCCLXV.

Aliqua re magis efferri, quàm Gyges annuli conuersione.

653. NOtissima Gygis fabula est, ab ea prouerbialem hanc sententiam elicuit sanctus Gregorius Nazianzenus, cui locus erit, cùm quis supra modum de aliqua re sibi gloriatur, & se effert; hæc eius verba orat. in laudem sancti Basilij: *Illustre nomen, Christianos esse, & nominari, atque* EA RE MAGIS EFFEREBAMVR, QVAM GYGES PALÆ ANNVLI CONVERSIONE, *si tamen hoc fabulosum non esset, per quam Lydios tyrannide oppressit.*

ADAGIVM DCCLXVI.

Apostolica perfectio, Apostolica vita.

SVmma Apostolorum vitæ sanctitas, puritas, innocentia, ardor fecit, vt & Apostolica perfectio maxima dicatur, & vera. Quibus rebus temporalibus omnino valere iussis, soli Deo vacamus, solum Deum quærimus. Apostolicam professionem, perfectionémque commendat sanctus Bernardus serm. 2. de altitudine cordis: *Professionem*, inquit, *Apostolicam audiamus: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; & paucis interiectis: Vbi ergo Angelica in hoc corpore conuersatio, in corde prophetica expectatio, in vtroque* APOSTOLICA PERFECTIO *inuenitur, quantus iste cumulus gratiarum?* Apostolicam vitam idem sanctus Pater vocauit, illam in rerum omnium contemptu, virtutúmque exercitio sui traducebant; sic ille loquitur serm. de quadruplici debito: *Quid enim est gratius illi, cuius gratia hoc totum factum est, quòd vita vestra vitam Apostolicam repræsentet.*

ADAGIVM DCCLXVII.

Apostolus.

LIcèt certus fuerit Apostolorum numerus, quorum officio orbis vniuersus ab errorum tenebris ad veritatis transiuit lumen, vsus tamen apud vestros obtinuit, vt vir, in erudiendis hominibus, in hæreticis profligandis, in fide propaganda insignis, & totus, & animarum salute quærenda, cuius labori grandis messis responderit, *Apostolus* adagiali forma dicatur; sic sanctus Augustinus, quem sanctus Gregorius in Angliam direxit, illius insulæ conuersione hunc titulum est consecutus, vt *Anglorum Apostolus* sit dictus. Sanctus Norbertus ob ingentem peccatorum numerum, quos ad pœnitentiam reuocauit, innumerósque hæreticos, quos ad orthodoxam fidem reduxit, *Antuerpiensium Apostolus* dictus est. Sanctus Franciscus Xauerius ab eadem causa hunc eundem titulum est consequutus, vt *India Apostolus* audiat; alij quoque hoc eodem titulo donati fuere, vt videre est in Ecclesiasticis fastis.

EXCVRSVS CV.

Apostolicum munus, Apostolica vita.

Apostoli munus, quàm excellens.
Apostolica dignitatis tituli.
Apostoli Legati à latere.
Apostoli Christo induti.
Quantum Apostolis debeamus, *qui nobis vixerunt, & mortui sunt.*
Incudibus animatis *cur Apostoli comparati.*
Elephantis *in quo Apostoli similes.*
Apostolica vita consignatio *terrena contemnere.*
Nihil sibi tribuebant *Apostoli.*
Christi labia *Apostoli referunt, quibus reconciliationis osculum mundo exhibuit.*

Multa

654. MVlta poterant huc de hoc argumento afferri, multa in Apostolorum laudem vitæque Apostolicæ commendationem aduocari, sed ea, quæ alibi diximus, ab hoc nos labore liberant, nec locus patitur nos longiùs in hoc argumentu in hoc campo vagari; hæc quæ subiicio, nolui hîc desiderari.

Apostoli munus quàm excellens. S. Chrys.

Quàm excellens, ac singulare Apostoli munus sit, scitè expendit sanctus Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Romanos, vbi ait: *Apostoli nomine res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus maius, ac dona omnia complectens, quod enim amplius dixerimus, quàm id videlicet Christum, quod nobiscum dum versaretur, fecisset, hoc ipsum illis commisisse, ac sic demum à nobis abiisse? id quod Paulus exclamans, Apostolorúmque dignitatem extollens, ait, pro Christo legatione fungimur.*

Apostolorum tituli. Callixtus.

Apostolicam vitam, dignitatémque dignis titulis exornat Callixtus Papa serm. de Vigil. S. Iacobi, vbi ait: *Ante Dominicum aduentum, inter mundum, & Deum erat discordia, & bellum, sed in Barones pacem portantes, amicitiam inter illos corroborauere æternam. Isti sal terræ, isti lux mundi, turres fortitudinis Dei, testes veritatis, radij veri Solis, milites cœli. Nuntij Regis summi, fenestræ nitidæ veri luminis, valuæ poli, claues regni, montes excelsi, tubæ Olympi, præcones Christi, prudentes serpentini, simplices columbini, agni nouelli, arietes, Nabaoth, veri cœli gloriam enarrantes, veri patres, sæculorum iudices, labrum ablutionis animarum, aurum, & argentum diuinum, Scripturæ diuinæ thesauri, corbona veteris, & noui Testamenti, manna etiam Domini, pedes Christi, oculi Dei, mammæ Ecclesiæ habentur. De quibus verè per Psalmistam dicitur, Cœli enarrant gloriam Dei; ij sunt cœli, in quibus Christus habitat, & residet, in quibus verbis mitris tonitruat, miraculis fulgurat, gratia rorat. Ij sunt duodecim horæ noctis mundanæ, & duodecim radij Solis.*

Apostoli Legati à latere. Tertull.

Christi Legati fuerunt Apostoli, quin & à latere; huc spectat Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersùs hæreticos cap. 20. vbi ait, *Ex quibus* (discentibus) *duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinctos nationibus magistros*; quæ verba explicans Tertulliani Scholiastes Pamel. infit: *Missi multi, legatique multi fuere, sed illi duodecim per antonomasiam dicti sunt Apostoli, Tertull. hic vocare videtur eos Legatos à latere; adlegerant, inquiens, duodecim lateri suo, non minus igitur honorati, quàm sit is, cuius legatione funguntur, Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: vnde canonibus Ecclesiæ cauetur, à latere Papæ Legatum, pro Papa venerandum esse; pars enim corporis eius est.*

Apostoli Christo induti. S. Chrys.

De Apostolis ait sanctus Chrysostomus serm. de Pentecoste: *erant nudi sæculo, sed induti Christo*; plerique nostrûm contrà nudi Christo sumus, & sæculo induti.

655. *Quantum Apostolis debeamus, qui nobis vixerunt, & mortui sunt.* S. Bern.

Multum debemus Apostolis, qui & viuentes nobis profuerunt, & à vita ista abeuntes, non sibi vixerunt, sed nobis, pro nobis quoque mortui sunt; hoc expendebat S. Bernardus in serm. Petri, & Pauli, vbi ait: *Scimus quòd viri isti nec sibi viuere, nec sibi sunt mortui; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illum: pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, & etiam mors ipsa; & in conuersione eminentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt; qui etiam vsque hodie conferre non cessant, misericordia pleni, & sanctarum orationum fructibus.*

Incudibus animatis cur Apostoli comparati. S. Chrys.

Incudibus animatis Apostolos in hunc modum comparabat sanctus Chrysostomus tom. 6. homil. in 12. Apostolos; *Tanquam incudes quædam animatæ cùm sitis, dum cæditmini, eos, qui vos cædunt, ad cognitionem instituitis. Hinc Petrus vrbis Romæ Doctor extitit, hinc Euangelio Paulus orbem terrarum confirmat, Andreas dirigit Græciæ sapientes: Simon barbaris Deum demonstrat, Baptismo Thomas albos reddit Æthiopes. Iudæa Iacobi cathedram colit. Marci solium, quæ ad Nilum est, Alexandria veneratur.*

Elephantis in quo Apostoli similes. S. Callixtus.

Elephantis similes Apostolos esse censebat Beatus Callixtus Papa 11. serm. in sanctum Iacobum Apostolum, vbi similitudinem ita versat, & explicat: *Elephas castum animale esse, & genua, & terram curuare non posse dicitur, quia Apostoli casti per continentiam fuisse dicuntur, & ad terrena negotia nullo modo post conuersionem flecti perhibent. Pellem, & ossa Elephas gerit candida, quia Apostoli in fine per operationem bonam candidi facti sunt.*

Apostolicæ vitæ consignatio terrena contemnere. S. Hier.

Hinc Apostolicæ vitæ hæc consignatio est si terrena omnia calcentur, opes omnes Christi amore pauperibus distribuantur; hinc illud sancti Hieronymi epist. 8. ad Demetriadem, *Apostolici, inquit, fastigij est, perfectæque virtutis vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem, atque expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare.*

6,6. *Nihil sibi tribuebant Apostoli.* S. Basil. Sel.

Apostoli sine doctrina, sine opibus, sine dignitate, qui orbem conuerterent electi sunt vt humano auxilio destituti integriùs seruarent quidquid acceperant à Christo, nihilque sibi tribuerēt, dum tam insignia opera ederent; scitè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 30. apud quem Christus in hunc modum Apostolos alloquitur: *Fas mihi fuit Regibus potiùs vti ministris, fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ administrandas trahere, potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere: sed tum famulantium splendor gloriam famámque meam ad se rapiat Dei, eius enim existimatione, qui rem gerit famulorum potentia occultum quiddam detrahit. Recusò diuitiarum obsequium ne si operam conferant, rem tam mirandam extenuent. Vos ego comperio fidos miraculorum meorum custodes; quibus enim nullum humanum præsidium præsens est, apud hos Dei potestas retinetur integrior. Propterea namque miraculo est miles, cùm vilibus armis ad victoriam vtitur.*

Christi labia Apostoli referunt, quibus reconciliationis osculum mundo exhibuit. Guilhelmus.

Christi labia Apostoli sunt, quibus reconciliationis osculum mundo exhibuit, quod eleganter explicat Guilhelmus in cap. 1. Canticorum: *Solemne est*, ait, *in sacra Scriptura per oleum gratiam signari. Quid ergo est oleum effusum, nisi gratia diffusa? diffusa est gratia in labiis tuis, ad personam eiusdem incarnatæ sapientiæ dicitur, Labia eius Apostoli, in quibus posuit saluberrimum verbum prædicationis, & per quos suauissimum osculum reconciliationis mundo porrexit. Per ipsos facta est diffusio gratiæ, id est, effusio olei, quo vngerentur omnes præordinati ad vitam æternam, & dicerentur à Christo Christiani. Illud vnxit Deus præ consortibus suis. hoc labia sponsi oleum nominis effuderunt quando Apostoli gratiam notitiæ Christi extra fines Iudeæ, in qua catenus notus erat Deus, precando per omnes gentes diffuderunt.* Tantum Apostolis debent, qui ad fidem Christi, Christúmque conuersi sunt, & conuertuntur.

ADAGIVM DCCLXVIII.

Graculos aquilarum volatum explorare sine.

RVdis vulgi rationem minimè habendam esse, nec imperitorum ei censionem tan- 657.
quam

quam alicuius pnuderis faciendam, qui ad magna adſpirat, & ad ſublimia ſuadete, ſi quis voluerit adagiali hac formola vtetur; hac illud facit quod habet ſanctus Gregorius Nazianzenus epiſt. 67. *Homines imperitos, inquit, valere ſine, &* GRACVLOS *eſſe* AQVILARVM VOLANTIVM EXPLORANTES. Vtemur quoque cùm quempiam ad Dei cultum, obſequiúmque vrgebimus, monentes ne ſæcularium hominum aliter ſapientium audiat voces; aut cùm ad litterarum ſtudium aliquem prouocabimus, à quo imperitorum imperitis ſermonibus auocetur.

ADAGIVM DCCLXIX.

Alter Phaleg.

QVi vnita diuidit, abiungit coniuncta, alter Phaleg prouerbialiter appellabitur; ſcitè ſanctus Petrus Damianus lib.7.epiſt. 3. *De Phaleg,* inquit, *filio Heber, ſcriptum eſt, quia in diebus eius diuiſa eſt terra; de ſe quoque cauendum eſt ne dicatur, quia in diebus tuis diuiſa eſt Eccleſia, Noli ergo eſſe* PHALEG, *qui coniuncta diuidas, ſed eſto diſcipulus Chriſti, qui diuiſa coniungas.*

ADAGIVM DCCLXX.

In tuo corde videntur vulpes feciſſe cubilia.

VErba vſurpanda de vafro, doloſóque homine, dolis, fraudibúſque refertiſſimo. Theophilus Antiochenus comment. in Matthæum: *In te,* inquit, *tanti doli, tantæque fraudes ſunt vt* IN TVO CORDE VVLPES VIDEANTVR FECISSE CVBILIA. Sanctus Petrus Damianus lib.6. epiſt. 24. vulpes haſce & corde eiiciendas monet, córque harum vulpium ſpelæum in melius domicilium vertendum docet; hæc eius verba: *Quiſquis in corde ſuo cuiuſlibet malitiæ venena concepit, feſtinet de pectoris ſui fouea vulpes excutere, vt in eo Dei filius caput ſuum meritò debeat reclinare. O tu, quiſquis es, cor tuum,* SPELÆVM *ſcilicet* VVLPIVM, *in arcanum caſtæ meditationis verte mortarium.* Subdolum, verſutúmque ſine prouerbiali ſalua vulpis Archilochi imitatorem dixit ſanctus Baſilius homil. de legendis Gentilium libris in hæc verba: *An diuitias quidem, & voluptatum ſenſus contemnemus, aſſentationem verò, & blanditias ſectabimur, & Archilochi vulpeculæ aſtutiam, & venuſtiam æmulabimur?*

Qui ſapit, cor ſuum, non vulpium, cubile, ſpelæumque faciet, ſed Dei ſui habitaculum, Sanctorúmque cogitationum, quòd ſi iam ſpelæum conſtituerit, mutata mente vulpibus excluſis Chriſtum recipiet, & eas, quæ Chriſto mentem iungunt, ſacrarum meditationum ſuauitates. Præclarè ſanctus Petrus Damianus epiſt. 112. *O tu quiſquis es, cor tuum,* SPELÆVM *ſcilicet* VVLPIVM, *in arcanum caſtæ meditationis verte mortarium, in quo videlicet manna cœleſtis eloquij non deſinas ſubtiliter terere.*

ADAGIVM DCCLXXI.

Noſtri temporis Moſes. Nouus Moyſes.

DE magno, & magnarum rerum patratore dicetur, qui miraculorum gloria ſit illuſtris: hac olim laude, hoc titulo donauit ſanctum Gregorium Thaumaturgum ſanctus Gregorius Nyſſenus in eius vita, vbi his verbis illum effert: *Alius hic quidam noſtris temporibus Moyſes fuit, qui verè cum illius miraculis certaret: exierunt ambo ex turbulento hoc, & ſtrepitibus, ac clamoribus circumſonanti ſeculo,* MOYSES, *& Gregorius, ſuo vterque tempore per ſe priuatim, ac ſeorſum viuentes, donec vtrique ex diuina apparitione pura vita lucrum manifeſtaretur; ſed Moyſes quidem, vnà cum philoſophia etiam vxorem adiunxit: Gregorius autem, ſolam ſibi virtutem contubernalem adhibuit.* 658.

Nouus præterea Moſes audiet, qui omni diſciplinarum genere inſtruitur, ſicut olim Moſes Ægyptiorum diſciplinis; Gregorius Presbyter in vita ſancti Gregorij Nazianzeni ita de illo, & ſancto Baſilio loquitur: *Quin etiam numerorum ſupputationes, & Geometriæ æquitatem aſtrorúmque ſitum ac motum, veluti* NOVI MOYSES, *edocti ſunt.*

Lenis ac manſuetus, qui pacem inter diſcordes ſerit, mediúſque ſe ſiſtit, hic Moſi, & Aaroni comparari poterit, qui in hoc præcipuè fuere inſignes, vt diuinum numen ſuis precibus propitium populo redderet. Sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de rebus ſuis ita canit,

Lenis, dulciloquus MOSES NOVVS, *alter Aaron,*
Mortales inter medium, numénque ſupremum,
Pérque preces puras, & per ſolemnia ſacra,
Atque ea, quæ peragit ſibi mens bene conſcia, recto
Fœdere amicitia iungens, hominéſque Deúmque.

EXCVRSXS CVI.

De Moſe aliqua notantur, aliqua in Moſis laudem afferuntur.

De Moſe Hebræorum *cenſio.*
A Moſe inſtitutus Ioſue *tam magnus euaſit.*
Diu in ſolitudine *ad imperium eruditus Moſes.*
Qualis futurus aliorum dux *ex Moyſe diſcitur.*
A tumultibus *abeſſe debet, qui præeſt.*
Superiores venerandos *in Moſe vt Deus docuerit.*
Moſis ieiunium *effertur.*
A rerum caducarum amore *liber Moſes.*
Cur ſe ineloquentem *dixerit Moſes.*
Splendidus Moſis vultus *expenditur.*

INtegrum volumen occuparet vnus Moſes poſſet, ſi ea de eo hîc exaranda, quæ eius laudem tangunt; integrum nobis non fuit, cùm omnia non poſſimus, hîc non aliqua hoc excurſu referre. Aiunt Rabbini tres fuiſſe inſigni pietate homines, quibus tria maxima beneficia tulit accepta populus Iſraël. מן בזכות משה עמוד ענן בזכות 659. *De Moſe Hebræorum cenſio.* Rabb.

בזכות אהרן בצר בזכות מרים מחה מרי
נסתלקה הבאר וחזרה להן בזכות משה
ואהרן מת אהרן ונסתלק עמוד הענן הזר להן
בזכות משה מת משה יסתלקו שלמהן ולא
חזרי שנית שנאמר ואכחיד את שלשת
הרועים בירח אחד. *Manna illis contigit ob merita Mosis, columna nubis propter Aaronem, puteus propter Miriam. Moriente Miriam, periit puteus, sed restitutus est propter Mosem, & Aaronem. Obiit Aaron, euanuitque columna nubis. reddita tamen est propter Mosem. At Mose extincto, sublata sunt simul tria hæc. Scriptum enim extat, Exscindam tres pastores mense vno.*

A Mose institutus Iosue tam magnus euasit.

Iosue in omni genere tam magnus, tam præstans, insignisque euasit propter Mosis, à quo fuerat institutus, disciplinam, magnus nimirum discipulus magistri magni fuit, ab eo rerum diuinarum cognitionem hausit, ab eo mores, morúmque integritatem didicit, quin & modum, quo alius regeret, & gubernaret. hinc illud sancti Ambrosij lib. 2. offic. cap. 20. *ad instructionem itaque bonis iungi plurimum proficit, & ad probitatis testimonium. Ostenduut enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhæserint, & ea conualescit opinio quòd ab his viuendi acceperint similitudinem, cum quibus conuersandi hauserint cupiditatem. Inde tantus Iesus Naue, quod cum non solùm erudiuit ad legis scientiam Moysis copula, sanctificauit, verùm etiam ad gratiam*; tantum ad bonitatem bona institutio potest, & ad sanctitatis indeptionem magistri sanctitas, & innocentia; magnus euasit Iosue à magno magistro institutus, magni ducis vestigia premens.

S. Ambr.

660. *Diu in solitudine ad Imperium eruditus Moses..* S. Hier.

Magnus Dux Moses, & diu eruditus ad Imperium in solitudine informatus ad regimen est, ne temere quis, & imperatus ad dignitatis ascenderet culmina; de illo ita scribit sanctus Hieronymus epist. 4. *Moyses vt* PRÆESSET POPVLO IVDÆORVM, *quadraginta annis eruditur in extremo*; quàm feliciora Imperia essent si diu ad illa se Mosis exemplo præpararent Reges futuri, Principes, Superiores.

Qualis futurus aliorum Dux Moses docet. S. Ambr.

Mosis exemplo discimus, qualis sit futurus, qui alios ad Dei regnum vocat, auocat à tyrannide Pharaonis; euocaturus populum ab Ægypto Moses iussus est soluere pedum calceamenta Exod. 3. vt carnis exuuiem ferè deponeret, totus spiritus esset, qui cæteros est recturus. Præclarè sanctus Ambrosius de Isaac, & anima cap. 4. *Talis Moyses, cui dicitur, Solue calceamentum pedum tuorum; vt vocaturus populum ad Dei regnum priùs carnis exuuies deponeret, nudo spiritu, vestigióque mentis incederet; non aliter debet ambulare, cui non aliud munus commissum est.*

A tumultibus abesse debet, qui præest. S. Nilus.

Ex eo quòd Moses extra castra tabernaculum fixerit, à bellicis tumultibus eum qui præest, magistrúmque abesse debere colligebat sanctus Nilus in Asceticis dum ait: Moyses item extra castra figens tabernaculum ostendit à tumultu bellico quàm longissimè abesse magistrum oportere.

Superiores venerandos in Mose vt Deus docuerit.

Superiores reuereri subditi debent, colere, venerari. in Moyse hoc Deus docuit, multa miracula cùm populo per se Deus præstiterit, pluit illis è cœlo manna, dedit concupiscentibus volatilia Exod. 14. at mare vt diuideret, Moysis quoque ministerio est vsus, qui virga illud percussit, & diduxit in partes, vt sicco populus transiret vestigio, Num. 20. cur ita? an vt Moysem populus veneraretur, Moysi obediret. Sanctus Gregorius lib. 5. cap. 4. in lib. Regum: Nobis succinet, ait, id factum, *vt dum hominem venerabilem redderet, huic Israeliticus populus humiliter subiici, &* DEVOTE OBEDIRE *debuisset.*

S. Greg.

Mosis ieiunium effertur. D. Rup.

Moysis ieiunium ita efferebat B. Rupertus lib. 6. de gloria, & honore filij hominis: *Moyses iussus esse non legitur, vt ieiunaret, sed sponte ieiunauit, vt sermonem ex ore Dei procedentem, in quo viuit homo, accipere, atque conscribere dignus existeret. Rursus ieiunauit, vt dimissionem peccati populo impetraret, quemadmodum dicit ipse Moyses.* addit, *Procidi ante Dominum sicut priùs, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum arripiens igne combussi.*

661. *A rerum caducarũ amore liber Moses.* Exod. 3.

De Mose Exod. 3. legitur, *pauisse oues Iethro soceri sui*; sed cur & suas non pascit, quadraginta annos in terra Madian traduxerat, & oues, quas pasceret, non acquisierat? An dicitur habuisse, quia paucas habuit? an quia rerum caducarum amore non tenebatur, cœlestibus inhians.

Cur se ineloquentem dixerit Moses. Orig.

Cur se ineloquentem, impeditioríque linguæ vocet Moses, quæri potest? Origenes homil. 3. in Exodum, nodum è temporis varietate soluit, dum ait: *Donec esset Moyses in Ægypto, & erudiretur omni sapientia Ægyptiarum, non erat gracili voce, nec tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem. Erat enim quantum ad Ægyptios & sonoræ vocis, & eloquentiæ incomparabilis: vbi autem cœpit audire vocem Dei, & eloquia diuina suscipere, tunc sensit exilem, & gracilem vocem suam*; mutus, & elinguis est coram Deo, qui alioquin vel ad miraculum eloquens erat.

Splendidus Mosis vultus expenditur. S. Aug.

Cur Moses de monte descendens splendidum vultum detulerit, sic exponit sanctus Augustinus lib. qq. ex veteri Testamento q. 8. *Vt quid Moyses descendens de monte cum tabulis, vultum splendidum habuit (& intolerabilem) accepta potestate in peccatores cum honorificentia descendit de monte, facie gloriosa. Lex enim contra peccatores data est. Moyses ergo quia non peccauerat, gloriosus apparuit, & intactum, vt à peccatoribus videri non posset. Ostensum enim in eo est, quia peccatores gloriam Dei non merentur aspicere.*

ADAGIVM DCCLXXII.

Non iam quercus loquitur, nec iam lebes vaticinatur.

Vm ostendemus non ampliùs fabulas vigere, nec commenta, ipsam veritatis lucem apparemus, hac sententia vtemur, quæ facilè ad prouerbialem sensum referri potest; sancti Gregorij Nazianzeni orat. 48. quæ est 11. in Iulianum, ita habet: NON IAM QVERCVS LOQVITVR, NON IAM LEBES VATICINATVR, *non iam Pythia impletur. haud scio quibus fabulis tamen, & deliramentis.* 662.

ADAGIVM DCCLXXIII.

Familiaris dominus fatuum nutrit seruum.

PRohibetur hoc prouerbio nimia in subditos familiaritas; domini prudentis non

est nimis sese demittere, nam secus seruos, & subditus insolescit, oec seruos est; sanctus Bernardus contra vitium ingratitudinis in tepidos, & dormitantes inuehens Religiosos, ita scribit: *Quantos videmus quasi oblitos sui, & peccatorum suorum, Dei quoque, & beneficiorum eius immemores, sic non redimere, sed amittere tempus, vt de moribus, & affectionibus suis vix vltima apud ipsos mentio fiat? quid istos aliud agere dixerim, qui scurrilitates, detractiones, iactantia, & impatientia verba non reputant, quam securos iam de gratia Domini sui fiducialiter de ea quam longo tempore promeruerint familiaritate prasumere, hoc nempe est, quod vulgari prouerbio dicitur*, FAMILIARIS DOMINVS FATVVM NVTRIT SERVVM.

ADAGIVM DCCLXXIV.

Charybdis quædam estis.

663. MAlè apud prophanos Charybdis audit, malè apud Sacros, apud vtro que abiit in prouerbium, quod in eos torquet sanctus Isidorus Pelusiota, qui omnia in exitium torquent; hæc eius verba lib. 1. in epist. 347. *Si nec diuinam disciplinam, qua monendi vestri causa existit, perfentiscitis, nec ea qua vobis in memoriam redigimus ad meliorem mentem induendam accipitis*, CHALYBDIS QVÆDAM ESTIS *inferno, ac perditioni similis, omnia ea, qua porriguntur in exitium torquens.*

ADAGIVM DCCLXXV.

Alter Aristoteles.

DE perspicaci, & acutissimi ingenij viro prouerbialiter solet vsurpari, quòd si per ironiam adducatur, alicuius imperitiam traducemus; ita pressit sanctus Bernardus epist. 190. hæreticum malè arguentem dum exclamaos, O, inquit, *alterum Aristotelem!*

Qui Aristotelis sectator est, ad eius fontem doctrinæ fluenta bibit, occinat sibi illod, idendémque dicat, quod occinebat, dicebátque Petrus Abailardus, qui ad Heloissam scribens ait: *Nolo sic esse Philosophus, vt recalcitrem Paulo, non sic esse* ARISTOTELES, *vt secludar à Christo.*

ADAGIVM DCCLXXVI.

Corpus quauis aranea tenuius.

DE imbecilli, & cuilibet iniuriæ ferendæ impari prouerbiali similitudine vsurpabitur, & cùm quis corpore vix subsistere potest; extulit hoc sensu sanctus Chrysostomus epist. 4. vbi loquens de se ipso ait: *Hæc omnia effugimus, & nunc percommoda valetudine vtimur, atque in magna securitate sumus: adeò vt Armeny ad stuporem vsque mirentur, me in tam imbecilli, &* QVAVIS ARANEA TENVIORE CORPORE, *tam intolerandam frigoris vim perferre, & spiritum ducere posse, cùm ij etiam, qui hyemi assueti sunt, hinc non vulgarem in modum afficiantur.*

ADAGIVM DCCLXXVII.

Alter Abraham.
Nouus Abraham.



QVi patriam domum, cognatósque Dei nutu relinquit, & eò pergat, quò Deus vocat, is Abrahæ in hac re par alter Abraham vocari poterit. In vita Beati Antonini Abbatis hæc auctor habet: *Spiritu sancto duce velut* ALTER ABRAHAM *de terra sua, de cognatione sua, & de domo patris sui egressus Parthenopes ingressus est agros.* Petri Blesensis verba huc etiam spectant, qui epist. 20. ita loquitur, *Abrahæ dictum est: Egredere de terra, & de cognatione tua; & ego quare non egrediar, aut quare ad parentes meos non egrediar, apud quos non inueni nisi manus Harpyiarum, consilia Achitophel, vulpium dolos, aculeos scorpionum?* 664.

Alter Abraham extitit Paulus, de quo ita scribit sanctus Chrysostomus homil. 8. de eius laudibus: *Paulus* ALTER ABRAHAM *non modò à patria, vel gente, sed post vocationem suam ab ipsa etiam vita prorsus abscissus.*

Nihil prohibet, quin & ad cæterarum virtutum, quæ in Abrahamo fulserunt, imitatores prouerbialis hæc formula porrigatur.

Si cuiuspiam sanctitatem, ac probitatem, fidem, & in rebus aduersis constantiam efferemus, proferri hæc formula poterit, aut nouum Abrahamum illum vocitemus; hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni orat. in laudem Gorgoniæ, paulo post principium: *Ecquis, inquit, est igitur, qui* NOVVM NOSTRVM ABRAHAM, *Saramque nostra ætatis ignoret? Gregorium dico, & eius vxorem Nonnam*, quod porrigi ad quemlibet eximia laude dignum poterit.

EXCVRSVS CVII.

Abrahæ commendatio.

Abraham à Deo laudatus *omni laude maior.*

Iusti *nomen de Abraham.*

Abrahæ conuersatio animata lex.

Abrahæ merita *vt colligant Hebræi.*

Quanta lætitia *perfusus Abraham in filio videns mundi salutem significari.*

In Abrahamo diuite diuitiarum contemptus *relatus.*

Mundo *Abrahamum Deus prætulit.*

Abrahæ & suppares viri amissione *quantum mundus amittat.*

Plurium generationum, & ætatum gloria *ac* decus *Abraham.*

Quanti Abrahæ nomen *olim fieret.*

In Larario cùm aliorum imaginibus imago Abrahæ *locata.*

Cur puer *dictus Abraham cùm senex esset.*

Impigra Abrahæ alacritas.

Abraham fidei radix.

Suos reliquisse *Abrahæ quantum profuerit.*

Lauda

665. *Abraham à Deo laudatus omni laude maior.* S. Chryſ.

LAudabit Abraham, qui imparem eius laudibus ſe fatebitur; omni ſuperior laude eſt, *quem Deus*, inquit de eo ſanctus Chryſoſtomus homil. 38. in Geneſim, *supernè prædicauit, & celebrem fecit; quis hominum dignè laudare poterit?* reſilit in laudandi laudem, ſi quilibet huic muneri ineptum ſe fatetur, & inidoneum; aliqua hîc in eius laudem proferam,quę aut prolata ab aliis,aut indicata, vt eum imitandi cupido nos quoque inuadat, qui felicioribus temporibus nati nobiliore ſanctitate fulgere deberemus.

Iuſti nomen de Abraham. Iſ. 41. 2. Chald.

Obſeruo in primis κατ᾽ ἐξοχὴν Abrahamum *iuſti* nomine ſignificatum, nam quod Iſaiæ 41. 2. Vulgatus habet, *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum?* Paraphraſtes Chaldæus ita vertit, *Quis adduxit publicè ab Oriente Abraham?* vt iuſti nomen Abraham ex huius interpretis mente ſit; ex noſtris ſanctus Chryſoſtomus homil. 38. in Geneſim de Abrahamo loquens ait: *Quia iuſti ſemen intra ſe gerebat (Agar) ideo & Angeli aſpectum videre meruit,* vt hinc colligere liceat, quid ipſemet iuſtus Abraham meruerit, cùm tantum eius ſemini ſit tributum. Addit ſtatim, *non propter ancillæ meritum Angelus aſſiſtit, ſed ob honorem iuſti digna erat, quæ non negligeretur ob dignitatem ſeminis iuſti, quod in ea erat conceptum.*

S. Chryſ.

Verè iuſtus Abraham, qui iuſtitiæ litauit, & cuius conuerſatio lex quædam fuit, & quidem animata; ſanctus Zeno ſerm. 5. de Abraham ita de illo cenſet: *Abraham, vt Pater eſſet multarum gentium, ſic iuſtitiam non didicit, ſed genuit, non illum acceſſus infecerat vrbium, cuius conuerſatio lex fuit;* magnus huic Patriarchæ laudis accedit cumulus, quòd puram, & illibatam vitam duxit, etiam inter impuros degens, nam ægrè à vitiis liber qui vrbes habitat à vitiis in habitaras.

Abraha merita vt colligant Hebræi.

Abraham merita colligunt ex hoc Hebræi, quòd videatur ipſius cauſa omnia creata, certè propter illum, qui ex eo naſciturus erat. Geneſ. 2. v. 4. *Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creatæ ſunt*; in fonte hæc poſtrema verba ſic efferuntur; בהבראם *increari ea*, ſic enim vertit Arias, quæ litteræ Abrahæ nomen formant, vt verti poſſit, *in Abraham*, vel *per Abraham*, addunt Rabbini כי בזכיתו נברא העולם, *quia ipſius meritis conditus mundus eſt*; ſed verè conditus propter illum eſt, qui ex illo erat naſciturus.

666. *Quanta lætitia perfuſus Abraham in filio videns mundi ſalutem ſignificari.* Franco.

Certè conuiuium Abraham fecit, non in ſignum tantùm lætitiæ, qua ob filium perfundebatur, ſed quia in eo totius mundi ſalutem ſignificari velut in figura cognoſceret; Iſaac enim Chriſtum referebat, qui mundum ſaluare aduentu ſuo debebat. Audiendus hic Franco Abbas tom. 3. de gratia Dei, vbi de Abraham, & Iſaac loquens ait: *Senex Pater exultat, conuiuium inſtituit, feſtiuitatem celebrat, non tam quia filium ipſe ſuſcepit, quàm quia in filio repromiſſionis totius mundi ſalutem, & humani generis redemptionem repromittit, vt Propheta intelligit*; neſciunt Dei ſerui ſua gaudia, ad propria tantùm commoda coërcere latiùs gaudiorum terminos extendunt.

In Abrahamo diuite notatus diuitiarum contemptus. S. Auguſt.

In Abrahamo diuite diuitiarum contemptum ita notabat ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 85. *Certè ille pauper in ſinum Abrahæ ſublatus eſt. De ipſo Abraham dicit Scriptura, quia habebat hic plurimum auri, & argenti, & diues fuit in terra. Si quis diues eſt, & ad tormenta rapitur, quomodo Abraham præceſſerat pauperem vt ablatum in ſinum ſuum ſuſciperet? ſed erat Abraham in diuitiis pauper, humilis, tremens omnia præcepta, & obediens. Vſque adeò autem pro nihilo habebat illas diuitias, vt iuſſus à Domino filium ſuum immolaret, cui ſeruabat diuitias. Diſcite ergo eſſe inopes, & pauperes, ſiue qui habetis aliquid in iſto ſeculo, ſiue qui non habetis.*

Neuarini Adagia SS. Patr.

Mundo videtur Deus Abrahamum prætuliſſe, cùm ſe eius Deum dixit ſicut Iſaac, & Iacob, ſic enim ille loquitur Exod. 3. 16. *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, horum virtutem cæterorum multitudini præfert, vt non numeri, ſed ſanctitatis ratio habeatur; egregiè hæc verba expendit, & illuſtrat ſanctus Chryſoſtomus tom. 6. homil. de Anna, ait enim: *Ego ſum Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob: non contrahens ſuum imperium, ſed extendens potiùs, quod non tam multitudine ſubditorem, quàm eorum virtute cenſeri vult, neque enim tantum Deus cæli, & terræ, & maris, & eorum, quæ in eis ſunt, appellari gaudet, quantum, ſi Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob vocetur, & quod in hominibus non ſolemus, in Deo videre licet. Apud homines enim à dominis ſerui appellationem ſumunt, & ita omnes ex more loquimur; Ille, vel ille procurator, aut diſpenſator illius, vel illius ducis, aut præfecti: nemo autem ſic loquitur, Ille, vel ille Dux, aut præfectus illius procuratoris, aut diſpenſatoris, ſed minores à maioribus ſemper denominare conſueuimus, de eo autem contrà ſit.*

Mundo Abrahamum Deus prætulit. Exod. 3.

S. Chryſ.

Quanti fieri iuſti præſentia debeat, quantum vnius iuſti amiſſione mundus amittat, explicat his verbis R. Chanam filius Raua, quæ ita Abrahami laudem continent, vt porrigi ad quemlibet ſingularis ſanctitatis virum poſſint; ſic autem ille ſcribit, Hebræa omitto, Latina verſione contentus: *Dies ille quo diſceſſit Abraham ab hoc mundo, primates illius ætatis ſurrexerunt, dicentes: Væ mundo, qui ducem ſuum amiſit, & væ illi naui, quæ nauclerum perdidit.* 667.

Abraha, & ſupparis viri amiſſione quantum mundus amittat. Hebr.

Obſeruant Hebræi, quod Abrahami laudem maximè facit, inter eum, & Noë decem generationes fuiſſe, ipſum omnium gloriam indeptum, omnium conſummationem extuliſſe, omnium decus; huc faciunt ea verba, quæ in Pirke auoth cap. 5. habentur עשרה דורות מנח עד אברהם להודיע במה ארך אפים לפניו שכל הדורות היו מכעיסין ובאין ·עד שבא אברהם אבינו וקבל שכר כלם. id eſt, *decem ætates ſunt à Noe vſque ad Abraham, vt ſciatur quàm ſit Dei longanimitas Dei, quàmque ira à Deo longè ſit, vt omnes ætates eum irritauerint aſſiduè vſque dum venit Abraham Pater noſter, & accepit præmium earum omnium*; quod ſcilicet poſſidere debuerant ſi bene egiſſent, vt in vnum Abrahamum decem ætatum bona coiuerint.

Pluriũm generationum & ætatum gloria ac decus Abrahã. Hebr.

Quantus fuerit Abrahami in Deum amor, & beneuolentia colligunt Hebræi ex decem vicibus quibus tentatus fuit, & in omnibus probatus. in Pirke auoth cap. 5. hæc leguntur. עשרה נסיונות נתנסה אברהם אבינו ועמד וכלם להודיע כמה חבתו של אברהם אבינו. hoc eſt, *decem genera probationibus probatus eſt Abraham Pater noſter, & in omnibus firmus extitit; vt hinc intelligatur quantus eius in Deum amor extiterit.* 668.

Plurics à Deo probatus Abraham. Hebr.

Abraham primorum parentum ſceleribus hoc modo ſe oppoſuit, vt obſeruant Rabbini במה שעוותו הראש וגם תקן הוא אדם הראשון באכילה נתנשתה אנשי סדום בלויה. hoc eſt, *in eo, in quo præuaricati ſunt primi, refecit ipſe (Abraham) Primus homo peccauit in eſu, Noe potu, Sodomitæ quia hoſpites non comitabantur*; ipſe omnia hæc fecit; hoſpites potu, ciboque reficiebat, & Angelos quos excepit hoſpitio comitatus eſt, ſic enim adiiciunt Hebræi.

Abraham primorum parentum peccatis ſe oppoſuit. Rabb.

V 3 Apud

Formula felicis precationis ex Abraham desumpta.
Lyran.

Apud Hebræos felicis precationis formula talis erat: *Benefaciat tibi Deus, sicut fecit Abra*; sic ex eorum mente Lyranus in cap. 12. Genesis: *Quando aliquis imprecabatur bona alteri, dicebat, Benefaciat tibi Deus, sicut fecit Abra.*

Quàm Abrahæ nomē olim fieret.
Orig.

Quantum fieret noo ab Hebræis tantùm, sed etiam ab aliis vel nudum Abrahæ nomeo, iodicat Origeues dum ait excantandis Dæmonibus olim vsurpatum; hæc eius verba lib. 1. contra Celsum: *Abrahami verò nomen non in solius Mosis scriptura legitur, vt Deo familiaris, verùm etiam & multi ex iis, qui excantant Dæmonia, verbis suis inserunt illud, Deus Abrahami, indicantes hoc nomine familiaritate eius cum Deo.*

669. *In Larario cum aliorum imaginibus imago Abrahæ locata.*
Lamprid.

In Larario cum aliorum imaginibus, & Abrahami imaginem habuisse Alexandrum Seuerum habemus ex Lampridio Seuero in eius vita: *Matutinis horis in Larario suo, in quo & diuos Principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & Christum, Abraham, & Orpheum, & Deos habebat, ac maiorum effigies rem diuinam faciebat.*

Cur puer dictus Abrahā cùm senex esset.
Gen. 18.
LXX.

Impigra Abrahæ alacritas.
S. Ambr.

Impigra Abrahami alacritas, & indefessum in labore studium, infractus in Dei bonis operibus animus, hinc colligitur, quòd senilis jam esset ætatis, *puer* tamen à Deo vocatur, Gen. 18. v. 17. quod noster habet, *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* LXX. μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραὰμ τοῦ παιδός μου ἃ ἐγὼ ποιῶ. *Num celare potero Abraham puero meo, quæ gesturus sum?* Senex erat si annos spectat, puer si proficiendi studium, si innocentiam, si alacritatem. Præclarè sanctus Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. *Senilis*, inquit, *ætatis Abraham superiùs Scriptura significauit, cùm nonaginta, & nouem processisset annos; quomodo nunc puerum dicit? sed cùm immemorem senectutis exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit; nónne conuenire nomen pueri videtur? officiis meritò puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam, & obsequium deferebat.*

Abraham fidei radix.
S. Aug.

In Abrabamo fidei radicem vidit, nomloísque Christiani sanctus Augustinus serm. 68. de tempore; *Abraham*, inquit, *Pater noster radicem fidei nominisque Christiani habebat, qui cùm ad incerta, atque peregrina iuberetur exire, tota deuotione compleuit.*

Suos reliquisse Abrahæ quātum profuerit.
Orig.

Suos reliquisse, exiisse à suis quantum Abrahæ profuerit, expendebat Origenes hom. 3. in Genesim, vbi ita scribit: *Cùm exiit de terra sua, & de cognatione sua, tunc ad eum sacratiora iam mysteria deferuntur, & primò dum ei, quia non vocaberis Abraham, sed Abraham erit nomen tuum, tunc iam & testamentum Dei suscipit, & signaculum fidei accipit circumcisionem, quam non potuit accipere, dum esset in domo Patris.*

ADAGIVM DCCLXXVIII.

Asinus molarius.

670. Sanctus Gregorius Nazianzenus in nobilem malè moratum ita loquitur; *Quis fit ô* ASINE MOLARIE, *equi fastum, atque insolentiam habens, vt in hac pessima, ac profligatissima vita ob maiores tantopere glorieris?* ad quæ verba ait Scholiastes: *Prouerbium de iis, qui ob quasdam corporis, vel fortunæ dotes insolescunt, verorum interim, bonorum, quæ in animo sita sunt, expertes.*

ADAGIVM DCCLXXIX.

Ne sustineas inter graculos excellere cùm aquila esse possis.

Monet prouerbium præstare inter optimos eruditos locum aliquem tenere, quàm primum inter imperitos improbósque. Sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 57. Eudoxio Rhetori ita scribit; *Atque vt etiam primas eloquentiæ tibi demus*, NE SVSTINEAS INTER GRACVLOS EXCELLERE, CVM AQVILA ESSE POSSIS.

ADAGIVM DCCLXXX.

Mea ligna in me comburenda.

Hoc est, talia patiar, qualia commisi; vitia, & scelera cuiusque nutrient supplicia; ad hanc mentem respexit Origenes homil. 6. in Ieremiam, quæ nouissimè lucem vidit; *Scio*, inquit, *si ex hac vita migrem* MEA LIGNA IN MEMET COMBVRENDA *fore, ligna verò habeo obtrectationes, ligna ebrietates, ligna furta, sexcentaque alia, quæ super ædificium construxi*; quod vsurpari vniuersè poterit, quoties quis sibi suis actibus malum creat, & ea peragit, quibus cruciëtur.

ADAGIVM DCCLXXXI.

Altera Martha.

Quæ actuosæ vitæ opera perficit, recipiendisque hospitibus, quibus & ministret, studiosè narrat operam, *altera Martha* poterit appellari. Gaofridus Abbas io vita sancti Petri Archiepiscopi Tarentasij ait: *Apud matronam deuotissimam, velut* ALTERAM *sibi* MARTHAM *ministrantem recumbens.* 671.

ADAGIVM DCCLXXXII.

Virtutis cultum amplectere cùm satis ad victum ampla facultates sunt.

Hoc olim prouerbium vulgò iactabatur, cùm victui necessaria virtutis sapientiæque cultui præmittenda esse significabant, ne nimia rerum necessariarum penuria, virtutis cultor à virtutis cultu auocaretur. Sanctus Gregorius Nazianzenus epist. 55. Eustochio sophistæ, *Ipsi*, inquit, *in animum induite veteri prouerbio obsequi, quod* VIRTVTIS CVLTVM AMPLECTI *iubet, cùm* SATIS AD VICTVM AMPLÆ FACVLTATES SVNT. Alget in egestate nimia virtus, addit Scholiastes. Ad hoc prouerbium alludit Horatius epist. 1.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos.

ADAG. DCCLXXXIII.

Nouus Iamnes.

672. NEmo, qui corrupta mente circa fidem reprobus, veritati resistat, opponat se non ferenda temeritate, pietatis, fidei, veritatísque cultori, is nouus Iamnes prouerbialiter dicetur: Iamnes quippe Moysi se opposuit, vt habetur Exod.7.11. & 2. Timoth 3.8. vbi ait Apostolus: *Quemadmodum* IAMNES, *& Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Gregorius Presbyter in vita sancti Gregorij Nazianzeni, ita loquitur: *Erat in Regia ciuitate maximus quidam, genere Ægyptius, moribus barbarus,* NOVVS *quispiam* IAMNES, *aduersùs Gregorium, velut aduersùs Moysem aciem instruens.*

Huc vocari potest illud Petri Blesensis epist. 72. *Putas*, inquit, *te mihi exitialiter nocuisse, quia vsus consilio* IAMNES, *& Mambres, atque consilio Achitophel, quorum adhuc heredes omnes ferè curas obsederunt, à me Dominum, amicum, & proximum elongasti.*

ADAG. DCCLXXXIV.

Gelu, glaciéve fragilior.



QVadrabit in hominem inconstantem, in quo nihil firmum, nihil stabile, aut diuturnum, donatur hoc titulo impius Marcion à Tertulliano lib.1. contra ipsum, cap.1. *Marcion,* inquit, *hyeme frigidior,* GELV FRAGILIOR, poterit & in pares pariter iactari, nec alienum si ad res ipsas etiam extendatur; sic doctrina gelu, & glacie dicatur fragilior, quæ ad veritatis radios statim colliquescit, neqoítque diu firma consistere, qua nota laborat hæretica.

ADAGIVM DCCLXXXV.

Nouus Athanasius.

PRæsul ille, qui dignitatem suam multarum persecutionum, ærumnarum, exilij etiam tolerantia decorarit, qui tandem victor suis restituatur, nouus Athanasius audiet. Eustachius in vita sancti Eustichij Patriarchæ Constantinopolitani, qui in exilium per calumniam eiectus ab exilio reuocatus fuerat, ita loquitur: *Quæ per* NOVVM *hunc* ATHANASIVM *post eius reditum Deus gesserit, videamus.* Quæ sanctus Athanasius ab hostibus pertulerit, quot calumnjis petitus, quot fraudibus, quot insidiis, notissimum omnibus est.

ADAG. DCCLXXXVI.

Quandiu calet ferrum, frigida obdurentur.

673. VTemur quoties in bono amoliendam cunctatiooem suadebimus, statímque arripiendum illud, in quod desiderium fertur, & feruor vrget. S. Gregorius Nazianzenus orat.40. Baptismum citò suscipiendum inhortans ait: *Nihil progressum tuum inhibeat: nihil animi alacritatem reprimat. Quamdiu vehemens est desiderium, id quod desideras arripe,* QVANDIV CALET FERRVM, FRIGIDA OBDVRENTVR, *ne quid interim accidat, quod animi cupiditatem infringat;* quæ verba sic exponit Nicetas eius Scholiastes: *Quemadmodum ferrum ignitum quandiu calet, in aquam iniicitur, vt temperetur: non enim cùm refrixit temperari, atque exacui potest; eodem modo tu quoque, quandiu tuus erga Baptismum animi feruor non intepuit, neque refrixit, fac Baptismi aqua tempereris. Nam hic quoque mollitiem illam animi, qua perturbationibus vitiisque laxamur, obdurat.*

ADAG. DCCLXXXVII.

Post manna, allia, cepe, & pepones suspirare.

QVadrabit in eos, qui ad vilia quæque, pretiosioribus neglectis, se demittunt, vt si spiritualibus delitiis reiectis ad impuras corporis voluptates se conuertant, & carnis illecebris inhiantes superas voluptates repudient. quod tractum à Iudæorum amentia, qui manna, quo Dei liberalitate fruebantur, nauseantes, allia, cepas, peponésque, quibus in Ægypto vescebantur, suspirabant; eò venustior adagij erit forma, quo longiùs trahetur. S. Hieronymus lib.1. contra Iouinianum, cap.6. Virginitatem nuptiis præferens, carnísque seruitutem spiritus obsequio postponens aiebat: *Quanta felicitas non vxoris seruum esse, sed Christi; non carni seruire, sed spiritui? Cur* POST MANNA *Angelorum cibum*, ALLIA, ET CEPE, ET PEPONES, ET CARNES VARIAS SVSPIRAMVS?

ADAG. DCCLXXXVIII.

Est aliqua etiam bilis vtilitas.

REfert hoc prouerbium sanctus Gregorius Nazianzenus orat.13. his verbis. ESSET ALIQVA ETIAM BILIS VTILITAS, *vt est in prouerbio, si inimicorum metu cautiores efficeremur;* ex inimicorum quippe liuore, & maleuolentia hic fructus nascitur, vt eorum maledicentiæ metu vitam, morésque nostros ita instituamus, vt argui verè non possimus, nec iuste condemnari; huc facit illud eiusdem sancti Patris in tetrastichis, 674.

Ἐγώ τι κέρδος ἐκλέγω καὶ δυσμενῶν,
Τὰς γὰρ λαβὰς φεύγοντας, ἀσφαλεστέρους
Εἶναι τυραννῶ, καὶ τὸ πικρὸν φάρμακον
Ὁμοῦ δεδίζω, καὶ τὸ ἡδὺ μέμφομαι. id est,
Et hoste ab ipso commodum quoddam lego.
Hic namque viuo cautiùs, ne me queat
Is criminari, verùm acerbum pharmacum
Simul expauesco, & dulcibus succenseo.

Quæ sic illustrat Nicetas Scholiastes. *Potest etiam ab hoste beneficium accipi, quemadmodum est in prouerbio; ad eundem modum hoc loco Theologus ait: Ego ex inimicis vtilitatem carpo; atque hanc vtilitatem vobiscum communico. Quænam autem est hæc vtilitas? nam dum subuereor ne reprehensionis ansam aliquam aduersum me arripiat, tum ipse vita mea rationes accuratiùs instituo ac moderor: tum vobis idem faciendum censeo, nempe vt cautiùs circumspectiùsque viuatis; ac quàm diligentissimè vobis ipsis prospiciatis, ne vllam culpam*

culpam quamlibet leuem contemnatis, si non tam ob Dei preceptum, qui id a vobis exigit, at certè vt inuidorum, & maleuolorum hominum maledictis occurratis. Pharmacum quippe est hostilis insectatio, atque exprobratio, pharmacum, inquam, quo intimum pectus perpurgatur: amarulentum tamen, quemadmodum & ea, quibus noxij corporum humores educuntur. Quamobrem illud metuens, vtplurimum me coerceo, atque à peccato abstineo, ac rursus voluptatem, vt mihi amaritudinis illius, quam hominum probra, & maledicta secum afferunt, causam parentémque accuso ac submoneo. Istuc idem prouerbium porrigi & latiùs poterit, vt vsurpetur de illis, qui inde capiunt vtilitatem, vnde vtilitas nulla expectabatur, quod notauit etiam Elias Scholiastes.

ADAGIVM DCCLXXXIX.

Sinistro ore excetra me dilaniat.

AB excetra se dilaniari ille causabitur, qui à sæuo aliquo oblectatore mordetur, & conuitiis, contumeliisque proscinditur; hoc sensu extulit S. Hieronymus epist. 37. quæ est ad Iulianum Diaconum, vbi ait: *Licèt me* SINISTRO *Hibera* EXCETRA ORE DILANIET, *non timebo hominum iudicium habiturum iudicem meum;* excetta dicta est hydra, quòd vno exciso capite tria renascerentur; hinc illud Plauti: *Cum excetra, cum Antæo pugnare mauelim, quam cum amore.*

ADAGIVM DCCXC.

Captus est lupus ab ouibus.

675. OBiici potest iis, qui dum violentiam imbellibus inferunt, & infirmis, ab illis vincuntur, vt fraudes, quas parauerant aliis, ipsi sentiant. Petri Blesensis epist. 79. hæc sunt verba, *Captus est lupus ab ouibus; Perditissime hominum, quæ te incantauit Hecate; quæ cerebrum tuum exturbauit Erinnys; vt gutturi tuo laqueum inextricabilem iniiceres.*

ADAGIVM DCCXCI.

Leonem ex simia metiri.

LOcus huic prouerbio erit, cùm quis aliquid ex eo metitur, quod longè ab illius natura distat. Sanctus Gregorius Nazianzenus in Iambicis carm. 22. aduersùs opum amantes, ita canit:

Ne tu LEONEM METIARE EX SIMIA.
Vbi Scholiastes ait: *Hoc prouerbium de iis non ineleganter vsurpari potest, qui propterea, quod ipsi in voluptatibus, & delitiis summum bonum ponunt optimos viros ob præsentis vitæ labores, & calamitates, miseros & infelices ducunt.*

ADAGIVM DCCXCII.

Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur.

ADeò hoc tritum, vt prouerbij figuram induisse videatur. *Antiquus sermo est*, inquit sanctus Hieronymus epist. 37. quæ est ad Iulianum Diaconum: *Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur; hoc lucrum mendacij fabricatores consequuntur, vt nec cùm vera dixerint, fidem inueniant.*

ADAGIVM DCCXCIII.

Petrum mentientibus se exhibere.

ESt sæuissimè eos plectere, qui mentiuntur, à Petri zelo natum, cùm ante eius pedes Ananias, & Zafira expirarunt, quod essent de pretio agri mentiti. Scitè Petrus Blesensis epist. 15. *Exhibe*, inquit, *te Eliam idololatris, mentientibus Petrum*; & sanctus Bernardus lib. 4. de consid. *Qui Regibus Ioannem exhibeat, Elisæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus.*

EXCVRSVS CVIII.

Mendacium vitandum, amanda veritas.

Veritas ab hominibus ferè exulat.
De mendacij vitatione *exemplum singulare.*
Persarum lex *de mendacij fuga.*
Vbi mendacium, ibi timere omnia mala *possunt.*
Perstricti qui periuriè *mendacium onerant.*
Labiorum labor *mendacium.*
Mentiri ignobile *etiam apud Gentiles.*
Cauendum Principi *mendacium vt venenum.*
Mendacij, *&* idoli *cognatio.*
Homo esse non videtur, *qui mentitur.*
Quam iniustum *hominibus decipiendis mendacia fabricare.*
Mendacia etiam ob hoc vitanda, quia facilè deteguntur.
Mendaces Domini prædones.
In æternam veritatem *arietat, qui mendacia serit.*
Veritatis amore, *& mendacij fuga Spiritus sancti domicilium homo est.*
Veritatis amor.

EXulat ferè ab hominibus veritas, mendacium apud illos viget, viget adulatio, viget fraus; vt iure dixerit Beatus Thomas à Villanoua conc. 3. de Aduentu: *Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo; quicquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est, docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, vt dicerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parua, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes: hæc ciuilitas, hæc affabilitas: & inurbanus est, quisquis fallere, & mentiri non nouit.* 676. *Veritas ab hominibus ferè exulat.* B. Th. à Vill.

Qui sapit, aliam induere mentem, aliter sentiet, cauebit mendacium, amabit veritatem. Præiuit in exemplum sanctus Dominicus Loricatus, in cuius vita ita scribit sanctus Petrus Damianus: *Erat preterea Dominicus valde cautus in verbis, vt aptè sibi congrueret illa sententia, quæ Iacobus Apostolus ait: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; nam si quando etiam quæreretur, quota diei hora esset, nunquam* *De mendacij vitatione exemplum singulare.* S. Petr. Dam. Iac. 3.

quam absolutè dicebat, Tota est, sed cum additamento semper, propè tertia hora est, propè sexta hora est. Inquisitus a me car semper ita diceret: In hoc, inqait, mendacium caueo. Persæ quoque, vt refert Herodutus lib. 1. *filios tam sanctis moribus imbuerunt, vt illorum disciplina nil addi posse videretur, & per omnes atatis gradus, illud pracipuè suus inculcarunt, vt fugientes* MENOACIVM *vera semper loquerentar.*

Persarum lex de mendacij fuga.
Herod.

677. *Vbi mendacium ibi omnia mala possunt timeri.*
S. Chrysost.

Vbi mendacium inhabitat, mendacium regnat, ibi timeri omnia mala possunt. Negasse Magistrum suum Petrus legitur, sed vbi? in domo Caiphæ; nimirum hîc mendacium prævalebat. Sanctus Chrysostomus serm. 2. de mysteriis feriæ quintæ: *Ibi negauit, vbi Christus tenetur inclusus, negat ia domo Caipha, ibi negat vbi potest valere* MENDACIVM; ac si mentiendi spiritum Petro inhalauerit mendacij aula.

Peristricti qui periurio mendacium onerant.
Psal. 5.
S. Io. Clim.

Mendaces perdẽdos à Deo esse asserit Propheta Regius Psal. 51. *Perdes*, inquit, *omnes qui loquuntur mendacium*; quid de periuris erit, quàm grauior eos pœna manet, qui culpæ graui grauiorem adiiciunt, mendaciúmque onerant periurio? rem nobiscum vrget sanctus Ioannes Climacus gradu 12. *Si perdes omnes, qui loquuntur mendacium, vt Dauid Deum alloquutus testatur, quid fiet iis, qui periuriis mendacium confirmant?*

Labiorum labor mendacium.
Psal. 139.
S. Aug.

Labiorum labor mendatium est, fluit ex ore veritatis absque labore, laborat mendacia euomiturus, circuitibus vti debet; vocari huc potest illud regij Prophetæ, *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, Psal. 139. 10. cum labore formatur, fingitúrque mendacium, sine labore veritas exit; audiendus hîc est sanctus Augustious, qui enarrat in hunc Psalmum ita scribit: *Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit quod dicit. nam qui vult verum dicere, non laborat. Ipsa enim veritas sine labore loquitur. De homine ergo hoc dixit Deo: me proteget vmbraculum tuum, ipsas teget mendacium ipsorum. Sed ipsum mendacium ipsorum labor est labiorum ipsarum. Ecce parturiuit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. In omni enim opere malo, labor est, & omne apus malum cogitatum, mendacium ducem habet. Non enim est veritas, nisi in opere bono. Et propterea quia omnes laborant in mendacio, veritas quid clamauit? Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Ipsa est vox clamans ad laborantes in alio Psalmo, Filij hominum vsquequo graui corde, vt qui diligitis vanitatem, & quaritis mendacium. Apertè autem alio loco, Labor est in mendacio, docuerunt linguas suas loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt.*

678. *Mentiri ignobile est apud Gentiles.*
Plut.

Adeò ignobile mendacium etiam apud Gentiles habebatur, vt seruile vitium censeretur, seruorum nota, non ingenuorum. Plutarchus de lib. edue. *Mentiri seruile est, dignum apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem seruus ignoscendum.* Mamertinus de Iuliano in grat. act. *Mira est in Principe nostro mentis linguaque concordia, non modò humilis, & parui animi, sed seruile vitium scit esse mendacium.* Hinc Nobilibus, Principibúsque viris mendacium magis cauendum esse monebat sanctus Thomas, quàm venenum; hæc illius verba opusc. de erud. Princip. *Cauendum est Principi mendacium vt venenum; caueant ergo Principes sibi à corporali veneno; amplius autem cauendum est eis à veneno mendacij, quod adeò mortiferum est, vt adhuc existens in ore hominum occidat, secundùm illud Sap. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Hoc venenum habuit in ore serpens, qui Euam matrem nostram decepit, imò hoc venenum, occasio dicitur fuisse, quòd serpens venenum corporale habeat in ore.*

Cauendum Principi mẽdacium, vt venenum.
S. Thom.

Mendacij, & idoli cognatio.

Adeò graue hoc crimen est, adeò alienum hoc vitium, vt vel ipso nomine cognationem cum idolis, & idolorum cultu habeat; in sacris enim litteris idolum mendacium dicitur, Amos 2. 4. *Deceperunt eos idola sua.* Chald. *mendacia sua*; vt igitor idolis nihil magis abominabile, ita nec mendaciis, quæ ad omnium scelerum genera cultores suos traducunt. Apostolus ad Tit. 1. v. 12. Vix dixerat, *Cretenses semper mendaces*, cùm statim subdit, *mala bestia, ventres pigri, hoc testimonium verum est*; ex eo quòd mendaciis nectendis vacaor, videtur consequens, vt homines esse non videantur, comparentur brutis.

Homo esse nõ videtur qui mentitur.
Tit. 1. 12.

Quàm iniustum hominibus decipiendis mendacia fabricare.
Agellius.

Iniquissimum, iniustissimúmque esse mendacia hominibus decipiendis fabricare, ex hoc quoque colligitur, quòd pro mendacio iniqua non semel reponant L X X. quod in hunc modum expendebat noster Agellius Psal. 100. *Mirum cùm ia Hebrao sit: Qui loquitur mendacium, non dixerit, in conspectu oculorum meorum. L X X. pro mendacio iniqua posuisse, quod quia non hoc semel, sed alibi sape fecerunt; non temere sic vertisse, sed magno consilio puto, fortasse quia indicare voluerunt vt is, qui falsis ponderibus, ac mensuris vtitur, & alios quibascum commercium habet, damno afficit, iniustissimè facit; sic eum, qui mendacia loquitur, & audientes decipit, iniustissimum esse, & iniquissimè facere, cùm sic fidelibus verbis agere debeamus, vt iustis, & aquis ponderibus, ac mensuris.*

679. *Mendacia etiam ob hoc vitãda, quia facilè deteguntur.*
Seneca.
S. Chrysost.

Præterea ob hanc quoque causam vitanda mendacia sunt, quia facilè deteguntur; scitè Seneca epist. 79. *Nihil simulatio profuit, paucis imponit, leuiter extrinsecus inducta facies, veritas in omnem partem sui semper eadem est. Qua decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet si diligenter inspexeris*; & ex nostris sanctus Chrysostumus hom. 57. in Ioannem istuc idem ita explicat. *Reprehensu facilis error est, & imbecillis, quamuis extrinsecè callidè fucetur, & quemadmodum, qui putres, & ruinam minantes parietes allio tectoria linunt, non tamen eos possunt dirigere; ita & mendaces facilè deprehenduntur.*

Mendaces Domini prædones.
S. Antioch.

Qui Domini prædooes mendaces fiant, explicat in hunc modum sanctus Antiochus hom. 66. *Quotquot semel irretiunt, mendacium funiculis frustrantur, & eludunt Dominum, fiuntque pradones Domini, dum id quod penes se depositum est, non reddunt incolume, & sanum, spiritum enim acceperunt nullo contagio mendacij decolorem; nunc si reddiderint Domino interstinctum variis mendaciorum notis, vtique videri possunt contaminasse depositum, quod fit, vt dici debeant rei aliena suppilatores.*

In aternam veritatem arietat, qui mendacia serit.
B. Laur. Iust.

Mendacia qui euomit, in æternam veritatem sæuit, & quantum in se est destruere illam nititur. Beatus Laurentius Iustinianus de vita solit. cap. 4. ita scribit: *Quantum in mendacibus est immortalem, & aternam veritatem, qua Deus est, destruere moliuntur; hoc verà dum agunt, illam in nullo lædunt; illi nequaquam detrimentum inferunt, sed pereunt, quemadmodum in Sapientia volumine continetur, sic enim habet: Os autem quod mentitur occidit animam.*

680. *Veritatis amore, & mẽdacij fuga Spiritus sancti domicilium homo est.*
S. Antioch.

Mendacij fuga, & veritatis prolatione, illius se domicilium esse homo ostendit, qui spiritus veritatis est: opportunè sanctus Antiochus hom. 66. *Necesse est*, inquit, *ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritati omnino innitatur, vt spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, intelligatur, in hac carne sibi delegisse domicilium, qui per hoc apud omne humanum genus comperietur veridicus, atque ita demum glorificabitur Dominus habitans hominem, dum in omni morbo verax est Dominus, nec vllum possit de ipso deprehendi mendacium.*

De

Veritatis amor. S.Aug.

De veritatis amore ita sentit S.Augustinus lib. de mendacio cap.7. *Vt animus*, inquit,*corpori*, *ita etiam* VERITAS *ipsi animo præponenda est: vt eam non solùm magis quam se ipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior, & castior,cùm eius potius immutabilitate, quàm sua mutabilitate perfruetur. Si autem Loth cùm ita iustus esset,vt Angelos etiam hospites suscipere mereretur, stuprandas filias Sodomitis obtulit,vt fœminarum potius ab eis corpora, quàm virorum corrumperentur:quanto diligentiùs, atque constantiùs animi castitas in veritate seruanda est, cùm verius ipse corpori suo, quàm corpus virile fœmineo corpori præferatur.*

ADAGIVM DCCXCIV.

Struthionis plumam portare.

681. PEnnas struthio habet, nec tamen volat, non se effert à terra, alis licèt sit præditus; ille igitur struthionis pennas portare dicetur, qui extimo habitu sublimis vitæ imaginem præfert, & tamen motibus semper hæret in imis, quod iaci in eos potest, qui cùm in religiosas familias nomen dederint, ab ea nihilominus sanctitate longè absunt, quam habitu profitentur. Vgo de sancto Victore de se humiliter sentiens, ita aiebat 2.de claustro animæ, cap.23. *Ego quomodo accedam,qui* PORTO PLVMAM STRVTHIONIS *in habitu religionis, vt placeam non moribus, sed vestibus. Quasi enim struthio volatum simulo, sed tamen pedibus terram tango: volito habitu, sed terram tango affectu. Penna siquidem contemplationis à terrenis non eleuat, quem corpulentia carneæ fragilitatis pondere suo grauat.*

Vniuersè simulator omnis, & illius sanctitatis ostensator,qua caret, struthio audire poterit;præiuit sanctus Petrus Damianus, qui serm.53. qui Lucæ laudes continet,ait; *Quid per struthiones, qui pennati sunt, & volare nequeunt, nisi hypocritæ figurantur?* eadem mente sanctus Gregorius lib 20. Moral.cap.29.*Struthio*,inquit,*pennas habet,& volatum non habet, quia simulatores quique speciem sanctitatis habent,sed virtute sanctitatis non habent.* Et sanctus Antonius Vlyssiponensis serm.2. in Dom.1. Quadragesimæ,eodem sensu aiebat: *Struthio, quæ pennas habet,sed propter corporis sui magnitudinem volare non potest, hypocritam significat, qui terrenorum amore, & onere aggrauatus sub penna falsa religionis se mentitur accipitrem volatu contemplationis.*

EXCVRSVS CIX.

Religionis habitus cum vita cohæreat.

Religiosi ab omni seculari tumultu *alieni esse debent.*

Perstricti, qui habitu *sanctitatem simulant, qua* re ipsa *destituuntur.*

Quibus rebus pares,*qui sub Religionis habitu religiosos mores non habent.*

Tepidis *Religiosis, & Ecclesiasticis Dæmon vtitur vt alios capiat.*

Plenè religiosa vita *instituenda iis, qui religiosum habitum præferunt.*

682. QVi religiosum habitum defert,vitam quoque traducat,quæ respondeat habitui,qui se vestitu à seculi hominibus abiunctum indicat, non illis admisceatur moribus,quos à mundo habitatio segregat, non commisceat vita. Præclarè Beatus Dionysius Carthusianus in præfat. ad ser. de Sanctis ad Religiosos: *Sancti Patres*,inquit,*qui Ordines instituerunt, ipsos Religiosos vita,habitu,mansione, à sæcularibus voluerunt esse distinctos, & habitationem eorum claustrum appellare sanxerunt. Cur itaque, nisi quia habitatores eius debent ab omni seculari tumultu esse quieti,& passionum, ac vitiorum inquietudine liberi,ab omni carnalitate, & seculari proprietate abstracti.*

Religiosi ab omni seculari tumultu alieni esse debent. B. Dionys. Carth.

Eos,qui sanctitate vidui, habitu sanctitatem præseferebant, & qui seculo sermone cum opere renuntiauerunt, his verbis describit sanctus Prosper lib.de vita contemplatiua cap.4. *Illos dico,qui velut conuersi ex pristinis moribus nihil abiiciunt non mente mutati,sed veste;nec actu,sed habitu. Hi sunt,qui sermone tantùm, non opere sæculo renunciasse contenti seculariter viuunt, & vitia sua inani professione vitæ melioris abscindunt; ac religionis imaginariæ nomine palliati opinionem virtutis pro virtute suscipiunt; prædicant magna, nec faciunt: accusant vitia, nec deponunt;publicè sibi displicere simulant, quod occultè committunt. Magni student videri, non fieri.* in hos illud quoque quadrat, quod habet sanctus Bernardus serm.3. in dedicat.Ecclesiæ eos premens, quorum vita tonsuræ non respondebat,non habitui:*Quid*, inquit,*frater vanitati,aut tepiditati,seu cuilibet alteri vitio fidem seruas operibus, & Deo per tonsuram mentiris.*

Perstricti,qui habitu sanctitatem simulant, qua re ipsa destituuntur. S.Prosper. S Bern.

Eos qui sub Religionis habitu non religiosos mores abscindunt,ita premit,atque describit sanctus Petrus Damianus serm.37. *Ita planè nonnulli sunt, qui religionis imaginem superficie tenus simulant, cùm veram intus religionem habere viuendo contemnant. Ij nimirum in culmis, & folijs frugum schema prætendunt, sed in ariditate medullæ quisquilias contegunt.*

Quibus rebus pares,qui sub Religionis habitu religiosos mores non habent. S.Petr. Dam.

Tepidis Religiosis, ecclesiasticísque Dæmon 683.
vtitur,vt alios decipiat,& deprædetur, quod eorum exemplo explicat Cæsarius hom.35. in columbas,excæcabant, surdásque faciebant, vt illis cæteras caperent, hic enim mos illo æuo vigebat, sistenda hîc eius verba: *Quomodo*, inquit, *aucupes facere solent, qui columbas, quas priùs cœperint,excæcant, surdas faciunt, vt dum ad illas reliqua columbæ conuenerint,præparatis retibus capiant.Ita etiam hostis antiquus de tepidis Clericis,& negligentibus Monachis, vel desidiosis Virginibus exercere consueuit, vt cùm in eis oculos patientiæ clauserit, ignémque & flammam charitatis extinxerit, & de solo habitu religionis persuaserit, gloriari ad aliorum perditionem velut indices eos in exemplum proponit,ac præferat, vt dum illos simplices, quique & minus soliciti imitantur, diuersis laqueis,vel retibus capiantur.*

Tepidis Religiosis,& Ecclesiasticis Dæmon vtitur, vt alios capiat. Cæsarius.

Nec ex parte tantùm professioni suæ respondere debent, qui in religiosas familias dedere nomen,sed integrè, & ex toto Religiosi minimè dicendi,nisi religiosam per omnia vitam agat;quod ita explicabat B. Vmbertus serm.6. ad Religiosos bonæ vitæ: *Qui religiosi sunt, non solùm nomine, sed re, & veritate, debent habere religionem, non solùm in vna sui parte, sed in omnibus, quibus congruit, aliter non possunt dici Religiosi; sicut nec homo dicitur albus, propter albedinem in aliqua sui parte, nisi habeat per totum, vbi debet habere.*

Plenè religiosa vita instituenda iis, qui religiosum habitum præferunt. B.Vmbertus.

ADAGIVM

ADAGIVM DCCXCV.

In Angelum lucis se transfigurare.

684. QVi aliud est, aliud esse simulat, & sanctitatem extimè prodit, ac fraudulenter præfert, qua destituitur, is in Angelum lucis dicetur se transformare, sumptum à Pauli verbis, qui 2. Cor. 11. 14. ait: *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, quod porrigi & ad fraudolentos homines potest, qui ficta sanctitate spectatoribus imponunt. Scitè S. Hieronymus epist. 48. quæ est de vitando suspecto contubernio, ait quippe: *At tu infelix* TRANSFIGVRABAS TE IN ANGELVM LVCIS, *& minister Satanæ minister iustitiæ simulabas, sub vestitu ouium latebas lupus.*

Hæreticus hoc idem præstat, Diaboli imitator in Angelum lucis se transfigurat, vt incautos decipiat; de illo ita scribit sanctus Petrus Damianus opusc. 52. cap. 8. *Hæreticus sicut magister eius se transfigurat in Angelum lucis.*

ADAG. DCCXCVI.

Elabi vt anguilla.

IN eos quadrat, qui teneri nequeunt, & capti elabuntur; anguillæ lubricitas etiam apud prophanos in prouerbium iuit, hinc illud, *cauda anguillam tenere*, quod in homines lubrica fide, perfidósque iaci solet: nostrum, quod præfiximus, offert sanctus Athanasius ad Ægypti Episcopos, vbi ait: *Tametsi* ELABI *millies* TANQVAM ANGVILLÆ *conentur*; huc facit illud apud Lucianum in Timone, vbi Mercurius ita loquitur: *Velenis, ac lubricus es Plute, retentu difficilis, ac fugax, neque vllam præbens ansam certam, quo prensus teneare: sed nescio quomodo* ANGVILLARVM, *ac serpentium* IN MORE INTER DIGITOS ELABERIS. *At è diuerso paupertas viscosa, prensu facilis, totóque corpore mille vncos gerit hamos.*

ADAG. DCCXCVII.

Cùm granum amisissem, spicas recepi.

PRouerbiali hac formula vti licebit, quoties detrimentum aliquod acceptum, in ingens tantùm lucrum cedit, & iactura aliqua summo compendio cumulatur; hac expositione donat hęc sancti Gregorij Nazianzeni verba orat. 12. CVM GRANVM AMISISSEM, SPICAS RECEPI, *cùm oues lugerem, pastorem insuper adeptus sum*, eius Scholiastes Billius.

ADAG. DCCXCVIII.

Vipera vestita.

685. PRauæ nocentis, virúsque spirantis mulieris prouerbialis circumscriptio est, qua Patres vti solent, inter alios S. Ephræm Syrus tract. aduersùs meretrices, de ea loquens ait, *Expetita rabies*, VIPERA VESTITA; & Anastasius Nicenus quæst. 63. in Scripturam de muliere improba loquens infit: *Quies serpentis diaboli solatium* VIPERA VESTITA.

Iuuenalis quoque, vt Pontiæ mulieris sæuitiem, ac crudelitatem exprimeret, viperam eam indigitat, sic enim ille scribit Satyr. 6.

———Sed clamat Pontia feci:
Confiteor, puerisque meis aconita paraui.
Quæ deprensa patent, facinus tamen ipsa peregi;
Tune duos, vna, sæuissima VIPERA, *cœna*
Tune duos?

Viperas fœminas referre probat etiam istud sancti Gregorij Nazianzeni dictum epist. 196. *Ad domesticum fœminarum imperium ita nos proripiemus, vt ad viperinos impetus.*

ADAG. DCCXCIX.

Herodias.

SCelestissima quæque fœmina, quæ omnis pudicitiæ, pietatis omnis, sic expers adagialiter *Herodias* dicetur. Nota Herodis impietas, nota Herodiadis; huc illud sancti Ambrosij lib. 3. de Virg. *Gratias itaque diuinitati, quòd hìc nullus Herodes, atque vtinam nulla* HERODIAS. Non fuit à mulieribus tutus Ioannes, quia inter natos mulierum maior non surrexit; quis ergo se ab illarum sæuitia securum putet, quis adeò emotæ mentis, vt se fœminis credat: Rem egregiè vrget S. Petrus Chrysologus 174. *Etsi*, inquit, *Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non euasit: quis est, qui inter fœminas viuens euasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi is, qui sancto alitur Spiritu, qui cum genitore natóque vna cuncta disponit, secula per aui omnia spatia.*

Herodiadem Maroziam impudens scortum vocat Luitprandus, apud quem exstant hæc in illam carmina 5. lib. 3. historiarum cap. 12.

Quid Veneris facibus compulsa Marosia sæuis?
Coniugis ecce tui spectas tu saucia fratris.
Nubere germanis satagens HERODIA *binis.*
Immemor aspiceris præcepti cæca Ioannis.

Herodiadis cognationem in nomine cum Herode à criminum cognatione, fuisse par est credere, sic eos pungit S. Fulgentius sermon. super Euangelium Matth. AVDIVIT HERODES, vbi ait: *Dicite mihi quid habetis cum Ioanne Baptista Herodes, & Herodias, quos ad consortium adduxit nominum impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitan separemini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu caditis in luxuriam, ita vno nomine suscipietis sententiam.*

Herodias saltu in Ioannem adeò sæuiit, vt in pedibus videretur alienum sanguinem occultauisse. Fulgentius serm. super Matthæum, Audiuit Herodes, sic Herodiadis saltationem expendebat: *Producitur lasciua carnifice fœmina, quæ Prophetam non gladio, sed saltatione prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, homicidium petitura, & adultero placitura: alienum in pedibus portans sanguinem, & sceleris postulatura mercedem. Sic saltat vt placeat, sic placet, vt occidat. Proh nefas, vt luxum corporis sui mulier periculum petat capitis alieni. Quid agimus Ioannes? Quem non terruit vasta Eremi solitudo terrebit muliebris ista saltatio? caput tuum mulier petitura est.*

ADAGIVM

ADAGIVM DCCC.

Nostri temporis Iezabel.

686. SVmma alicuius mulieris perfidia, quæ in veræ fidei Doctores sæuiat, hoe elogio prouerbialiter traducetur. Nota primæ Iezabelis impietas ex diuinis litteris, quámque in Eliam sæuierit, vt apparet ex lib.3. Regum cap.19. ALTERA igitur IEZABEL audiet, quæ in Dei seruos, & veræ Religionis cultores crudelitate se armat.

Audiendus hîc sanctus Gaudentius in præfat. suorum operum, vbi ita loquitur: *Nostri Regina* TEMPORIS IEZABEL *Ariana perfidia patrona simul ac socia, cùm Beatissimum persequeretur Ambrosium*, quod in similes etiam torqueri potest, quę pares viros, aut suppares persequantur.

Corbinianus Episcopus, vt refert Aribo illius vitæ scriptor, de quadam impia muliere, & insidias Dei viro struente loquens ait: *Eas insidias sua coniugis, vbi Grimoaldus cognouit, & abscessum viri Dei, misit, & humiliter eum vt rediret rogauit. Ille autem minimè assensit, sed* IEZABELIS *pessima mulieris insidias oportere cauere dixit.* Et alius nobilis auctor, ac cultus, licèt non adeò antiquus, ita loquitur: *Quæ* NOVÆ *alicuius* IEZABELIS *impulsa nouam inuenit vineam nouo sanguine litandam.* Sanctus Athanasius orat.1. contra Arianos paulò aliter hanc formulam adhibuit, dabo hîc eius verba orat.1. cont. Arian. *Ergo*, inquit, *fecere, quod ipsis collibitum fuit, & quod minus denunciauerant opere compleuerunt, ac similes* IEZABELIS *dolosos sibi Meletianos conciliarunt.* Et in apolog. pro sua fug. ita loquitur: *Cuinam illorum sententiæ aduersanti confictis* IEZABELIS *more criminibus, non laqueos tetenderunt.*

Iezabelis malitiam in vineæ quoque raptu sic sceleris pœna expendebat sanctus Chrysostomus hom.25. in epist. ad Romanos: *Serpens magis punitus est, quàm mulier; quemadmodum & mulier plusquam vir, & Iezabel maiores pœnas dedit, quàm Achab vineæ raptor; ipsa quippe vniuersum illud negotium texuerat, Regique lapsus occasionem dederat. Igitur & tu quoque si reliquis perditionis causa fueris, grauiora patieris, quàm qui per te subuersi sunt.*

Fugienda vt Iezabel voluptas, quin & plusquam Iezabel, quia & plus nocet; de sancto Adelhardo ita scribit sanctus Paschasius Radbertus in eius vita: *Quò factum est, vt dico alter Elias fuga haberetur, non* IEZABEL, *sed carnis fugiens voluptatem*, eámque oblectationem, quam parturire parentum suorum præsentia poterat.

EXCVRSVS CX.

A mala muliere quanta mala timenda.

Vel nudum mulieris nomen *timendum.*
Quàm ingentia mala *mulier in mundum inuexerit.*
Malorum multorum congeries *mulier.*
Fæmina ira, *ira leæna.*
Magis quàm feræ *mulier timenda.*
Vel à fæmina cantu *mors timenda.*
Mulierum familiaritas *quàm noxia.*
A fæminarum consortio, *qui sapit, se eximat.*
Elias *cur mulierem timuerit.*

SÆuierunt in sequiorem sexum auctores plerique, in fœminas calamum acuerunt nonnulli; verùm vt non probandæ omnes, sic non omnes damnandæ; laudem suam merentur, quæ bonæ sunt; Iezabeles, Herodiades, & supparis notæ mulieres fugiendæ, licèt vniuerse cauendum ab vniuersis, omnibúsque ab omnibus timendum. Vel nudum mulieris nomen, nudaque memoria noxia est, vt non casu factum, quòd diuinæ litteræ à mulierum genealogia abstinuerint, mulierum nomina non recensuerint per ætates; sanctus Chrysostomus hom.20. in Genes. *Nusquam*, inquit, *catalogum* MVLIERVM *diligenter facit Scriptura, cauens ne quid superfluum proferat*; addo ne quid noxit, & damnum aliquod parturiens. 687.

Vel nudum mulieris nomen timendum.

S. Chrysost.

Quænam mala in mundum mulier inuexit, quæ cœlestes homines in terrenos mutauit, infernóque addixit, vitam mundo abstulit, intulit mortem, vt in eam inuehens sanctus Petrus Chrysologus serm.127. diceret: *Hæc est* MVLIERIS *antiqua malitia, quæ Adam eiecit de Paradisi deliciis, hæc cœlestes homines fecit esse terrenos, hæc humanum genus misit in infernum, hæc vitam abstulit mundo, propter vnius arboris pomum, hoc malum, quod homines ducit ad mortem, hæc pueritiam perdit, iuuentutem illicit, & inquietat mortuam senectutem.*

Quàm ingentia mala mulier in mundum inuexerit.

S. Pet. Chrys.

Quàm magna in vna muliere mala timenda sint, habes ex his verbis Anastasij Nicæni quæst. 63. *Quid est*, inquit, *mulier? in terra naufragium animarum, exitium cordis*, LANCEA *centrum infernorum*; poterat paucis plura significare?

Malorũ multorum congeries mulier.

Anast. Nic.

De fœminæ ira hoc dictum circumfertur, extátque in sententiis Ethicopoliticis,

Qualis LEÆNA, *talis ira fœmina est.*

& illud,

Nec FERA, *nec* IGNIS FOEMINA EST *ferocior.*

Fœmina ira, ira leæna.

Vet. dictum.

Non parianda tantùm feris fœmina est, sed & præferenda; & non Herodias in feritate vicit feras ipsas? vicit; pepercerunt feræ Ioanni dum in deserto esset, non pepercit Herodias, quin caput eius abscauit. Audiendus hîc sanctus Chrysostomus hom.15. in Matthæum ex variis locis: *Cetus*, inquit, *Ionam in ventre custodiuit, Dalida autem Samson circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones, & aspides Ioannem Baptistam subdita feritate fremuerunt; Herodias verò eius caput abscidit.* I, & te iuxta has feras securum puta, cùm nec Ioannes ipse fuerit, quem feræ ipsæ reuerebantur.

Magis quàm fera mulier timenda.

A fœminæ oculis, manibus, lingua, & cantu quàm sit timendum, scitè ille explicabat his versibus,

Regulus vt visu, Siren Acheloia cantu,
Et necat affrictu Thessala saga leui:
Sic oculis, manibus, sic VRIT FOEMINA CANTV;
Sic trifidum fulmen Vesuius esse queat.

Vel à fœmina cãtu mors timenda.

A bello non est liber, qui à mulierum familiaritate se non eximit, liber est, qui eas vitat; scitè sanctus Ephræm serm.2. de compunct. cordis: *Si quis fœminis delectatur, & apud eas alacrem se reddit; passionibus prauis deseruit, & cum conscientia bellum gerit; has verò, qui aduersatur, séque à consuetudine huiusmodi abstrahit, belli modestia liberatur.* 688.

Mulierũ familiaritas quàm noxia.

S. Ephræm.

Qui sapit, à fœminarum se consortio eximet, eo ab illis securior, quo ab illis longiùs se subtraxerit,

A fœminarũ consortio qui sapit se eximat.

xerit, Elias ipse, qui vel in cœlum linguæ suæ vim, virtutémque porrexit, stare contra vnam Iezahelem noluit; *cuius lingua*, verba sunt sancti Petri Chrysologi serm. 127. *clauis facta est cœli, tanquam reus fugit a facie mulieris*; & sanctus Chrysostomus hom. 15. in Matthæum ex variis locis; TIMVIT MVLIEREM, *qui totius mundi statum, & cœli pluuiam, agri speciem, in linguæ potestate portauerat, qui ignem è cœlo eduxerat, & per virtutem orationis mortuos suscitauerat; hic timuit mulierem. timuit, inquam, nulla enim malitia æmulari potest mulierem malam.* Elias timet, nos Elia imbecilliores non timebimus? Timorem hîc timor docet, docet & humilitatem; nam, vt inquit Theodoretus quæst. 57. in lib. Reg. *Ne miraculi magnitudo eius spiritum nimis attolleret, concessit gratia naturæ, vt timorem susciperet, & suam agnosceret imbecillitatem*; nos quoque nostram agnoscamus, quam manifestam nobis facit magnorum virorum cautio, metus atque etiam lapsus.

S. Pet. Chrys.

Elias cur mulierem timuerit.

Theodoret.

ADAGIVM DCCCI.

Antichristum sub Christi vestibus occultare.

689. QVoties pietatem quis præsefert, & religionem, tum intus impius sit: quoties aliquis religionis habitum extimè iactat, seculum intus fouet, seculique viuit moribus, opportunus huic prouerbio locus dabitur; hinc illud Petri Blesensis epist. 131. *Res*, inquit, *magni discriminis est, ignominiam seculi sub religionis habitu circumferre, impietatem sub pietatis vmbraculo, &* ANTICHRISTVM SVB CHRISTI VESTIBVS OCCVLTARE.

ADAGIVM DCCCII.

Intus Nero, foris Cato.

SAncti Hieronymi hæc sunt verba epist. 4. ad Rusticum in Grunium inuehentis; INTVS NERO, FORIS CATO, *totus ambiguus.* Victorinus ait Neronem ob luxum viuendi, foris verò Catonem propter supercilium, & iudicandi censuram dictum; in similes prouerbialiter iactari istuc idem poterit, & præsertim in eos, qui hypocritis larua alios decipiunt.

ADAGIVM DCCCIII.

Intus Herodes, foris Ioannes.

HOc prouerbio alicuius hypocrisis, vafrities arguetur, qui sanctitatem, pietatémque extimè præsefetat, intus vitiis omnibus, ac sceleribus sit refectus: externo habitu probitatem se colere dissimulet, intus in eam arietet, vt sibi ipsi dissimilis sit, semper varius, semper ambiguus; sanctus Bernardus in Petrum Abailardum inuehens epist. 193. ait: *Nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine, homo sibi dissimilis est,* INTVS HERODES, FORIS IOANNES, *totus ambiguus.*

ADAGIVM DCCCIV.

Sub agnino vellere lupinum animum gerere.

TOrquebitur in eos, qui aliam faciem foris exhibent, aliud intus sunt; sanctitatem, innocentiam extra præseferunt, intus omnium vitiorum generibus scatent. B. Ælredus Abbas in compendio specoli charitatis, cap. 6. ita loquitur: *Forsitan sub habitu Religionis ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias, & honores anhelant;* SVB AGNINO VELLERE LVPINVM *gerentes animum, inexplebili auaritia æstuant.*

EXCVRSVS CXI.

Notati hypocritæ qui alij videntur, alij verò sunt.

Multi lupi *sunt sub* ouium *veste.*
Plerique iusti hominibus *videntur, apud* Deum *non sunt.*
Adeò aliena à vera virtute hypocrisis, *vt in virtutes arietet.*
Premitur sanctitatis simulator.
A sāctitatis simulatione *vt nos Deus auocet.*
Ab interiori sanctitate extima *promanet.*
Virtutum simulatores *Diabolo pares.*
Simulata iustitiæ *damna.*
Interioris hominis *maximè habenda ratio.*

MVlti multos extima sanctitatis specie decipiunt, innocentiam in superficie simulant, qua intus carent; lupi plerique sunt sub ouium veste; hinc illud sancti Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 4. *Multi lupi obambulant in vestimentis ouium, & vestes quidem ouium nanciscuntur, sed non & vngues, aut dentes. Ac pelle quidem mansueta induti specie probitatis decipiunt, perniciosum verò impietatis venenum ex dentibus emittunt.* 690.

Multi lupi sunt sub ouiū veste.

S. Cyr. Hier.

Plerique iusti hominibus videntur, sed verè, Deo teste, non sunt; Noe Deus alloquens Gen. 7. 1. ait: *Quia te vidi iustum coram me*, quia apparent hominibus iusti, qui iniusti apud Deum sunt, qui nescit falli; sic Abulensis hîc: *Aliqui alij licet viderentur iusti in exteriori apparentia, tamen coram me non erant iusti, quia præcordia plena dolo.*

Plerique iusti hominibus videntur, apud Deum non sunt.

Gen. 7. 1.

Abul.

Adeò vera virtute abest hypocrisis, vt in ipsam arietet, ipsas euertat, & diruat; sancti Petri Chrysologi serm. 7. hæc sunt verba: *Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat, mucrone virtutum ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit.*

Adeò aliena à vera virtute hypocrisis, vt in virtutes arietet.

S. Pet. Chrys.

Virtutis, & sanctitatis simulatorem scitâ similitudine premebat sanctus Ambrosius in Leuit. cap. 10. ad Simplicianum: *Nunquid potest placere Domino si quis adhuc versetur in iniquitatibus, & iniustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam? simile est, ac si quis æger se sanum simulet, magis ægrotabit*; & lib. 1. epist. 3. de eo, qui pœnitentiam agere simulabat, cùm non ageret, hoc idem his verbis habet: *Simile est, ac si quis æger se sanum simulet, magis ægrotabit, quia nihil ei prodesse potest*

Premitur sanctitatis simulator.

S. Ambr.

ſimulatio ſanitatis, cùm verbo adumbretur, non vllo fulciatur ſubſidio virtutis.

A ſanctitatis ſimulatione, vt nos Deus auocet. A ſimulatione virtutis nos auocauit Deus, dum in veteri lege veſtis vſum ex lana, & lino contextæ inhibuit, Deut. 22. talem quippe veſtem indueret, qui ſub probi ſermonis tegmine prauæ vitæ malitiam occultaret. *B. Beda.* Scitè Beatus Beda in Deut. cap. 22. vbi hanc legem ad hanc mentem verſans ait: *Veſte, quæ ex lana, & lino contexitur, linum interius celat, in ſuperficie lanam oſtendit. Veſtem ergo ex lana, linoque contextam induit, qui ſub locutione innocentiæ, intus ſublimitatem celat malitiæ.*

691. *Ab interiori ſanctitate extima promanet. Pſal. 44.* Ab interiori ſanctitate extima promanat, & à ſuo fonte vix dixerat in ſponſæ commendationem Dauid Pſalm. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, cùm ſubiecit tranſitum ad externam pulchritudinem faciens in fimbriis aureis circumamicta varietate.

Virtutum ſimulatores Diabolo pares. S. Cyr. Hier. Virtutum ſimulatores, nec veri cultores Diabolo patiari poſſunt, qui in Angelum lucis ſe transformat. Auertendus huc ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. *Imitatur*, inquit, *virtutem improbitas, & zizania contendunt triticum videri, quæ quidem ſpecie quadam tritico aſſimilatur, guſtu autem à ſentientibus facilè diſcernitur. Et Diabolus quoque transformatur in Angelum lucis.*

Simulatæ iuſtitiæ damna. S. Pet. Chryſ. Simulatæ iuſtitiæ imaginem, ac damna, ſic nobis repræſentat ſanctus Petrus Chryſologus ſerm. 9. *Iuſtitia quæ eſt hypocriſis, iuſtitia non eſt, mentitur oculis, fallit aſpectu, videntibus illudit, decipit audientes, ſeducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit ſæculo, Deo non fit, mercedem, rapit præſentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos cæca ipſa, non videns vult videri, propter quam cæcitatem Chriſtus præſemi ſic inchoat in præcepto, Attendite, hoc eſt, ne geſtiatis attendi.*

Interioris hominis maximè habenda ratio. S. Aug. Interioris hominis habenda ratio eſt, potius quàm extimæ ſuperficiei; hoc lignorum ſimilitudine ſic explicat ſanctus Auguſtinus in Pſal. 45. *Videte, chariſſimi, cùm ligna deaſciantur à fabris, & probantur, aliquando in ſuperficie videntur quaſi læſa, & putrida. Faber autem inſpicit tanquam medullam interiorem ligni, & ſi ſana ligna interiùs cognouerit, promittit ea in ædificio duratura, nec valde erit de ſuperficie læſa ſolicitus, quando id quod interiùs eſt, ſanum renunciat. Porrò hominis interius conſcientia non inuenitur. Quid igitur prodeſt, ſi quod eſt exteriùs ſanum eſt, & putrefacta eſt medulla conſcientiæ?*

ADAGIVM DCCCV.

Cain vitam agere.

692. QVi miſerrimam, nullibique tutam traducit vitam, hic prouerbialiter vitam Cain agere dici poterit; diuitem his verbis premit ſanctus Chryſoſtomus conc. 1. de Lazaro: *Ipſius* CAIN VITAM VIVIT *gemens, ac tremens ſuper terram*; & hom. 12. in epiſt. ad Romanos, ſcortatores, & libidini deditos perſtringens ait: *Pecuniarum ſuſtinent ſumptum, tum verò terrorem aſſiduum, breuiter* VITAM CAIN VIVVNT, *ſeu veriùs dicam, illa etiam vita multo duriorem*; & vniuersè hoc prouerbium in eos quadrat, qui terrenis rebus addicti, cœleſtiúmque obliti, multis ſe ſceleribus maculant, & commiſſæ culpæ conſcientia miſeri mordentur, & maximo, aſſiduóque timore corripiuntur; ſic idem ſanctus Pater hom. 7. in epiſt. 2. ad Corinth. ait enim: *Quod corpori frigus eſt, hoc animo conſcientia. Vnde etiam timiditas exiſtit. Neque enim quicquam homine mundanis rebus affixo, timidius fingi poteſt. nam qui eiuſmodi eſt,* VT CAIN VIVIT, *quotidie nimirum tremens.*

Non alia ſcortatorum, & laſciuientium vita, quàm Cain; de his ita loquitur idem ſanctus Pater hom. 12. in Epiſt. ad Romanos: *Iam quid de ſcortatoribus dicas? qui modicam ob voluptatem tantùm, ſeruitutis turpitudinem, tantum pecuniarum ſuſtinent ſumptum; tum verò terrorem aſſiduum, breuiter vitam Cain viuunt, ſeu verius dicam, illa etiam vita multo duriorem: hinc præſentiam timeſcentes, illinc futura formidantes, & amicos, & inimicos, & conſcios, & minimè conſcios ſuſpectos habentes: à qua quidem ſolicitudine, atque anxietate, nec ſomnum quidem dum capiunt eximuntur: ſomnia diuerſis timoribus plena identidem illis alternante, ac renouante conſcientia, ſicque illos territante*; & vniuersè peccatorum omnium vita ſimilis vitæ Cain, eſt nullibi tutus, nullibi quietus, vbique tremens, vbique ſolicitus.

ADAGIVM DCCCVI.

Profugus inſtar Cain.

QVi loco ſtare neſciat, ſed huc illuc pallens vagetur, hic pariari Caino poterit; hinc illud Petri Abailardi epiſt. 1. *Nunc ita me Satanas impediuit, vt vbi quieſcere poſſim, aut etiam viuere non inueniam, ſed vagus, &* PROFVGVS AC INSTAR *maledicti* CAIN, *vbique circumfertur.*

EXCVRSVS CXII.

Inquies peccatoris ſtatus.

Peccatoris inſtabilitas, *&* inquietudo.
Timor *mali comes.*
Peccator ſui carnifex *eſt.*
Cain conſcientiæ cruciatus *compendio mortis volebat.*
Non ſtatim peremptus eſt Cain, vt exemplum *cæteris eſſet.*
רשע *quid, peccatores* inquieti.
Nulla peccatoris quies.

HIc peccatoris, & à Deo ſuo abeuntis ſtatus eſt, vt ſtare neſcias; hæc in pœnitenda mentis quies, vt quieſcere non poſſit, ſemper ſit inſtabilis, nullibi ſecurus; Cain denique referat, quem vagum, profugum litteræ diuinæ referunt. 693.

Peccatoris inſtabilitas, & inquietudo. Philipp Abb. Bonæ-ſpei. Peccatoris inſtabilitatem, & inconſtantiam, ſtatum ſtare neſcium, ſic repræſentat Philippus Abbas Bonæ-ſpei de ſilentio Clericorum, cap. 107. ait enim: *Vagus, & profugus miſer miſerrimè tunc habetur, cùm vndique deſertus à gratia, ſolo vitro non tenetur, ſed habenis ſolutis per multa, & varia circumfertur, nulli valent reſiſtere, cunctis perſequentibus anteferetur; induratus nequitia, ad omne reuocantis conſilium obſtinatus, non recordans veniæ, morti perdita deſtinatus ad omnem flatum, vel impulſum cuiuſque prauitatis*

prauitatis fertur, vt stipula raptatur vt palea suæ vitio leuitatis. Absit persequutor, absit carnifex; ac tortor, vltrix imago, peccati quietum esse reum non permittit, fit ipse hostis sui, & tortor, ad timoris scopulos allidirur peccatoris scapha, pudoris obruitur fluctibus, nullibi quiescit.

Timor mali comes. Tertull.

Mali omnis comes est indiuiduus aut timor, aut pudor, vt optimè dixerit Tertullianus in Apolog. *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit;* timore, vt delinquere timeres, pudore vt erubesceres. Caini mores fuge, ne Caini vitam, vitam sollicitudine, ac pauore plenam.

Peccator sui carnifex est. S. Ambr.

Nullus sit, qui in peccatorem sæuiret, sæuit ipse in se ipsum, ipse sui carnifex est, tortorem secum circumfert, dum à se ipso non abit, à sua conscientia non discedit; de Caino, qui peccantium imago est, ita sentit sanctus Ambrosius in Psalm. 35. *Acceperat signum, ne eum aliquis occideret, non vt vitæ suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, vt percussorem suum quotidie timendo pateretur, ipse suus carnifex erat, ipse percussor*; producta vita non ad restigerium erat, sed ad tormentum, cruciabatur, quia viuebat, viuere illi erat cruciari.

694\. *Cain conscientia cruciatus compendio mortis volebat.* Gen. 4. 5.

Nos cruciatus euadere volebat, dum diceret: *Omnis, qui inueniet me, occidet me*, Genes. 4. 5. B. Alcuinus ad hanc mentem interrog. 89. *Cur ipse se morte damnauit, dicendo, Omnis, qui inueniet me, occidet me? Resp. Desperando dixit, vel vt compendio mortis cruciatus euaderet præsentes.*

Non statim peremptus est Cain, vt exemplum cæteris esset. S. Chrysost.

Nec statim peremptus est Cain, viuere permissus est, vt melior à suo cruciatu fieret, exemplúmque aliis peccatoribus daret, vt à peccatoris pœna discerent non peccare, quod sic expendebat sanctus Chrysostomus orat. 5. aduersùs Iudæos: *Deus*, inquit, *volens posteros ad temperantiam adducere, tale supplicij genus excogitauit, quod Cain à peccato posset liberare. Nam si protinus illum interfecisset, obiisset quidem peccatum in sese tectum ferens, neque posteris vllo pacto fuisset cognitus.* Qui sapit, à Cain discet, Cain non imitari, ne paria supplicia sustineat, aut etiam maiora.

רשע quid, peccatores inquieti. Genebr.

Quietem ergo qui amat, peccatum defugiat, quies, & culpa simul se non compatiuntur, exulat quies à corde, quod culpæ domicilium est; apud Hebræos impij רשעים, quod nomen quandam inquietudinem claudit Genebrardus in illud Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, Hebr. רשעים *resanghim*; *Inquietos*, inquit, *animo, & conscientia Hebræi interpretantur*, ac inquietum esse, & impium in idem resiliret.

Nulla peccatori quies, nulla securitas, semper inquies, vbique intutus, semper grauidus est, hoc colligebat sanctus Maximus hom. 3. de pœnitentia Petri, ex illis verbis Gen. 3. *Adam, vbi es?* sic enim ille scribit: *Adæ dicitur, Adam, vbi es? Non quòd Adam conspectum Domini latere potuerit, sed quòd* PECCATRICI CONSCIENTIÆ NVLLVS LOCVS TVTVS, *vel tectus sit, dum metuit deprehendi.*

ADAGIVM DCCCVII.

Nostra Susanna.

695\. DE pudicissima muliere diceretur, quæ singulare pudicitiæ exemplar sit; *Altera Susanna* dicta est Beata de Leuci. præterea si quæ innocens, vt nocens condemnetur, si quæ casta, tanquam impudica puniatur, nostra ceu *noua Susanna* dici prouerbialiter poterit; sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 20. Cadaloum, qui Ecclesiam inuaserat, inque supremum culmen se iniustè obtruserat, ita loquitur: *Ecce iterum Susanna in iudicium accusata producitur, esse falsum innocenti crimen intenditur, & sanguis innoxius condemnatur, sed aderit potentior ille Daniel, qui & impios senes perperam iudicasse conuincat, &* SVSANNAM NOSTRAM *ab iniusta sententia damnationis absoluat.*

Ad impiis senibus accusatur Susanna, defendit eam castitas, ob quam impudicorum insidiis patuit: tacuit Susanna, loquuta eius castitas est; periclitari non poterat sub castimoniæ, ac pudicitiæ patrocinio. Audiendus hîc sanctus Maximus, qui hom. 1. de accusato domino, ita Susannæ laudem excurrit: *Susanna mulier inimicos suos tacuit, & vicit, non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est, sed in sancta fœmina tacente lingua, pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ adfuit in iudicio quæ eam defendit, & in Paradiso, ibi enim pudori eius consuluit, hic saluti: ibi ne macularetur pudicitia, hîc ne innocentia damnaretur.*

ADAGIVM DCCCVIII.

Qualis domina est, talis est & catella.

DOminorum mores in subditos deriuari, 696.
& ancillis dominas suas vita referre, referre moribus, vt ex his hauriant, quæ in illis vident, si quis affirmare voluerit, vti prouerbiali hac sententia poterit. nam & in hunc sensum eam extulit Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. cap. 11. dum ait: *In domina retorquetur ancillæ intemperantia, quæ concedit, vt qui minora aggrediuntur, non vereantur ad maiora conscendere; cum eo quòd ignoscat turpibus, domina præseferat se eam non damnare. Non succensere autem iis, qui se dedunt libidini, est indicium animi ad similia propensi:* QVALIS ENIM DOMINA, TALIS EST, *vt dicitur prouerbio*, ET CATELLA; vnde & vetus illud, *οἵη ἡ δέσποινα, τοίη χ᾽ ἡ θεραπαινίς*, *Qualis hera, talis est ancilla*; hinc & illud sancti Hieronymi epist. 9. *Ex ancillarum quoque moribus dominæ iudicantur*; & epist. 10. *Interdum animus dominarum, ex ancillarum habitu iudicatur.* Huic affine est, quod habet Libanius tom. 2. suorum operum orat. 10. quæ est in Iul. Imp. necem, vbi ita loquitur: *Diripiebantur antiquæ vrbes, & ornamenta; quæ perdurando superarant vetustati, per mare ducebantur, fullonum filiis ædes exhibituræ Regiis Principum splendidiores illis ita se habentibus, nec ferendis labantur, plerique æmuli identidem; catelli, vt ferunt, dominos imitantes. enimuero nullus è famulis erat, qui non insolenter, & contumeliosè se gereret, vinciendo, exagitando, spoliando, feriendo, extrudendo, fructus percipere postulando, dum bigis effertur.* S. Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres ambitionis sese ornantes, & excolentes, ancillas dominarum imagines vocat, quòd scilicet quales heræ sint conijci ex ancillis possit, in quas illæ transmittunt suos mores. *Nihil est*, inquit, *insuper cur tibi famulorũ greges, aut imagines pectoris sui ancillæ animas tollant. Vt enim hirundines veris, flores fructuum nuncij sunt; sic de hera moribus ex ancillis iudicari potest.*

ADAGIVM DCCCIX.

Alter Sardanapalus.

697. SArdanapalus Assyriorum Rex luxu infamis locum prouerbio fecit, vt deliciarum mancipium *alter Sardanapalus* prouerbialiter dicatur, hinc illud sancti Petri Damiani lib.1. epist.13. *Ipse velut* ALTER SARDANAPALVS *in se delicias eructet conniuantium, ille tanquam Apostolus in regimine præsideat animarum.* Hinc insignis alicuius mollities, & luxus iusto elogio traducetur, si *mollior Sardanapalo* dicatur; vsus est hac prouerbiali formula Tertullianus lib. de Pallio cap.1. dum ait: *Nec magna forte constantiæ mandatum sit* MOLLIOREM SARDANAPALO *Cæsarem designare, & quidem sub Nerone.* Sanctus Hieronymus in apologia aduersùs Ruffinum, ita loquitur: *Cùm tantam*, inquit, *habeas licentiam nominum immutandorum, vt de Eusebio Pamphilum, de hæretico Martyrem feceris, cauendus homo, & mihi maximè declinandus, ne me repentè dum nescio de Hieronymo* SARDANAPALVM *nomines*; & epist.101. *Ceterùm ridiculum, si quis è nobis manens inter Crœsi opes, &* SARDANAPALI *delicias de sola rusticitate se iactet*; sanctus Petrus Damianus opusc.13. cap.12. Sardanapalo Macharij laboriosam vitam opponit, ait enim: *Nec cum* SARDANAPALO *plumis innatare pensilibus inhiat, qui peruigiles cum Machario noctes in orationibus intentus anhelat.*

Epulæ quoque in quibus luxus fluctuet, & deliciæ Sardanapalicum in morem apparatæ prouerbialiter dicentur; Sidonij Apollinaris lib.2. epist. 13. hæc sunt verba: *Cúmque pransuro* SARDANAPALICVM IN MOREM *panis daretur è Leontina segete confectus, insuper dapes culta ferculis cultioribus apponerentur, spumarent falerno gemmæ capaces, inque crystallis calerent vnguenta glacialibus.*

ADAGIVM DCCCX.

Ollarum vaporem excipere per respirationem.

698. DEliciarum, & ventris mancipia hoc olim prouerbio notabantur; hinc illud Clementis Alexandrini lib.2. Pædag. cap.1. *Est*, inquit, *insipientis, ea quæ publicis epulis apponuntur, valde mirari, ac stupere, postquam quæ ex verbo percipiuntur, delicias senseris; multò est autem insipientius visum seruire pulmentis, adeò vt eorum, vt ita dicam, intemperantia, vnà cum eis feratur à ministris. Quomodo autem non est inutile, è sedibus surgere propemodum faciem in* OLLAS *iniicientes, è sedibus tanquam è nido prospicientes, vt, quod vulgò dicitur,* VAPOREM *erraticum* EXCIPIANT PER RESPIRATIONEM, quæ lurconum nota, & consignatio est.

ADAGIVM DCCCXI.

Sybaris altera.

LVxus celebris Sybaris, celebres Sybaritæ, vt prouerbio locus datus sit; hinc illud Nicetæ Choniates lib.3. in Alexio: *Norant nil aliud esse Constantinopolim, quàm* SYBARIM *illam luxu celebrem*; transferetur ad quamcumque vrbem, in qua luxus sedem suam posuerit. Libanius delicias recensens Sybarim nominat tom.1. orat.11. *Mensa Sicula epulum opiparum* SYBARIS; & orat.10. quæ est in Iul. Imp. necem, hac formula vtitur; *sibi autem illorum famæ compararent* SYBARIM. Opiparas mentes *Sybariticas* adagialiter dictas notissimum est; ex nostris hîc aliquos dabo, qui huc spectauerunt; sanctus Cyrillus Alexandrinus hom.18. de festis Paschalibus loquitur in hunc modum: Τί δ' ἂν ἄρα τοὺς νέους ἴδοι τις τῆς Αἰγύπτου μειράκια, ὑπερφρονοῦσι τραπέζης Συβαριτικῆς, καὶ τὴν περίεργον καρυκείας ὕλην περιεττήσαντες ὡς ἁπάσης αὐτοῖς κοσμήματος μητέρα καὶ τροφὸν ἠσπάζοντο τὴν νηστείαν, καὶ τρυφὴν ἡγοῦντο τοὺς πόνους. id est, *Quid hîc igitur funeresi adolescentes? contempsere Sybariticam mensam condimentaque operosa spernentes abstinentiam veluti omnium ipsis ornamentum procreatricem amplexi sunt, sibique corporis afflictationes instar deliciarum ducebant.* Sanctus Chrysostomus serm. cùm Presbyter esset designatus, ait: *Respexit ad magnum illum Moysem, qui cùm esset in Regio elocatus palatio, mensa* SYBARITICA *frui consuetus, & inter Ægyptios relictus strepitus, ac tumultus, nostris autem eiusmodi sint barbarorum illorum mores, quàm fastus, & arrogantiæ pleni sint, contemptis illis omnibus, ad lutum, & laborem opificum vltrò se contulit.*

ADAGIVM DCCCXII.

Adsit suaue quiddam, & iucundum, & suffocet me.

QVi terrenis deliciis, corporeis voluptatibus inhiabant, hoc prouerbium efferebant. ADSIT SVAVE QVIDDAM, ET IVCVNDVM, ET SVFFOCET ME; sicut refert sanctus Chrysostomus hom.74. in Matthæum, vbi illud exsibilans inclamat, *O versutia*, inquit, *diaboli, quæ prouerbia vitæ hominum tradidit, quibus integra possit hominum vita euerti, nihil aliud hoc prouerbio dicitur, quàm quòd nulla tibi, honestè viuendi, nulla iustitiæ cæterarúmque virtutum cura sit.* 699.

ADAGIVM DCCCXIII.

Homo totus bucca, maxilla.

HOc prouerbiali scommate percelletur corporearum deliciarum amator, qui totus in patinis, in poculis est, nihîlque aliud cogitat, quàm ventrem scitissimis ferculis implere. Clemens Alexandrinus 2. pædag. cap.1. ita loquitur: *At mihi quidem videtur* HOMO, *qui est eiusmodi, nihil esse aliud, quàm* BVCCA, ET MAXILLA.

ADAGIVM DCCCXIV.

Mensarum Sicularum apparatum superare.

DE ciborum superflua paratura, mensísque, quibus luxus innatat voluptates, atque delitiæ; hinc illud S. Isidori Pelusiotæ lib.5. epist.49. *Quomodo quæso cibus delicatis vitam transigis? idque vt non modo domi* MENSAM *instruas,*

sed

sed etiam SVPERES SICVLARVM MENSARVM APPARATVM? Etiam Iulianus orat. 5. ad calcem: *Mazam*, inquit, *suauius cœnabat, quàm tu modò Siculas epularis ad mensas.*

ADAGIVM DCCCXV.

Cyclopæa edacitas.

SVpra modũ edax Cyclopææ edacitatis nota traducetur; in actis S.Sebastiani ita loquitur Tiburtius: *At ego reprehendebam in eo* CYCLOPÆAM EDACITATEM, *emergentem è vino putorem, & sepultam diuini nominis sanctitatem.*

ADAGIVM DCCCXVI.

Suo ventri pater, alieno vitricus esse.

PErcelletur prouerbiali hoc scommate, qui suę gulæ mancipium factus ita ventrem lectissimis epulis onerat, vt tamen alios fame premi non curet, aut vilissimis ferculis tantùm eos velit saturari; plerosque enim est reperiri, qui cùm de propria cute nutrienda agitur, nullis sumptibus parcunt, effusissimíque sunt; cùm prouidendum aliis est, tunc manum contrahunt, sordidissimáque auaritia laborant; tales erant quos nobis depingebat S.Petrus Damianus opusc. 21. cap. 11. *Cùm comedit* SVO PATER, ALIENO VENTRI ESSE VITRICVS *perhibetur.* nollem æuum nostrum plures nutrire, qui se ita nutriunt, vt aliòs negligant.

ADAGIVM DCCCXVII.

Epicuream vitam agere.

700. VIta libidinibus, omni intemperantiæ genere, & luxuriæ refecta, Epicurea dicetur, quęque ex diametro Christianæ puritati, & temperantiæ aduersetur. hoc sibi volunt S.Isidori Pelusiotæ verba, qui Chæremonem, Anatolium, Gotthium, & Maronem arguẽs ita scribit lib. 2. epist. 20. *Quoniam vita vestra perennium lachrymarum causam, & materiam sanctis viris præbuit, considerantibus nimirum, quidnam causa sit quòd vos, cùm Christianorum nomen vsurpetis,* EPICVREAM *tamen* VITAM DVCATIS, *vt qui nec illum libidinis, aut intemperantia facinus non perpetratum, nec fœdum illum, & obscœnum sermonem non prolatum reliqueritis; hac epistola nos monet, vt vel ipsos probris, atque infamia, futurique iudicij seueritate liberetis*; & verò nihil adeò Christianæ puritati repugnat, quàm impuritas Epicuri, vt Christiani nomen cum Epicuri vita non cohæreat; hinc idem sanctus Pater lib. 2. epist. 25. quendam perstringens ait: *Et quid Christianum te profiteris? Si autem Christianus appellari cupis? quam ob causam* EPICVREO MORE VITAM INSTITVIS?

Epicuri schola peritos voluptatum aucupes suos facit, & sapientes censet, qui huiusmodi sunt; sanctus Augustinus lib. 3. contra Academicos cap. 7. EPICVRVS, *vel quis alius aduersariorum suum potius peritissimum voluptatum aucupem sapientem esse contendunt.*

Christiani nomen cum Epicureo more non cohæret, quia nec Christus cum Epicuro; hinc S.Petrus Blesensis ser. 42. in Synodo: *Qui dediti*, inquit, *sunt voluptati, non sunt in schola Christi, sed* EPICVREI; *qui student valetudini, non sunt in schola Saluatoris, sed Hippocratis.*

Nisi quid Epicurus Christianorum audire potest, qui Christi schola repudiata delitiarũ, ac voluptatum mancipium se fecit. S.Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum c. 1. ipsum Iouinianum *Epicurum Christianorum* indigitat, *Rogantes*, inquit, *vt* EPICVRVM *Christianorum euangelico, atque Apostolico vigore contererem.*

Epicureos stabula in voluptuariorum hominum mentibus ponere, testatur S.August. lib. 3. contra Academicos c. 17. EPICVREORVM, inquit, *greges in animis delitiosorum populorum apricą stabula posuerũt.*

Qui sapit nec Epicuri instituta sectabitur, nec Christianorum Epicurum constituet se, quin monentem eundem sanctum Patrem epist. 51. audiet: *Procul Epicurus, longè Aristippus.* De Epicureis ait Origenes lib. 7. contra Celsum: EPICVREI *omnes actiones suas ad vnum scopum, voluptatem dirigunt.* Vellicat hoc argumentum nostrum calamum, voluptatis iniecta mentio, ad scribendum prouocat contra voluptates, contra terrenas delitias, quæ delitiarum nihil aliud præter nomen habent.

EXCVRSVS CXIII.

Belluam, non hominem refert, qui ventri seruit, & gulæ.

Χόρτασμα quid, ratione carere *videtur, qui terrenis deliciis inhiat.*

Non est hominis, *sed* iumenti *deliciis carnem fouere.*

Vix à bestiarum natura *abit, qui gulæ seruit.*

Voluptas bonum pecoris, *non hominis.*

Fera, *non homo qui voluptatibus ferinis corripi se sinit.*

Venter præsepe *brutæ concupiscentiæ.*

Deliciis caro efferatur.

Hominem se esse obliuiscitur, *qui totus voluptatibus inhiat.*

A cæteris animantibus *non distat, qui ore ad vorandum tantùm vtitur.*

Gula deliciarum venatrix.

Voluptatis fuga *etiam à voluptatis defensore discenda.*

CAlamus in luxum stringendus mihi, ne quempiam luxus stringat; sternenda calamo gulæ voluptas, ne si non sternatur, sternat; in Sardanapalos, in epulones inuehor, quorum nomina luxu, deliciísque infamia aboleri prorsus à fidelium cœtu velim, vt nullus epulon audiat, nullus Sardanapalus. 701.

Hominem se cogitet, qui deliciarum corporearum cupiditate tenetur, non est hominis corruptibilibus esui inhiare, & ventrem ferculis onerare, bestiarum hoc potiùs est. Accinit Clemens Alexandrinus 1. Pædag. cap. 11. *Lex*, inquit, *est pædagogia puerorum insolentium, qui habenis non facilè retinentur; saturati ergo surrexerunt ludere, saturati autem Græcè est* Χορτασθέντες, *quasi dicas, fæno repleti, nempe qui à ratione alienam alimenti plenitudinem* Χόρτασμα, *hoc est, fæni repletionem, non autem cibum dixerit*; non igitur ratione vtentis est illis voluptatum lenociniis rationem

Χόρτασμα quid, ratione carere videtur, qui terrenis deliciis inhiat.
Exod. 31.
Clem. Alex.

rationem obruere, quæ homini cum bestiis communes sunt.

Non est hominis, sed iumenti deliciis carnē fouere.

Non est hominis ventri suo seruire, delitiis carnem suam fouere, est iumenti; hominis veri vera nota est Deo suo obsequi, & diuinæ maiestati seruire; Christi verba sunt: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis*, Luc. 12. 36. signatè dixit, *hominibus*, quia veri homines sunt, qui Dominum expectant eius iussa excepturi, nam qui non expectant Dominiu, sed ventris sui mancipia ventri seruiunt, ab hominis charactere abire videntur, iumenta referunt. Debemus acumen istuc sancto Petro Chrysologo serm. 22. qui est de terrenorum cura despicienda, déque seruo vigili, ait itaque, *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando veniat à nuptiis. Homines sunt, qui more debitæ seruitutis indefessis excubiis aduentum sui Domini præstolantur: qui verò sic ventri seruiunt, vt diuinam nesciant seruitutem, & de carnis voluptate sollicisi solicitudinem occursus Dominici perdiderunt, homines non vocandi sunt, sed iumenta.* Vereor vt inter homines plura habeamus iumenta, quàm homines.

Luc 12. 36.

S. Pet. Chrys.

Vix à bestiarum natura abit, qui gulæ seruit.

702. Si ventri tantùm homo seruiat, vix à bestiarum natura exurgent, quæ escis tantùm inhiant, vt nihil aliud quærere præterea videantur; indicatum istud cùm eodem die, quo bestiæ in prima mundi molitione ortæ sunt, & edendi potestas homini est facta sexto, scilicet die, vt edens moneretur ne ita escas appeteret, vt bestiis pariaretur. S. Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio cap. 3. *Sexto*, inquit, *die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orsa edendi potestas est, & vsus escarum*; nimirum vix à pecudibus discriminabitur, qui totus in ferculis est; addit sanctus Pater tunc finem factum mundi, cùm cibus initium sumpsit, vt rectè innueretur escas mundi ruinam, exitiúmque futuras, atque perniciem; *vbi*, inquit, *cibus cœpit, ibi finis factus est mundi; quo indicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet diminui, per quos desiit augeri.* Quis deinceps speret virtutum fabricam erigere si nimio ferculorum studio teneatur? Destruit omnia insana ista cupiditas, quæ & in rationem quoque arietat, & hominem homine priuat, non est hominis corporeas voluptates amare, sed hellicarum etiam ab externo calamo res est. Vniuersè de voluptate Seneca epist. 92. *Voluptas bonum pecoris*; & de Beata vita cap. 9. *Quid mihi voluptatem nominas? hominis bonum quære, non ventris, qui pecudibus, atque belluis laxior est.* Præclarè A. Gellius lib. 19. cap. 2. *In pecudum ferarúmque numero habetur, quisquis est ferinis voluptatibus præuinctus*; tales sunt, quæ à nudis ferculis; sed omnium luculentiùs, apertiùs rem prodidit Demetrius Cydonius lib. de contemnenda morte, vbi ait: *Quid turpius, aut magis brutum homine ad solam voluptatem propenso, atque rerum nostrarum, & pretiosarum penitus oblito? Qui ne homo quidem deinceps vocari debet, sed portentosa bestia, quales in fabulis describuntur, qui aspectu dumtaxat falsam hominis præseferas speciem.* I, & paria te bestiis, qui Angelis debueras, & superfluo ferculorum amore brutis te commisce, qui cœlestibus spiritibus corporearum deliciarum contemptu poteras.

S. Ambros.

Voluptas bonum pecoris, non hominis.

Seneca.

Fera, non homo qui voluptatibus ferinis corripi se sinit.

Gell.

Demet. Cyd.

Deliriis caro efferatur.

S. Io. Clim.

Deliciis nemo carnem foueat, plus efferatur, plus delinita: *Leonem*, inquit sanctus Ioannes Climacus gradu 14. *mansuetarius permulcendo sæpè cicurauit; qui blanditus est corpori, illud sæpè magis efferat.*

Quis adeò desipiat, vt ventris mancipium velit esse, & luxu Sardanapalum imitari? & non erubesceres, in præsepe detrudi, & velut bos in præsepe alligari? Certè cur igitur hoc sponte eligis, huic te pœnæ miseriæque ferculorum amore adiicis? & non præsepe quoddam venter est? est, vt iure dixerit Philo lib. de Sacerdotum honoribus: *Venter porrò nil aliud est, quàm præsepe bruta concupiscentia, qui potationibus rigatur, & ingluuie*; & sines te in hoc stabulo claudi? in hoc præsepe tanquam bos morari? & vbi mens, vbi ratio? siccine hominem te esse oblitus es, qui conditus homo es. Iure inclamabat Beatus Ælredus lib. 1. cap. 26. in speculo charitatis: *Quid peruersius, quam rationalis mentis bonum, in ventris ingluuie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere? maximè, cùm se in his à stolidissimis belluis, nihil videat posse differre.* O hæc illorum mentibus insiderent, qui toti in patinis sunt, & tanquam escis tantùm nati, ventri soli famulantur; mentis spiritaliúmque deliciarum obliti.

Philo.

Venter præsepe brutæ concupiscentiæ.

Hominem se esse obliuiscitur, qui totus voluptatibus inhiat.

B. Ælredus.

703. Ne belluis brutisque pares simus, ore vti debemus, Dei laudibus celebrandis potius, quàm cibis glutiendis; scitè Tertullianus de resurrect. carnis, cap. 6. *Accepisti homo os ad vorandum, atque potandum; cur non potiùs ad eloquendum? vt à cæteris animalibus distes; cur non potiùs ad prædicandum Deum? vt etiam hominibus antistes*; ac si maior homine sit, qui Deum laudat, super homines efferatur, qui Deum effert.

A cæteris animantibus non distat, qui ore ad vorandum tantùm vtitur.

Tertull.

Qui gulam delitiarum venatricem dixit, optimè non coërcitæ naturæ gulæ descripsit. Idiota huc collineauit tract. de donis Spiritus sancti, cap. 7. dum ait: *Gula supra modum venatrix est deliciarum, quas licere putat, & expedire.* Venatur gula delicias, venatur & amatores deliciarum; quarum ne sis præda, delitiis tanquam prædæ minimè inhies.

Gula deliciarū venatrix.

Idiota.

Denique & vtile aliquod ab Epicuro discamus, licèt voluptatis & præco, & defensor extiterit Epicurus, virilem tamen ciborum vsum commendauit, abstulit carnium, & epularum exquisitarum, quod his verbis refert sanctus Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum c. 8. quódque mirandum sit: *Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit holeribus, & pomis, vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes, & exquisita epulæ ingenti cura, ac miseria praparentur; maiorémque pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo: corpora autem nostra cibi tantùm, & potu indigere*; adeò vt exquisitarum epularum fugam discere à voluptatis defensore possimus.

Voluptatis fuga etiam à voluptatis defensore discenda.

S. Hier.

EXCVRSVS CXIV.

Voluptates rationem obruunt, & tegunt.

Corporeis voluptatibus tanquam vaporibus mentis sol tegitur.

Deliciæ mentem cooperiunt.

Terrenis voluptatibus haud inhæreat, qui videre Deum vult.

Supero lumine perfunditur, qui à terrenis voluptatibus recedit.

Voluptatem retia captiuos amatores suos ducunt.

Maior omni alia insania voluptatem amore corripi.

γαστριμαργία quid, quid μάργος, insania & gulæ nexus.

Sol

704. *Corporeis voluptatibus tanquam vaporibus mentis sol tegitur.* Clem. Alex.

SOl nubibus obscuratur, sed nocentiùs voluptatibus mens; ex lacunis, lacubúsque vapores ascendunt, qui condensantur in nubes quibus lucida solis nobis facies eximitur; ex corporeis verò cupiditatibus voluptates oriuntur, quæ rationis, & mentis operiunt solem; huc flecti potest illud Clementis Alexandrini lib. 2. Stromatum, vbi ait; *Quemadmodum exhalationes quæ è terra, & ex lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem, & vmbrosam vertiginem; ita etiam carnalium cupiditatum vapores, malam animæ inerunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes, & ante eam effundentes; intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur, ex cupiditate, & perpetuitate voluptatum condensante vitiorum vertigines;*

Delitiæ mentem cooperiunt. Eccl. 2. 1. R. Dauid.

Operiunt Solis vultum nubes, operiunt & mentem voluptates, deliciæque. Salomonis verba sunt Eccles. 2. 1. *Vadam, & affluam deliciis*; in affluendi verbo tegmen quoddam vident Hebræi, quoddam velamen. R. Dauid de Pomis legit: *Cooperiam me deliciis*, adeò deliciis operiuntur voluptuarij, est & ratio in eis operiatur, vt verus ille fuerit, qui dixit: *Voluptas subornat mentem ad iniqua iudicia rerum.*

Terrenis voluptatibus haud inhærent, qui videre Deum vult. Psal. 5. 5. S. Aug.

Oculos terrenas voluptates uperire, & Dei nobis conspectum eripere, indicauit Dauid cùm diceret Psalm. 5. 5. *Mane astabo tibi, & videbo.* Rectus nexus astandi, & videndi, qui adstat vider, qui iacet non vider; ille autem iacer, qui in terrenis voluptatibus beatitudinem inuenire se posse sperat; frustrà ille est, qui terrenarum voluptatum amore obsidetur, & Dei diuinorúmque visionem sibi promittit. Eleganter rem versat sanctus Augustinus in huius Psalmi enarratione, dum verba hæc premens ait: *Astabo, quid est, nisi non iacebo? quid est autem aliud iacere, nisi in terra quiescere, quod est in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? Astabo, inquit, & videbo. Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur*; mundum autem habere cor non potest, qui ab immundis voluptatibus habetur.

705. *Supero lumine perfunditur qui à terrenis voluptatibus recedit.* S. Cyrill. Al.

Vbi quis à mundanis voluptatibus recesserit, tunc supero lumine perfunderur, quod ostensum in Abrahamo, cui Deus apparuit, cùm à suis recessit, proprium Larem deseruit; quod expendens sanctus Cyrillus Alexandrinus in collectaneis cap. 3. huc spectans aiebat: *Quomodo Abrahamo habitanti in propria terra non apparuit Dominus, vocato autem, & egresso cùm venisset in terram ei monstratam, visus est, & magna dedit promissa, & finit eum ædificare Altare, & sacrificare; ita etiam nobis in mundo manentibus, & mundanis voluptatibus nulla fit diuinitus illuminatio.*

Voluptatum retia captiuos suos amatores ducunt. S. Hier.

Retia voluptates sunt, quæ dum blandiuntur mentem, quam inuadunt, captiuam ducunt; hinc illud sancti Hieronymi lib. 2. aduersùs Iouinianum cap. 7. *circumdati retibus voluptatum esse nos liberos arbitramur.*

Maior omni alia insania, voluptatum amore corripi. Architas.

Sapienter Architas, cuius hoc votum, hæ preces, hæ voces, vt aliqui referunt; *Insania potius, quàm voluptate corripiar*; cùm noxior, maiórque quacumque insania illa sit, qua quis corripitur dum terrenas voluptates amat, perituris deliciis inhiat, mortem illaturis, illecebris immoritur; mente ergo sanus audire non debet, qui earum voluptatum mancipium est, quæ mentem corripiunt, & lædunt, dum sensui blandiuntur.

γαστριμαργία quid, quid μάργος, insania & gulæ nexus.

Insaniam quandam præseferre, totos in delicias in fercula ferri; scitè, vel ex nomine, quo gulæ vitium Græcè gaudet, colligit Clemens Alexandrinus 2. *Pæd.* cap. 1. *Dicitur*, inquit, γαστριμαργία, *quæ est alimenti intemperantia, &, vt ipsum nomen indicat, in ventrem insania, insanus enim Græcè μάργος dicitur*, eant ventri dediti, ventrísque mancipia, & ferculorum apparatu insaniam suam prodant.

EXCVRSVS CXV.

Terrenæ voluptates falsæ, vmbratiles, impuræ.

Falsa *terrena voluptas, & spuma similis.*
Voluptatis putredo *terrena voluptas.*
Voluptatis prurigo *ad scabiem ducit.*
Vmbratilis *voluptas.*
Mentem inquinant *voluptates.*
Voluptatum lacunæ.
גב *quid, quid* גב; gulæ *nexus, &* lupanaris.
Voluptas lasciua meretricula.
Non est mundus, *qui variis seruit illecebris.*
Finis *in quem corporis epula desinunt à pretiosarum epularum concupiscentia nos auocant.*

706. *Falsa terrena voluptas & spuma similis.*

NIl vetius quàm falsas esse terrenas voluptates, nil falsius quàm veras esse, quæ veræ existimantur; verùm & vetus dictum,

Falsa hominum ferè voluptas verum ducat ad malum.

S. Pet. Chry.

Verorum malorum mater est, falsa ipsa est, imaginem voluptatis habet, nihil præterea; spumæ eas comparat sanctus Petrus Chrysologus serm. 8. *Deuictis*, inquit, *voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus*: & placet hæc spuma, quæ nihil solidi habet, nihil firmi: Plerique adeò infirmi, & imbecilles, vt non vincant has spumas, sed ab hisce spumis turpiter vincantur.

Voluptatis putredo terrena voluptas. Rich. Vict.

Non voluptates, sed voluptatum putredo terrena voluptas est, vt nos ab eius amore auocans Richardus Victorinus tract. 3. de statu interioris hominis cap. 3. iure dixerit: *Satagamus noxios affectionum carnalium humores, voluptatúmque putredinem adhibitis curationum congruarum medelis extirpare.*

Voluptatis prurigo ad scabiem ducit. Zach. Episc.

Vera videatur voluptas, qua mundo suos blanditur, verè non est, ad modum prurigitus se habet, ad dilacerationem vocat, quæ vnguibus fit, in scabiem desinit, in dolorem. Pulchrè Zacharias Episcopus Metylenes disp. de opificio Mundi, *Voluptatem virtuti præponunt inescati, & insanientes, quasi si quis optet prurigine admorderi, & sensim fallente voluptate totum corpus dilaceret vnguibus, nec secuturam mox scabiem cogitat.*

Vmbratilis voluptas. Salu.

Huius mundi voluptatem *vmbratilem* dicit Saluianus lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam, & plerique tantâ amentiâ laborant, vt has vmbras sectentur, delassentur, circa vmbratilem hanc voluptatem.

707. *Mentem inquinant voluptates.* S. Ambr.

Suas quoque sordes voluptas habet, suas maculas habent deliciæ, quibus inficiunt mentem, quam afficiunt; explicate rem habet sanctus Ambrosius de Abel, & Cain cap. 5. dum ait: *Mala sunt voluptatis vincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam.* Voluptas terrena non esset, si pura esset; *Verus & ille, voluptas contaminat animam, fœdat ignaram sui mali.* Procopius in cap. 1. Exod. *voluptatum lacunas* vocat.

Voluptatum spuma. Procop. *Voluptas la-*

Fuere, qui impuræ meretrici voluptatem pariarunt;

scina meretricula. Philo.

riatunt; huc spectat Iudæorum disertissimus Philo de mundi opificio, vbi ait: *Omnino scire oportet, quod voluptas tanquam lascina meretricula amatorem appetit, quarens stupri conciliatores, per quot illum ceu hamo capiat.*

בג, quid, quid גב. Gula nexus, & lupanaris.

Nimiæ ciborum deliciæ exquisitæ, ferculorum lautitiæ viam ad impuritatem sternunt; apud Hebræos, vt circa nuda quoque nomina philosophemur, בג bag *cibum* significat, & signatè regium, & delicatum; hoc nomen si inuertas, fit גב, *gau*, quod de lupanari non semel in sacris litteris dicitur, vt rectè moneremur ad impura, & inhonesta facile duci qui ciborum lautitiis innatant.

708. *Non est mundus qui variis seruit illecebris.*

Promiscuè se omnibus voluptas exhibet, omnibus meretricia fronte se offert; quidni igitur impuram eam esse asseramus? In diuinis litteris, quod immundum est, commune solet dici; ita Act. 10. *Quod Deus sanctificauit, tu commune ne dixeris*, hoc est, impurum, immundum, non caret hæc sacræ Scripturæ phrasis suo pondere; fors istius nominis notio signat, mundum minimè esse, qui multis voluptatibus seruit, mundanarum illecebrarum mancipium est; subsignat B. Beda ad producta Actuum verba, dum ait: *Notanda Scriptura sanctæ consuetudo, quæ immunda solet appellare communia, quia nimirum, qui variis seruire vult illecebris, mundus esse non valet.* scilicèt adeò voluptatum omnibus communia propria impuritas est, vt ab illis abiungi nequeat, nequeat separari.

B. Beda.

Finis in quē epulæ desinūt, à ciborū pretiosorum concupiscētia nos auocat.

Finis, in quem corporis deliciæ, & epulæ desinunt, nos monet, ne ciborum pretiosum delectu gulam irritemus. Acutè in hac re philosophatur Vmbertus lib. 2. erud. Relig. part. 3. *Cùm corpus vas sit, vbi corrumpitur quod infunditur: fatuum videtur esse, ibi pretiosa ponere. Vlulate omnes qui, bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro. Non sic est in aliis sensibus. Non enim corrumpitur res pulchra, cùm semel visa fuerit: nec res odorifera, quum semel odorem eius aliquis perceperit. Non videtur quòd Deus voluerit hominem quærere cibos pretiosos, qui eandem assignauit cum iumentis escam. Ecce dedi vobis herbam afferentem semen supra terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.*

EXCVRSVS CXVI.

Voluptatis hamo homines capiuntur, mortem cùm deglutiunt.

Hamus *voluptas, vetus dictum.*
Voluptatum hamo *vtitur Diabolus vt nos capiat.*
Tanquam piscibus *voluptatum* hami *cauendi.*
Mortiferæ *suis amatoribus voluptates.*
Mors *in voluptatibus delitescit.*
Tanquam pestis *vitanda voluptas.*
Omni peste *nocentior voluptas.*
Occisionis *victima.*

709. *Hamus voluptas vetus dictum. Voluptatum hamo vtitur Diabolus vt nos capiat.* S.The. Stud.

HAmus voluptas est, quo homines non secus ac pisces capiuntur. Verum illud in sententiis Ethicopoliticis,

HAMVS *vt pisces, voluptas sic homulos abripit.*

Hoc hamo vtitur Diabolus vt mortales decipiat, & in exitium trahat, vt grauiter inclamans dixerit sanctus Theodorus Studita serm. 26. *Quid voluptatem iocundam arbitramur, qui dolor sit reuera mortiferi? Nam equidem* VOLVPTAS HAMVS EST DIABOLI, *inextincti ignis suscitabulum; & tamen rapimur ad eam mortales quasi quidam deditity serui*; & quis tam fatuus vt hoc hamo trahi ad mortem quærat, nec tam timeat, quàm amet? ab alio calamo accipe rem eandem; S. Basilius in exhortat. ad Baptismum: *Voluptas,* inquit, HAMVS EST DIABOLI *trahens ad perniciem.*

S. Basil.

Tanquam piscibus voluptatum hami cauenda.

Nollem piscibus homines esse deteriores, escas illi defugiunt, in qua nouerunt hamum delitescere; cur non & homo defugiat voluptates sub quibus latere Dæmonis arte hamum non sola notitia didicit, sed & damno suo non semel expertus est? Huc flecti illud potest, quod habet Absalon Abbas serm. 38. in festo sancti Augustini; *Quod si,* inquit, *sub flore isto, venenum quandoque expertus est, caue tibi, & sollicitus esto, ne quid deterius contingat, quia, & pisciculi curiosius escas declinant, in quibus quandoque fallacis* HAMI *cauterium deprehenderunt.*

Absal. Abb.

Mortiferæ sint amatoribus voluptates. S. Aug.

Hoc quoque titulo fugiendæ terrenæ voluptates, quòd mortiferæ suis amatoribus sint; ita eas indigitat sanctus Augustinus in Psalm. 15. ad illa verba: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei;* ait quippe: *Bibant alij mortiferas voluptates, portio calicis mei Dominus est.* Olim morti adiudicatis calix porrigebatur veneno plenus, cuius labra melle lita erant; diceres ex hoc calice bibere, qui breui voluptatum dulcedine decepti venenum ebibunt mortis. Cassiodorus mortiferas mundi voluptates, & illecebras fugiendas docet de diuinis lectionibus cap. 32. dabo hîc eius verba: *Quo faciliùs,* inquit, *mortiferas mundi delectationes, noxiaque blandimenta Domino præstante vincatis, & sitis huius sæculi (sicut de Beatis legitur) transeuntes, ad illud semper primi Psalmi festinate, remedium salutare, vt legem Domini, diebus noctibusque meditemini. Tunc non inueniet inimicus prætertium locum, cùm totum Christus occupauerit animum.*

Cassiod.

710. *Mors in voluptatibus delitescit.* Lact. Plin.

Mortem in voluptatibus delitescere, etiam Lactantius affirmauit his verbis lib. 6. cap. 21. *Sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate; &* ab *externa schola.* Plinius lib. 14. in præfat. *Voluptas vbi viuere incepit, vita ipsa desiit.*

Tanquam pestis vitanda voluptas. S. Isid. Pelus.

Blanda videatur voluptas, nocentissima pestis est, quæ metum secum fert; à probo calamo res est; sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 12. ita loquitur: *Non te fugit, vir clarissime, vitium quidem pestiferam voluptatem habere: virtutem autem laborem cum gloria, nominisque splendore coniunctum, siquidem gloria sudoribus libenter iungatur: oportet igitur illud fugere, hanc autem mordicus retinere.*

Omni peste nocentior voluptas. Misop.

Nec pesti parianda tantùm voluptas, sed & præferenda, nocentior omni peste est, omni capitalior. Pulchrè Misopon. Sat. §. 32. *Contagiosas esse voluptates nobis ipsis persuademus, sed cùm ita forsitan capitales. Capitales sunt, imò illis capitalior pestis nulla, vel ex Tarentino Archita: Nemo viuus, ex voluptatis thalamo surrexit;* thalamus iste voluptatis voluptariis sepulchrum fit, mortem tunc incurrunt cùm currunt ad voluptates, in hunc thalamum cùm se recipiunt, accipiunt mortem.

Occisionis victima voluptuosi. S. Petr. Dam.

Occisionis victimas, si quis voluptatum mancipia vocet, à vero non aberrabit; voluptuosos homines premens sanctus Petrus Damianus epist. 19. post recensitam B. Dominici Loricati asperam vitam ait: *Eant nunc qui carnis suæ delectantur illecebris, medullas absorbeant voluptatum, & occisionis victimæ ad æternum nutriantur incendium.* Eant, & se beatos putent terrenis voluptatibus immersi, quarum vsu ad infelicem æternitatem sternunt sibi viam.

EXCVR

EXCVRSVS CXVII.

Fugaces terrenæ voluptates.

Vt bulla vix orta disperit voluptas.
Citò fluit *mundana voluptas.*
Flori caduco *similis voluptas.*
Celeriter disperire *voluptates* scriptionis, *quæ in aqua fit, exemplo explicatur.*
Alatæ *voluptates terrenæ aliò auolant cùm aduenisse existimantur.*
Horatiæ *voluptates momentaneæ sæculi dulcedines.*
Fugiendæ *voluptates, quæ fugiunt, & maximè iis, qui alios regunt.*

711. *Vt bulla vix orta disperit voluptas.* Vetus dict.

IN transitu terrena voluptas est, non diu stat, in transitu sita est, fugax est, terrena non esset nisi abiret; verè ille, qui bullæ disparenti comparauit,

Vix orta simul disperit, vt bulla voluptas.

Citò fluit mundana voluptas. Seneca. S. Chrys.

Præclarè & Seneca ad Polyb. *Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit, & transit, & penè antequam veniat aufertur.* Ex nostris rem luculentiùs versat sanctus Chrysostomus homil. 43. in Ioannem, vbi hæc habet: *Quænam sæcularium quæso voluptatum vtilitas? Hodie sunt, cras elabuntur; hodie flos pulcherrimus, cras aridus puluis: hodie ignis ardens, cras cinis extinctus; spiritalia tamen perpetua clara floridaque, & in dies splendidiora permanent.*

Flori caduco similis voluptas. Clem. Alex.

Flos, isque citò periturus voluptas terrena est; scitè, vt monuerit Clemens Alexandrinus adhort. ad Gent. *Voluptates, & delicias tanquam caducum, & breuem florem relinque vento, & igni.*

Celeriter disperire voluptates scriptionis, quæ in aqua fit exemplo explicatur. Elias Schol.

Citò terrenas voluptates disperire, abireque in nihilum scriptionis exemplo, quæ in aqua fit, eleganter explicat Elias Scholiastes sancti Gregorij Nazianzeni in orat. 10. his verbis: *Vt qui in aqua scribunt, scriptionem quidem per manum operantur, litterarum notas in liquido elemento fingentes; verùm nulla nota in figura remanet: eodem modo voluptuarium omne studium, & actio in iis, quæ fiunt, extinguitur; simul enim atque actio finem habuit, voluptas quoque deleta est, nec quicquam postea reseruatur.*

Alatæ voluptates terrenæ aliò auolant cùm aduenisse existimantur. S. Chrys.

Alas terrenæ voluptates habent, statim ac aduenerint aliò auolant, diu apud suos amatores manere nesciunt; hinc illa sancti Chrysostomi verba homil. 27. in Ioannem: *Quid vilius, quid abiectius humana voluptate, quæ simul aduenit, & auolat, languescit, fugitque antequam comprehendatur.*

712. *Horaria voluptates momentaneæ sæculi dulcedines.* S. Bern.

Proh hominum amentiam, horarias voluptates amant, quibus ad pœnarum æternitatem sternunt sibi viam. quid est decipere si hoc non est; hinc illud de illis sancti Bernardi in sententiis; *In deliciis, & voluptatibus enutrientes corpora, & corda sua, post dulcedines momentaneas, & horarias suauitates ad sempiternas amaritudines deferuntur.*

Fugiendæ voluptates, quæ fugiunt, & maximè iis, qui alios regunt.

Fugiendæ ergo voluptates, quæ ita celeriter fugiunt, & abeundum ab illis deliciis quæ citissimè abeunt, & citò finiunt, atque adeò breues sunt vt veræ non sint; omni fugiendæ sæculi illecebræ sunt, sed maximè illis, qui alios regunt, non enim decet diuitiarum libidini subiici, qui super homines dignitate sunt; aliorum rector liberatórque futurus à voluptatum blanditiis eximere se debet. iuit in exemplum Moses, de quo ita scribit sanctus Ambrosius lib. 1. Hexaëm. cap. 2. *Priusquam ad populi liberandi munus vocaretur, voluptati sese eripuit*; regiæ domus delicias fugiens, inque solitudinem se recipiens, ægrè alios liberare à seruitute potest, qui voluptatis mancipium est, deliciarum seruus, quod in eos optime quadrat, qui liberandis hominibus à Diaboli seruituti destinantur.

S. Ambr.

EXCVRSVS CXVIII.

Delitiæ ac voluptates terrenæ, scelerum parturiunt monstra.

Steriles *in bono voluptates.*
Voluptas malitiæ esca.
Peccatorum laqueos *voluptatis terra tegit Diabolus, vt homines captat.*
Voluptas fornax *scelerum, philtrum improbitatis.*
Ex deliciis iniquitates *prodeunt.*
Voluptates tanquam catenæ *suos ligant.*
Scelerum mater *voluptas.*
Persuasa alicui voluptas immane quodlibet scelus *illi persuadet.*

STerilis voluptas est, sterilémque mentem reddit quam possidet, vt nihil edere queat, nihil proficui parturire; non casu accidit, vt Regis 713. *Steriles in bono voluptates.*
Pharaonis pincerna, & pistor Eunuchi essent, Genes. 40. hac quippe re tectè innuebatur steriles Gen. 40.
esse, & Eunuchos, qui voluptatibus præsident, deliciisque parandis præficiuntur. De Eunucho, qui apud Pharaonem præfectus coquorum erat, ita philosophatur Philo lib. 2. Allegoriarum: *Eunuchus iste, & coquorum præfectus, videlicet mens, quæ non simplicibus tantùm, sed etiam superfluis vtitur voluptatibus, Eunuchus vocatur, sterilis sapientia, cùm sit Eunuchus non alterius, quàm dissipatoris bonorum Pharaonis.* Sterilis reuera est, qui gulæ famulatur, ac ventri, qui delicias, ac voluptates parat. Philo.

Sed quæ in bono sterilis voluptas, in malo fœcunda maximè est, malorum liberalis voluptas est, & peccatis gignendis nata; apud Antonium in Melissa ad omnem malitiam esca voluptas vocatur; ait enim: *Voluptas veluti quædam esca ad omnem malitiam delicatioribus animis obiecta facilè ad hamum perditionis eos allicit*; sanctus Chrysostomus homil. 15. ad populum ait: peccata Diaboli arte voluptatibus operta, sicut & laquei terra teguntur; vt scitè monuerit, *Multa tibi opus est consideratione, & diligenti scrutatione: sicut enim pueri terra laqueos, sic Diabolus vita voluptatibus peccata circumtexit; sed agnosce perscrutans diligenter.* vbi igitur voluptatis apparet facies, ibi peccati timendum est virus; bene ille de malis voluptatis; bene de illa dixit, quia dixit malè, dum ait: *Voluptas fornax scelerum, fodina nequitiæ, alueus vitiorum,* PHILTRVM IMPROBITATIS.

Voluptas fornax scelerũ, philtrum improbitatis.

Tegit voluptas peccatum, tegunt delitiæ culparum sordes, ne earum fœditas videatur; sed priùs pariunt, quæ postea tegunt; hinc illud Prophetæ Regij Psalm. 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*; signatè *ex adipe*, ex deliciis scilicet, & voluptatibus, quæ iniquitates fœcundissimè parturit; explicatè Euthymius hic, *Per adipem*, inquit, *delicias eorum intelligit, dicens, quòd tanta eorum iniquitas ex multis prouenit deliciis*; adeò vt ibi multarum iniquitatum copia sit, vbi mens deliciis innatat, terrenis voluptatibus irretitur. 714. *Ex deliciis iniquitates prodeunt.* Psal 72. Euthym.

Parturiunt voluptates, parturiunt delitiæ, & ingen *Voluptates tanquam ca-*

tena suos ligant.

ingentem peccatorum sobolem edunt in eius mente, in qua posuerint domicilium; nec contenta scelera peperisse, etiam catenæ munus obeunt, ne facile nata a voloptate crimina, à voluptuosis relinquantur; quod tetigit sanctus Nilus institut. ad Monachos, in hæc verba: *Vt seruus in plagas incurrens haud facilè potest ex illis effugere: sic qui in mundo cupiditatibus indulget, difficile potest se & peccati laqueis explicare. praua enim cupiditates catenæ sunt insolubiles.*

S. Nilus.

Scelerum mater voluptas.
S. Marc. Ere.

Scelerum matrem si quis voluptatem dixerit, non aberrabit; hinc illud sancti Marci Eremitæ de lege spirituali; *Sicut virtutes laboribus, sic etiam vitia voluptatibus procreari consueuerunt*: magnam à voluptatis matre sobolem expecta, nisi coërceatur.

Persuasa alicui voluptas immane quodlibet scelus illi persuadet.
S. Cyrill. Al.

Nullum adeò immane flagitium est, quod suis amatoribus voluptas non persua[illegible]eat, omni eloquentia maior, tacitus blandientis voluptatis sermo est: persuasa alicui voluptas scelus omne voluptuoso persuadet, vt verus fuerit sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. de adorat. ad Pallad. *Illi quibus voluptas persuasa est, procliues in quoduis absonum flagitium prolabuntur*; & contrà alienus à voluptatibus, non facile se in immania scelera trahi sinet.

EXCVRSVS CXIX.

Terrenarum voluptatum dulcedo amara est, spinosa delitiarum mollities; mordent dum blandiuntur.

In amaritudinem *voluptates desinunt.*
Quàm magna amarities *sequatur voluptates.*
Voluptas æterni vermis *nutrix.*
In fel *desinit voluptatis mel.*
Amaritudo *in ipsa voluptate est, quam non sentiunt plerique, quia ebrij.*
Spinæ *cum voluptatibus cohærent.*
Vepres *carnalium cogitationum.*
Mordent *deliciæ licèt blandæ videantur.*
Serpenti *mordenti similes voluptates*
Captæ deliciæ nos capiunt *tanquam feræ.*
Voluptatis fera *cauenda.*

715.
In amaritudinem voluptates desinunt.
S. Basil.

TErrenarum voluptatum nucleus, ac medulla amarities est; dulcis voluptas terrena videatur, non diu esse potest, statim desinit in amarorem; hæc si quis altè cogitet, voluptatum amor abscedet. Probè sanctus Basilius homil. in illud, *Attende tibi ipsi*, vbi ita scribit: *si attenderis tibi ipsi, & memor fueris, quid præsens hæc iucunditas tibi ad amarum finem deueniet, statim fugata voluptates abibunt*; non abeunt, quia à mente ista abit cogitatio.

Quàm magna amarities sequatur voluptates.
S. August.

Quàm magna, quàm diuturna sequatur voluptates delectatio nesque terrenas amarities, habet his verbis sanctus Augustinus serm. 7. de tempore: *Quod putatur dulce modò satis esse in breuitate temporum, quàm amarum erit in ignem æternum, quam graui, & perpetua pœna punienda erit breuitas delectationis*; & sanctus Basilius homil. in exhortat. ad Baptismum: *Voluptas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus delinit quidem ipsa fruentem, verùm postea felle amariores retributiones facit.* Vides in fel desinere, quæ prima sua facie mel videbatur: Hoc idem monet sanctus Ambrosius serm. 25. *Fauus*, inquit, *quidam mundi est voluptas, sed nouissima amariora sunt felle.*

Voluptas æterni vermis nutrix.
S. Basil.

In fel desinit voluptatis mel.
S. Ambr.

Hinc est vt mel à sacrificiis diuina lex ablegauerit, vt scilicet rectè doceremur fugiendam voluptatem, quæ licèt extima sui specie mellis præseferat dulcedinem, in fel tamen finit amarum; quò spectabat sanctus Cyrillus Alexandrinus homil. 1. de festis Paschalibus, in hæc verba: *Mellis præterea oblationem abnuit, voluptatis enim hoc quoque symbolum est. Dulcis siquidem videtur esse adiuncta vnicuique peccato voluptas, sed exitum bile amariorem sortitur.*

S. Cyrill. Al.

716.
Amaritudo in ipsa voluptate est, quã non sentiunt plerique, quia ebrij.

Parum est amaritiem à voluptate esse, non solùm ab ipsa est, sed & cum ipsa, adhuc cum felle est grauida, & absynthij amaritudine delibuta; nulla tam pura voluptas, quam amaritudo non inficiat. Plerique mortalium testes sunt à voluptate, amaritudinem esse, plerique nunc apud inferos experiuntur, ad æternæ damnationis fel voluptatem trahere; paucissimi verò sunt, qui amaras voluptates fateantur, dum voluptatibus fruuntur; cur ita? An quia amaritudine ipsa velut absynthio inebriati, non sentiunt quod patiuntur? quid si huc flectatur illud Thren. 3. 15. *Inebriabit me absynthio.* Certè huc flexit sanctus Gregorius Magnus lib. 20. moral. cap. 16. vbi expendens hæc Iobi verba ait: *Qui absynthio inebriatur, & hoc quod sumpsit amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem, qua repletur; humanum igitur genus, per voluptates spontaneis tribulationibus traditum absynthio ebrium, quia & amara sunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat.* nisi ebrij mortales essent, hanc amaritudinem sentirent.

Thren 3. 15.
S. Greg.

Spinæ cum voluptatibus cohærent.
S. Isid. Pelus.

Præterea deliciarum terrenarum mollities spinis scatet, mentem dum mulcent pungunt; molles voluptates videantur, spinas tamen generant, vepres, spinasque producunt; ferax spinarum campus voluptatis est, voluit hoc sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 220. dum ait; *Nemo Christi aruum sulcat spinarum feracem voluptatem amplexus.* Placent spinæ? voluptas ametur; displicent? repudietur; spinas à voluptatibus non facilè quis abiunxat.

Spinæ rosis commiscentur itidem, & deliciis, ac voluptatibus, nemo tam fatuus vt rosarum venustate decipiatur, spinas timeat, rosas decerpturus; idem præstet, qui delicias amat, voluptates quærit: delicias amantium illa vox est; *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, Sap. 2. v. 8. Vides voluptariorum fatuitatem? ex rosis parare sibi coronas volunt, spinas non cogitantes; spinarum tamen aculeos sensuri. Premit eos eleganter sanctus Augustinus in Psalm. 52. *Lenia videbantur iam dudum loqui; Coronemus nos rosis antequam marcescant; quid delicatius, quid lenius? sperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari, lenes sunt, & radices spinarum. si quis eas contrectet, non pungitur, sed quo pungeris, inde nascitur.* Etiam ex voluptatum & deliciarum mollitie spinæ nascuntur, quibus pungaris, & crucieris. 717.

Sap. 2. 8.
S. Aug.

Vepres carnalium cogitationum.
S. Greg.

Vepres in carnalibus cogitationibus, quæ blandæ videntur, latere vidit sanctus Gregorius in 1. Psalmum Pœnitentialium; vbi ait: *Impediunt eam (animam) vepres carnalium cogitationum, detinent illam secularium illecebræ voluptatum.*

Mordent de-

Quis crederet mordere delicias, quæ tam molles

licia licèt blanda videantur.

les videntur, & vulnerare, quæ tam blandæ: vulnerant tamen, & lacerant, & sæuo morsu sectatorum mentem cruentant. Nullus Leo, vipera nulla, nullus scorpio adeò noxius, quam noxiæ deliciæ sunt.

S. Chryſ.

Præclare sanctus Chrysostomus orat. 6. de Prouidentia Dei; *Bestia, inquit, qualam difficiles, & intractabilis deliciæ sunt: neque scorpius, aut vipera in visceribus nostris inhærescens, ita perpetuò nos vexat, vt hæc deliciarum cupiditas, omnia euertit, atque consumit. Bestiæ enim illæ corpori tantùm insidiantur, hæc sicubi se collocauerit, corpus vnà cum anima etiam vastat.* Quis tam fatuus, vt velit sinu suo has feras excipere, & deliciarum corporearum scorpiones viperásque fouere?

Serpenti mordenti similes voluptates. Philo.

718. Serpens Philoni voluptatis figura est, multas quidem ob causas, sed præcipuè, vt ille ait lib. de mundi opificio; *quia venenum gestat in dentibus, quo solet morsos tollere, quibus omnino malis obnoxius est homo voluptati deditus.* Mordet ergo voluptas, quæ blandiri videtur, perimit dum mulcet.

Capta deliciæ nos capiunt tanquam feræ. Seneca.

Mordere ferarum more, & capere dum capiuntur voluptates, etiam Seneca monuit, cuius sunt illa verba de vita beata cap. 14. *Vt feras cum labore, periculóque venamur, & captarum quoque illarum sæpe sollicita possessio est, sæpe enim laniant dominos; ita habentes magnas voluptates in magnum malum euasere, captéque cepere.*

Voluptatis fera cauenda. S. Greg. Nyſſ.

Cauenda hæc fera, fugienda voluptas, ne dum blanditur mordeat. Peritè sanctus Gregorius Nyssenus in cap. 2. Ecclesiastæ; *Tanquam feræ alicui ad meos sensus adrepenti voluptati statim resistebat; & aduersabar, dicens: Quid facis? quid naturæ virtutem effœminas? cur animi robur emollis? cur animæ viros eneruas? cur affers interitum rationi? cur impurarum cogitationum serenitatis puritati caligine tua immittis tenebras?* Tanta vna voluptas damna secum affert, infértque amatori suo, suo sectatori.

ADAGIVM DCCCXVIII.

Arentis ingenij guttis Oceani fluenta prouocare.

SI indoctior aliquis, & ad dicendum infans, doctissimum quempiam, eloquentissimúmque prouocet, & cùm in eo in arenam descendere præsumat, tunc locus huic prouerbio erit; hinc illud Ennodij lib. 2. epist. 7. *Nos ab scholarum gymnasiis sequestrati* ARENTIS INGENII GVTTIS QVÆDAM OCEANI FLVENTA PROVOCAMVS. quod ad alios quoque in rebus aliis imparibus, & dissimilibus traduci facilè poterit.

ADAGIVM DCCCXIX.

Cotyla vastum Nilum metiri.

REm impossibilem, & supra laborantis vires hoc prouerbium significat. Philotheus Patriarcha sanctorum Basilij, Gregorij Nazianzeni, & Chrysostomi scripta commendans orat. quam in eorum laudem habuit, ita scribit: *Quorum nunc multitudinem supra elegantiam, nunc elegantiam supra multitudinem, imò verò vtrumque semper admirere; hæc & istiusmodi non solùm pro dignitate laudare, sed nec particulatim saltem enarrare, & describere, vtcumque poterit, nisi* COTYLA VASTVM NILVM METIRI, *aut Euphratem exhaurire velit.*

ADAGIVM DCCCXX.

Ignorat, quæ sit sua ipsius dextera, quæ sinistra.

PRouerbialis hyperbole de eo, qui summa 719.
laborat ignorantia, nullam scientiam callet, quin nec illa scit, quæ norunt & illi, qui nondum, vt dicitur, ære lauantur. Sanctus Ephræmus Syrus tract. ad correctionem eorum, qui vitiosè viuunt, ita loquitur: *Sæpe, qui ante renuntiationem domi sui opifex fuerat,* IGNORABATQVE *priùs,* QVÆ IPSIVS ESSET DEXTERA, QVÆVE SINISTRA, *in monasterio litterarum studiosus, & interpres, Doctórque incedit.*

ADAGIVM DCCCXXI.

Ita bene stat latro super furcam, sicut Sacerdos benè paratus ad Altare.

VVlgò hoc tanquam prouerbium iactari solitum refert ex nostris Bernardinus de Bustis serm. 23. dum ait: *Dici solet, quòd* ITA BENE STAT LATRO SVPER FVRCAM, SICVT SACERDOS BENE PARATVS AD ALTARE; quod illustrat illis sancti Augustini verbis cap. 11. Enchir. *Malum bene ordinatum, & loco suo positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant.* Hac adagiali sententia vti poterimus, quoties iustè in eos sæuitur, qui iniusta commiserunt.

ADAGIVM DCCCXXII.

Vox eius, vox Iacob, manus autem manus Esau.

LOcus huic prouerbio erit cùm quis bene loquitur, sed non bene operatur, & manibus linguæ aduersatur, opere sermoni; huc flexit Petrus Blesensis epist. 141. *Bene os loquitur, sed & voce nullum sequitur opus, quia* VOX EIVS VOX IACOB, MANVS AVTEM MANVS ESAV, *leuiúsque profectò extorquerem clauam de manu Herculis, quam denarium de manu ipsius.*

Torquetur & in eos, qui vtilia, & salutaria aliis prædicant, quæ ipsi re ipsa repudiant, omnium vitiorum generibus se inuoluentes. Audiendus idem auctor, qui cantilenam de luctu carnis, & spiritus ita canit:

> *Verbum salutis prædicant,*
> *Et explicant monitis salutaribus*
> *Quid agendum sit omnibus,*
> *Sed* ESAV SVNT MANIBVS,
> *Et* VOCE IACOB *indicant.*

Idem auctor serm. 41. in Synodo, paulo aliter rem versat, ait enim: *Comede vt euangelizes, non euangelizas vt comedas. Si fueris exactor muneris, cùm accesseris ad Dominum Iesum Christum, poterit tibi dicere, Noli me tangere.* VOX TVA IACOB SONAT,

NAT, MANVS AVTEM TVÆ MANVS ESAV, *manus sunt Briarei, non Presbyteri.*

Desumptum porrò prouerbium est ab illo Genesis, vbi refertur Iacob adhibitis pellibus hædinis pilosi Esau manus repræsentasse, cùm interim loquens Iacobi vocem verè emitteret, vt iure dixerit Isaac eum tangens: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau; & non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant*, Gen. 27. v. 22. & 23. Cùm igitur quis alius voce, alius opere est, & manu, sententiam istam non sine adagiali saliua vsurpare poterimus, licèt hæc quoque à Martino Delrio prætermissa sit in suis adagialibus sacris.

EXCVRSVS CXX.

Lingua cum vitâ cohæreat, cohęreant cum sermonibus mores.

Os & manus *inter se cohærere debent, & concordare.*

Verborum, & vitæ *nexus commendatur.*

Linguæ manus *tributa vt loquendo operationis recordaremur.*

Oris *nexus, &* operum *cithara similitudine probatur.*

Doctrina docentis moribus animanda.

Quod anima *corporis, hoc* vita *doctrina.*

Cognitionis comes opus *sit.*

Facta dictis *copulanda.*

Sapiens doctrina semina operum fructibus *reddere multiplicata debet.*

Doctores, qui benè loquuntur, & malè viuunt, cribro *pollinario comparati.*

Ineptus veritatis Prædicator, qui ea non præstat, *quæ aliàs docet.*

720. EXercuit non semel calamum hoc argumentum, sed quia res semper vtilis, semper necessaria, semper salutaris est, potest non semel lectoris auribus opportunè obiici; hîc obiicienda explicata adagialis sententia suo veluti iure exigit; sed ad rem.

Os, & manus inter se cohærere debent, & concordare. *S. Hier.* Respondere sermoni vita debet, ne aliud loquamur, aliud operemur; scite sanctus Hieronymus epist. quæ est ad Nepotianum, vbi ait: *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat; Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. accusare auaritiam & latro potest: Sacerdotis Christi, os, mens, manusque concordent.*

Verborum, & vitæ nexus commendatur. *Hebr.* Scitum est in hac re sapientum Hebræorum dictum, נאין הדברים היואים מפי עושיהן: *Pulchra sunt verba, quæ ex ore facientium ea.* Ex nostris *Nicol.* Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 39. *Scio illum esse beatum, cui pulchro sermone vita sit pulchrior;* *S. Isid. Pelus.* & sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 148. *Si sermonibus nostris fidem haberi volumus, rectè viuamus;* *S. Prosper.* & sanctus Prosper lib. Epig. num. 7.

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.
Nam fari rectè, miserum est, & viuere prauè
Damnat, nota malum regula iustitia.

S. Chrys. Hac eadem mente sanctus Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis in calce: *Grandis condemnatio est, sermonem quidem suum componenti, vitam verò suam, atque operam negligenti;* & sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 265. *S. Isid. Pelus.* *Consulendum est dicturo, vt non verbis tantùm, sed re ipsa persuadeat auditoribus; omnis enim oratio opere destituta non tantùm inane quid & euanidum est, sed etiam opprobrium adfert, potissimum dicendi à quo profertur.* De verborum operùmque nexu, sic idem sanctus Pater loquitur lib. 1. epist. 46. *Actiones sermonibus haud indigent; illæ enim apparent: sermones autem potius, vt in actiones vertantur, opus habent; & quidem ipsi si cum honestate, & grauitate coniuncti sint. Quamobrem si tibi cordi est, vtrinque celebrari da operam, vt & sermonem ad actionem, & actionem ad sermonem adiungas.*

Quidni manus linguæ tribuat Salom. Prou. 18. 721. *Mors, inquit, & vita in manibus linguæ;* verè lingua manus non habet, habere tamen videtur, cùm quod lingua loquitur, manus operatur, & verba in opera vertuntur; vbi Carensis hic; *Mors, & vita in manibus linguæ, idest, in operatione sermonis;* illius lingua manibus est destituta, qui opera complenda loquitur, sed loquitur tantùm. *Linguæ manus tributa vt loquendo operationis recordaremur. Prou. 18. Vgo Card.*

Citharam pulsantis similitudine hunc manus, & oris nexum, verborum, & operum cohærentiam sic explicabat sanctus Chrysostomus homil. de decem mil. debit. *Non satis est si diuina verba percenseas, nisi ea quoque rebus præstes; & quemadmodum citharæ neruos attingit artifex, attingit quoque & imperitus; verùm ita vt iste auditorem vexet, ille voluptatibus, & oblectatione ducat, atque vtrobique eiusdem generis digiti & iidem nerui; rectè, sed non adest eadem peritia. Ita quoque in sacris Scripturis, multi adoriuntur diuina verba, sed non omnes lucrum inde faciunt, aut fructum referunt, in causa quod non eo modo, vt iam dictum est, adeant, neque cum artificio citharam pulsent, quod enim in re citharœdica ars, hoc ipsum in Dei legibus operum exhibitio.* *Oris nexus, & operum cithara similitudine probatur. S. Chrys.*

Firmanda doctrina exemplo est, & moribus docentis animanda; ait Paulus ad Timotheum scribens epist. 1. cap. 4. *Attende tibi & doctrinæ.* Sternit docentis vitam, vt super illam, tanquam super fundamentum doctrinæ ædificium erigeretur; *Primo tibi*, inquit hîc Primasius, *deinde doctrinæ, vtrobique sollicitus, vt & ter vita calues, & illos doctrina exemplo firmata.* *Doctrina docentis moribus animanda. 1. Tim. 4. Primasius.*

Quod anima corpori est, hoc est doctrinæ vita, cognitio, operatio, vt cadauerosa illa scientia sit, quæ operationis anima caret; actionis spiritu destituta est; succinit sanctus Ephræmus Syrus de imit. prouerb. *Sicut, inquit, corpus sine spiritu mortuum est, ita quoque cognitio absque operatione otiosa, atque superuacanea;* suóque decore vidua sua pulchritudine, sua venustate, sua vita, animare doctrinam qui vult, opus, nectat, cognitioni doctrinæ actionem copulet. *Quod anima corporis, hoc vita doctrina. S. Ephræm*

Cognitionis comes opus sit; præstanda nobis sunt, quæ didicimus, malè sapit, qui aliis tantùm sapit; scitè sanctus Prosper in epigram. *Cognitionis comes opus sit. B. Prosper.*

Scripturam Domini plenè vident omne profundum
Implet qui factis cognita verba piis.
Nam nimis ascensu doctrina deuius errat,
Si, curauit scire, fugit facere.

Facta dictis copulanda monebat Philo lib. de præmiis, & pœnis, in hunc modum: *Quis nisi natura malignus, & inuidus non fateatur, hoc solum genus pollere scientia, sapientiáque, cui datum est diuina mandata, non incassum accepta, suis actionibus exequi, & cum laudandis dictis paria facta coniungere;* hæc Philo, digna, quæ menti firmiter inhæreant. Ex nostris scitè Beatus Alcuinus in Poëmate n. 179. 722. *Facta dictis copulanda. Philo. B. Alcuinus.*

Doctor erit magnus, factis qui quod docet implet.

Terræ

Sapiens doctrina semina operum fructibus reddere multiplicata debet. S. Ambr.

Terræ sapiens similis esse debet, vt doctrinæ semina operum fructibus reddat multiplicata, ne audiat infœcundus; huc flecti potest illud sancti Ambrosij lib. 1. officiorum cap. 30. *Sicut*, inquit, *agricultura, ergo etiam sapiens, vt tanquam fænerata sibi maiore mensura semina suscepta restituat: terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit, ac reddit: vtrumque debes quodam hæreditario vsu parentis, ne relinquaris sicut infœcundus ager*; quàm abit ab hac fœcunditate, qui nec ea reddit, quæ recepit, & pauciora emittit, quam exceperit.

Doctores, qui bene loquuntur, & malè viuũt cribro pollinario cõparato.

Doctores, qui vtilia alios edocent, noxia ipsi eligunt, dum faciunt, ad puritatem alios inhortantur, impuri ipsi, innocentiæ prædicatores sunt, ipsi nocentes cribro pollinario comparari possunt, furfures sibi seruant, aliis farinam exhibent; hi tædæ sunt, quæ se ipsam consumit vt aliis luceat.

Ineptus veritatis prædicator qui ea non præstat quæ alios docet.

Ineptus veritatis testis esse videtur, indignus prædicandæ veritatis minister, qui opere non præstiterit quod alios docturus, dicturus aliis est; vel diues in flammis positus, hoc nouit, dum Lazarum ad fratres suos prædicatorem mitti postulauit, non postulauit vt ipse mitteretur, Luc. 16. Acutè sanctus Augustinus lib. 2. super Euang. quæst. 38. *Quod verò Lazarum petit mitti ad fratres suos*, SENSIT SE VTIQVE INDIGNVM, QVI TESTIMONIVM PERHIBEAT VERITATI, *& quia non impetrauerat paululum se refrigerari, multo minus credit relaxari se posse ab inferis ad prædicationem veritatis.* Diuite hoc epulone minus sapiunt, qui idoneos se veritatis testes putant, vitæ veritatis hostes, quam prædicant.

Luc. 16. S. August.

ADAGIVM DCCCXXIII.

De cœlo in cœnum.
De cœlo in terram.

723. FOEdissimus, & perfectæ vitæ culmine in vitiorum seruitutem spurcitie refectam lapsus hoc adagio poterit circumscribi, circumscripsit S. Bernardus serm. 63. in Cantica: *Præcurritur*, inquit, *ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia, & confusione saltus de excelso in abyssum, de pauimento in sterquilinium, de solio in cloacam*, DE COELO IN COENVM, *de claustro in seculum.* Tertullianus lib. de spectaculis cap. 25. *Quale est enim*, inquit, *de Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere*, DE COELO, *quod aiunt*, IN COENVM? Cùm ab honestissimis studiis ad flagitia quis deflectit, hanc parœmiam vsurpabimus.

De cœlo in terram cadit, qui à terrenis abiunctus, & cœlestibus hærens mente mutata incipit terram sapere, terrenis inhiare, immori perituris; ad hunc sensum aiebat & Beatus Ælredus ser. 10. *Quid dicam fratres? vbi sumus? Nunquid ibi, vbi quondam Antonius? Macharius? Hilarion? nunquid non potius* DE COELO *in terram cecidimus, qui nihil ferè præter terram sapimus, terram amantes, terram cogitantes, de terra loquentes contentiosi, querulosi, inuicem mordentes, & comedentes, & detrahentes alterutrum.*

ADAGIVM DCCCXXIV.

Pharaonis iugum.

DE intolerabili, grauissimáque seruitute, qua nullus ferenda par sit, quàm acriter Pharao Hebraicum populum torserit, & afflixerit, satis ex diuina Scriptura constat. Vtemur in quacumque calamitate ac seruitute, qua quis superioris alicuius tyrannica impietate prematur. Sanctus Bernardus serm. 8. super Psalmum, *Qui habitat*, vitiorum seruitutem, & iugum flectit dum ait: *Considerate attentius dilectissimi, & animaduertite, in quinam potestate euaseritis Pharaonis intolerabile iugum, vt iam membra vestra non sint arma iniquitatis peccato, nec regnat vltrà in mortalibus corporibus vestris.*

EXCVRSVS CXXI.

Mundi iugo excusso subdendum Christi iugo collum.

Durum voluptatum *iugum.*
Domini *iugo se quisque subiiciat.*
Quàm suaue *Christi iugum.*
Candorem *iugum Christi conciliat.*
Quàm suaue *Christi iugum.*
Iugum Christi eos euehit *à quibus portatur.*
Sponte iugum tollendum vt sit suaue.

QVis crederet iugum sustinere illud durum, ac graue, qui terrenis voluptatibus diffluit, corporeis deliciis madet? ita est, rectè sentienti iugum sunt, graues, duræ, intolerabiles, insuaues; leues videantur voluptates, non sunt leues, sed onerosæ; suaues videantur, non sunt; si rectè eas inspicias, durum iugum esse deprehendes, à quo studebis eximi. Pulchrè Prudentius καθημ. Hym. 7. 724.

Durum voluptatum iugum. Prud.

Qui corpus istud molle naturaliter
Lapsúmque laxo voluptatum 1 v o o
Virtutis arcta lege fecit liberum.

Qui sapit, ab hoc iugo se eximet, & Domini se iugo subiiciet, quod leue, quod suaue; monebat istuc sanctus Prosper in epigram. n. 42. vbi ait:

Domini iugo se quisque subiiciat. S. Prosper.

Deficiant potiùs vana oblectamina mundi,
Subdantúrque pio colla domanda iugo.

Et sanctus Paulinus epist. ad Romanianum, quę est 36. inter illas, quas scripsit sanctus Augustinus:

S. Paulinus.

Quare age rumpe moras, & vincla tenacia secli:
Nec metuas placidi mite iugum Domini.

Ad iugum ceruicem Domino obsequio subdendum docebat Venantius Fortunatus lib. 8. & leue reddi quidquid amore fertur:

Venãt. Fort.

Seruitio Domini subdenda est ad iuga ceruix;
Nec graue, sed leue sit quidquid amore feres.

Quàm suaue, quàm dignum quòd ametur Christi iugum, sic innuebat Guilhelmus Abbas in meditationibus, dum diceret: *Ego manum imponentis adoro, iugum deosculor, onus amplector, & multum mihi suaue est sub eo desudare. Multi enim, & multo tempore possederunt me domini absque te, quorum iugum non est suaue, nec onus leue. Tui iuris esse cupio, tuum iugum recognosco, & onus leue, quod sublenat, non premit.* 725.

Quàm suaue Christi iugũ. Guilhel.

Candorem sibi ille conciliat, & venustatem, qui Christi iugum fert; sponsæ dicitur Cant. 7. *Collum tuum sicut turris eburnea.* nimirum vt statim sciremus candorem illi affricasse sponsi sui iugum. Pulchrè Theodoretus sic: *Collum tuum sicut turris eburnea: Remotum enim est*, inquit, *à nigredine, & iugum meum suscipiens factum est candidum*; nigredinem affricat mundi iugum ab omni mundicia alienum, alienum ab omni puritate, vt mundus nunquam sit, qui mundi iugo collum subiicit.

Candorẽ iugum Christi conciliat. Cant. 7. Theod.

726. *Quàm suaue Christi iugū.* Guilhel.

De suaui Christi iugo ita sentit, ita loquitur Guilhelmus Abbas in medit. Christum suum alloquens: *Iugum quidem tuum suaue, & onus leue imposuisti mihi, at cùm ostendis mihi seruitutis tuæ distantiam, & seruitutis sæculi, blande, & leniter me interrogas, vtrùm melius sit seruire tibi Deo viuenti, an diis alienis. Ego manum imponentis adoro, iugum deosculor, onus amplector, & multum mihi suaue est sub eo desudare. Multi enim, & multo tempore possederunt me domini absque te, quorum* IVGVM *non est suaue, nec onus leue. Tuus iam esse cupio, tuum iugo recognosco, & onus leue, quod subleuat, non premit.*

Iugum Christi eos euehit à quibus portatur. Matth. 11. S. Paulinus.

Christus ipse de suo iugo dicebat in Matth. 11. *iugum meum suaue*; nimirum quia suum suaue est, quodcumque iugum alterius durum, asperum, & graue. S. Euchetius pro *suaue*, habet, *leue*; dicitur autem leue, quia non ad ima deprimit, vt iugum omne solet, sed euehit in sublime a quibus portatur. Benè sanctus Paulinus epist. 4. IVGVM CHRISTI *leue est, quia seruientes Christo operamur bona, quibus pennati in altum prouehimur*; & in cœlestia euolamus.

Sponte iugum tollendum vt sit suaue. S. Bern.

Porrò quod dixit Christus, *Tollite iugum meum super vos*; liberum obsequium quærit, non coactum, alioquin nec leue onus esset, nec iugum suaue, nec requies inueniretur, sed labor. Præclarè sanctus Bernardus epist. 11. vbi huc spectans, ait: *Tollite, ait,* IVGVM MEVM, *ac si diceret; non impono inuitis, sed vos tollite, si vultis; alioquin non requiem, sed laborem inuenietis animabus vestris*; requiem inuenit etiam sub iugo, qui iugum sponte tollit.

ADAGIVM DCCCXXV.

Pharao noster.

727. PHaraonis, qui Iudæorum populum afflixit, duritia abire in prouerbium potuit, vt Pharao dicatur durus, impius, iniquúsque, aut Princeps, aut iudex. sanctus Paulinus epist. ad Macarium: *Deposite, inquit, iam sæpe apud iudicem Prouincialem super hoc latrocinio querela, sed* PHARAO NOSTER *indurauit cor suum*; quod porrigi ad quemcumque poterit, qui pari duritia, sæuitia pari in alios sæuiat inexorabilisque sit.

Durus more Pharaonis est, qui flecti Dei verbis, monitisque non vult, qui scindi aduersitatem malleis non potest. De se humiliter sentiens Idiota de cursu vitæ tract. 1. cap. 12. quod opus nuperrime in lucem emissum est, ita loquitur Deum alloquens; *Ego miser, & sceleratus more* PHARAONIS *tua præcepta spernens durior sui effectus.* Quæ verba eo iustiùs nos emittere debemus, quo illo sumus iniustiores.

EXCVRSVS CXXII.

Iustorum iniuria cauenda.

Dei populum nemo persequatur.
Cauenda iustorum iniuria.
Iustorum bona venenata potio, *quæ in malorum visceribus non decoquuntur.*
Etiam paruâ suorū contumelia *Deus læditur.*
In Dei populum sæuire, *quàm noxium Pharaoni.*

728. *Dei populum nemo persequatur.* S. Ambr.

SÆuiit in Dei populum Pharao, sed immunis à pœna nō fuit eius sæuities, defendit suos Deus; aquis sepeliuit tantum persequutorem, quæ mersio altè inclamat, ne aliquis Dei populum persequatur, hoc exsculpebat S. Ambrosius in Psalm. 118. oct. 17. *Pharao, inquit, cum populo suo fluctibus mersus mundanæ conuersationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur.*

Cauenda iustorum iniuria. Oleast.

Res & ad vnicum coërcenda, non est tutum in multos sæuire, non est in paucos, non est in vnum. Oleaster in cap. 14. Gen. expendens illud, quod Loth iusto accidit, ait: *Admonet locus iste, quàm sit cauenda iustorum iniuria, quoniam propter vnicum iustum isti coacti sunt omnia, quæ detulerant, restituere.*

Iustorum bona venenata potio, quæ in malorum visceribus non decoquuntur. Idē Oleast.

Adeò vt non iustos, & bonos tantùm Deus à malis tueatur, sed & bonorum bona; quod scita, & apposita similitudine sic idem auctor explicabat in Isaiæ cap. 29. *Sunt, inquit, bona iustorum venenata potio, quæ non solum hausta non prodest, sed omnia, quæ sunt in visceribus hominis commouet, & exire facit. Sic opes Sanctorum in ventre iniquorum non solùm non decoquuntur in visceribus eorum, sed opes, & ferè viscera eorum secum trahunt, & vacuum veluti somniantem relinquunt.*

Etiam parua suorum contumelia Deus læditur.

Qui sibi, qui suis rebus consultum vult, in iustos non sæuiat, nec iustorum bona diripiat. Ferunt Dei serui impiorum duritiem, ferunt persequentium rabiem, & in hoc se Dei seruos produnt, quòd illata illis à malis mala non fortiter tantùm, sed libenter etiam ferunt; sed iustorum patientia iniustorum culpam non minuit, sed arguit, & auget; dabunt impij duriùs pœnas, quo ferociùs in innocentium vitam æquóque animo iniqua omnia patientium, fuerint debacchati.

Nemo Dei seruos spernat, nemo afficiat iniu- 729.
ria cùm in illis offensam se Dei pietas affirmet; leuis licèt contumelia videatur illis illata, at non leue censeri debet, quo etiam Deus ipse læditur. Rem grauiter vrget Saluianus lib. 8. de Gubern. Dei, in hæc verba: *Sacrilegij genus est Dei odisse cultores. sicut enim si seruos nostros quispiam cædat, nos in seruorum nostrorum cædis iniuriam, & si à quoquam filius verberatur alienus, in supplicio filij pietas paterna torquetur: ita & cùm seruus Dei a quoquam læditur, Maiestas diuina violatur, dicente id ipsum ad Apostolos suos Domino: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. Benignissimus, ac piissimus Dominus communem sibi cum seruis suis, & honorem simul, & contumeliam facit, ne quis cùm læderet Dei seruum hominem tantùm à se lædi arbitraretur. Cùm absque dubio iniuriis seruorum Dominicorum, Dei admisceretur iniuria, testante id in suis Deo affectu indulgentissimo in hunc modum; quoniam, qui vos tangit, quasi quì tangit pupillam oculi mei, ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ tenerrimam partem humani corporis nominauit, vt apertissimè intelligeremus Deum tam parua Sanctorum suorum contumelia lædi, quàm parui verberis tactus humani visus acies læderetur.* (Salu.)

In Dei populum sæuire quàm noxiū Pharaoni. Sedul.

Meruit Pharao, vt illi cor induraretur, ne adeò magnis Dei signis molliretur, & ad pœnitentiam flecteretur; sed quod præcipuè hanc indurationem meruit? quia peregrinos Iudæos dirè, ac durè in suo regno afflixit; ita Sedulius in cap. 9. epist. ad Romanos; *De Pharaone facilè respondentur prioribus meritis, quibus afflixit in Regno suo peregrinos, dignum effectum, cui obduretur cor, vt nec manifestissimus signis iubentis Dei cederet*; tanti piaculi res apud Deum est in hospites, in peregrinos sæuire, in Dei populum debacchari.

ADAGIVM DCCCXXVI.

Annam referre.

730. QVæ diu, & summa religione, ac sanctitate viram agit vidualem, *Annam referre* dicetur, de cuius diuturna, laudabilique viduitate Lucas loquitur cap. 2. Sanctus Hieronymus ad Ageruchiam scribens epist. 11. Metroniam sic extulit; *Quarum fœminarum auia Metronia per quadraginta annos vidua perseuerans* ANNAM *nobis filiam Phanuelis de Euangelio* RETVLIT.

Porrò adeò sanctitate insignis Anna extitit, vt in Matrem Domini nisi virginitatis prærogatiua destituta fuisset, eligi potuisse à Spiritu sancto asserat sanctus Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum cap. 18. his verbis: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium. Si non præfertur nuptiis virginitas, Spiritus sanctus cur maritatam, cur viduam non elegit? Nam illo tempore erat Anna, filia Phanuelis de tribu Aser insignis pudicitia, & semper vacans orationibus & ieiuniis in templo Dei. Si conuersatio tantùm & bona opera, & ieiunia absque virginitate, Spiritus sancti ad se merentur aduentum, potuit & ista mater esse Domini.*

ADAGIVM DCCCXXVII.

Agricola armis Goliath se induit.

LOcus huic prouerbio erit cùm quis operi, aut exercitio manum admouet, cui vires impares habet, cui ipsa omnino ineptus est. Festiuè Beatus Ægidius, cuius hoc dictum refertur: *Multi petunt monasteria, sed non præstant ea, quæ monasterium reposcit institutum, non absurdè comparandi* AGRICOLÆ GOLIATH SESE INDVENTI ARMATVRA, *sed ea vti nescienti.* Porrigi & ad alios poterit, qui munus sustinere nequeunt, quod sustinendum arripuere.

ADAGIVM DCCCXXVIII.

Simia coram Deo.

731. QVadrabit in eos, qui tales non sunt, quales extimo habitu, aut verborum sono esse videntur, & ab illa sanctitate longè distant, quàm Dominum oculis præseferunt; quo pacto simia in multis homines æmulantur, licèt humana mente prædita minimè sit, sitque rationis omnino expers, licèt eius vmbram habere videatur. Richardus à sancto Laurentio lib. 2. de laudibus Virginis, particula 6. *Multi*, inquit, CORAM DEO SIMIÆ *sunt, qui cantando, vel psallendo Christum non placant, sed magis prouocant.*

ADAGIVM DCCCXXIX.

Lychnis contra Solis radios pugnare.

QVi ad pugnam quempiam prouocat, longè viribus, longè industria, longè peritia superiorem, & si indoctus ingenij imbecillitate cum doctissimo in arenam descendere non veretur, is prouerbialiter, *lychnis contra Solis radios pugnare* dicetur; in hunc sensum aiebat Ennodius lib. 2. epist. 7. *Nos ad scholarum gymnasia sequestrati arentis ingenij guttis quadam Oceani fluenta prouocamus, quasi* LYCHNIS CONTRA SOLIS RADIOS PVGNATVRI.

Nouarini Adagia SS. Patr.

ADAGIVM DCCCXXX.

Alicui coniungi, vt corpori vmbra.

IN res, personásque quadrat, quæ ægrè ab inuicem abiungi possunt, ac separari; sancti Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba epist. ad Eusebium, quæ inter Basilianas num. 29. recensetur; *id illi coniunctum est veluti corpori vmbra*: vt dari corpus sine vmbra possit, non tamen vmbra separari potest à corpore, cuius est vmbra; potest & ad disparitatem significandam afferri, vt si quispiam se alicui postponat. in quem sensum locutus fuisse videtur idem sanctus Pater epist. 19. vbi ait: *Nos autem* SEQVEMVR VELVTI VMBRÆ CORPORA, *vtpote parui.* 732.

ADAGIVM DCCCXXXI.

Lupus sub ouina pelle.

QVi extima mansuetudinis specie blandus videtur, & simplex, intus tamen dolis, & fraudibus est consutus, is adagialiter lupus sub ouina pelle dicetur esse. S. Bernardus epist. 185. de quodam homine vafro, & astuto ait: *Homo, vt comperi, clam susurro, adulatoriè blandus, totus compositus ad fallendum, ad perturbandum non minus. Notaui* SVE OVINA PELLE LVPVM; & serm. 66. in Cant. *Oues sunt habitu, astutia vulpes*; quod iaci in eos omnes potest, qui simplicitatem extimè præseferunt, dolis intus consuti, fraudibúsque sunt.

ADAGIVM DCCCXXXII.

Nec si Pactolum dares.

DE immensis effectissimísque diuitiis Pactolus dicitur, quòd aureis scateat arenis, aureus fluit; sub hac prouerbij figura extulit Clemens Alexandrinus adhortat. ad Gentes: NEC SI PACTOLVM *quidem, qui, vt est in fabulis, totus aureo fluit fluento,* QVIS DEDERIT, *pro salute iustum pretium numerauerit.*

ADAGIVM DCCCXXXIII.

Perforatam nauem debilis gubernator regit.

QVoties impar oneri onus sustinet, & operi quis manum admouet, quod supra operantis vires, & prudentiam est, opportunus prouerbio locus erit. Sancti Hieronymi hæc sunt verba epist. 43. quæ est ad Chromatium Iouinum, & Eusebium: *Videlicet vt* PERFORATAM NAVEM DEBILIS GVBERNATOR REGAT, *& cæcus cæcos ducat in foueam, in foueam; talisque sit rector, quales illi, qui reguntur,* vt proinde in imperitos, & exiguatum virium rectores, Præsulésque conueniat, qui grauissimum animarum regendarum onus temerè suscipiunt.

ADAGIVM DCCCXXXIV.

Exiguum foramen aqua inuenit, hiatúmque magnum, & omnibus manifestum effecit.

733. CVm ab exiguis initiis ad grandia itur, à leuibus culpis ad ingentia scelera decurritur, & minimus defectus, ac ferè ignotus, & occultus euadit in magnum, & manifestum prouerbium, istuc opportunè adhibebimus, cuius meminit sanctus Ephræmus Syrus parænesi 42. vbi ita secum loquitur: *Agnosce infirmitatem tuam, ò anima mea; quandiu factori tuo, ac mandatis ipsius reluctaberis? opprobrium me fecisti, ò Diabole, & Angelis, & hominibus, morigerúmque impiis tuis reddidisti consiliis. Suggeris enim mihi, dicens: Semel exple concupiscentiam tuam, & non ampliùs indulgebis ei, neque agnoscetur peccatum tuum. Et ecce paruum illud magnum mihi factum est hiatus, nec possum improbis, variisque concupiscentiis tuis resistere. Nam* EXIGVVM FORAMEN AQVA INVENIT, HIATVMQVE MAGNVM AC OMNIBVS MANIFESTVM EFFECIT; *verè enim peccatorum consuetudo in deterius agit eum, qui lapsus est.*

ADAGIVM DCCCXXXV.

Bonum castrum seruat, qui se ipsum custodit.

SVi ipsius custodiam commendantes custodiam, quam præfiximus prouerbiali quodam schemate efferebant; ita inter alios Petrus Blesensis serm. 40. BONVM, inquit, CASTRVM SERVAT, QVI SE IPSVM CVSTODIT.

ADAGIVM DCCCXXXVI.

Bonus est, sed mala latera habet.

734. VBi significabimus probum aliquem esse, sed eius probitatem malorum consortio infici, locus huic prouerbio erit; ita sanctus Augustinus enarr. in Psalm. 47. vbi ostendit tritum hoc dictum illius æuo fuisse; sic autem ille scribit: *Quicumque alicui cohærent, latera ipsius dicuntur; nam & de aliquibus hominibus solemus ita loqui:* BONVS *homo* EST, SED MALA LATERA HABET. *is ipse quidem probitate præstat, sed maligni sunt, qui ei coniuncti sunt*; & Vgo Carensis in hunc eundem Psalmum: *Vulgò dicitur*, BONVS *quidem* EST, SED HABET PRAVA LATERA. Affine his est illud quod habet sanctus Bernardus, summum Pontificem Eugeoium alloquens lib. 41. de consideKat. ait: *Veniamus ad collaterales, & coadiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt, si mali, æquè plus tibi. Ne te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem.*

ADAG. DCCCXXXVII.

Juxta serpentem securum dormire se credit.

HOc prouerbio illius intuta, & inanis securitas premetur, quis periculo, & discrimini proximus, à periculo, & discrimine se putat immunem, vt si quis inter delicias, & luxus, diuitiásque castitatem, ac pudicitiam seruare se credat; hinc illud sancti Hieronymi epist. 12. *Vterus balneis cutes nitida, rubicundis genis incedis, carnibus vesceris, affluis diuitiis, pretiosa veste circundaris, &* IVXTA SERPENTEM MORTIFERVM SECVRE DORMIRE *te credis?* His affinia sunt, quæ habet idem sanctus Pater epist. 47. de vitando suspecto contubernio, vbi ait: *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut viuere? Quis vnquam mortalium* IVXTA VIPERAM SECVROS SOMNOS CAPIT? *quæ & si non percutiat, certè solicitat.* Ex quibus habes ad personas non minus aptè hoc prouerbium flecti, quàm ad res; vt in malorum consuetudinem nobis sit calamus, laudanda nobis bonorum familiaritas, quod sequenti excursu fiet.

EXCVRSVS CXXIII.

Inter malos viuere quàm noxium, quàm vtile inter bonos.

Vitandi *nobis mali sunt.*
Singularis virtutis inter malos *morari, nec malorum mores imitari.*
Magna laudis *inter malos malos non imitari.*
Non est ex toto malus, qui bonis iungitur.
Bonorum societas via *ad bonum est.*
Bonorum consuetudo ad vitam *est.*
Quàm noxium bonis inter malos viuere.
Difficilè quis inter malos bonus est.
Malus peior videtur inter bonos.

VItandi mali sunt, pax nulla cum illis habenda, inimicitia est, scimus serpenti dictum à Deo: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, Gen. 3. 15. Ita ne pacis amator inimicitias ponit? Ponit, vt innuat malorum consortium bonis fugiendum; egregiè rem versat Procopius in Gen. dum inquit: *Mirum sanè videri posset, quod Deus bonus inimicitias posuit mutuas, sed mirari desinimus si reputemus simplicem, non mediocre damnum accipere ex consuetudine, & familiaritate mali; oportet itaque huiusmodi inimicitias constitui, vt simplex prudentior factus, illud salutare dictum proferat, Corrumpunt bonos mores colloquia praua; non enim ignoramus eius cogitationes; quibus enim de causis pax damnosa est, ob eas vtile æstimatur bellum; quemadmodum enim ex parum salutaribus locis concitat, sic vsu venire solet, ex prauis colloquiis, & commercio pessimorum hominum.* 735. *Vitandi nobis mali sunt.* Gen. 3. 15.

Non est cuilibet inter malos commorari, & immunem ab eorum malitia esse; singularis Dei protectio necessaria est, ne mali mores suos bonis affricent; hostes quos quempiam sternere etiam magnos non magnum est, si res comparetur cum eo facinore, quo quis inter malos degit, nec malus euadit; Gen. 15. 1. Victoriam de suis hostibus consequuto Abrahæ Deus dixit: *Noli timere Abraham: ego protector tuus sum*; mirum, iam vicerat Abraham, & tanquam exanimatum Deus animat, tanquam timore consternatum; quid si dixisset hæc verba ante pugnam; cur dixit post victoriam, an quia maior pugna, victoria maior illustriórque Abrahæ reliqua erat; vt ob id animus illi Deus his verbis addiderit; & quænam, inquies, maior pugna, maiorisque discriminis, superióque auxilio magis indiga? quia inter malos *Singularis virtutis inter malos morari, nec malorum mores imitari.* Gen. 15. 1.

mura

B Dionys.

morabatur, versabatúrque inter idololatras. Præclarè B. Dionys. Carthus. *Indiguit Abraham protectione diuina præcipuè, quoniam in medio idololatrarum, ac pessimorum tunc morabatur, ne cum peruersis illis peruerteretur.* Amicam faciem mali præseferant, quibuscum aliquis degit, ac versatur, hostilem verò habent, sæui hostes sunt.

Magna laus inter malos, malos non imitari.

736. Inter malos bonus esse quilibet potest, & magnæ illi laudi dabitur, si sit; talis fuit Noë, qui iustitiæ suæ aurum etiam inter lutum, ac vitiolorum hominum sepulchro custodiuit; olim thesauri in sepulchris locabantur, vt ibi seruarentur, cadauerosa sit illorum vita, cum quibus degimus, possumus & in sepulchro sanctitatis thesaurum Dei ope custodire; seruatus est Noë, de quo ita scribit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 5. *Deus*, inquit, *Noemum tunc adsumit tanquam aurum in cœno conspicatus fulgurans, & virtutum thesaurum in tumulis graueolentibus abstrusum iubet arcam compingi, & impietate spectante inundationi viam struit.*

S. Basil. Sel.

Non est ex toto malus qui bonis iungitur.

Fugiendum bonis malorum consortium est, ne bonitatem, qua præditi, amittant; malis sectanda bonorum familiaritas, vt bonitatis amorem, & postea ipsam ebibant bonitatem, nam affricat aliquid bonitatis consuetudo bonorum, vt omnino malus non sit, qui bonis hæret, nec iunctus bonis totus malitiæ iungatur; scitè Ruticius lib. 1. epist. 12. *Non ex toto malus est, qui bonis iungitur, alioquin futurus nisi iungeretur.*

Ruticius.

Bonorum societas via ad bonum est.

Hebr.

737. Quanti ponderis bonorum consortium ad bonum sit, ostendit sapiens ille apud Hebræos, qui cùm interrogaretur, quænam esset recta illa via, quam apprehendere quisque debet, vt suæ saluti consulat? respondit, vt habetur in Pirke auoth cap. 2. חבר טוב *ebauer tou, socius bonus.* Alter respondit שכן טוב *sachen tou, probus proximus.*

Bonorum consuetudo ad vitam est.

Nocet plurimum malorum consortium, multum bonorum prodest ad mortem, ac perniciem illorum consuetudo est, ad vitam est istorum; obseruo, & mortuum iuxta Elisæi ossa vitæ redditum 4. Regum 13. quæ res & istud quod dicimus innuebat à iustorum exemplo vitam, ac salutem esse. Scitè sanctus Bacchiarius in epist. de recipiendis lapsis; *Sed dicis*, inquit, *Hic mortuus est; & tu ergo si mortuum dicis, vel iuxta Elisæi illum ossa constitue; nolo, & eum longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum, erubescet, & resurget ad vitam*; nam nimis perditæ mentis est, qui bonorum exemplo ad bonum non prouocatur, non auocatur à malo.

4. Reg. 13.

S. Bacchiar.

Væ malis si inter bonos non viuerent, nam & peiores euaderent, & grandioribus aduersitatibus punirentur, ac nullo exilio fulti penitus perirent. Multa Israëlis populus peccauerat, vt in pœnam exilio eos Deus mulctauerit, Babylonica eos seruitute pressit; sed nunquid impij soli acti in Babylonem sunt? minimè, etiam iusti impiorum comites fuere, hinc Ezechiel, *Cùm essem*, inquit, *in medio captiuorum*, cap. 1. Cur eandem pœnam subierunt, qui eadem non peccauerant? vt à bonorum consortio esset impijs auxilium aliquod, & spe salutis. Præclarè Origenes; *Cùm scelerum suorum causa essent Babylonem adducti, nisi iusti quoque fuissent cum illis admixti, nullum fuisset reliquum peccatoribus remedium*; inter malos, nocentésque futuris probos iungit, vt contra illorum malitiam iustorum exemplo, & ope munirentur.

Quàm noxiũ bonis inter malis viuere.

738. Quàm malum sit inter malos viuere, & quàm noxium bonis inter non bonos habitare, Isaiæ, & Mosis exemplo in hunc modum colligebat sanctus Petrus Damianus opusc. 27. cap. 4. *Etiamsi mundus sit quis in se, malorum nonnunquam societate polluitur. Quod vtique si aliquibus non contingeret, nequaquam Propheta conquerens gemuisset; Væ, inquit, mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, quoniam in medio populi labia habentis ego habito. Qui nimirum iccirco se pollutum labiis asserebat, quia inter eos, qui polluti erant labiis, habitabat. Idipsum planè, & Moyses in terra Madian pertulisse cognoscitur, si cur eum occidere voluerit Dominus, subtiliter indagetur; scriptum quippe est: Cùmque esset in itinere in diuersorio, Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Mirum valde, cur eum repentè Dominus occidere voluisse describitur, quem assecretem sibi iam, & symmysten familiariter fecerat: cui consilij sui, ac voluntatis arcana panderat, & nunc in executione sua obedientia dirigebat. Sed proculdubio datur intelligi, quia quantamlibet contagij maculam ex diuturna Madianitarum cohabitatione contraxerat, atque iccirco terrore, ac negligentiæ correctione purgandus erat, qui corrigendus aliis cœlestium mandatorum baiulus accedebat.*

S. Petr. Dam.

Difficilè quis inter malos bonus erit.

2. Cor. 5.

Ex Pauli mente modicum fermenti totam massam corrumpit, 2. Cor. 5. quanto citiùs, certiúsque magna fermenti copia exiguam corrumpet massam, & prauorum hominum multitudo bonum vnum inficiet, si contingat ipsum inter illos viuere? Præclarè Vmbertus lib. 1. erudit. Relig. part. 1. cap. 8. *Si modicum*, inquit, *fermenti totam massam corrumpit, quanto magis multum fermenti eam corrumpet? Valde difficile est bonis, si sint inter malos, cùm ipsi pauci sint, & habeant ascendere, contraire multitudini malorum, quæ quasi infinita est, & impetuose descendit. Ideo multum eis necesse est elongari ab eis. Ne coneris contra ictum fluuij.*

Vmbert.

Malè de malo agitur cũ malus inter bonos est.

Matth. 22.

Malè de malo agitur cùm malus inter bonos reperitur, sic enim eius plus apparet improbitas, plus damnatur; hinc ille qui inuitatus ad nuptias veste nuptiali carens statim eiectus est, Matth. 22. quia inter bonos deprehensus plus displicuit, quod in hunc modum expendebat sanctus Maximus hom. in vigil. Natiu. Dom. *Quanto plus simul discumbentium beatorum candebat sanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan, si in consortio iustorum minimè se dedisset.* sicque fit, vt malus inter bonos degens prior appareat, magísque displiceat, quia inter illos viuit, quibus sanctitas placet, placet probitas.

S. Max.

ADAG. DCCCXXXVIII.

Noster Elias.

QVi magnus, & magnarum rerum effector est, qui malorum insidiis, & insectationibus petitur, sed à Domino seruatur illæsus, qui nouos Achabos sustinet, nouas Iezabeles, nostri æui Elias prouerbialiter dici poterit, quò spectauit sanctus Theodorus Studita orat. funebri in laudem sancti Platonis, vbi ait: *Talis fuit* NOSTER ELIAS *à Domino ipso seruatus, iis in locis, in quibus exercitationi monasticæ operam nauabat, non eius manibus captus, qui nouus Achab dici poterat.* Ad illa respicit, quæ alteri antiquæ legis acciderunt. 739.

Aliquando si alicuius sanctimoniam vellent traducere, Eliam illum vocabant; hinc illud apud sanctum Augustinum in Psalm. 90. *Sunt multi sanè viuentes Christiani, inter quos, qui voluerit bene viuere, & inter ebriosos sobrius esse, & inter fornicarios castus esse, & inter consultores mathematicorum Deum sinceriter colere, & nihil tale requirere, & inter pecca-*

tores nugacium theatrorum nolueris ire, nisi ad Ecclesiam, patitur insultores ipsius Christianos, & verba aspera, & dicunt: Tu magnus, tu iustus, tu es ELIAS, *tu es Petrus, tu de cœlo venisti.*

Quæ hominum amentia, & temeritas, vt illos maledictis proscindant, lacessant conuiciis, quos laudibus euehere deberent, & moribus imitari. Istuc idem haber idem sanctus Pater in Psal. 93. ait quippe: *Insultatur illi, circumuenitur, superponere se volunt illi, exagitant, quasi iustum, & insultant quasi de ipsa iustitia. Magnus, inquiunt, Apostolus in cœlum volasti quomodo* ELIAS, *faciunt homines ista, ita vt aliquando attendens ad linguam humanam erubescat esse bonus inter malos.*

ADAGIVM DCCCXXXIX.

Eliam impiis se exhibere.

740. Diuinæ gloriæ zelo insignis Elias extitit, vt potuerit zelus eius abire in prouerbium; quo vtemur cùm aliquis vrgendus, vt in impios sæuiat, in diuini honoris hostes atietet; hinc illud Petri Blesensis epist. 15. EXHIBE TE ELIAM IDOLOLATRIS; & sanctus Bernardus lib. 4. de Consid. *qui Regibus Ioannem exhibeat, Ægyptiis Moysem,* ELIAM IDOLOLATRIS; & sanctus Petrus Damianus opusc. 18. in Prolog. *Tanto zelo vidi te semper aduersus eorum perditos mores, medullitus inardescere, vt* ELIÆ *iudiceris incendio non egere.* Et rursus Petrus Blesensis epist. 144. inclamabat; *Vbi est zelus* ELIÆ *in Achab?*

Eliæ liberam in loquendo libertatem sic efferebat sanctus Chrysostomus homil. 47. in Matth. *Vnde Elias mirabilis factus? nónne quia Regem liberè alloquebatur?* Meruit hæc prauos corripiendi libertas, vt corripientis lingua etiam in cœlum virtutem suam exerceret, exerceret in cœlum imperium; *Claudit cœlum, & aperit, Elias*, inquit idem sanctus Pater homil. de Elia, *Ligat, & soluit, reserat quod conclusit, vt Sanctorum meritum monstraretur, non solùm in terris posse, quod voluit, sed & in cœlestibus posse impetrare, quodcumque petierit.* Nubes non tam facilè ligasset Elias, non tam facilè soluisset si ligatam in Regis impietate reprehendenda linguam habuisset.

Per coruum Eliam Deus pascit, vt corui exemplo Elias disceret populo misereri; quod in hunc modum colligit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 11. dum ait: *Coruus præcepi vt pascant te; ac mihi vide diuinam sapientiam. Traducitur apud Scripturas sacras, coruus, vt animal odio filiorum laborans, nam cùm fœtum excluserint, repudiant reiectu eos nutriciandi cura. Sed quæ rectrix vniuersi prouidentia Dei circa omnem occupatur creaturam, vel pullis coruorum occulta quadam ratione cibum suggerit minuta quædam animalcula. Quam prouidentiam collaudans Propheta Dauid canit melos, & pullis coruorum inuocantibus eum. Coruisque præcepi, inquit, vt pascant te. Filiorum proditores sibi sunt alimenti suppeditatores. Ne igitur durior fueris coruis pullorum osoribus, ne innatum eis in pullos odium imiteris, néve in Iudæos transferas, quin imitare potius eorum in te curam. Hi commodato tibi obsequio naturam vicerunt: atque Iudæorum nequitiam humanitate conuince, ne in contribules coruis fueris inhumanior. Reuince coruos humanitatis causa legatos.*

ADAGIVM DCCCXL.

Iudæ pœnitentia.

Iudæ pœnitentiam desperatio comitata est, atque adeò pœnitentia, quæ spe veniæ consequendæ vidua est, Iudæ pœnitentia adagialiter dici poterit; hinc illud sancti Bernardi in sententia: *Crudelis, & desperata* POENITENTIA *est, sicut in Cain, &* IVDA; nimirum suam pœnitentiam Iudas laqueo, ac suspendio insigniuit, ac si conscientiæ malum, quo torquebatur, morte moreretur, non augeretur potius, & vires à defectu sumeret; huc spectat sanctus Hieronymus lib. 2. in cap. 5. Isaiæ. *Achitophel*, inquit, *& Iudas, quorum alter Dauid, alter Dominum prodiderunt, fune longissimo trahentes peccata sua peritura suspendio putantes malum conscientiæ præsente morte finiri, & nihil esse post mortem.* 741.

ADAGIVM DCCCXLI.

Saulis pœnitentia.

Extimè inire pœnitentiam visus fuerit Saul, verè, nec ex corde iniuit, adeò vt Saulis pœnitentia pro simulatoria accipi adagialiter possit. Accepit sanctus Bernardus in sententiis, dum ait: *Simulatoria, & infructuosa pœnitentia*, cuius exemplum est in Saul.

Fictam Saulis confessionem, ac pœnitentiam ita expendebat sanctus Bernardus serm. 3. de sancto Andrea. *Nonne vtique Reges Saul, & Dauid, redarguti à Prophetis Samuele, & Nathan, dixerunt, Peccaui? & tamen Saul audiuit, Transtulit Dominus regnum à te, & dabit illud æmulo tuo; & Dauid, Transtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris. Quid est hoc? nisi quia quod Saul habuit in ore, non fuit corde: & humilitas, quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit.*

Fudit lachrymas Esau, sed pœnitentiæ locum non inuenit, de illo ita scribit Apostolus ad Hebr. cap. 12. *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis quæsiisset eam*; & cur eum lachrymæ in pœnitentiæ portum non tulerunt; quia non fuerunt ob commissorum scelerum dolorem emissæ, atque in veræ humiliatis cessationem, sed ob indignationis, odiumque in fratrem. Accinit Titmalius hic dum ait: *Quia non quæsiuit, vt debuit, Lachrymæ enim illæ indignationis fuerunt, potius amissi honoris, & rancoris contra fratrem, quàm humilitatis, veræque pœnitentiæ: vnde & dixit, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

ADAGIVM DCCCXLII.

De Iericho sibi aliquid reseruare.

Si qui Dei se obsequio mancipat, vitæ spiritualis viam init, qui seculo repudium misit, 742.
in sacram aliquam familiam dedit nobis, si quis suadeat, ne terrenis rebus amplius inhiet, carnis illecebras non quærat, non quærat opes perituras; hoc prouerbio vti poterit, monens ne de Iericho sibi aliquid reseruet; quòd si talium amore teneatur, obiici hoc illi poterit, hac sententia, quæ nata ab inhibitione illa, qua Dei iussu nefas erat, de Iericho sibi aliquid reseruare, vt proinde damna

damnatus Adam pœnas lueeir, quod aliqua de anathemate Iericho furto abstulit, vt habetur lib.Iosue cap.7.Rem autem ad hunc sensum ita versat Beatus Thomas à Villanoua conc.1. de Spiritu sancto. *Caue, ô Christiane, caue* TIBI ALIQVID RESERVARE DE IERICHO: *non pallium coccyneum,id est, carnis concupiscentiam, non siclos argenteos, id est, auri cupiditatem, non linguam auream,id est,blandientem, adulatoriámque seruaueris.*

ADAGIVM DCCCXLIII.

Non semper idem spirat ventus.

VAtias esse rerum vicissitudines,neque semper idem auxilium adfuturum,non semper eundem felicitatis flatum, non semper eandem culminis auram aliquem afflaturam mutandum esse statum,qui per sæculi huius æquor velut ratis prosperè vehitur. Hoc prouerbium significat, quòd in illos flectit S.Ephræm, qui imperium amant, non laborem; hæc eius verba de timore Dei: *Si iubere, atque imperare cœperis,& non adiuuas pro viribus laborantes,laborem,atque dolorem in nouissimis subibit*: NON *enim* SEMPER IDEM SPIRAT VENTVS, *sed ventorum crebræ sunt mutationes,atque vicissitudines.Quare assuefacere se operi oportet,nescimus enim,quid superuentura pariet dies.*

ADAGIVM DCCCXLIV.

Vsque ad cubitos.

743. SVbintellige mergi, infigi,aut aliquid huiusmodi suo tempore indicat sanctus Bernardus serm. de quadruplici debito, id fuisse vulgò iactatum tanquam prouerbium, sic enim ait: *Infixus, vt dicitur,* VSQVA AD CVBITOS *in limo profundi.* vtemur quoties quis ita deliciis diffluit,vel vitiis repletus est, aut alicuius rei amore absorbetur, & teuetur studio, vt ferè totus in ipsa immergi videatur,totus in illa esse.

ADAGIVM DCCCXLV.

Vestem Histiaus consuit, induit Aristagoras.

FRaudes, & insidias ab aliquo concinnatas re ipsa ab alio perfectas,si quis significauerit,vti hoc prouerbio poterit; sanctus Gregorius Nazianzenus orat.4.aduersùs Iulianum ita loquitur: *Atque illud Herodoti de Samniorum tyrannide commodè dixerim*: VESTEM HANC HISTIÆVS QVIDEM CONSVIT, INDVIT AVTEM ARISTAGORAS, *qui antecessoris sui rebus successit*:ad quæ verba Elias eius Scholiastes ita scribit: *Histiaus genere quidem Samius erat, cum Dario autem Persarum Rege facta esset, Aristagoram nepotem suum,qui Samios gubernabat, monet, vt ipsis, & Ionibus in animum indicat defectionem moliri:posteaquam autem illi a Persarum imperio defecerunt, Histiaus Dario persuadet, vt sibi per eum liceat ad eos, qui defecissent, se conferre. posse enim se eos rursum ad Regis partes traducere. Cum igitur eò perexisset, atque à Satrapa Artapherne ipsius fraus agnita esset, hunc sermonem audiuit, qui etiam in prouerbium abijt.*

ADAGIVM DCCCXLVI.

Somnolentia pastorum, luporum est gaudium.

TAngit prouerbialis hæc sententia eorum iniuriam, segnitiémque, qui aliis præsunt, 744.
aliorumque curam susceperunt, & profundo indormiunt temporis somno. Ita inclamat sanctus Ephræm de timore Dei: *Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ouile dormit ouium,* SOMNOLENTIA *enim* PASTORVM LVPORVM EST GAVDIVM.

ADAG. DCCCXLVII.

Vbi rigor, ibi vigor.

VErum,& tritum dictum tempori,languoríque amoliendo ab iis, qui alios regunt, & nimiè conniuentiæ in excessibus à Superioribus amouendæ frequens hoc dictum à nostris vsurpatur, & religiosis viris; seueréque regularum obseruantiæ sectatoribus familiare, sciiè ille,& opportunè: *Temporis he ferè causa domestica disciplina neglectus, cùm teporis, languorísque omnis conniuentia excessuum mater sit, qui superiorum vigili cura emendandus; vetus enim illud verum*: VBI RIGOR, IBI VIGOR, *cùm nimia lenitas, indulgentia nimia vigorem omnem exterat.*

ADAG. DCCCXLVIII.

Nouus Heli.

INdulgentior Prælatus deses, & torpens; quique subditorum sceleribus conniueat, aut remissè nimis redarguat, *nouus Heli* tanquam veteris imago prouerbialiter dicetur. Opportunè Desiderium Abbatem ab Heli imitatione reuocabat S.Petrus Damianus lib.2.epist.11. *Quia,* inquit, *sancti conuentus Rector es constitutus,noli dissimulare culpam, sed mox vt emerserit adhibe disciplinam, vt cùm Phinees te zelus, & æterni Sacerdotis iura promoueat, non cum* HELI *sub torpore desidiæ ignobiliter oscitantem vltio repentina percellat.* Quàm hæc lenitas fuerit Pontifici, idem sanctus Pater expendit lib.7.epist.111.dum ait: HELI *Sacerdotij dignitate detruditur dum non intentat filiis verbera, sed blanditur; vtrumque tamen corripuit illos,scil. lenitate patris,non auctoritate Pontificis, atque idcirco ceruicibus effractis occubuit,quia pecudibus inclementer indulsit.*

Quàm grauiter punitus est Heli quòd filios seuerè non increparit? reiicere eos debebat, quòd quia non fecit,retrorsum ipse cecidit, & mortuus est; quod expendebat etiam S.Hieronymus lib.1. aduersùs Iouinianum, cap.20. HELI *corripuerat quidem filios,sed quia non abiecerat delinquentes,retrorsum cecidit,& mortuus est.*

Summum Pontificem contra luxuriæ mancipia excitans, Sanctus Petrus Damianus opusc.17.c.4. Heli exemplum producit in medium, hisce verbis. *Absit,vt sanctum cor vestrum segnis* HELI *torpor emolliat, sed potiùs ad sceleris vltionem ingenui Phinees rebus accedant.*

Nimiam, atque adeò improbandam Heli lenitatem ita notabat Procopius in lib.1.Reg. HELI

rationem obruere, quæ homini cum bestiis communes sunt.

Non est hominis, sed iumenti delitiis carnē fouere. Non est hominis ventri suo seruire, delitiis carnem suam fouere, est iumenti; hominis veri vera nota est Deo suo obsequi, & diuinæ maiestati seruire; Christi verba sunt: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis*, Luc. 12. 36. (Luc 12. 36.) signatè dixit, *hominibus*, quia veri homines sunt, qui Dominum expectant eius iussa excepturi, nam qui non expectant Dominum, sed ventris sui mancipia ventri seruiunt, ab hominis charactere abire videntur, iumenta referunt. (S. Pet. Chrys.) Debemus acumen istuc sancto Petro Chrysologo serm. 22. qui est de terrenorum cura despicienda, déque seruo vigili, ait itaque, *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando veniat à nuptiis. Homines sunt, qui more debita seruitutis indefessis excubiis aduentum sui Domini præstolantur: qui verò sic ventri seruiunt, vt diuinam nesciant seruitutem, & de carnis voluptate solliciti solicitudinem occursus Dominici perdiderunt, homines non vocandi sunt, sed iumenta.* Vereor vt inter homines plura habeamus iumenta, quàm homines.

702. *Vix à bestiarum natura abit, qui gulæ seruit.* Si ventri tantùm homo seruiat, vix à bestiarum natura exurgent, quæ escis tantùm inhiant, vt nihil aliud quærere præterea videantur; indicatum istud cùm eodem die, quo bestiæ in prima mundi molitione ortæ sunt, & edendi potestas homini est facta sexto, scilicet die, vt edens moneretur ne ita escas appeteret, vt bestiis pariaretur. (S. Ambros.) S. Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio cap. 3. *Sexto*, inquit, *die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta edendi potestas est, & vsus escarum*; nimirum vix à pecudibus discriminabitur, qui totus in ferculis est; addit sanctus Pater tunc finem factum mundi, cùm cibus initium sumpsit, vt rectè innueretur escas mundi ruinam, exitiúmque futuras, atque perniciem; *vbi*, inquit, *cibus cœpit, ibi finis factus est mundi*; *quo indicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet diminui, per quos desiit augeri.* Quis deinceps speret virtutum fabricam erigere si nimio ferculorum studio teneatur? (*Voluptas bonum pecoris, non hominis.*) Destruit omnia insana ista cupiditas, quæ & in rationem quoque arietat, & hominem homine priuat, non est hominis corporeas voluptates amare, sed bellicarum etiam ab externo calamo res est. (Seneca.) Vniuersè de voluptate Seneca epist. 92. *Voluptas bonum pecoris*; & de Beata vita cap. 9. *Quid mihi voluptatem nominas? hominis bonum quære, non ventris, qui pecudibus, atque belluis laxior est.* (*Fero, non homo qui voluptatibus ferinis corripi se sinit.* Gell.) Præclarè A. Gellius lib. 19. cap. 2. *In pecudum ferarúmque numero habetur, quisquis est ferinis voluptatibus prævinctus*; tales sunt, quæ à nudis ferculis; sed omnium luculentiùs, apertiùs rem prodidit Demetrius Cydonius lib. de contemnenda morte, (Demet. Cyd.) vbi ait: *Quid turpius, aut magis brutum homine ad solam voluptatem propenso, atque rerum nostrarum, & pretiosarum penitus oblito? Qui ne homo quidem deinceps vocari debet, sed portentosa bestia, quales in fabulis describuntur, qui aspectu dumtaxat falsam hominis præseferat speciem.* I, & paria te bestiis, qui Angelis debueras, & superfluo ferculorum amore brutis te commisce, qui cœlestibus spiritibus corporearum deliciarum contemptu poteras.

Deliciis caro efferatur. (S. Io. Clim.) Deliciis nemo carnem foueat, plus efferatur, plus delinita: *Leonem*, inquit sanctus Ioannes Climacus gradu 14 *mansuetarius permulcendo sæpè cicurauit; qui blanditus est corpori, illud sæpè magis efferat.*

Quis adeò desipiat, vt ventris mancipium velit esse, & luxu Sardanapalum imitari? & non erubesceres, in præsepe detrudi, & velut bos in præsepe alligari? Certè cur igitur hoc sponte eligis, huic te pœnæ miseriæque ferculorum amore adiicis? & non præsepe quoddam venter est? est, vt iure dixerit Philo lib. de Sacerdotum honoribus: (Philo. *Venter præsepe brutæ concupiscentiæ.*) *Venter porrò nil aliud est, quàm præsepe brutæ concupiscentiæ, qui potationibus rigatur, & ingluuie*; & sines te in hoc stabulo claudi? in hoc præsepe tanquam bos morari? & vbi mens, vbi ratio? siccine hominem te esse oblitus es, qui conditus homo es. Iure inclamabat Beatus Ælredus lib. 1. cap. 26. in speculo charitatis: (*Hominem se esse obliuiscitur, qui totus voluptatibus inhiat.* B. Ælredus.) *Quid peruersius, quàm rationalis mentis bonum, in ventris ingluuie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere? maximè, cùm se in his à stolidissimis belluis, nihil videat posse differre.* O hæc illorum mentibus insiderent, qui toti in patinis sunt, & tanquam escis tantùm nati, ventri soli famulantur; mentis spiritaliúmque deliciarum obliti.

Ne belluis brutísque pares simos, ore vti debemus, Dei laudibus celebrandis potius, quàm cibis glutiendis; 703. (*A cæteris animantibus non distat, qui ore ad vorandum tantùm vtitur.* Tertull.) scitè Tertullianus de resurrect. carnis, cap. 6 *Accepisti homo os ad vorandum, atque potandum; cur non potius ad eloquendum? vt à cæteris animalibus distes; cur non potiùs ad prædicandum Deum? vt etiam hominibus antistes*; ac si maior homine sit, qui Deum laudat, super homines efferatur, qui Deum effert.

Gula deliciarū venatrix. (Idiota.) Qui gulam delitiarum venatricem dixit, optimè non coërcitæ naturæ gulæ descripsit. Idiota huc collineauit tract. de donis Spiritus sancti, cap. 7. dum ait: *Gula supra modum venatrix est deliciarum, quas licere putat, & expedire.* Venatur gula delicias, venatur & amarores deliciarum; quarum ne sis præda, delitiis tanquam prædæ minimè inhies.

Voluptatis fuga etiam à voluptatis defensore discenda. (S. Hier.) Denique & vtile aliquod ab Epicuro discamus, licèt voluptatis & præco, & defensor extiterit Epicurus, virilem tamen ciborum vsum commendauit, abstulit carnium, & epularum exquisitarum, quod his verbis refert sanctus Hieronymus lib. 2. aduersùs Iouinianum, c. 8. quódque mirandum sit: *Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos replenis holeribus, & pomis, vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes, & exquisita epulæ ingenti cura, ac miseria præparentur; maiorémque pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo: corpora autem nostra cibi tantùm, & potu indigere*; adeò vt exquisitarum epularum fugam discere à voluptatis defensore possimus.

EXCVRSVS CXIV.

Voluptates rationem obruunt, & tegunt.

Corporeis voluptatibus tanquam vaporibus mentis sol tegitur.

Deliciæ mentem cooperiunt.

Terrenis voluptatibus haud inhæreat, qui videre Deum vult.

Supero lumine perfunditur, qui à terrenis voluptatibus recedit.

Voluptatem retia captiuos amatores suos ducunt.

Maior omni alia insania voluptatem amore corripi.

γαστριμαργία quid, quid μάργος, insania & gulæ nexus.

Sol

704. *Corporeis voluptatibus tanquam vaporibus mentis sol tegitur.* Clem. Alex.

SOl nubibus obscuratur, sed nocentiùs voluptatibus mens; ex lacunis, lacubúsque vapores ascendunt, qui condensantur in nubes quibus lucida solis nobis facies eximitur; ex corporeis verò cupiditatibus voluptates oriuntur, quæ rationis, & mentis operiunt solem; huc flecti potest illud Clementis Alexandrini lib. 2. Stromatum, vbi ait; *Quemadmodum exhalationes quæ è terra, & ex lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem, & vmbrosam vertiginem; ita etiam carnalium cupiditatum vapores, malam animæ inuriunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes, & ante eam effundentes; intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur, ex cupiditate, & perpetuitate voluptatum condensante vitiorum vertigines;*

Delitiæ mentem cooperiunt. Eccl. 2. 5. R. Dauid.

Operiunt Solis vultum nubes, operiunt & mentem voluptates, deliciæque. Salomonis verba sunt Eccles. 2. 1. *Vadam, & affluam deliciis*; in affluendi verbo tegmen quoddam vident Hebræi, quoddam velamen. R. Dauid de Pomis legit: *Cooperiam me deliciis*, adeò deliciis operiuntur voluptuarij, est & ratio in eis operiatur, vt verus ille fuerit, qui dixit: *Voluptas subornat mentem ad iniqua iudicia rerum.*

Terrenis voluptatibus haud inhæreat, qui videre Deum vult. Psal. 5. 5. S. Aug.

Oculos terrenas voluptates operire, & Dei nobis conspectum eripere, indicauit Dauid cùm diceret Psalm. 5. 5. *Manè astabo tibi, & videbo.* Rectus nexus astandi, & videndi, qui adstat videt, qui iacet non videt; ille autem iacet, qui in terrenis voluptatibus beatitudinem inuenire se posse sperat; frustrà ille est, qui terrenarum voluptatum amore obsidetur, & Dei diuinòtúmque visionem sibi promittit. Eleganter rem versat sanctus Augustinus in huius Psalmi enarratione, dum verba hæc premens ait: *Astabo, quid est, nisi non iacebo? quid est autem aliud iacere, nisi in terra quiescere, quod est in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? Astabo, inquit, & videbo. Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur*; mundum autem habere cor non potest, qui ab immundis voluptatibus habetur.

705. *Supero lumine perfunditur qui à terrenis voluptatibus recedit.* S. Cyrill. Al.

Vbi quis à mundanis voluptatibus recesserit, tunc supero lumine perfundetur, quod ostensum in Abrahamo, cui Deus apparuit, cùm à suis recessit, proprium Larem deseruit; quod expendens sanctus Cyrillus Alexandrinus in collectaneis cap. 3. huc spectans aiebat: *Quomodo Abrahamo habitanti in propria terra non apparuit Dominus, vocato autem, & egresso cùm venisset in terram ei monstratam, visus est, & magna dedit promissa, & sinit eum ædificare Altare, & sacrificare; ita etiam nobis in mundo manentibus, & mundanis voluptatibus nulla fit diuinitus illuminatio.*

Voluptatum retia captiuos suos amatores ducunt. S. Hier.

Retia voluptates sunt, quæ dum blandiuntur mentem, quam inuadunt, captiuam ducunt; hinc illud sancti Hieronymi lib. 2. aduersùs Iouinianum cap. 7. *circumdari retibus voluptatum esse nos liberos arbitramur.*

Maior omni alia insania, voluptatum amore corripi. Architas.

Sapienter Architas, cuius hoc votum, hæ preces, hæ voces, vt aliqui referunt; *Insania potius, quàm voluptate corripiar*; cùm noxior, maiórque quacumque insania illa sit, qua quis corripitur dum terrenas voluptates amat, perituris deliciis inhiat, mortem illaturis, illecebris immoritur; mente ergo sanus audire non debet, qui earum voluptatum mancipium est, quæ mentem corripiunt, & lædunt, dum sensui blandiuntur.

γαστριμαργία quid, quid μάργος, insania & gulæ nexus.

Insaniam quandam præseferre, totos in delicias in fercula ferri; scitè, vel ex nomine, quo gulæ vitium Græcè gaudet, colligit Clemens Alexandrinus 2. *paed.* cap. 1. *Dicitur*, inquit, *γαστριμαργία, quæ est alimenti intemperantia, &, vt ipsum nomen indicat, in ventrem insania, insanus enim Græcè μάργος dicitur*, eant ventri dediti, ventrisque mancipia, & ferculorum apparatu insaniam suam prodant.

EXCVRSVS CXV.

Terrenæ voluptates falsæ, vmbratiles, impuræ.

Falsa *terrena voluptas, & spumæ similis.*
Voluptatis putredo *terrena voluptas.*
Voluptatis prurigo *ad scabiem ducit.*
Vmbratilis *voluptas.*
Mentem inquinant *voluptates.*
Voluptatum lacunæ.
בג *quid, quid* בג; gulæ *nexus, &* lupanaris.
Voluptas lasciua meretricula.
Non est mundus, *qui variis seruit illecebris.*
Finis *in quem corporis epulæ desinunt à pretiosarum epularum concupiscentia nos auocant.*

NIl verius quàm falsas esse terrenas voluptates, nil falsius quàm veras esse, quæ veræ existimantur; verùm & vetus dictum, 706. *Falsa terrena voluptas & spumæ similis.*

Falsa hominum ferè voluptas verum ducat ad malum.

Verorum malorum mater est, falsa ipsa est, imaginem voluptatis habet, nihil prætereà; spumæ eas comparat sanctus Petrus Chrysologus serm. 8. *Deuictis*, inquit, *voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus*: & placet hæc spuma, quæ nihil solidi habet, nihil firmi? Plerique adeò infirmi, & imbecilles, vt non vincant has spumas, sed ab hisce spumis turpiter vincantur. S. Pet. Chry.

Voluptatis putredo terrena voluptas. Rich. Vict.

Non voluptates, sed voluptatum putredo terrena voluptas est, vt nos ab eius amore auocans Richardus Victorinus tract. 3. de statu interioris hominis cap. 3. iure dixerit: *Satagamus noxios affectionum carnalium humores, voluptatúmque putredinem adhibitis curationum congruarum medelis extirpare.*

Voluptatis prurigo ad scabiem ducit. Zach. Episc.

Vera videatur voluptas, qua mundo suos blanditur, verè non est, ad modum prurigitus se habet, ad dilacerationem vocat, quæ vnguibus fit, in scabiem desinit, in dolorem. Pulchrè Zacharias Episcopus Mitylenes disp. de opificio Mundi, *Voluptatem virtuti præponunt inescati, & insanientes, quasi si quis optet prurigine admorderi, & sensim fallente voluptate totum corpus dilaceret vnguibus, nec secuturam mox scabiem cogitat.*

Vmbratilis voluptas. Salu.

Huius mundi voluptatem *vmbratilem* dicit Saluianus lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam, & plerique tantâ amentiâ laborant, vt has vmbras sectentur, delassentur, circa vmbratilem hanc voluptatem.

707. *Mentem inquinant voluptates.* S. Ambr. *Voluptatum spuma.* Procop.

Suas quoque sordes voluptas habet, suas maculas habent deliciæ, quibus inficiunt mentem, quam afficiunt; explicatè rem habet sanctus Ambrosius de Abel, & Cain cap. 5. dum ait: *Mala sunt voluptatis vincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam.* Voluptas terrena non esset, si pura esset; *Verus & ille, voluptas contaminat animam, fœdat ignaram sui mali.* Procopius in cap. 1. Exod. *voluptatum lacunas* vocat.

Voluptas la-

Fuere, qui impuræ meretrici voluptatem pa-

scina meretricula. Philo.

riarunt; hinc spectat Iudæorum disertissimus Philo de mundi opificio, vbi ait: *Omnino scire oportet, quod voluptas tanquam lascina meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum ceu hamo capiat.*

32, quid, quid 22. Gula nexus, & lupanaris.

Nimiæ ciborum deliciæ exquisitæ, ferculorum lautitiæ viam ad impuritatem sternunt; apud Hebræos, vt circa nuda quoque nomina philosophemur, בג bag *cibum* significat, & signatè regium, & delicatum; hoc nomen si inuertas, fit גב, *gau*, quod de lupanari non semel in sacris litteris dicitur, vt recte moneremur ad impura, & inhonesta facile duci qui ciborum lautitiis innatant.

708. *Non est mundus qui variis seruit illecebris.*

Promiscuè se omnibus voluptas exhibet, omnibus meretricia fronte se offert; quidni igitur impuram eam esse asseramus? In diuinis litteris, quod immundum est, commune solet dici; ita Act. 10. *Quod Deus sanctificauit, tu commune ne dixeris*, hoc est, impurum, immundum, non caret hæc sacræ Scripturæ phrasis suo pondere; fors istius nominis notio signat, mundum minimè esse, qui multis voluptatibus seruit, mundanarum illecebrarum mancipium est; subsignat B. Beda ad producta Actuum verba, dum ait: *Notanda Scripturæ sanctæ consuetudo, quæ immunda solet appellare communia, quia nimirum, qui variis seruire vult illecebris, mundus esse non valet.* scilicet adeò voluptatum omnibus communia propria impuritas est, vt ab illis abiungi nequeat, nequeat separari.

B. Beda.

Finis in quē epulæ desinūt, à ciborū pretiosorum concupiscētia nos auocat.

Finis, in quem corporis deliciæ, & epulæ desinunt, nos monet, ne ciborum pretiosum delectu gulam irritemus. Acutè in hac re philosophatur Vmbertus lib. 2. erud. Relig. part. 3. *Cùm corpus vas sit, vbi corrumpitur quod infunditur: fatuum videtur esse, ibi pretiosa ponere. Vlulate omnes qui, bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro. Non sic est in aliis sensibus. Non enim corrumpitur res pulchra, cùm semel visa fuerit: nec res odorifera, quum semel odorem eius aliquis perceperit. Non videtur quòd Deus voluerit hominem quærere cibos pretiosos, qui eandem assignauit cum iumentis escam. Ecce dedi vobis herbam afferentem semen supra terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.*

EXCVRSVS CXVI.

Voluptatis hamo homines capiuntur, mortem cùm deglutiunt.

Hamus *voluptas, vetus dictum.*
Voluptatum hamo *vtitur Diabolus vt nos capiat.*
Tanquam piscibus *voluptatum* hami *cauendi.*
Mortiferæ *suis amatoribus voluptates.*
Mors *in voluptatibus delitescit.*
Tanquam pestis *vitanda voluptas.*
Omni peste *nocentior voluptas.*
Occisionis *victimæ.*

709. *Hamus voluptas vetus dictum. Voluptatum hamo vtitur Diabolus vt nos capiat.* S. Thc. Stud.

HAmus voluptas est, quo homines non secus ac pisces capiuntur. Verum illud in sententiis Ethicopoliticis,

HAMVS *vt pisces, voluptas sic homulos abripit.*

Hoc hamo vtitur Diabolus vt mortales decipiat, & in exitium trahat, vt grauiter inclamans dixerit sanctus Theodorus Stndita serm. 26. *Quid voluptatem iocundam arbitramur, qui dolor sit reuera mortiferi? Nam equidem* VOLVPTAS HAMVS EST DIALOLI, *inextincti ignis suscitabulum; & tamen rapimur ad eam mortales quasi quidam dedititij serui*; & quis tam fatuus vt hoc hamo trahi ad mortem quærat, nec tam timeat, quàm amet? ab alio calamo accipe rem eandem; S. Basilius in exhortat. ad Baptismum: *Voluptas*, inquit, HAMVS EST DIABOLI *trahens ad perniciem.*

S. Basil.

Tanquam piscibus voluptatum hami cauendi.

Nollem piscibus homines esse deteriores, escas illi defugiunt, in qua nouerunt hamum delitescere; cur non & homo defugiat voluptates sub quibus latere Dæmonis arte hamum non sola notitia didicit, sed & damno suo non semel expertus est: Huc flecti illud potest, quod habet Absalon Abbas serm. 38. in festo sancti Augustini; *Quod si*, inquit, *sub flore isto, venenum quandoque expertus est, caue tibi, & sollicitus esto, ne quid deterius contingat, quia, & pisciculi curiosius escas declinant, in quibus quandoque fallacis* HAMI *cauterium deprehenderunt.*

Absal. Abb.

Mortiferæ suis amatoribus voluptates. S. Aug.

Hoc quoque titulo fugiendæ terrenæ voluptates, quòd mortiferæ suis amatoribus sint; ita eas indigitat sanctus Augustinus in Psalm. 15. ad illa verba: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*; ait quippe: *Bibant alij mortiferas voluptates, portio calicis mei Dominus est.* Olim morti adiudicatis calix porrigebatur veneno plenus, cuius labra melle lita erant; diceres ex hoc calice bibere, qui breui voluptatum dulcedine decepti venenum ebibunt mortis. Cassiodorus mortiferas mundi voluptates, & illecebras fugiendas docet de diuinis lectionibus cap. 32. dabo hîc eius verba: *Quo faciliùs*, inquit, *mortiferas mundi delectationes, noxiaque blandimenta Domino præstante vincatis, & sitis huius sæculi (sicut de Beatis legitur) transeuntes, ad illud semper primi Psalmi festinate, remedium salutare, vt legem Domini, diebus noctibusque meditemini. Tunc non inueniet inimicus præterum locum, cùm totum Christus occupauerit animum.*

Cassiod.

Mortem in voluptatibus delitescere, etiam Lactantius affirmauit his verbis lib. 6. cap. 21. *Sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate; & ab externa schola.* Plinius lib. 14. in præfat. *Voluptas vbi viuere incepit, vita ipsa desiit.* 710.

Mors in voluptatibus delitescit. Lact. Plin.

Tanquam pestis vitanda voluptas. S. Isid. Pelus.

Blanda videatur voluptas, nocentissima pestis est, quæ metum secum fert; à probo calamo res est; sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 12. ita loquitur: *Non te fugit, vir clarissime, vitium quidem pestiferam voluptatem habere: virtutem autem laborem cum gloria, nominisque splendore coniunctum, siquidem gloria sudoribus libenter iungatur: oportet igitur illud fugere, hanc autem mordicus retinere.*

Omni peste nocentior voluptas. Misop.

Nec pesti parianda tantùm voloptas, sed & præferenda, nocentior omni peste est, omni capitalior. Pulchrè Misopon. Sat. 5. 32. *Contagiosas esse voluptates nobis ipsis persuademus, sed cùm ita forsitan capitales. Capitales sunt, imò illis capitalior pestis nulla, vel ex Tarentino Archita: Nemo viuus, ex voluptatis thalamo surrexit*; thalamus iste voluptatis voluptariis sepulchrum fit, mortem tunc incurrunt cùm currunt ad voluptates, in hunc thalamum cùm se recipiunt, accipiunt mortem.

Occisionis victima voluptuosi. S. Petr. Dam.

Occisionis victimas, si quis voluptatum mancipia vocet, à vero non aberrabit; voluptuosos homines premens sanctus Petrus Damianus epist. 19. post recensitam B. Dominici Loricati asperam vitam ait: *Eant nunc qui carnis sua delectantur illecebris, medullas absorbeant voluptatum, & occisionis victimæ ad æternum nutriantur incendium.* Eant, & se beatos putent terrenis voluptatibus immersi, quarum vsu ad infelicem æternitatem sternunt sibi viam.

EXCVR

EXCVRSVS CXVII.

Fugaces terrenæ voluptates.

Vt bulla vix orta disperit voluptas.
Citò fluit *mundana voluptas.*
Floti caduco *similis voluptas.*
Celeriter disperire *voluptates* scriptionis, *quæ in aqua fit, exemplo explicatur.*
Alatæ *voluptates terrenæ aliò auolant cùm aduenisse existimantur.*
Horariæ *voluptates momentaneæ seculi dulcedines.*
Fugiendæ *voluptates, quæ fugiunt, & maximè iis, qui alios regunt.*

711. *Vt bulla vix orta disperit voluptas.* Vetus dict.

IN transitu terrena voluptas est, non diu stat, in transitu sita est, fugax est, terrena non esset nisi abiret; verè ille, qui bullæ disparenti comparauit,

Vix orta simul disperit, vt bulla voluptas.

Citò fluit mundana voluptas. Seneca. S. Chrys.

Præclarè & Seneca ad Polyb. *Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit, & transit, & penè antequam veniat aufertur.* Ex nostris rem luculentiùs versat sanctus Chrysostomus homil. 43. in Ioannem, vbi hæc habet: *Quænam sæcularium quæso voluptatum vtilitas? Hodie sunt, cras elabuntur; hodie flos pulcherrimus, cras aridus puluis: hodie ignis ardens, cras cinis extinctus; spiritalia tamen perpetua clara floridaque, & in dies splendidiora permanent.*

Flori caduco similis voluptas. Clem. Alex.

Flos, isque citò periturus voluptas terrena est; scitè, vt monuerit Clemens Alexandrinus adhort. ad Gent. *Voluptates, & delicias tanquam caducum, & breuem florem relinque vento, & igni.*

Celeriter disperire voluptates scriptionis, quæ in aqua fit exemplo explicatur. Elias Schol.

Citò terrenas voluptates disperire, abireque in nihilum scriptionis exemplo, quæ in aqua fit, eleganter explicat Elias Scholiastes sancti Gregorij Nazianzeni in orat. 10. his verbis: *Vt qui in aqua scribunt, scriptionem quidem per manum operantur, litterarum notas in liquido elemento fingentes; verùm nulla nota in figura remanet: eodem modo voluptuarium omne studium, & actio in iis, quæ fiunt, extinguitur; simul enim atque actio finem habuit, voluptas quoque deleta est, nec quicquam postea reseruatur.*

Alatæ voluptates terrenæ aliò auolant cùm aduenisse existimantur. S. Chrys.

Alas terrenæ voluptates habent, statim ac aduenerint aliò auolant, diu apud suos amatores manere nesciunt; hinc illa sancti Chrysostomi verba homil. 27. in Ioannem: *Quid vilius, quid abiectius humana voluptate, quæ simul aduenit, & auolat, languescit, fugitque antequam comprehendatur.*

712. *Horariæ voluptates momentaneæ seculi dulcedines.* S. Bern.

Proh hominum amentiam, horarias voluptates amant, quibus ad pœnarum æternitatem sternunt sibi viam. quid est decipere si hoc non est; hinc illud de illis sancti Bernardi in sententiis; *In deliciis, & voluptatibus enutrientes corpora, & corda sua, post dulcedines momentaneas, & horarias suauitates ad sempiternas amaritudines deferuntur.*

Fugiendæ voluptates, quæ fugiunt, & maximè iis, qui alios regunt. S. Ambr.

Fugiendæ ergo voluptates, quæ ita celeriter fugiunt, & abeundum ab illis deliciis quæ citissimè abeunt, & citò finiunt, atque adeò breues sunt vt veræ non sint; omni fugiendæ sæculi illecebræ sunt, sed maximè illis, qui alios regunt, non enim decet diuitiarum libidini subiici, qui super homines dignitate sunt; aliorum rector liberatórque futurus à voluptatum blanditiis eximere se debet. iuit in exemplum Moses, de quo ita scribit sanctus Ambrosius lib. 1. Hexaëm. cap. 2. *Priusquam ad populi liberandi munus vocaretur, voluptati sese eripuit*; regiæ domus delicias fugiens, inque solitudinem se recipiens, ægrè alios liberare à seruitute potest, qui voluptatis mancipium est, deliciarum seruus, quod in eos optime quadrat, qui liberandis hominibus à Diaboli seruitute destinantur.

EXCVRSVS CXVIII.

Delitiæ ac voluptates terrenæ, scelerum parturiunt monstra.

Steriles *in bono voluptates.*
Voluptas malitiæ esca.
Peccatorum laqueos *voluptatis terra tegit Diabolus, vt homines capiat.*
Voluptas fornax *scelerum, philtrum improbitatis.*
Ex deliciis iniquitates *prodeunt.*
Voluptates tanquam catenæ *suos ligant.*
Scelerum mater *voluptas.*
Persuasa alicui voluptas immane quodlibet scelus *illi persuadet.*

STerilis voluptas est, sterilémque mentem reddit quam possidet, vt nihil edere queat, nihil proficui parturire; non casu accidit, vt Regis Pharaonis pincerna, & pistor Eunuchi essent, Genes. 40. hac quippe re tectè innuebatur steriles esse, & Eunuchos, qui voluptatibus præsident, deliciísque parandis præficiuntur. De Eunucho, qui apud Pharaonem præfectus coquorum erat, ita philosophatur Philo lib. 2. Allegoriarum: *Eunuchus iste, & coquorum præfectus, videlicet mens, quæ non simplicibus tantùm, sed etiam superfluis vtitur voluptatibus, Eunuchus vocatur, sterilis sapientiæ, cùm sit Eunuchus non alterius, quam dissipatoris bonorum Pharaonis.* Sterilis reuera est, qui gulæ famulātur, ac ventri, qui delicias, ac voluptates parat. 713. *Steriles in bono voluptates.* Gen. 40. Philo.

Sed quæ in bono sterilis voluptas, in malo fœcunda maximè est, malorum liberalis voluptas est, & peccatis gignendis nata; apud Antonium in Melissa ad omnem malitiam esca voluptas vocatur; ait enim: *Voluptas veluti quadam esca ad omnem malitiam delicatioribus animis obiecta facilè ad hamum perditionis eos allicit*; sanctus Chrysostomus homil. 15. ad populum ait: peccata Diaboli arte voluptatibus operta, sicut & laquei terra teguntur; vt scitè monuerit, *Multa tibi opus est consideratione, & diligenti scrutatione: sicut enim pueri terra laqueos, sic Diabolus vita voluptatibus peccata circumtexit; sed agnosce perscrutans diligenter.* vbi igitur voluptatis apparet facies, ibi peccati timendum est virus; bene ille de malis voluptatis; bene de illa dixit, quia dixit malè, dum ait: *Voluptas fornax scelerum, fodina nequitiæ, alueus vitiorum,* PHILTRVM IMPROBITATIS. *Voluptas fornax scelerũ, philtrum improbitatis.*

Tegit voluptas peccatum, tegunt delitiæ culparum sordes, ne earum fœditas videatur; sed priùs pariunt, quæ postea tégunt; hinc illud Prophetæ Regij Psalm. 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*; signatè *ex adipe*, ex deliciis scilicet, & voluptatibus, quæ iniquitates fœcundissime parturit; explicatè Euthymius hic, *Per adipem*, inquit, *delicias eorum intelligit, dicens, quòd tanta eorum iniquitas ex multis prouenit deliciis*; adeò vt ibi multarum iniquitatum copia sit, vbi mens deliciis innatat, terrenis voluptatibus irretitur. 714. *Ex deliciis iniquitates prodeunt.* Psal 72. Euthym.

Parturiunt voluptates, parturiunt delitiæ, & ingen *Voluptates tanquam ca-*

tena suos ligant.

ingentem peccatorum sobolem edunt in eius mente, in qua posuerint domicilium; nec contenta scelera peperisse, etiam catenæ munus obeunt, ne facile nata à voluptate crimina, à voluptuosis relinquantur; quod tetigit sanctus Nilus institut. ad Monachos, in hæc verba: *Vt ferum in plagas incurrens haud facilè potest ex illis effugere: sic qui in mundo cupiditatibus indulget, difficile potest se & peccati laqueis explicare. praua enim cupiditates catenæ sunt insolubiles.*

S. Nilus.

Scelerum mater voluptas.
S. Marc. Ere.

Scelerum matrem si quis voluptatem dixerit, non aberrabit; hinc illud sancti Marci Eremitæ de lege spirituali; *Sicut virtutes laboribus, sic etiam vitia voluptatibus procreari consueuerunt:* magnam à voluptatis matre sobolem expecta, nisi coërceatur.

Persuasa alicui voluptas immane quodlibet scelus illi persuadet.
S. Cyrill. Al.

Nullum adeò immane flagitium est, quod suis amatoribus voluptas non persuadeat, omni eloquentia maior, tacitus blandientis voluptatis sermo est: persuasa alicui voluptas scelus omne voluptuoso persuadet, vt verus fuerit sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. de adorat. ad Pallad. *Illi quibus voluptas persuasa est, procliues in quoduis absonum flagitium prolabuntur;* & contrà alienus à voluptatibus, non facile se in immania scelera trahi sinet.

EXCVRSVS CXIX.

Terrenarum voluptatum dulcedo amara est, spinosa delitiarum mollities; mordent dum blandiuntur.

In amaritudinem *voluptates desinunt.*
Quàm magna amarities *sequatur voluptates.*
Voluptas æterni vermis *nutrix.*
In fel *desinit voluptatis mel.*
Amaritudo *in ipsa voluptate est, quam non sentiunt plerique, quia ebrij.*
Spinæ *cum voluptatibus cohærent.*
Vepres *carnalium cogitationum.*
Mordent *deliciæ licèt blandæ videantur.*
Serpenti *mordenti similes voluptates*
Captæ deliciæ nos capiunt *tanquam feræ.*
Voluptatis fera *cauenda.*

715. TErrenarum voluptatum nucleus, ac medulla amarities est; dulcis voluptas terrena videatur, non diu esse potest, statim desinit in amarorem; hæc si quis altè cogitet, voluptatum amor abscedet. Probè sanctus Basilius homil. in illud, *Attende tibi ipsi;* vbi ita scribit: *si attenderis tibi ipsi, & memor fueris, quòd præsens hæc iucunditas tibi ad amarum finem deueniet, statim fugata voluptates abibunt;* non abeunt, quia à mente ista abit cogitatio.

In amaritudinem voluptates desinunt.
S. Basil.

Quàm magna amarities sequatur voluptates.
S. August.

Quàm magna, quàm diuturna sequatur voluptates delectationesque terrenas amarities, habet his verbis sanctus Augustinus serm. 7. de tempore: *Quod putatur dulce modò satis esse in breuitate temporum, quam amarum erit in ignem æternum, quam graui, & perpetua pœna punienda erit breuitas delectationis;* & sanctus Basilius homil. in exhortat. ad Baptismum: *Voluptas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus delinit quidem ipsa fruentem, verùm postea felle amariores retributiones facit.* Vides in fel desinere, quæ prima sua facie mel videbatur: Hoc idem monet sanctus Ambrosius serm. 15. *Fauus, inquit, quidam mundi est voluptas, sed nouissima amariora sunt felle.*

Voluptas æterni vermis nutrix.
S. Basil.

In fel desinit voluptatis mel.
S. Ambr.

Hinc est vt mel à sacrificiis diuina lex ablegauerit, vt scilicet tectè doceremur fugiendam voluptatem, quæ licèt extima sui specie mellis præseferat dulcedinem, in fel tamen finit amarum; quò spectabat sanctus Cyrillus Alexandrinus homil. 1. de festis Paschalibus, in hæc verba: *Mellis præterea oblationem abnuit, voluptatis enim hoc quoque symbolum est. Dulcis siquidem videtur esse adiuncta vnicuique peccato voluptas, sed exitum bile amariorem sortitur.*

S. Cyrill. Al.

Parum est amaritiem à voluptate esse, non so- 716.
lùm ab ipsa est, sed & cum ipsa, adhuc cum felle est grauida, & absynthij amaritudine delibuta; nulla tam pura voluptas, quam amaritudo non inficiat. Plerique mortalium testes sunt à voluptate, amaritudinem esse, plerique nunc apud inferos experiuntur, ad æternæ damnationis fel voluptatem trahere; paucissimi verò sunt, qui amatas voluptates fateantur, dum voluptatibus fruuntur; cur ita? An quia amaritudine ipsa velut absynthio inebriati, non sentiunt quod patiuntur? quid si huc flectatur illud Thren. 3. 15. *Inebriabit me absynthio.* Certè huc flexit sanctus Gregorius Magnus lib. 20. moral. cap. 16. vbi expendens hæc Iobi verba ait: *Qui absynthio inebriatur, & hoc quod sumsit amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem, qua repletur; humanum igitur genus, per voluptates spontaneis tribulationibus traditum absynthio ebrium, quia & amara sunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat,* nisi ebrij mortales essent, hanc amaritudinem sentirent.

Amaritudo in ipsa voluptate est, quā non sentiunt plerique, quia ebrij.
Thren. 3. 15.
S. Greg.

Prætetea deliciarum terrenarum mollities spinis scatet, mentem dum molcent pungunt; molles voluptates videantur, spinas tamen generant, vepres, spinásque producunt; ferax spinarum campus voluptatis est, voluit hoc sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 220. dum ait; *Nemo Christiarum sulcas spinarum feracem voluptatem amplexus.* Placent spinæ? voluptas ametur; displiceot? repudietur; spinas à vuluptatibus non facilè quis abiungat.

Spinæ cum voluptatibus cohærent.
S. Isid. Pelus.

Spinæ rosis commiscentur itidem, & deliciis, 717.
ac voluptatibus, nemo tam fatuus vt rosarum venustate decipiatur, spinas timeat, rosas decerpturus; idem præster, qui delicias amat, voluptates quærit: delicias amantium illa vox est; *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, Sap. 2. v. 8. Vides voluptariorum fatuitatem? ex rosis parare sibi coronas volunt, spinas non cogitantes; spinarum tamen aculeos sensuri. Premit eos eleganter sanctus Augustinus in Psalm. 51. *Lenia videbantur iam dudum loqui; Coronemus nos rosis antequam marcescant; quid delicatius, quid lenius? sperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari, lenes sunt, & radices spinarum. si quis eas contrectet, non pungitur, sed quo pungeris, inde nascitur.* Etiam ex voluptatum & deliciarum mollitie spinæ nascuntur, quibus pungaris, & crucieris.

Sap. 2. 8.
S. Aug.

Vepres in carnalibus cogitationibus, quæ blandæ videntur, latere vidit sanctus Gregorius in 1. Psalmum Pœnitentialium; vbi ait: *Impediunt eam (animam) vepres carnalium cogitationum, detinent illam secularium illecebræ voluptatum.*

Vepres carnalium cogitationum.
S. Greg.

Quis crederet mordere delicias, quæ tam molles

Mordent de-

licia licèt blanda videantur.

les videntur, & vulnerare, quæ tam blandæ vulnerant tamen, & lacerant, & suo morsu sectatorum mentem cruentant. Nullus Leo, vipera nulla, nullus scorpio adeò noxius, quàm noxiæ deliciæ sunt.

S. Chrys.

Præclare sanctus Chrysostomus orat. 6. de Prouidentia Dei; *Bestia*, inquit, *quadam difficiles, & intractabiles deliciæ sunt: neque scorpius, aut vipera in visceribus nostris inhærescens, ita perpetuò nos vexat, vt hæc deliciarum cupiditas, omnia euertit, atque consumit. Bestiæ enim illæ corpori tantùm insidiantur, hæc sicubi se collocauerit, corpus vnà cum anima etiam vastat.* Quis tam fatuus, vt velit sinu suo has feras excipere, & deliciarum corporearum scorpiones viperásque fouere?

718.

Serpenti mordenti similes voluptates. Philo.

Serpens Philoni voluptatis figura est, multas quidem ob causas, sed præcipuè, vt ille ait lib. de mundi opificio; *quia venenum gestat in dentibus, quo solet morsos tollere, quibus omnino malis obnoxius est homo voluptati deditus.* Mordet ergo voluptas, quæ blandiri videtur, perimit dum mulcet.

Capta deliciæ nos capiunt tãquam feræ. Seneca.

Murdere ferarum more, & capere dum capiuntur voluptates, etiam Seneca monuit, cuius sunt illa verba de vita beata cap. 14. *Vt feras cum labore, periculóque venamur, & captarum quoque illarum sæpe sollicita possessio est, sæpe enim laniant dominos; ita habentes magnas voluptates in magnum malum euasere, captéque cepere.*

Voluptatis fera cauenda. S. Greg Nyss.

Cauenda hæc fera, fugienda voluptas, ne dum blanditur mordeat. Perite sanctus Gregorius Nyssenus in cap. 2. Ecclesiastæ; *Tanquam feræ alicui ad meos sensus adrepenti voluptati statim resistebat; & aduersabar, dicens: Quid facis? quid natura virtutem effœminas? cur animi robur emollis? cur animæ viros eneruas? cur affers interitum rationi? cur impurarum cogitationum serenitatis puritati caligine tua immittis tenebras?* Tanta vna voluptas damna secum affert, infértque amatori suo, suo sectatori.

ADAGIVM DCCCXVIII.

Arentis ingenij guttis Oceani fluenta prouocare.

SI indoctior aliquis, & ad dicendum infans, doctissimum quempiam, eloquentissimúmque prouocet, & cùm in eo in arenam descendere præsumat, tunc locus huic prouerbio erit; hinc illud Ennodij lib. 2. epist. 7. *Nos ab scholarum gymnasiis sequestrati* ARENTIS INGENII GVTTIS QVÆDAM OCEANI FLVENTA PROVOCAMVS. quod ad alios quoque in rebus aliis imparibus, & dissimilibus traduci facilè poterit.

ADAGIVM DCCCXIX.

Cotyla vastum Nilum metiri.

REm impossibilem, & supra laborantis vires hoc prouerbium significat. Philotheus Patriarcha sanctorum Basilij, Gregorij Nazianzeni, & Chrysostomi scripta commendans orat. quam in eorum laudem habuit, ita scribit: *Quorum nunc multitudinem supra elegantiam, nunc elegantiam supra multitudinem, imò verò vtrumque semper admirere; hæc & istiusmodi non solùm pro dignitate laudare, sed nec particulatim saltem enarrare, & describere, vtcumque poterit, nisi* COTYLA VASTVM NILVM METIRI, *aut Euphratem exhaurire velit.*

ADAGIVM DCCCXX.

Ignorat, quæ sit sua ipsius dextera, quæ sinistra.

PRouerbialis hyperbole de eo, qui summa laborat ignorantia, nullam scientiam callet, quin nec illa scit, quæ norunt & illi, qui nondum, vt dicitur, ære lauantur. Sanctus Ephræmus Syrus tract. ad correctionem eorum, qui vitiosè viuunt, ita loquitur: *Sæpe, qui ante renuntiationem domi sui opifex fuerat,* IGNORABATQVE *priùs,* QVÆ IPSIVS ESSET DEXTERA, QVÆVE SINISTRA, *in monasterio litterarum studiosus, & interpres, Doctórque incedit.* 719.

ADAGIVM DCCCXXI.

Ita bene stat latro super furcam, sicut Sacerdos benè paratus ad Altare.

VIgò hoc tanquam prouerbium iactari solitum refert ex nostris Bernardinus de Bustis serm. 23. dum ait: *Dici solet, quòd* ITA BENE STAT LATRO SVPER FVRCAM, SICVT SACERDOS BENE PARATVS AD ALTARE; quod illustrat illis sancti Augustini verbis cap. 11. Enchir. *Malum bene ordinatum, & loco suo positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant.* Hac adagiali sententia vti poterimus, quoties iustè in eos sæuitur, qui iniusta commiserunt.

ADAGIVM DCCCXXII.

Vox eius, vox Iacob, manus autem manus Esau.

LOcus huic prouerbio erit cùm quis bene loquitur, sed non bene operatur, & manibus linguæ aduersatur, opere sermoni; huc flexit Petrus Blesensis epist. 141. *Bene eis loquitur, sed & voce nullum sequitur opus, quia* VOX EIVS VOX IACOB, MANVS AVTEM MANVS ESAV, *leuiúsque profectò extorquerem clauam de manu Herculis, quam denarium de manu ipsius.*

Torquetur & in eos, qui vtilia, & salutaria aliis prædicant, quæ ipsi re ipsa repudiant, omnium vitiorum generibus se inuoluentes. Audiendus idem auctor, qui cantilenam de luctu carnis, & spiritus ita canit:

Verbum salutis prædicant,
Et explicant monitis salutaribus
Quid agendum sit omnibus,
Sed ESAV SVNT MANIBVS,
Et VOCE IACOB *indicant.*

Idem auctor serm. 41. in Synodo, paulo aliter rem versat, ait enim: *Comede vt euangelizes, non euangelizas vt comedas. Si fueris exactor muneris, cùm accesseris ad Dominum Iesum Christum, poterit tibi dicere, Noli me tangere.* VOX TVA IACOB SONAT,

NAT, MANVS AVTEM TVÆ MANVS ESAV, *manus sunt Briarei, non Presbyteri.*

Desumptum porrò prouerbium est ab illo Genesis, vbi refertur Iacob adhibitis pellibus hædinis pilosi Esau manus repræsentasse, cùm interim loquens Iacobi vocem verè emitteret, vt iure dixerit Isaac eum tangens: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau; & non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant*, Gen. 27. v. 22. & 23. Cùm igitur quis alius voce, alius opere est, & manu, sententiam istam non sine adagiali saliua vsurpare poterimus, licèt hæc quoque à Martino Delrio prætermissa sit in suis adagialibus sacris.

EXCVRSVS CXX.

Lingua cum vitâ cohæreat, cohæreant cum sermonibus mores.

Os & manus *inter se cohærere debent, & concordare.*

Verborum, & vitæ *nexus commendatur.*

Linguæ manus *tributa vt loquendo operationis recordaremur.*

Oris *nexus, &* operum *citharæ similitudine probatur.*

Doctrina docentis moribus animanda.

Quod anima *corporis, hoc* vita *doctrinæ.*

Cognitionis comes opus *sit.*

Facta dictis *copulanda.*

Sapiens doctrinæ semina operum fructibus *reddere multiplicata debet.*

Doctores, qui benè loquuntur, & malè viuunt, cribro *pollinario comparati.*

Ineptus veritatis Prædicator, qui ea non præstat, *quæ aliàs docet.*

720. EXercuit non semel calamum hoc argumentum, sed quia res semper vtilis, semper necessaria, semper salutaris est, potest non semel lectoris auribus opportunè obiici; hic obiicienda explicata adagialis sententia suo veluti iure exigit; sed ad rem.

Os, & manus inter se cohærere debent, & concordare.
S. Hier.

Respondere sermoni vita debet, ne aliud loquamur, aliud operemur; scitè sanctus Hieronymus epist. quæ est ad Nepotianum, vbi ait: *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat; Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facit? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. accusare auaritiam & latro potest: Sacerdotis Christi, os, mens, manusque concordent.*

Verborum, & vitæ nexus commendatur.
Hebr.
Nicol.
S. Isid. Pelus.
S. Prosper.

Scitum est in hac re sapientum Hebræorum dictum, נאין הדברים היוצאים מפי עושיהן: *Pulchra sunt verba, quæ ex ore facientium ea.* Ex nostris Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 39. *Scio illum esse beatum, cui pulchro sermone vita sit pulchrior;* & sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 148. *Si sermonibus nostris fidem haberi volumus, rectè viuamus;* & sanctus Prosper lib. Epig. num. 7.

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.
Nam fari rectè, miserum est, & viuere prauè
Damnat, nota malum regula iustitia.

S. Chrys.

Hac eadem mente sanctus Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis in calce: *Grandis condemnatio est, sermonem quidem suum componenti, vitam verò suam, atque operam negligenti;* & sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 265. *Consulendum est dicturo, vt non verbis tantùm, sed re ipsa persuadeat auditoribus; omnis enim oratio opere destituta non tantùm inane quid & euanidum est, sed etiam opprobrium adfert, potissimum dicendi à quo profertur.* De verborum operúmque nexu, sic idem sanctus Pater loquitur lib. 1. epist. 46. *Actiones sermonibus haud indigent; illæ enim apparent: sermones autem potiùs, vt in actiones vertantur, opus habent; & quidem ipsi si cum honestate, & grauitate coniuncti sint. Quamobrem si tibi cordi est, vtrinque celebrari da operam, vt & sermonem ad actionem, & actionem ad sermonem adiungas.* S. Isid. Pelus.

721. Quidni manus linguæ tribuat Salom. Prou. 18. *Mors*, inquit, *& vita in manibus linguæ*; verè lingua manus non habet, habere tamen videtur, cùm quod lingua loquitur, manus operatur, & verba in opera vertuntur; vbi Carensis hic; *Mors, & vita in manibus linguæ, idest, in operatione sermonis*; illius lingua manibus est destituta, qui opera complenda loquitur, sed loquitur tantùm.

Lingua manus tributa vt loquendo operationis recordaremur.
Prou. 18.
Vgo Card.

Citharam pulsantis similitudine hunc manus, & oris nexum, verborum, & operum cohærentiam sic explicabat sanctus Chrysostomus homil. de decem mil. debit. *Non satis est si diuina verba percenseas, nisi ea quoque rebus præstes; & quemadmodum citharæ neruos attingit artifex, attingit quoque & imperitus; verùm ita vt iste auditorem vexet, ille voluptatibus, & oblectatione ducat, atque vtrobique eiusdem generis digiti & iidem nerui; rectè, sed non adest eadem peritia. Ita quoque in sacris Scripturis, multi adoriuntur diuina verba, sed non omnes lucrum inde faciunt, aut fructum referunt, in causa quod non eo modo, vt iam dictum est, adeant, neque cum artificio citharam pulsent, quod enim in re citharœdica ars, hoc ipsum in Dei legibus operum exhibitio.*

Oris nexus, & operum citharæ similitudine probatur.
S. Chrys.

Firmanda doctrina exemplo est, & moribus docentis animanda; ait Paulus ad Timotheum scribens epist. 1. cap. 4. *Attende tibi & doctrinæ.* Sternit docentis vitam, vt super illam, tanquam super fundamentum doctrinæ ædificium erigeretur; *Primò tibi*, inquit hic Primasius, *deinde doctrinæ, vtrobique sollicitus, vt & ter vita caluet, & illos doctrina exemplo firmata.*

Doctrina docentis moribus animanda.
1. Tim. 4.
Primasius.

Quod anima corpori est, hoc est doctrinæ vita, cognitio, operatio, vt cadauerosa illa scientia sit, quæ operationis anima caret; actionis spiritu destituta est; succinit sanctus Ephræmus Syrus de imit. prouerb. *Sicut*, inquit, *corpus sine spiritu mortuum est, ita quoque cognitio absque operatione otiosa, atque superuacanea*; suóque decore vidua sua pulchritudine, sua venustate, sua vita, animare doctrinam qui vult, opus, nectat, cognitioni doctrinæ actionem copulet.

Quod anima corporis, hoc vita doctrinæ.
S. Ephræm

Cognitionis comes opus sit; præstanda nobis sunt, quæ didicimus, malè sapit, qui aliis tantùm sapit; scitè sanctus Prosper in epigram.

Cognitionis comes opus sit.
B. Prosper.

Scriptorum Domini plenè vident omne profundum
Implet qui factis cognita verba piis.
Nam nimis ascensu doctrina deuius errat,
Si, curauit scire, fugit facere.

722. Facta dictis copulanda monebat Philo lib. de præmiis, & pœnis, in hunc modum: *Quis nisi natura malignus, & inuidus non fateatur, hoc solum genus pollere scientia, sapientiáque, cui datum est diuina mandata, non incassum accepta, suis actionibus exequi, & cum laudandis dictis paria facta coniungere*; hæc Philo, digna, quæ menti firmiter inhæreant. Ex nostris scitè Beatus Alcuinus in Poëmate n. 179.

Facta dictis copulanda.
Philo.
B. Alcuinus.

Doctor erit magnus, factis qui quod docet implet.

Terræ

Sapiens doctrina semina operum fructibus reddere multiplicata debet. S. Ambr.

Terræ sapiens similis esse debet, vt doctrinæ semina operum fructibus reddat multiplicata, ne audiat infœcnndus; huc flecti potest illnd sancti Ambrosij lib. 1. officiorum cap. 30. *Sicut*, inquit, *agricultura, ergo etiam sapiens, vt tanquam fænerata sibi maiore mensura semina suscepta restituat: terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit, ac reddit: vtrumque debes quodam hereditario vsu parentis, ne relinquaris sicut infœcundus ager*; quàm abit ab hac fœcunditate, qui nec ea reddit, quæ recepit, & pauciora emittit, quam exceperit.

Doctores, qui bene loquuntur, & malè viuūt cribro pollinario cōparati.

Doctores, qui vtilia alios edocent, noxia ipsi eligunt, dum faciunt, ad puritatem alios inhortanrut, impuri ipsi, innocentiæ prædicatores sunt, ipsi nocentes cribro pollinario comparari possunt, furfures sibi seruant, aliis farinam exhibent; hi tædæ sunt, quæ se ipsam consumit vt aliis luceat.

Ineptus veritatis prædicator qui ea non præstat quæ alios docet.

Ineptos veritatis testis esse videtur, iodignus prædicandæ veritatis mioister, qui opere non præstiterit quod alios docturus, dicturus aliis est; vel diues in flammis positus, hoc nouit, dum Lazarum ad fratres suos prædicatorem mitti postulauit, non postulauit vt ipse mitteretur, Luc. 16. Acutè sanctus Augustinus lib. 2. super Euang. quæst. 38. *Quod verò Lazarum petit mitti ad fratres suos*, SENSIT SE VTIQVE INDIGNVM, QVI TESTIMONIVM PERHIBEAT VERITATI, *& quia non impetrauerat paululum se refrigerari, multo minus credit relaxari se posse ab inferis ad prædicationem veritatis*. Diuite hoc epulone minus sapiunt, qui idoneos se veritatis testes putant, vitæ veritatis hostes, quam prædicant.

Luc. 16.
S. August.

ADAGIVM DCCCXXIII.

De cœlo in cœnum.
De cœlo in terram.

723. FOEdissimus, & perfectæ vitæ culmine in vitiorum seruitutem spurcitie refectam lapsus hoc adagio poterit circunscribi, circunscripsit S. Bernardus serm. 63. in Cantica: *Præcurritur*, inquit, *ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia, & confusione saltus de excelso in abyssum, de pauimento in sterquilinium, de solio in cloacam*, DE COELO IN COENVM, *de claustro in seculum*. Tertullianus lib. de spectaculis cap. 25. *Quale est enim*, inquit, *de Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere*, DE COELO, *quod aiunt*, IN COENVM? Cùm ab honestissimis studiis ad flagitia quis deflectit, hanc paræmiam vsurpabimus.

De cœlo in terram cadit, qui à terrenis abiunctus, & cœlestibus hærens mente mutata incipit terram sapere, terrenis inhiare, immori perituris; ad hunc sensum aiebat & Beatus Ælredus ser. 10. *Quid dicam fratres? vbi sumus? Nunquid ibi, vbi quondam Antonius? Macharius? Hilarion? nunquid non potiùs* DE COELO *in terram cecidimus, qui nihil ferè præter terram sapimus, terram amantes, terram cogitantes, de terra loquentes contentiosi, querulosi, inuicem mordentes, & comedentes, & detrahentes alterutrum.*

ADAGIVM DCCCXXIV.

Pharaonis iugum.

DE intolerabili, grauissimáque seruitute, qua nullus ferenda par sit, quàm acriter Pharao Hebraicum populum torserit, & afflixerit, satis ex diuina Scriptura constat. Vtemur in quacumque calamitate ac seruitute, qua quis superioris alicuius tyrannica impietate prematur. Sanctus Bernardus serm. 8. super Psalmum, *Qui habitat*, vitiorum seruitutem, & iugum flectit dum ait: *Considerate attentiùs dilectissimi, & animaduertite, in quánam potestate euaseritis Pharaonis intolerabile iugum, vt iam membra vestra non sint arma iniquitatis peccato, nec regnat vltrà in mortalibus corporibus vestris.*

EXCVRSVS CXXI.

Mundi iugo excusso subdendum Christi iugo collum.

Durum voluptatum *iugum.*
Domini *iugo se quisque subiiciat.*
Quàm suaue *Christi iugum.*
Candorem *iugum Christi conciliat.*
Quàm suaue *Christi iugum.*
Iugum Christi eos euehit *à quibus portatur.*
Sponte iugum tollendum vt sit suaue.

QVis crederet iugum sustinere illud durum, ac graue, qui terrenis voluptatibus diffluit, corporeis deliciis madet? ita est, rectè sentienti iugum sunt, graues, duræ, intolerabiles, insuaues; leues videantur voluptates, non sunt leues, sed onerosæ; suaues videantur, non sunt; si rectè eas inspicias, durum iugum esse deprehendes, à quo studebis eximi. Pulchrè Prudentius καθημ. Hym. 7. 724. *Durum voluptatum iugum.* Prud.

Qui corpus istud molle naturaliter
Lapsúmque laxo voluptatum IVGO
Virtutis arcta lege fecit liberum.

Qui sapit, ab hoc iugo se eximet, & Domini se iugo subiiciet, quod leue, quod suaue; monebat istuc sanctus Prosper in epigram. n. 42. vbi ait: *Domini iugo se quisque subiiciat.* S. Prosper.

Deficiant potiùs vana oblectamina mundi,
Subdantúrque pio colla domanda iugo.

Et sanctus Paulinus epist. ad Romanianum, quę est 36. inter illas, quas scripsit sanctus Augustinus: S. Paulinus.

Quare age rumpe moras, & vincla tenacia secli:
Nec metnas placidi mite iugum Domini.

Ad iugum ceruicem Domino obsequio subdendum docebat Venantius Fortunatus lib. 8. & leue reddi quidquid amore fertur: Venāt. Fort.

Seruitio Domini subdenda est ad iuga ceruix;
Nec graue, sed leue sit quidquid amore feres.

Quàm suaue, quàm dignum quòd ametur Christi iugum, sic innuebat Guilhelmus Abbas in meditationibus, dum diceret: *Ego manum imponentis adoro, iugum deosculor, onus amplector, & multum mihi suaue est sub eo desudare. Multi enim, & multo tempore possederunt me domini absque te, quorum iugum non est suaue, nec onus leue. Tui iuris esse cupio, tuum iugum recognosco, & onus leue, quod subleuat, non premit.* 725. *Quàm suaue Christi iugū.* Guilhel.

Candorem sibi ille conciliat, & venustatem, qui Christi iugum fert; sponsæ dicitur Cant. 7. *Collum tuum sicut turris eburnea.* nimirum vt statim sciremus candorem illi affricasse sponsi sui iugum. Pulchrè Theodoretus sic: *Collum tuum sicut turris eburnea: Remotum enim est*, inquit, *à nigredine, & iugum meum suscipient factum est candidum*, nigredinem affricat mundi iugum ab omni munditia alienum, alienum ab omni puritate, vt mundus nunquam sit, qui mundi iugo collum subiicit. *Candorē iugum Christi conciliat.* Cant. 7. Theod.

726. De suaui Christi iugo ita sentit, ita loquitur Guilhelmus Abbas in medit. Christum suum alloquens: *Iugum quidem tuum suaue, & onus leue imposuisti mihi, at cum ostendis mihi seruitutis tuæ distantiam, & seruitutis sæculi, blandè, & leniter me interrogas, vtrum melius sit seruire tibi Deo viuenti, an diis alienis. Ego manum imponentis adoro, iugum deosculor, onus amplector, & multum mihi suaue est sub eo desudare. Multi enim, & multo tempore possederunt me domini absque te, quorum* IVGVM *non est suaue, nec onus leue. Tu' iure esse cupio, tuum iugo recognosco, & onus leue, quod subleuat, non premit.*

Quàm suaue Christi iugũ. Guilhel.

Christus ipse de suo iugo dicebat in Matth. 11. *iugum meum suaue*; nimirum quia suum suaue est, quodcumque iugum alterius durum, asperum, & graue. S. Eucherius pro, *suaue*, habet, *leue*; dicitur autem leue, quia non ad ima deprimit, vt iugum omne solet, sed euehit in sublime à quibus portatur. Benè sanctus Paulinus epist. 4. IVGVM CHRISTI *leue est, quia seruientes Christo operamur bona, quibus pennati in altum prouehimur*; & in cœlestia euolamus.

Iugum Christi eos euehit à quibus portatur. Matth. 11. S. Paulinus.

Porrò quod dixit Christus, *Tollite iugum meum super vos*; liberum obsequium quærit, non coactum, alioquin nec leue onus esset, nec iugum suaue, nec requies inueniretur, sed labor. Præclarè sanctus Bernardus epist. 11. vbi huc spectans, ait: *Tollite, ait,* IVGVM MEVM, *ac si diceret; non impono inuitis, sed vos tollite, si vultis; alioquin non requiem, sed laborem inuenietis animabus vestris*; requiem inuenit etiam sub iugo, qui iugum sponte tollit.

Sponte iugum tollendum vt sit suaue. S. Bern.

ADAGIVM DCCCXXV.

Pharao noster.

727. PHaraonis, qui Iudæorum populum afflixit, duritia abire in prouerbium potuit, vt Pharao dicatur durus, impius, iniquusque, aut Princeps, aut iudex. sanctus Paulinus epist. ad Macarium: *Depositæ*, inquit, *iam sæpe apud iudicem Prouincialem super hoc latrocinio querelæ, sed* PHARAO NOSTER *indurauit cor suum*; quod porrigi ad quemcumque poterit, qui pari duritia, sæuitia pari in alios sæuiat inexorabilisque fit.

Durus more Pharaonis est, qui flecti Dei verbis, monitisque non vult, qui scindi aduersitatem malleis non potest. De se humiliter sentiens Idiota de cursu vitæ tract. 1. cap. 12. quod opus nuperrime in lucem emissum est, ita loquitur Deum alloquens; *Ego miser, & sceleratus more* PHARAONIS *tua præcepta spernens durior fui effectus.* Quæ verba eo iustiùs nos emittere debemus, quo illo sumus iniustiores.

EXCVRSVS CXXII.

Iustorum iniuria cauenda.

Dei populum nemo persequatur.
Cauenda iustorum iniuria.
Iustorum bona venenata potio, *quæ in malorum visceribus non decoquuntur.*
Etiam paruâ suorũ contumelia *Deus læditur.*
In Dei populum sæuire, *quàm noxium Pharaoni.*

728. SÆuiit in Dei populum Pharao, sed immunis à pœna nõ fuit eius sæuities, defendit suos Deus; aquis sepeliuit tantum persequutorem, quæ mersio altè inclamat, ne aliquis Dei populum persequatur, hoc exsculpebat S. Ambrosius in Psalm. 118. oct. 17. *Pharao*, inquit, *cum populo suo fluctibus mersus mundanæ conuersationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur.*

Dei populum nemo persequatur. S. Ambr.

Res & ad vnicum coërcenda, non est tutum in multos sæuire, non est in paucos, non est in vnum. Oleaster in cap. 14. Gen. exponens illud, quod Luth iusto accidit, ait: *Admonet locus iste, quàm sit cauenda iustorum iniuria, quoniam propter vnicum iustum isti coacti sunt omnia, quæ detulerant, restituere.*

Cauenda iustorum iniuria. Oleast.

Adeò vt non iustos, & bonos tantùm Deus à malis tueatur, sed & bonorum bona; quod scita, & apposita similitudine sic idem auctor explicabat in Isaiæ cap. 29. *Sunt*, inquit, *bona iustorum venenata potio, quæ non solum hausta non prodest, sed omnia, quæ sunt in visceribus hominis commouet, & exire facit. Sic opes Sanctorum in ventre iniquorum non solùm non decoquuntur in visceribus eorum, sed opes, & ferè viscera eorum secum trahunt, & vacuum velut somniantem relinquunt.*

Iustorum bona venenata potio, quæ in malorum visceribus non decoquuntur. Idẽ Oleast.

Qui sibi, qui suis rebus consultum vult, in iustos non sæuiat, nec iustorum bona diripiat. Ferunt Dei serui impiorum duritiem, ferunt persequentium rabiem, & in hoc se Dei seruos produnt, quòd illata illis à malis mala non fortiter tantùm, sed libenter etiam ferunt; sed iustorum patientia iniustorum culpam non minuit, sed arguit, & auget; dabunt impij duriùs pœnas, quo ferociùs in innocentium vitam æquóque animo iniqua omnia patientium, fuerint debacchati.

Etiam parua suorum contumelia Deus læditur.

Nemo Dei seruos spernat, nemo afficiat iniuria cùm in illis offensam se Dei pietas affirmet; leuis licèt contumelia videatur illis illata, at non leue censeri debet, quo etiam Deus ipse læditur. Rem grauiter vrget Saluianus lib. 8. de Gubern. Dei, in hæc verba: *Sacrilegij genus est Dei odisse cultores. sicut enim si seruos nostros quispiam cædat, nos in seruorum nostrorum cædis iniuriam, & si a quoquam filius verberatur alienus, in supplicio filij pietas paterna torquetur: ita & cùm seruus Dei a quoquam læditur, Maiestas diuina violatur, dicente id ipsum ad Apostolos suos Domino: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. Benignissimus, ac piissimus Dominus communem sibi cum seruis suis, & honorem simul, & contumeliam facit, ne quis cùm læderet Dei seruum hominem tantùm à se lædi arbitraretur. Cùm absque dubio iniuriis seruorum Dominicorum, Dei admisceretur iniuria, testante id in suis Deo affectu indulgentissimo in hunc modum; quoniam, qui vos tangit, quasi qui tangit pupillam oculi mei, ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ tenerrimam partem humani corporis nominauit, vt apertissimè intelligeremus Deum tam parua Sanctorum suorum contumelia lædi, quam parui verberis tactus humani visus acies læderetur.* 729.

Salu.

Meruit Pharao, vt illi cor induraretur, ne adeò magnis Dei signis molliretur, & ad pœnitentiam flecteretur; sed quod præcipuè hanc indurationem meruit? quia peregrinos Iudæos dirè, ac durè in suo regno afflixit; ita Sedulius in cap. 9. epist. ad Romanos; *De Pharaone facilè respondentur prioribus meritis, quibus afflixit in Regno suo peregrinos, dignum effectum, cui obduretur cor, vt nec manifestissimis signis iubentis Dei cederet*; tanti piaculi res apud Deum est in hospites, in peregrinos sæuire, in Dei populum debacchari.

In Dei populum sæuire quàm noxiũ Pharaoni. Sedul.

ADAGIVM DCCCXXVI.

Annam referre.

730. QVæ diu, & summa religione, ac sanctitate vitam agit vidualem, *Annam referre* dicetur, de cuius diuturna, laudabilique viduitate Lucas loqoitur cap. 2. Sanctus Hieronymus ad Ageruchiam scribens epist. 11. Metroniam sic extulit; *Quarum fœminarum auia Metronia per quadraginta annos vidua perseuerans* ANNAM *nobis filiam Phanuelis de Euangelio* RETVLIT.

Porrò adeò sanctitate insignis Anna extitit, vt in Matrem Domini nisi virginitatis prærogatiua destituta fuisset, eligi potuisse à Spiritu sancto asserat sanctus Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum cap. 18. his verbis: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium. Si non præfertur nuptiis virginitas, Spiritus sanctus cur maritatam, cur viduam non elegit? Nam illo tempore erat Anna, filia Phanuelis de tribu Aser insignis pudicitia, & semper vacans orationibus & ieiuniis in templo Dei. Si conuersatio tantum & bona opera, & ieiunia absque virginitate, Spiritus sancti ad se merentur aduentum, potuit & ista mater esse Domini.*

ADAGIVM DCCCXXVII.

Agricola armis Goliath se induit.

LOcus huic prouerbio erit cùm qois operi, aut exercitio manum admouet, cui vires impares habet, cui ipsa omnino ineptus est. Festiuè Beatus Ægidius, cuius hoc dictum refertur: *Multi petunt monasteria, sed non præstant ea, quæ monasterium reposcit institutum, non absurdè comparandi* AGRICOLÆ GOLIATH SESE INDVENTI ARMATVRA, *sed ea uti nescienti.* Porrigi & ad alios poterit, qui munus sustinere nequeunt, quod sustinendum arripuere.

ADAGIVM DCCCXXVIII.

Simia coram Deo.

731. QVadrabit in eos, qui tales non sunt, quales extimo habitu, aut verborum sono esse videntur, & ab illa sanctitate longè distant, quàm Dominum oculis præseferunt; quo pacto simia in multis homines æmulantur, licèt humana mente prædita minimè sit, sitque rationis omnino expers, licèt eius vmbram habere videatur. Richardus à sancto Laurentio lib. 2. de laudibus Virginis, particula 6. *Multi*, inquit, CORAM DEO SIMIÆ *sunt, qui cantando, vel psallendo Christum non placant, sed magis prouocant.*

ADAGIVM DCCCXXIX.

Lychnis contra Solis radios pugnare.

QVi ad pugnam quempiam prouocat, longè viribus, longè industria, longè peritia superiorem, & si indoctus ingenij imbecillitate cum doctissimo in arenam descendere non veretur, is prouerbialiter, *lychnis contra Solis radios pugnare* dicetur; in hunc sensum aiebat Ennodius lib. 2. epist. 7. *Nos ad scholarum gymnasia sequestrati arentis ingenij guttis quadam Oceani fluenta prouocamus, quasi* LYCHNIS CONTRA SOLIS RADIOS PVGNATVRI.

Nouarini Adagia SS. Patr.

ADAGIVM DCCCXXX.

Alicui coniungi, vt corpori vmbra.

IN res, personásque quadrat, quæ ægrè ab inuicem abiungi possunt, ac separari; sancti Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba epist. ad Eusebium, quæ inter Basilianas num. 29. recensetur; *id illi coniunctum est veluti corpori vmbra*: vt dari corpus sine vmbra possit, non tamen vmbra separari potest à corpore, cuius est vmbra; potest & ad disparitatem significandam afferri, vt si quispiam se alicui postponat. in quem sensum locutus fuisse videtur idem sanctus Pater epist. 19. vbi ait: *Nos autem* SEQVIMVR VELVTI VMBRÆ CORPORA, *vtpote parui.* 732.

ADAGIVM DCCCXXXI.

Lupus sub ouina pelle.

QVi extima mansuetudinis specie blandus videtur, & simplex, intus tamen dolis, & fraudibus est consutus, is adagialiter lupus sub ouina pelle dicetur esse. S. Bernardus epist. 285. de quodam homine vafro, & astuto ait: *Homo, vt comperi, clam susurro, adulatoriè blandus, totus compositus ad fallendum, ad perturbandum non minus. Notani* SVB OVINA PELLA LVPVM; & serm. 66. in Cant. *Oues sunt habitu, astutia vulpes*; quod iaci in eos omnes potest, qui simplicitatem extimè præseferunt, dolis intus consuti, fraudibúsque sunt.

ADAGIVM DCCCXXXII.

Nec si Pactolum dares.

DE immensis effectissimísque diuitiis Pactolus dicitur, quòd aureis scateat arenis, aureus fluit; sub hac prouerbij figura extulit Clemens Alexandrinus adhortat. ad Gentes: NEC SI PACTOLVM *quidem, qui, vt est in fabulis, totus aureo fluit fluento*, QVIS DEDERIT, *pro salute iustum pretium numerauerit.*

ADAGIVM DCCCXXXIII.

Perforatam nauem debilis gubernator regit.

QVoties impar oneri onus sustinet, & operi quis manum admouet, quod supra operantis vires, & prudentiam est, opportunus prouerbio locus erit. Sancti Hieronymi hæc sunt verba epist. 43. quæ est ad Chromatium Iouinum, & Eusebium: *Videlicet vt* PERFORATAM NAVEM DEBILIS GVBERNATOR REGAT, *& cæcus cæcos ducat in foueam, in foueam; talisque sit rector, quales illi, qui reguntur*, vt proinde in imperitos, & exiguarum virium rectores, Præsulésque conueniat, qui grauissimum animarum regendarum onus temerè suscipiunt.

ADAGIVM DCCCXXXIV.

Exiguum foramen aqua inuenit, hiatúmque magnum, & omnibus manifestum effecit.

733. CVm ab exiguis initiis ad grandia itur, à leuibus culpis ad ingentia scelera decurritur, & minimus defectus, ac ferè ignotus, & occulius euadit in magnum, & manifestum prouerbium, istuc opportunè adhibebimus, cuius meminit sanctus Ephræmus Syrus parænesi 42. vbi ita secum loquitur: *Agnosce infirmitatem tuam, ò anima mea; quandiu factori tuo, ac mandatis ipsius reluctaberis? opprobrium me fecisti, ò Diabole, & Angelis, & hominibus, morigerúmque impiis tuis reddidisti consiliis. Suggerit enim mihi, dicens: Semel exple concupiscentiam tuam, & non ampliùs indulgebis ei, neque agnoscetur peccatum tuum. Et ecce paruum illud magnus mihi factum est hiatus, nec possum improbis, variísque concupiscentiis tuis resistere. Nam* EXIGVVM FORAMEN AQVA INVENIT, HIATVMQVE MAGNVM AC OMNIBVS MANIFESTVM EFFECIT; *verè enim peccatorum consuetudo in deterius agit eum, qui lapsus est.*

ADAGIVM DCCCXXXV.

Bonum castrum seruat, qui se ipsum custodit.

SVi ipsius custodiam commendantes custodiam, quam præfiximus prouerbiali quodam schemate efferebant; ita inter alios Petrus Blesensis serm.40. BONVM, inquit, CASTRVM SERVAT, QVI SE IPSVM CVSTODIT.

ADAGIVM DCCCXXXVI.

Bonus est, sed mala latera habet.

734. VBi significabimus probum aliquem esse, sed eius probitatem malorum consortio infici, locus huic prouerbio erit; ita sanctus Augustinus enarr. in Psalm. 47. vbi ostendit tritum hoc dictum illius æuo fuisse; sic autem ille scribit: *Quicumque alicui cohærent, latera ipsius dicuntur; nam & de aliquibus hominibus solemus ita loqui:* BONVS *homo* EST, SED MALA LATERA HABET. *si ipse quidem probitate præstat, sed maligni sunt, qui ei coniuncti sunt*; & Vgo Carensis in hunc eundem Psalmum: *Vulgò dicitur*, BONVS *quidem* EST, SED HABET PRAVA LATERA. Affine his est illud quod habet sanctus Bernardus, summum Pontificem Eugenium alloquens lib. 41. de considerat. ait: *Veniamus ad collaterales, & coadiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt, si mali, æquè plus tibi. Ne te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum malos innitentem.*

ADAG. DCCCXXXVII.

Juxta serpentem securum dormire se credit.

HOc prouerbio illius intuta, & inanis securitas premetur, quis periculo, & discrimini proximus, à periculo, & discrimine se putat immunem, vt si quis inter delicias, & luxus, diuitiásque castitatem, ac pudicitiam seruare se credat; hinc illud sancti Hieronymi epist. 12. *Vterus balneis cutes nitida, rubicundis genis incedis, carnibus vesceris, affluis diuitiis, pretiosa veste circundaris, &* IVXTA SERPENTEM MORTIFERVM SECVRE DORMIRE *te credis?* His affinia sunt, quæ habet idem sanctus Pater epist. 47. de vitando suspecto contubernio, vbi ait: *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut viuere? Quis vnquam mortalium* IVXTA VIPERAM SECVROS SOMNOS CAPIT? *quæ & si non percutiat, certè solicitat.* Ex quibus habes ad personas non minus aptè hoc prouerbium flecti, quàm ad res; vt in malorum consuetudinem nobis sit calamus, laudanda nobis bonorum familiaritas, quod sequenti excursu fiet.

EXCVRSVS CXXIII.

Inter malos viuere quàm noxium, quàm vtile inter bonos.

Vitandi nobis mali sunt.
Singularis virtutis inter malos *morari, nec malorum mores imitari.*
Magna laudis *inter malos malos non imitari.*
Non est ex toto malus, qui bonis iungitur.
Bonorum societas via *ad bonum est.*
Bonorum consuetudo ad vitam *est.*
Quàm noxium bonis inter malos viuere.
Difficilè quis inter malos bonus est.
Malus peior videtur inter bonos.

VItandi mali sunt, pax nulla cum illis habenda, inimicitia est, scimus serpenti dictum à Deo: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, Gen. 3. 15. Ita ne pacis amator inimicitias ponit? Ponit, vt innuat malorum consortium bonis fugiendum; egregiè rem versat Procopius in Gen. dum inquit: *Mirum sanè videri posset, quòd Deus bonus inimicitias posuit mutuas, sed mirari desinimus si reputemus simplicem, non mediocre damnum accipere ex consuetudine, & familiaritate mali; oportet itaque huiusmodi inimicitias constitui, vt simplex prudentior factus, illud salutare dictum proferat, Corrumpunt bonos mores colloquia praua; non enim ignoramus eius cogitationes; quibus enim de causis pax damnosa est, ob eas vtile æstimatur bellum; quemadmodum enim ex parum salutaribus locis concitat, sic vsu venire solet, ex prauis colloquiis, & commercio pessimorum hominum.* 735. *Vitandi nobis mali sunt.* Gen. 3. 15.

Non est cuilibet inter malos commorari, & immunem ab eorum malitia esse; singularis Dei protectio necessaria est, ne mali mores suos bonis affricent; hostes quos quempiam sternere etiam magnos non magnum est, si res comparetur cum eo facinore, quo quis inter malos degit, nec malus euadit; Gen. 15. 1. Victoriam de suis hostibus consequuto Abrahæ Deus dixit: *Noli timere Abraham: ego protector tuus sum*; mirum, iam vicerat Abraham, & tanquam exanimatum Deus animat, tanquam timore consternatum; quid si dixisset hæc verba ante pugnam; cur dixit post victoriam, an quia maior pugna, victoria maior illustriórque Abrahæ reliqua erat; vt ob id animus illi Deus his verbis addiderit; & quænam, inquies, maior pugna, maiorísque discriminis, superóque auxilio magis indiga? quia inter malos mora *Singularis virtutis inter malos morari, nec malorum mores imitari.* Gen. 15. 1.

B Dionys.

morabatur, versabatúrque inter idololatras. Præclate B. Dionys. Carthus. *Indiguit Abraham protectione diuina præcipuè, quoniam in medio idololatrarum, ac pessimorum tunc morabatur, ne eum peruersis illis peruerteretur.* Amicam faciem mali præseferant, quibuscum aliquis degit, ac versatur, hostilem verò habent, sæui hostes sunt.

Magna laude inter malos, malos non imitari.

736. Inter malos bonus esse quilibet potest, & magnæ illi laudi dabitur, si sit; talis fuit Noë, qui iustitiæ suæ aurum etiam inter lutum, ac vitiosorum hominum sepulchro custodiuit; olim thesauri in sepulchris locabantur, vt ibi seruarentur, cadauerosa sit illorum vita, cum quibus degimus, possumus & in sepulchro sanctitatis thesaurum Dei ope custodire; seruatus est Noë, de quo ita scribit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 5. *Deus*, inquit, *Noemum tunc adsumit tanquam aurum in cœno conspicatus fulgurans, & virtutum thesaurum in tumulis graueolentibus abstrusum iubet arcam compingi, & impietate spectante inundationi viam struit.*

S. Basil. Sel.

Non est ex toto malus qui bonis iungitur.

Fugiendum bonis malorum consortium est, ne bonitatem, qua præditi, amittant; malis sectanda bonorum familiaritas, vt bonitatis amorem, & postea ipsam ebibant bonitatem, nam affricat aliquid bonitatis consuetudo bonorum, vt omnino malus non sit, qui bonis hæret, nec iunctus bonis totus malitiæ iungatur; scitè Ruricius lib. 1. epist. 12. *Non ex toto malus est, qui bonis iungitur,* aliuquin futurus nisi iungeretur.

Ruricius.

Bonorum societas via ad bonum est. Hebr.

737. Quanti ponderis bonorum consortium ad bonum sit, ostendit sapiens ille apud Hebræos, qui cùm interrogaretur, quænam esset recta illa via, quam apprehendere quisque debet, vt suæ saluti consulat? respondit, vt habetur in Pirke auoth cap. 2. חבר טוב *chauer tou, socius bonus.* Alter respondit שכן טוב *sachen tou, probus proximus.*

Bonorum consuetudo ad vitam est.

Nocet plurimum malorum consortium, multum bonorum prodest ad mortem, ac perniciem illorum consuetudo est, ad vitam est istorum; obseruo, & mortuum iuxta Elisæi ossa vitæ redditum 4. Regum 13. quæ res & istud quod dicimus innuebat à iustorum exemplo vitam, ac salutem esse. Scitè sanctus Bacchiarius in epist. de recipiendis lapsis; *Sed dicis*, inquit, *Hic mortuus est; & tu ergo si mortuum dicis, vel iuxta Elisæi illum ossa constitue; nolo, & eum longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum, erubescet, & resurget ad vitam*; nam nimis perditæ mentis est, qui bonorum exemplo ad bonum non prouocatur, non auocatur à malo.

4. Reg. 13.

S. Bacchiar.

Væ malis si inter bonos non viuerent, nam & peiores euaderent, & grandioribus aduersitatibus punirentur, ac nullo exilio fulti penitus perirent. Multa Israëlis populus peccauerat, vt in pœnam exilio eos Deus mulctauerit, Babylonica eos seruitute pressit; sed nunquid impij soli acti in Babylonem sunt? minimè, etiam iusti impiorum comites fuere, hinc Ezechiel, *Cùm essem*, inquit, *in medio captiuorum*, cap. 1. Cur eandem pœnam subierunt, qui eadem non peccauerant? vt à bonorum consortio esset impiis auxilium aliquod, & spe saluris. Præclarè Origenes; *Cùm scelerum suorum causa essent Babylonem adducti, nisi iusti quoque fuissent cum illis admixti, nullum fuisset reliquum peccatoribus remedium*; inter malos, nocentésque funtis probos iungit, vt contra illorum malitiam iustorum exemplo, & ope munirentur.

Quàm noxium bonis inter malos viuere.

738. Quàm malum sit inter malos viuere, & quàm noxium bonis inter non bonos habitare, Isaiæ, & Mosis exemplo in hunc modum colligebat sanctus Petrus Damianus opusc. 27. cap. 4. *Etiamsi mundus sit quis in se, malorum nonnunquam societate polluitur. Quod vtique si aliquibus non contingeret, nequaquam Propheta conquerens gemuisset; Væ, inquit, mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, quoniam in medio populi labia habentis ego habito. Qui nimirum idcirco se pollutum labiis asserebat, quia inter eos, qui polluti erant labiis, habitabat. Idipsum planè, & Moyses in terra Madian pertulisse cognoscitur, si cur eum occidere voluerit Dominus, subtiliter indagetur; scriptum quippe est: Cùmque esset in itinere in diuersorio, Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Mirum valde, cur eum repentè Dominus occidere voluisse describitur, quem assecretem sibi iam, & symmysten familiariter fecerat: cui consilij sui, ac voluntatis arcana panderat, & nunc in executione suæ obedientiæ dirigebat. Sed proculdubio datur intelligi, quia quantamlibet contagij maculam ex diuturna Madianitarum cohabitatione contraxerat, atque idcirco terrore, ac negligentiæ correctione purgandus erat, qui corrigendis aliis cœlestium mandatorum baiulus accedebat.*

S. Petr. Dam.

Difficilè quis inter malos bonus erit. 1. Cor. 5.

Ex Pauli mente modicum fermenti totam massam corrumpit, 1. Cor. 5. quanto citiùs, certiúsque magna fermenti copia exiguam corrumpet massam, & prauorum hominum multitudo bonum vnum inficiet, si contingat ipsum inter illos viuere? Præclarè Vmbertus lib. 1. erudit. Relig. part. 1. cap. 8. *Si modicum*, inquit, *fermenti totam massam corrumpit, quanto magis multum fermenti eam corrumpet? Valde difficile est bonis, si sint inter malos, cùm ipsi pauci sint, & habeant ascendere, contraire multitudini malorum, quæ quasi infinita est, & impetuosè descendit. Ideo multum eis necesse est elongari ab eis. Ne coneris contra ictum fluuij.*

Vmbert.

Malè de malo agitur cùm malus inter bonos est. Matth. 22.

Malè de malo agitur cùm malus inter bonos reperitur, sic enim eius plus apparet improbitas, plus damnatur; hinc ille qui inuitatus ad nuptias veste nuptiali carens statim eiectus est, Matth. 22. quia inter bonos deprehensus plus displicuit, quod in hunc modum expendebat sanctus Maximus hom. in vigil. Natiu. Dom. *Quanto plus simul discumbentium beatorum candebat sanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan, si in consortio iustorum minimè se dedisset.* sicque fit, vt malus inter bonos degens prior appareat, magísque displiceat, quia inter illas viuit, quibus sanctitas placet, placet probitas.

S. Max.

ADAG. DCCCCXXXVIII.

Noster Elias.

QVi magnus, & magnarum rerum effector est, qui malorum insidiis, & infectationibus petitur, sed à Domino seruatur illæsus, qui nouos Achabos sustinet, nouas Iezabeles, nostri æui Elias prouerbialiter dici poterit, quò spectauit sanctus Theodorus Studita orat. funebri in laudem sancti Platonis, vbi ait: *Talis fuit* NOSTER ELIAS *à Domino ipso seruatus, iis in locis, in quibus exercitationi monasticæ operam nauabat, non eius manibus captus, qui nouus Achab dici poterat.* Ad illa respicit, quæ alteri antiquæ legis acciderunt. 739.

Aliquando si alicuius sanctimoniam vellent traducere, Eliam illum vocabant; hinc illud apud sanctum Augustinum in Psalm. 90. *Sunt multi sanè viuentes Christiani, inter quos, qui voluerit bene viuere, & inter ebriosos sobrius esse, & inter fornicarios castus esse, & inter consultores mathematicorum Deum sinceriter colere, & nihil tale requirere, & inter pecca-*

tores nugacium theatrorum noluerit ire, nisi ad Ecclesiam, patitur insultores ipsius Christianos, & verba aspera, & dicunt: Tu magnus, tu iustus, tu es ELIAS; *tu es Petrus, tu de cælo venisti.*

Quæ hominum amentia, & temeritas, vt illos maledictis proscindant, lacessant conuiciis, quos laudibus euehere deberent, & moribus imitari. Istuc idem habet idem sanctus Pater in Psal. 93. ait quippe: *Insultatur illi, circumuenitur, superponere se volunt illi, exagitant, quasi iustum, & insultant quasi de ipsa iustitia. Magnus, inquiunt, Apostolus in cælum volasti quomodo* ELIAS; *faciunt homines ista, ita vt aliquando attendens ad linguam humanam erubescat esse bonus inter malos.*

ADAGIVM DCCCXXXIX.

Eliam impiis se exhibere.

740. Diuinæ gloriæ zelo insignis Elias extitit, vt potuerit zelus eius abire in prouerbium; quo vtemur cùm aliquis vrgendus, vt in impios sæuiat, in diuini honoris hostes arietet; hinc illud Petri Blesensis epist. 15. EXHIBE TE ELIAM IDOLOLATRIS; & sanctus Bernardus lib. 4. de Consid. *qui Regibus Ioannem exhibeat, Ægyptiis Moysem,* ELIAM IDOLOLATRIS; & sanctus Petrus Damianus opusc. 18. in Prolog. *Tanto zelo vidi te semper aduersus eorum perditos mores, medullitus inardescere, vt* ELIÆ *indiceris incendio non egere.* Et rursus Petrus Blesensis epist. 144. inclamabat; *Vbi est zelus* ELIÆ *in Achab?*

Eliæ liberam in loquendo libertatem sic efferebat sanctus Chrysostomus homil. 47. in Matth. *Vnde Elias mirabilis factus? nónne quia Regem liberè alloquebatur?* Meruit hæc prauos corripiendi libertas, vt corripientis lingua etiam in cœlum virtutem suam exerceret, exerceret in cœlum imperium; *Claudit cœlum, & aperit, Elias,* inquit idem sanctus Pater homil. de Elia, *Ligat, & soluit, reserat quod conclusit, vt Sanctorum meritum monstraretur, non solum in terris posse, quod voluit, sed & in cœlestibus posse impetrare, quodcumque petierit.* Nubes non tam facilè ligasset Elias, non tam facilè soluisset si ligatam in Regis impietate reprehendenda linguam habuisset.

Per coruum Eliam Deus pascit, vt corui exemplo Elias disceret populo misereri; quod in hunc modum colligit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 11. dum ait: *Coruis præcepi vt pascant te; ac mihi vide diuinam sapientiam. Traducitur apud Scripturas sacras, coruus, vt animal odio filiorum laborant, nam cùm fœtum excluserint, repudiant reiecta eos nutricandi cura. Sed quæ rectrix vniuersi prouidentia Dei circa omnem occupatur creaturam, vel pullis coruorum occulta quadam ratione cibum suggerit minuta quadam animalcula. Quam prouidentiam collaudans Propheta Dauid canit inclos, & pullis coruorum inuocantibus eum. Coruisque præcepi, inquit, vt pascant te. Filiorum proditores tibi sunt alimenti suppeditatores. Ne igitur durior fueris coruis pullorum osoribus, ne innatum iis in pullos odium imiteris, néve in Iudæos transferas, quin imitare potius eorum in te curam. Hi commodato tibi obsequio naturam vicerunt: tuque Iudæorum nequitiam humanitate conuince, ne in contribules coruis fueris inhumanior. Reuince coruos humanitatis causa legatos.*

ADAGIVM DCCCXL.

Iudæ pœnitentia.

IVdæ pœnitentiam desperatio comitata est, atque adeò pœnitentia, quæ spe veniæ consequendæ vidua est, Iudæ pœnitentia adagialiter dici poterit; hinc illud sancti Bernardi in sententia: *Crudelis, & desperata* POENITENTIA *est, sicut in Cain, &* IVDA; nimirum suam pœnitentiam Iudas laqueo, ac suspendio insigniuit, ac si conscientiæ malum, quo torquebatur, morte moreretur, non augeretur potiùs, & vires à defectu sumeret; huc spectat sanctus Hieronymus lib. 2. in cap. 5. Isaiæ. *Achitophel, inquit, & Iudas, quorum alter Dauid, alter Dominum prodiderunt, fune longissimo trahentes peccata sua peritura suspendio putantes malum conscientiæ præsente morte finiri, & nihil esse post mortem.* 741.

ADAGIVM DCCCXLI.

Saulis pœnitentia.

EXtimè inire pœnitentiam visus fuerit Saul, verè, nec ex corde iniuit, adeò vt Saulis pœnitentia pro simulatoria accipi adagialiter possit. Accepit sanctus Bernardus in sententiis, dum ait: *Simulatoria, & infructuosa pœnitentia*, cuius exemplum est in Saul.

Fictam Saulis confessionem, ac pœnitentiam ita expendebat sanctus Bernardus serm. 3. de sancto Andrea. *Nónne vtique Reges Saul, & Dauid, redarguti à Prophetis Samuele, & Nathan, dixerunt, Peccaui? & tamen Saul audiuit, Transtulit Dominus regnum à te, & dabit illud æmulo tuo; & Dauid, Transtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris. Quid est hoc? nisi quia quòd Saul habuit in ore, non fuit corde: & humilitas, quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit.*

Fudit lachrymas Esau, sed pœnitentiæ locum non inuenit, de illo ita scribit Apostolus ad Hebr. cap. 12. *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis quæsiuisset eam*; & cur eum lachrymæ in pœnitentiæ portum non tulerunt? quia non fuerunt ob commissorum scelerum dolorem emissæ, atque in veræ humilitatis collationem, sed ob indignationis, odiumque in fratrem. Accinit Primasius hic dum ait: *Quia non quæsiuit, vt debuit, lachrymæ enim illæ indignationis fuerunt, potius amissi honoris, & rancoris contra fratrem, quàm humilitatis, veræque pœnitentiæ: vnde & dixit, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

ADAGIVM DCCCXLII.

De Iericho sibi aliquid reseruare.

SI qui Dei se obsequio mancipat, vitæ spiritualis viam init, qui seculo repudium misit, in sacram aliquam familiam dedit nobis, si quis suadeat, ne terrenis rebus ampliùs inhiet, carnis illecebras non quærat, non quærat opes perituras; hoc prouerbio vti poterit, monens ne de Iericho sibi aliquid reseruet; quòd si talium amore teneatur, obiici hoc illi poterit, hac sententia, quæ nata ab inhibitione illa, qua Dei iussu nefas erat, de Iericho sibi aliquid reseruare, vt proinde 742.
damna

damnatus Adam pœnas luerit, quod aliqua de anathemate Iericho furto abstulit, vt habetur lib.Iosue cap.7.Rem autem ad hunc sensum ita versat Beatus Thomas à Villanoua conc.1. de Spiritu sancto. *Caue, ô Christiane, caue* TIBI ALIQVID RESERVARE DE IERICHO: *non pallium coccyneum,id est, carnis concupiscentiam, non siclos argenteos, id est, auri cupiditatem, non linguam auream,id est,blandientem, adulatoriámque seruaueris.*

ADAGIVM DCCCXLIII.

Non semper idem spirat ventus.

VArias esse rerum vicissitudines,neque semper idem auxilium adfuturum,non semper eundem felicitatis flatum, non semper eandem culminis auram aliquem afflaturam mutandum esse statum,qui per sæculi huius æquor velut ratis prosperè vehitur. Hoc prouerbium significat, quòd in illos flectit S.Ephræm, qui imperium amant, non laborem; hæc eius verba de timore Dei: *Si iubere, atque imperare cœperit,& non adiunat pro viribus laborantes,laborem,atque dolorem in nouissimis subibit*: NON *enim* SEMPAR IDEM SPIRAT VENTVS, *sed ventorum crebra sunt mutationes,atque vicissitudines.Quare assuefacere se operi oportet,nescimus enim,quid superuentura pariet dies.*

ADAGIVM DCCCXLIV.

Vsque ad cubitos.

743. SVbintellige mergi, infigi,aut aliquid huiusmodi suo tempore indieat sanctus Bernardus serm. de quadruplici debito, id fuisse vulgò iactatum tanquam prouerbium, sic enim ait:*Infixus, vt dicitur,* VSQVE AD CVBITOS *in limo profundi.* vtemur quoties quis ita deliciis diffluit,vel vitiis repletus est, aut alicuius rei amore absorbetur, & tenetur studio, vt ferè totus in ipsa immergi videatur,totus in illa esse.

ADAGIVM DCCCXLV.

Vestem Histiaus consuit, induit Aristagoras.

FRaudes, & insidias ab aliquo concinnatas te ipsa ab alio perfectas,si quis significauerit,vti hoc prouerbio poterit; sanctus Gregorius Nazianzenus orat.4.aduersùs Iulianum ita loquitur: *Atque illud Herodoti de Samniorum tyrannide commodè dixerim*: VESTAM HANC HISTIÆVS QVIDEM CONSVIT, INDVIT AVTAM ARISTAOORAS, *qui antecessoris sui rebus successit:* ad quæ verba Elias eius Scholiastes ita scribit: *Histiaus genere quidem Samius erat, cum Dario autem Persarum Rege facta esset, Aristagoram nepotem suum,qui Samios gubernabat, monet, vt ipsis, & Ionibus in animum inducat defectionem moliri:posteaquam autem illi a Persarum imperio defecerunt, Histiaus Dario persuadet, vt sibi per eum liceat ad eos, qui defecissent, se conferre. posse enim se eos rursum ad Regis partes traducere. Cùm igitur eò perexisset, atque à Satrapa Artapherne ipsius fraus agnita esset, hunc sermonem audiuit, qui etiam in prouerbium abijt.*

ADAGIVM DCCCXLVI.

Somnolentia pastorum, luporum est gaudium.

TAngit prouerbialis hæc sententia eorum 744.
incuriam, segnitiémque, qui aliis præsunt, aliorúmque curam susceperunt, & profundo indormiunt temporis somno. Ita inclamat sanctus Ephræm de timore Dei: *Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ouile dormit ouium,* SOMNOLENTIA *enim* PASTORVM LVPORVM EST GAVDIVM.

ADAG. DCCCXLVII.

Vbi rigor, ibi vigor.

VErum,& tritum dictum tepori,languorique amoliendo ab iis, qui alios regunt, & nimiè conniuentiæ in excessibus à Superioribus amouendæ frequens hoc dictum à nostris vsurpatur, & religiosis viris; seueréque regularum obseruantiæ sectatoribus familiare, sciuè ille,& opportunè: *Temporis he ferè causa domestica disciplina neglectus, cùm teporis, languorisque omnis conniuentia excessuum mater sit, qui superiorum vigili cura emendandus; vetus enim illud verum:* VBI RIGOR, IBI VIGOR, *cùm nimia lenitas, indulgentia nimia vigorem omnem exterat.*

ADAG. DCCCXLVIII.

Nouus Heli.

INdulgentior Prælatus deses, & torpens; quique subditorum sceleribus conniueat, aut remissè nimis redarguat, *nouus Heli* tanquam veteris imago prouerbialiter dicetur. Opportunè Desiderium Abbatem ab Heli imitatione reuocabat S.Petrus Damianus lib.2.epist.11. *Quia,* inquit,*sancti conuentus Rector es constitutus,noli dissimulare culpam, sed mox vt emerserit adhibe disciplinam, vt cùm Phinees te zelus, & æterni Sacerdotis iura promoueat, non cum* HELI *sub torpore desidia ignobiliter oscitantem vltio repentina percellat.* Quàm hæc lenitas fuerit Pontifici, idem sanctus Pater expendit lib.7.epist.111.dum ait: HELI *Sacerdotij dignitate detruditur dum non intentat filiis verbera, sed blanditur; vtrumque tamen corripuit illos,scil. lenitate patris,non auctoritate Pontificis, atque idcirco ceruicibus effractis occubuit,quia pecudibus inclementer indulsit.*

Quàm grauiter punitus est Heli quòd filios seuerè non increparit? reiicere eos debebat, quòd quia non fecit,retrorsum ipse cecidit, & mortuus est; quod expendebat etiam S.Hieronymus lib.1. aduersùs Iouinianum, cap.20. HELI *corripuerat quidem filios,sed quia non abiecerat delinquentes,retrorsum cecidit,& mortuus est.*

Summum Pontificem contra luxuriæ mancipia excitans, Sanctus Petrus Damianus opusc.17.c.4. Heli exemplum producit in medium, hisce verbis. *Absit,vt sanctum cor vestrum segnis* HELI *torpor emolliat, sed potiùs ad sceleris vltionem ingenui Phinees rebus accedant.*

Nimiam, atque adeò improbandam Heli lenitatem ita notabat Procopius in lib.1.Reg. HELI

licèt filiat ad honesta officia adhortatus sit, tamen pro eis pœnas dependit; non enim lenem illis medelam adhibere oportebat, sed post vnam, & alteram admonitionem, à Sacerdotum dignitate amouendi erant; præsertim cùm aliis etiam leges violandi occasionem præberent. Sæua nimis hæc nimia lenitas, quæ multorum damnum parturit, noxia omnibus est.

EXCVRSVS CXXIV.

Nimia lenitas, & conniuentia damnatur.

Nimia Heli lenitas *expenditur.*

Heli falsa pietas *à Præsulibus exulet, singulare de hac re exemplum.*

Heli haud imitetur, *qui alios regit.*

Exemplo Heli à noxia lenitate *Præsules auocantur.*

Heli pœna *tenentur iudices, & Præsules.*

Superior ignem *refert, lucem beneficentiæ exhibet, & punitione vrit.*

Nimis remissa correctio *non correctio.*

Labitur & ipse superior si labentes seuerè non corripiat.

Filios *Heli nemo imitetur.*

745. HÆc quæ huc vsque in superioribus adagiis tetigimus, aurem nobis vellicant, vt calamum in noxiam malorum conniuentiam acuamus, armemus in Heli testatores linguam, vt crudelis ista mansuetudo à Præsulum, & superiorum mentibus eliminetur, lenitásque nimia omni sæuitie sæuior ab animarum rectoribus exulet.

Heli lenitas nimia expenditur.
S. Pet. Dam.

Nimiam Heli lenitatem, & ipsi Heli valde noxiam his verbis repræsentabat sanctus Petrus Damianus opusc. 17. cap. 2. *Heli quia filiorum peccata cognouit, sed eos inuectione, qua digni erant, acerrima non corripuit, eisdem filiis a Philisthiim in bello peremptis, ipse quoque de sella retrorsum cecidit, fractisque ceruicibus expirauit. Quin & area Domini ab hostibus capta est, & priùs quidem quatuor millia, deinde triginta millia virorum sunt, Philisthæo trucidante, prostrata. Et quidem redarguit, & quidem corripuit: sed lenitate, & mansuetudine Patris, non seueritate, vel auctoritate Pontificis. Quare, inquit, facitis res huiusmodi, quas ego audio, pessimas ab omni populo? Nolite filij mei, non est enim bona fama, quam audio. Audierat enim, Scriptura testante; quia dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Porrò quos inimicos Dei vidit, in perniciem suam filios recognouit: & quos hostili ferire gladio debuit, paterna blanditia lenitate palpauit.*

Heli falsa pietas à præsulibus exulet, singulare de hac re exemplum.
Acta.

Caueat Præsul, ne Heli vestigia nimium mitis premat; dura nimia mititas est, & nimium asper est, qui nimium mollis in se in suos sæuit, qui non sæuit, & peccatores non corripit, cùm non solùm possit, sed etiam ex officio debeat. De sancto VVilhelmo Bituricensi Archiepiscopo, ita scribit auctor eius vitæ: *Non se sinebat instar Heli Sacerdotis falsa superari pietate, qui quod in corrigendis filiis esset remissior cum illis pariter extinctus est. At tamen contemplans humanæ conditionis fragilitatem, & ex natura vitiis deprauata semper, in deteriora procliues hominum animos in alienis culpis propriam attendebat infirmitatem: sicque se ipsum considerans libenter veniam dabat peccata sua lugentibus ex vera cordis contritione; ita maternis eos fouens complexibus, & tamen vbi res posceret, etiam paterna virga adhiberet disciplinam: seuerus in vitia hominum, benignus erga naturam.*

Heli haud imitetur, qui alios regit.
S. Greg Naz.

A nimia Heli lenitate sibi timebat sanctus Gregorius Nazianzenus, vt diceret epist. 130. *Multò melius est breui, atque exiguo mœrore illato maximam vtilitatem afferre, quam dum ea, quæ grata, sic iucunda sint, sequimur in eo, quod summum ac præcipuum est detrimentum tibi conflare; Sacerdos erat Heli, atque filios quidem impio crimina patrantes obiurgabat, non enim bona fama est, inquiebat, ô fili, quam de vobis audio: quoniam autem haud acriter, ac vehementer obiurgabat, ipse accusatus, scelerisque filiorum pius pater pœnas iuit, hoc exemplum ipse quoque reformidans ad hanc admonitionem veni.*

Heli exemplo sic cæteros Prælatos premebat sanctus Gregorius lib. 2. cap. 3. in lib. Reg. *Magnus,* ioquit, *nobis timor incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cuius peccata propria nulla referuntur; nam bonis subditis bene viuere ad salutem sufficit: Prælatis verò propria vita non sufficit, nam idem Heli filiorum scelera audiuit, qui velut ab aspera inuectione auctoritatis incipiens res pessimas ab omni populo se audisse perhibuit, sed qui insequi eas, quas exposuit culpas debuit, per subsequentia verba leniganit, dicens, Nolite filij.* 746.

Exemplo Heli à noxia lenitate præsules auocantur.
S. Greg Mag.

Heli exemplo terrentur iudices, & præsules.
S. Pet. Dam.

Heli pœnâ iudices, & præsides terret sanctus Petrus Damianus opusc. 17. cap. 2. *Si,* inquit, *Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea, qua digni erant, inuectione corripit, cùm eis simul, & cum tot hominum multitudine perijt; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula ecclesiastica, & soliis iudicantium præsident, & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent? Qui dum de honestate homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Iudicis diuinæ legis mandata confundunt: & dum perditis hominibus amittendi honoris officium seruant, ipsum ecclesiasticæ dignitatis auctorem crudeliter inhonorant.*

Superior ignem refert, lucem beneficentiæ exhibet, & punitione vrit.
Procop.

Ignem Princeps refert, ac Prælatus non lucet ille tantùm, sed & comburit, sic & Principis est benefacere ac punire; scitè Procopius in cap. 2. Gen. *Vt ignis est vt vrat, & lucem præbeat; sic Regis est, vt beneficiat, & puniat plenè, quin nec vero lucet superior, vt beneficiat, nisi vrat, & puniat.*

Nimis remissa correctio, non correctio.

Dedit pœnas Heli eo quòd filios non corripuerit; sic enim Deus ad Samuelem ait, se pœnas Heli immissurum, *propter iniquitatem, eo quòd nouerit indignè agere filios suos, & non corripuit eos,* 1. Reg. 3. aliquis hîc reponat, & non cap. 2. legimus eos verè corripuisse, verùm quia leniùs id fecit, quàm res exigeret, dictus est non fecisse; sic Abulensis hîc quæst. 4. *Correptio,* inquit, *Heli fuit remissa nimis, quia solùm dixit, Quare facitis res huiusmodi, nolite facere filij mei; quod autem inutile, vel paruum est, nihil esse videtur.* Quid hîc illi, qui nec leniter corrigunt, ac tamen mala non suadent? Verè quò leniores sunt in suos, in se in suos crudeliores sunt, lenitas ista crudelitas est, & non sæuire in delinquentes cùm corrigendi, sæuire est.

1. Reg 3.

Abul.

Superioris est inferiores monere, & arguere, atque à lapsu opportuna reprehensione reuocare; ad alia scelera allicit, qui peccantem negligit cohibere, quin facile & ipse labetur si labentem non arguat; hinc quia Adam vxorem à vetiti cibi comestione non cohibuit, factum vt ipsa viro eiusdem esum persuaserit; ita Caietanus in cap. 3. Genes. *In hoc insinuatur facilior aditus datus mulieri ad persuadendum viro, qui præsens neglexit ipsam cohibere;* non facile ipse Adam lapsus esset, si lapsam mulierem tanquam superior arguisset, & acri increpatione studuisset erigere. 747.

Labitur & ipse superior, si labentes seuerè non corripiat.
Caiet.

Gen. 3.

Filiorum interim Heli vestigia nemo premat, nemo

nemo imitetur eos, qui seuerè puniendi erant, & quia non puniti, & mortem sibi pepererunt, & Heli Benè hoc monet sanctus Hieronymus epist. 84. quæ est ad Oceanum, vbi de veri Episcopi notis loquens ait: *Quod populo precepturus est, priùs à domesticis exigat. Filios habentem subditos cum omni castitate, ne scilicet imitentur filios Heli, qui in vestibulo templi cum mulieribus dormiebant; & Religionem prædam putantes, quidquid optimum in hostiis erat, in suas delicias conuertebant.* Multos habent hi filij imitatores, & cùm tales sint, seuera increpatione indigeant, vt ad se redeant, & repudiatis sceleribus innocentiæ litent. Heli multos reperiunt, qui dum eorum malitiæ conniuent, peiores eos reddunt, nequiorésque, nimirum non tam multos Heli filios haberemus, nisi tam multos haberemus Heli.

Filios Heli nemo imitetur.
S. Hier.

ADAGIVM DCCCXLIX.

Non oportet totum ebibere mare, eum qui velit discere, quoniam aqua eius salsa est.

748. SCitum elegánsque prouerbium, quo monemur ex vno alicuius experimento posse nos plenam coniecturam de reliqois facere; si quis hæreticum quidpiam euomat, satis est, vt hæreticus censeatur, nec necesse est singulos eius errores recensere; vniúsque hominis improbitati significandæ non est necessaria omnium criminum eius diligens enumeratio, à paucis malis eius operibus potest, & de cæteris iudicium facilè ferri; hoc ferè sensu prouerbium istuc extulit sanctus Irenæus lib. 2. cap. 34. aduersùs hæreses, dum ait: *Et de eo quidem quòd sit regula eorum infirma, & instabilis, adhuc etiam & vana, sufficiant quæ dicta sunt:* NEC *enim* OPORTET, *quod solet dici*, VNIVERSVM EBIBERE MARE EVM QVI VELIT DISCERE, QVONIAM AQVA EIVS SALSA EST. *Sed quemadmodum statua de luto facta, colorata autem superficie, vt putetur aurea esse, quæ sit lutea, & quicumque accipiet, ex ea particulam qualemcunque, & exhaurient ostenderit lutum, liberauit eos, qui veritatem quærunt à falsa opinione.*

ADAGIVM DCCCL.

Abrahæ obedientia.

SVmma Iobi patientia locum prouerbio dedit, dabit & Abrahæ obedientia, qua ad Dei nutum filium vnicum, quem vnicè diligebat, Deo suo mactare paratus erat. Sanctus Bernardus serm. 16. ad sororem, talem obedientiam ei desiderat, dicens: *Omnipotentem Deum deprecor, vt det tibi deuotionem Petri,* OBEDIENTIAM ABRAHÆ.

EXCVRSVS CXXV.

Exemplo Abrahæ obedientiæ corona quisque redimiendus.

Abraha exemplum *ad obedientiam prouocat.*
Abraham redimitus *obedientia corona.*
Obedientia coronam *à suis Præsules postulant.*
Filius Abrahæ *est qui durus, & inobediens non est.*
Promptissimè *Deo paruit Abraham.*
Celeritas *in Abraha obedientia commendata.*
Cur omnia impedimenta *superarit Abraham, vt Deo obtemperaret.*
Vera veri obedientis nota.
Voluntas *propria cuique abscecanda.*
Fortes *obedientia nos reddit.*

PAruit Deo Abraham, & perfectæ parentiæ exemplar factus est, nostrum est ire post illum, quod monebat etiam sanctus Gregorius hom. 15. in Ezechielem hisce verbis: *Subire obedientiæ virtutem nitimur; aspicere Abraham debemus, qui relicta domo, cognatione, patria, obediuit exire in locum, quem accepturus erat, in hereditatem, & exiit nesciens quò iret, qui paratus extitit, vt pro æterna hereditate dilectum, quem acceperat, occideret hæredem; & quia vnicum Deo offerre non distulit, vniuersam multitudinem gentium in semen accepit.* Adeò prompta eius obedientia Deo placuit, vt vnigenitum Deo offerens, tot filiorum sit pater effectus. 749.

Abraha exemplum ad obedientiam prouocat.
S. Greg.

Offert Deo filium Abraham paratus mactare, quem genuerat, obedientiæ victima factus, victimam Deo offert, offert quippe filium, & in filio semetipsum; olim hostiæ erant coronis redimitæ, erant & offerentes, vt alibi fusè dixi; Abraham pro corona obedientiam habuit; sic illum alloquitur sanctus Chrysostomus hom 47. in Genesim, REDIMITVS *obedientiæ tua* CORONA *abi*; coronatur, vt victimas offerens, coronatur, vt victoria petitus, vt triumphans.

Abrahā redimitus obedientia corona.
S. Chrysost.

Coronæ Deo parentem comitantur, coronis diues, qui placet adeò, vt offerre & imperanti possit; hinc illud eiusdem sancti Patris hom. de recipiendo Seueriano: *Adornate me filij, & imponite obedientiæ vestra* CORONAM; Præsulum quippe decus, & gloria parentium obedientia est, non minus quàm ipsorum, qui parent.

Obedientia coronam à suis præsules postulant.
S. Chrysost.

Nemo durus, nemo contumax, nemo inobediens sit, qui huiusmodi est Abrahæ filius, audire non debet, qui lapidem duritia retulit, Dei verba excipiat, vt ex lapide filius Abrahæ fiat, qui de lapidibus solet filius Abrahæ suscitare. Audiendus hic Galfridus in lib. Allegor. noui Testam. in cap. 4. Matthæi, ait enim: *Nolite obdurare corda vestra: Charissimi nemo contumax, nemo rebellis appareat, improbus, inobediens, obstinatus; in lapideis tabulis filius Dei digitus scribit, qui potens est de lapidibus filios Abrahæ suscitare.*

Filius Abrahæ est qui durus, & inobediens non est.
Galfrid.

Promptissimè Dei filium obtulit Abraham, sine vlla cunctatione ad mentem filium sacrificaturus iuit, manum eleuat, vt ferrum in filium mergeret, & victimam filium redderet, inhibitus est, & voce reuocatus, *Abraham, Abraham*; qui conuersus dixit, *Adsum, non Sacra mea lentitudine defœdaui*, inquit pro illo sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 7. 750.

Promptissimè Deo paruit Abraham.
S. Basil. Sel.

Celer in parendo etiam cùm audiuit exeundum illi *de terra sua, & cognatione sua*, Gen. 12. quod sic in Abrahæ laudem expendebat sanctus Chrysostomus hom. 31. *Mox vt audiuit, Egredere de terra tua, non moras nexuit, non distulit, sed obediens imperanti, quod imperatum erat mox fecit.*

Celeritas in Abraha obedientia commendata.
Gen. 12.

Nusquam nunquam legimus cunctatione aliqua

qua opus aliquod hunc Patriarcham fœdauisse statim quod iussum erat, complebat opere, nulla incommoda retardare eius mentem potuere; quia nimirum secum expendebat, tutam se vbique Deo propitio esse posse, nullibi Deo læso, quod in hunc modum expendebat S. Ambrosius lib. 1. offic. c. 14.

Cur omnia impedimenta superarit Abraham, vt Deo obtemperaret.
S. Ambr.

Ipse pater Abraham, qui ad magisterium futuræ successionis informatus, & instructus est, iussus exire de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, nónne multiplicitate necessitudinis perstrictus affectu, tamen appetitum rationi obedientem præbuit? Et hunc ergo mulcebat suorum suauitas, sed imperij cœlestis, & remunerationis æternæ consideratio monebat amplius. Nónne considerabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua insolentium, sine summo non posse duci periculo? & tamen subire omnia, quam excusare consultius iudicauit; deinde cùm descenderet in Ægyptum, monuit vt diceret se sororem esse, non vxorem ipsius. Aduerte quanti appetitus. Timebat vxoris pudori, timebat propriæ saluti, suspectas habebat Ægyptiorum libidines, & tamen præualuit apud eum ratio exequendæ deuotionis, considerauit enim, quòd Dei fauore vbique tutus esse posset; offenso autem Domino, etiam domi non posset illæsus manere. O hæc eadem mens omnibus inesset, sic enim omnia impedimenta Dei iussibus obtemperantes facilè amolirentur, faciléque mouerentur dum mouerentur.

Vna veri obedientis nota.
S. Petr. Dam.

Veri obedientis vera hæc consignatio est, vt iubentis mores non exploret, non expendat, sed quod iubetur simpliciter exequatur; id Samuelis exemplo ita confirmabat sanctus Petrus Damianus opusc. 49. cap. 4. *Caue*, inquit, *ne quorundam exemplo, dum obedire detrectas, in negligentem, quod absit, Præpositum calumniam querula mordacitate deuoluas: Samuel ergo ad memoriam redeat, qui desidem, inertémque magistrum tam patienter, tam humiliter coluit, vt intempestæ noctis silentio ter vocatus accurreret, totiésque interrupti soporis excubias non doleret. Poterat enim modò velut expostulanti obiicere: Cur, inquiens, non vereris extraneo tanta auctoritate præcipere, qui segnis es, filiis imperare? qui tamen, Scriptura teste, non tumuit, non querulus suggillauit, sed ad iubentis imperium perniciter peruolans, simpliciter ait: Ecce ego, vocasti enim me.*

Voluntas propria à nobis abscidenda.
S. Pasch.

Voluntas propria abscecanda à nobis est, vt Dei voluntas in nobis fiat; sic enim iubemur orare, *Fiat voluntas tua in cœlo, & in terra*, Matth. 6. non dixit vt voluntas nostra fieret tamquam sua, sed, *Fiat voluntas tua*, vt nempè nobis mortui soli Deo viueremus, sola in nobis eius voluntas perficeretur; in hunc sensum hæc verba premebat sanctus Paschasius lib. 4. in Matth. *Notandum quòd non ait, voluntas nostra, sicut tua, aut fiat voluntas, quæ in terris est, sicut illorum qui sunt in cœlis; sed ait, fiat voluntas tua sunt in cœlis, & in terra, vt sicut illi iam non sibi viuunt, sed voluntas eius in eis viuit, & per eos, quæ vult operatur, ita & in nobis, & in omnibus, qui adhuc terreni sunt, voluntas Dei fiat.*

Fortes obedientia reddimur.
B. Io. Clim.

Fortes nos, firmósque promptæ parentiæ vsu reddi ita explicabat Beatus Ioannes Climacus gradu 4. *Quemadmodum arbores à ventis agitatæ altiores radices agunt, ita qui sub obedientiæ iugo viuunt, fortes, & inuicti redduntur*; alioquin imbecillis, & infirmitas fortitudo omnis, omnis firmitas est, quæ obedientiæ basi non innititur.

ADAGIVM DCCCLI.

Non omnes Episcopi, Episcopi sunt.

Episcopum non gradus tantùm facit, sed & vita, non à dignitate tantùm Episcopus quispiam dicendus, dicendus & à moribus dignis. Præclarè sanctus Hieronymus epist. 1. quæ est ad Heliodorum: NON OMNES, inquit, EPISCOPI, EPISCOPI SVNT. *Attendis Petrum, sed & Iudam considera*; Episcopi nomen ille non meretur, qui culmine supra cæteros est, vita & moribus est infra.

EXCVRSVS CXXVI.

De Episcopali munere, & onere, quædam chartis consignantur.

Episcopi vita *irreprehensibilis.*

Episcopatus onus, *non* ludus, *cruciatus, & tempestas, non voluptas.*

Tardè, cunctantérque *eundum ad dignitates.*

Cæteris præesse *quàm sit periculosum.*

Honoris honor *quærendus*, *non* sui.

Morituros *se Præsules cogitent*, *ne nimium intumescant.*

Timere casum *debent, qui super alios sunt.*

Maiori reprehensione digni si peccant *superiores.*

Præsulis est inordinatos *suorum* mores *componere, sui cura non neglecta.*

Latus hìc se obiiciebat campus in Præsulum mores excurrendi, sed cùm multa aliis in locis de hoc argumento dederim, & alia aliis daturus sim, breui hoc excursu ab hoc argumento me expediam, nam illibatum illud prætermittere integrum haud mihi fuit. 751.

Episcopi vita irreprehensibilis.
S. Hier.

Quàm ab omni reprehensionis nota immunis esse debeat, qui aliis præest, acutè colligit ex Pauli verbis sanctus Hieronymus epist. 84. quæ est ad Oceanum, ait enim: *Oportet eum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt: quale principium, talis est clausula. Qui irreprehensibilis est, non solum à domesticis, sed ab alienis consono ore laudatur. Alieni, & extra Ecclesiam sunt Iudæi heretici, atque Gentiles. Talis ergo sit Pontifex Christi, vt qui religioni detrahunt, vitæ eius detrahere non audeant.*

Episcopatus onus non ludus, cruciatus & tempestas, non voluptas.
Isid. Pelus.
Iuo Carn.

Episcopatus munus opus Apostolus vocat, ne ludum esse quis existimet, aut animi oblectationem; id quod expendebat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 216. *Opus est*, inquit, *hæc res, vir optime, non ludus, atque animi oblectatio, cura, non luxus, munus, non imperium.* Iuo Carnotensis epist. 17. Episcopatum ita describit: *Quid est Episcopatus nisi cruciatus: quid aliud est hic honor nisi onus? quid est hæc sublimitas nisi naufragiosa tempestas? Vnde si inuenta honesta occasione huic oneri te subtraheres, & tibi soli vacares, nullo impediente stadium vitæ percurrens ad brauium supernæ vocationis expeditiùs peruenires. Assume ergo tibi pennas columbæ, & auolabis à molestiis, & requiesces, & inhabitabis in solitudine mentis.*

Tardè, cunctantérque eundum ad prælationes, 752.
ad

Tardè cunctantérque eundum ad dignitates. Cant. 4.
Gilleb.

ad dignitates, opportunè ex sponsæ modestia colligitur, cui non semel dictum, *veni*; in amoris Cantico cap. 4. *Veni*, inquit sponsus, *de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis.* Vides, vt idem verbum ingeminet, vt sponsæ morem indicet, ægrè ituræ ad culmina, ad coronas; scitè Gilleb. Abbas serm. 29. in Cant. *Vide*, inquit, *si non morosè egreditur de Libano, quæ toties vocatur, & forsitan sponsæ mora festinationem nostram suggillat, & arguit, qui nimis prompti, & paruum prouidi vires nostram minus pensantes festinamus ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus; nec expectantes, vel semel vocari vltrò nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel præuenientes, vel arte procurantes.*

Cæteris præesse quàm sit periculosum. B. Laur. Iust.

Quàm sit periculosum cæteris præesse, in alios tenere imperium, ex Christi fuga, cùm enim vellent Regem constituere, ita colligebat B. Laurentius Iustinianus lib. de regim. Prælat. cap. 1. *Humilitatis magister, & forma Dominus, videlicet Iesus, sciens humanam infirmitatem ignorantiæ caligine obuolutam semper alta cupere, & potius præesse, quam subesse, ambire seruus suus, ac fidelibus vniuersis indicauit, quàm periculosum sit Principum regimen, quámque Prælatorum onus graue, nam irruentibus turbis, & vt ipsum sibi in Regem præficerent ad se venientibus delitescendo fugit, séque ab eorum aspectibus occultauit, non quidem vt honoris propter se Magistratum formidaret, sed vt in illo discerent cæteri quanta sit in Prælatione anxietas, quàm laboriosum pondus, quantúmue periculum manifestum.*

753. *Honoris honor quærendus, non sui.* Rom. 11. 13. S. Bern.

In culminibus nemo honorem suum quærat ipsius honoris gloriam, & dignitatis dignitatem; hinc illud Pauli Rom. 11. v. 13. *Ministerium meum honorificabo.* Vides Apostolum ministerij sui honorem spectare, non sui. quæ verba respiciens sanctus Bernardus epist. 42. ait: *In omnibus exemplo Apostoli honorificabitis ministerium vestrum, ministerium, inquam, non dominium ipsum, itaque honorificabitis non vos. Nam qui quærit, quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium; honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.*

Morituros se præsules cogitent ne nimiū intumescant.

Mortem Præsules spectent, morituros se cogitent, cùm euehentur ad infulas; dignum recensitu est, quod de sancto VVilhelmo Bituricensi Archiepiscopo legitur, vestes scilicet, quibus consecratus est, sui sepulturæ assignauisse, vt ita innueret se mortem semper cogitasse, ita de illo scribit, qui illius vitam nobis exhibuit: *Iam*, inquit, *præsentiens extremam ferè adesse horam, iussit sub aspectum suum è scriniis proferri vestes Pontificales, ex iis quasdam minoris pretij ad se adduci voluit, quibus etiam tunc vsus fuerat, quando est consecratus Antistes; quas immutabili animi proposito ad suam sepulturam diligenter curarat asseruari, eas verò omnes cuidam è suis familiaribus, cuius fidem habebat exploratam, ad breue tempus seorsum seruandas tradidit.*

Timere casū debēt qui super alios sūt. S. Bern.

Qui super alios esse ambiunt, séque cæteris offerunt, timere casum debent, ac ruinam, idem ac idem ipsis ac granis, quę in culmine sunt, & statim ab illo qui in medio ea mensurat radio deiiciuntur in terram; festiuè S. Bernardus serm. 1. de verbis Isaiæ: *Eant*, inquit, *superbi, insolescant magis, extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere, vt cùm venerit æquitatis linea, a plenitudine eiiciantur.*

754. *Maiori reprehensione dignè si peccant superiores.*

Præsules, & vniuersè Superiores omnes hoc etiam titulo à pœnitendis se debent coërcere, quia Præsules, superioresque maiori reprehensione digni futuri, si peccauerint, quo maioris ipsi dignitatis fuerint. Eua peccauit, peccauit post ipsam & Adam, sed priùs Deus ambos insequens ad auram post meridiem ambulans, Adam vocauit, dicens; *Vbi es?* Gen. 3. 9. Cur priùs non vocat, quæ peccauerat prior? an vt innueret Superiores magis esse apud Deum reprehensibiles si peccent; ita B. Dionys. Carthus. in Gen. *Vocauit*, inquit, *Deus magis Adam, quam Euam, quoniam principalior fuit ad insinuandum, quòd superiores dum peccant specialiter fiant reprehensibiles apud Deum.*

Gen. 3. 9.
B. Dionys. Carth.

Præsulis est inordinatos suorum mores componere suâ cura non neglecta. Iuo Carn.

Præsulis esse inordinatos populi mores componere, se ipso non neglecto, scitâ explicat pectinis, vt apparet, similitudine; pectine donatus Iuo Episcopus Carnotensis epist. 6. ait enim: *Instrumentum niuei candoris ad ordinandos capillos in idipsum caritatis signum transmisisti; quod cùm mihi placeat in suo genere, quantum huiusmodi placere debent propter exteriorem pulchritudinem, vehementius tamen placet propter pulchri Sacramenti interiorem celsitudinem; nam cùm in capillis inordinati mores, vel inordinati populi quadam comparatione possint intelligi, credo prudentiam tuam munusculo hoc quasi quodam ministerio vigilantiam meam excitare, vt studeam inordinatos populorum mores diuersis exhortationum modis componere, atque habito discretionis moderamine ad debitum ordinem reuocare*; addit statim, & calamum ad se ipsum flectit; *quid verò ipso instrumenti decore, quod longa lima, & longa politura ad hunc candorem perductum est, significare videris, nisi vt castigem corpus meum, & in seruitutem redigam, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus fiam?* O hæc eadem sibi occinant alij Præsules, idem sentiant, eadem præstanda sibi putent, eadem præstent.

ADAGIVM DCCCLII.

Scuto vitreo se tegere.

QVi futilem, inanem, nullius ponderis, nul- 755.
lius momenti excusationem telis excipiendis, quæ fortiter contra illius errata intorquentur, obiicit, is scuto vitreo prouerbiali schemate se protegere dicetur. hoc adagio eleganter, & opportunè vtitur Simeon de Cassia lib. 3. in Matthæum cap. 31. dum ait: *Nulla maior imprudentia, quàm scientia diuinæ voluntatis habere carentiam: & intelligentia viatica, nulla maior quàm ipsius certa, seu per fidem notitia; nulla verò vtilior si deducatur ad actum. Quòd prænoscens Dauid, petebat anxiè ipsius habere documenta, dicens, Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, non simplicem petebat habere ipsius scientiam, sed actiuam. nam in expeditione voluntatis ipsius omnis actiuorum est merces, ac contemplatiuorum excellens exoritur præmium; sed multi causantur in excusatione fallaci,* SCVTO VITREO SE TEGENTES *ipsius negantes habere notitiam, ac si non culpatè viuant dum diuinam voluntatem ignorant. Sed Apostolus ad Thess. Scuta vitrea fregit, & se fallaciter excusantes vno verbo fecit apparere culpabiles. Inquit enim, Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, quadrabit & in eos omnes, qui quolibet alio pacto se excusant, & fragilia excusationum munimina afferunt, vt se suaque tueantur.

ADAGIVM DCCCLIII.

Vitreo sinu deferri.

In vase vitreo aliquid portare.

NOtum omnibus est, quàm facilè cuiusque rei obiectu, tactúque frangatur vitrum, adeò

vt

vt in prouerbium abire potuerit, de te, quæ obuiò periculo sit exposita, quòd vitreo vase deferatur; hinc illud sancti Paulini,

Et VITREO FERT *causa fama* SINV.

Vt fatuus audiat, qui in hunc sinum ea bona coniiciat, quæ à munifica Dei accepit manu. Sanctus Bernardus serm. 3. de Aduentu, de vitreo vase hæc habet: *Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegisset, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id seruando accepi pro quo mercator non insipiens (ipsa vtique sapientia). sanguinem illum dedit, sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quam vitreis imminere pericula videantur.* Vitreo nos quoque vase deferimur, dum in hoc fragili corpore viuimus.

EXCVRSVS CXXVII.

Vitrea hæc vita, vitrei mortales.

Vitrei *mortales, & vitro fragiliores.*
Vitreæ ampullæ *vita nostra comparanda.*
Vitrum *vita præsens, quæ facilè frangitur.*
Expenditur huius vitæ fragilitas, *& fugacitas.*
Vita huius fragilitas *nobis cogitanda.*

756. *Vitrei mortales, & vitro fragiliores.* S.Aug.

NIl verius, quàm vitream hanc vitam esse, quam degimus, nil firmius, quam vitro infirmiores mortales esse, atque adeò casus omnes nobis, omnes occursus tanquam vitreis timendi sunt, quod eleganter efferebat S. Augustin. lib. homil. homil. 28. vbi in fragilitate homines non tam vitro confert, quàm præfert, ait enim: *Nónne fragiliores sumus, quàm si* VITREI *essemus. Vitrum enim etsi fragile est, tamen seruatum diu durat, & inuenis calices ab auis, & proauis, in quibus bibunt nepotes, & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos. Nos autem homines, & sub tantis casibus quotidianis* FRAGILES *ambulamus.* Istuc idem sanctus Pater habet serm. 1. de verbis Domini, in hæc verba: *Inter casus ambulamus. Si* VITREI *essemus, minùs casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? & tamen seruatur, & durat per sæcula; nos ergo* FRAGILIORES, *& infirmiores sumus.* (Idem.)

Vitrea ampulla vita nostra comparanda. Petr. Blef.

Cùm igitur vitrei simus, de discessu semper nobis cogitandum est; parandus est animus ad mortem, expectanda confractio, quæ vitari non potest. Denique vtile est, quod offert B. Blesensis serm. 16. in Hebd. pœnosa, dum ait: *Specialiter in hoc tempore vnicuique vestrùm dicitur, Depone domui tuæ tanquam* VITREÆ AMPVLLÆ, *super quam si ceciderit lapis, vel ipsa super lapidem confringetur.*

Vitrum vita præsens, quæ facilè frangitur.

Vitrea sumus vasa, vitreæ domus, ampullæ vitreæ; nemo igitur falsa mundanarum deliciarum diuturnitate decipiatur, quæ vitro continentur, facilè perire possunt, quia, & vitrum in quo seruantur seculi deliciæ, & ex æui natura citò pereunt, & continentis fragilitate diu conseruari non possunt. Peritè sanctus Bernardus serm. 5. in Dom. oliu. vbi ad illud Prouerb. 23. v. 31. *Ne intuearis vinum cùm flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius*; addit ad nostram mentem: VITRVM *quippe est vita præsens, quæ citò frangitur, & perit deliciarum vinum.* (S.Bern.)

757. *Expenditur huius vitæ fragilitas, & fugacitas.* Iob. 14. 2.

De vitæ huius fragilitate, mortalique hominis vita aiebat Iob, *Sicut flos egreditur, & conteritur,* cap. 14. 2. Nihil medij interiacet, statim ac egreditur incipit conteri, moritur dum viuit. Præclarè Nicolaus Notarius sancti Bernardi epist. 49. *Egreditur,* inquit, *Iob, & conteritur, inter egressionem, & contritionem nulla prouenit intercapedo, sed statim, vt egreditur conteritur, quia vnde incipit viuere, inde incipit mori, quotidie enim morimur.* (Nicol.)

Vita huius fragilitas nobis cogitãda. S.Aug.

Fragilitatem vitæ huius vidit S. Augustinus dum serm. 6. ex 40. qui nunc lucem vident, ait: *Quid enim omnis homo? aut quæ est vita hominum, quam, sicut scriptum est, vapor ad modicum apparens? Cogitate ergo fratres fragilitatem vestram, conditionem carnis, huius seculi volaticos transitus, & videte quia tunc vobis bene erit, si tota spes vestra in illo sit, in quo solo potest firmiter collocari.* Caduca possessio vita est, frangi facilis, difficilis seruari, occurret magna ex parte huic, fragilitatem qui cogitat, serióque secum expendit; sic enim fiet, vt vitæ tam fragili non fidat, nec tantæ fragilitati se credat. Plura de hoc argumento si quis quærat, me videat, qui alibi in hac re multus fui, multa congessi, rei tam vtili suadendæ.

ADAGIVM DCCCLIV.

Olei venditor, aut emptor.

QVi subdola adulatione alios palpat, & ita delinit, vt capiat, is olei venditor dicitur; hinc illud Petri Blesensis epist. 1. quæ est ad Henricum Angliæ Regem: *Nihil equidem,* inquit, *vobis adulatorium scripsisse me recolo, nec sum* OLEI VENDITOR; è conuerso olei emptor audiet, qui adulantium laudibus perfundi se sinit. Quò spectat illud sancti Augustini in Psal. 69. *Si lauderis,* inquit, *ab adulatoribus, & assentantibus, & annueris eis velut emens oleum, non tecum portans sicut quinque virgines insipientes, erit caminus fractura sua, etiam os laudantium te.* Quàm verò noxium cuilibet empto hoc oleo vngi, festiuè explicat Vgo Catensis in Psal. 108. *Qui,* inquit, *vncti sunt oleo, non possunt capi; sic homines vncti oleo adulationis, non possunt capi à Domino, nec ab aliquo corrigente.*

EXCVRSVS CXXVIII.

Quàm noxium adulatoris oleum.

Adulatoris oleum *ita caput delinit, vt caput obcæcet.*
Adulator fur *dicitur, quia mentem, & intellectum surripit.*
Adulator nutrix *Diaboli.*
Dum lactat *adulator incendit.*
Adulationis vulnus.
Adulatores vulnus *infligunt dum blandiuntur.*
Vulnerant *adulatores dum mollia emittunt verba, tonsoris similitudine id probatur.*
Sæuior omni persequutione *blandientis persecutio est, & magis cauenda.*

EXtimè adulationis oleo audientis caput perfundunt adulatores, verè intima eos luce priuant, mentis oculos dum inuadunt. Peritè sanctus Petrus Damianus epist. 33. *Quid leuiter,* inquit, *volitantes hirundines, nisi leues adulantium, & blanda loquentium significant mores, qui dum blandiloquij sui suauitate demulcent, dum adulationis* OLEO *caput audientis impinguant, interiores oculos ne solita luce perfruantur* 758. *Adulatoris oleum ita caput delinit, vt mentem obcæcet.* S. Petr. Dam.

Max.Mon.

perfruantur excæcant. Huc vocati & illud potest, quod habet Maximus Monachus locorum communium serm.11. *Vt corui inuolantes cadauerum oculos effodiunt : sic adulatores suis adulationibus oculos, rationem scilicet, & MENTEM humanam CORRVMPVNT.* Hinc apud Hebræos, qui blanditur, & aliis adulatur, *fur* vocatur, quia nempe cor mentem, & intellectum illius surripit, cui blanditur, quem adulatione decipit, vt habetur in lib.1.præceptorum, num.155.

Adulator fur dicitur, quia mentem, & intellectum surripit. Hebr.

Adulator nutrix diaboli.

Vgo Car.

Lactat adulator, dum blandia emittit verba; sed lac eius tam noxium est, quàm à Diaboli nutrice esse potest; hoc quippe adulatores video indigitari. Vgo Carensis ad illud Prouerb.1. *Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*; ait, *ne acquiescas, quia sunt NVTRICES DIABOLI, lamiæ infernales*; huc flecti potest & illud Philipp. Greu. in Psalm.9. serm.21. Amos 1. *Dispergam habitatores de Azoto, quod interpretatur ignis vberum, quia DVM LACTAT INCENDIT.* Quid enim ab inferni nutricibus expectari aliud poterat, quàm lac igne grauidum, & flammis, iisque infernalibus.

Dum lactat adulator incendit. Philipp.

759. *Adulationis vulnus.*

759. Sæuit adulatur cùm blanditur, vulnus infligit cùm palpat, vulnera diducit cùm mollia mollibus addit verba, obduendis vulneribus, & sanandis oleum deseruit, adulationis oleum facta vulnera diducit, aut noua facit si non facta. Vulnus adolationis mollitiæ infligi censuit etiam sanctus Hieronymus epist. 14. quæ est ad Celantiam; *Adulatorum*, inquit, *assentationes velut quasdam partes animæ fuge; nihil est quod tam dulci, & molli VVLNERE animum feriat.* Apum exemplo id firmat sanctus Gregorius hom. in Ezechielem: *Apes*, inquit, *in ore mel habent, in aculeo cauda vulnus. Et omnes qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt; quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occultè feriendo vulnus inferunt.*

S.Hier. *Adulatores vulnus infligunt dum blandiuntur.* S.Greg.

Nemo mollibus adulantium verbis credat, vulnus sentiet si mollia admittat; festiuè tonsoris exemplo, qui tepentè vtitur aqua nouacula vsurus. hoc idem firmat Vgo Carensis Psal.51. ad illud: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* addit enim: *Aqua tepens præcedit rasuram, id est, adulatio, Psal.54. molliti sunt sermones eius super oleum, ecce tepefactio, & ipsi sunt iacula, ecce RASVRA*; nec pilos tantùm abradit adulator, sed intima quæque, & pretiosiora animæ ornamenta petit.

Vulnerant adulatores dũ mollia emittunt verba, tonsoris similitudine id probatur. Vgo Car.

760. *Sæuior omni persecutione blandientis persecutio est, & magis cauenda.* Ps.69.4. Vgo Car.

760. Sæuiat quantumuis, quilibet persecutor, non adeò sæuiet quin acriùs nos non petat suis blanditiis adulator, vt qui suæ saluti consultum vult, ab isto, quàm ab isto se postulet citiùs liberari; indicauit istuc Dauid, sed indicauit dumtaxat Ps.69. v.4. de persecutoribus suis loquens ait: *Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala*; ac si diceret, qui meam perniciem cupiunt, repellantur, & suis conatibus deiiciantur; addit, *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge*; superiùs nullam celeritatis particulam apposuerat, cùm de persecutoribus ageretur apponit, quia, ex aliquorum mente, de adulatoribus loquebatur. *Auertantur*, inquit, *statim*; ac si magis sibi ab adulantium oleo timeret, quàm à sæuientium iaculis. Acutè ad hanc mentem Vgo Carensis, qui in illa formula, *Euge, euge*, adulatores sentiens, sic ista Prophetæ verba hoc loco expendebat: *Qui dicunt mihi, Euge, euge, adulando notandum est, quòd quum orauit pro conuersione, apertè persequentium tempus non determinauit, sed simpliciter dixit, Auertantur retrorsum; quando autem orat pro conuersione adulantium, addit statim, In quo vitat, quòd plus debemus desiderare liberari ab adulatoribus, quam à persequentibus, quia periculosior est nobis persecutio seductoris, quàm apertè sæuientis*, mitis omnis sæuitia est, præ ista adulatoris.

ADAGIVM DCCCLV.

Euam suam audire.

QVi noxia suadent, & vltimum exitium allatura, ij Euæ Adam decipientis munus 761.
obeunt, ac proinde, qui huiusmodi parent, Euam suam audire prouerbialiter dicentur. Quadrabit in eos præcipuè, qui carnis suæ audiunt monita, eiúsque blanditiis decipiuntur; festiuè, & verè sanctus Bernardus serm.1. in festo omnium Sanctorum: *Plurimi*, inquit, *indignantur aduersùs Adam quod obedierit voci vxoris suæ plusquam Dei, & ipsi quotidie EVAM SVAM, carnem scilicet, AVDIVNT plusquam Deum.* Euæ suæ quisque imperet, non Euæ obediat. hinc illud Thalassij cent.4. num.24. IMPERA, inquit, ET TV EVÆ, *& à serpente caue, ne delusa tibi quoque de ligno præbeat.* Ab Euæ nostræ nostræque carnis seruitute, nos auocat & Apostolus, cùm dixit in epistola ad Galatas, cap.5. *Spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*; quæ verba sic ad nostram mentem illustrat sanctus Bernardus serm. de septem spiritibus, vbi & alia adiicit, alia accessit: *Magister*, inquit, *gentium Paulus ex occasione ipsius spiritualis naturæ qua viuimus ad spiritualem conuersationem excitans discipulos ait: Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus, ac si dicat, si caro non prodest quicquam, sed spiritus est, qui viuificat ipsam separare oportet pretiosum à vili, & digniorem præponere partem, vt secundùm spiritum ambulemus, non secundùm carnem; ad spiritum enim fieri debet conuersio carnis vt seruiat ipsa, & non seruiatur ei, vt dicat spiritus seruo suo, Veni, ac veniat, fac hoc, & faciat illud. Sic enim erit vxor nostra sicut vitis abundans, & saluabitur per generationem filiorum, qui sunt opera bona, si fuerit ipsa quidem in lateribus domus nostræ, id est, in abscondito, & humili Deo: anima verò resideat in medio tanquam domina, tanquam paterfamilias, tanquam index.*

Et Iobi vxor Iobo Euæ extitit, sed ab illa tentari potuit, non potuit vinci, fortior erat, quàm vt à fœmina sterneretur. Rem eleganter versat sanctus Augustinus serm.33. ex 40. nonis, dum ait: *Sedebat sub magna pressura Iob in stercore inops, sine ope, sine substantia, sine filiis, plenus vermibus. quod quidem ad hominem pertinet exteriorem; sed quia & intus Deo plenus erat, laudabat Deum pressura illa, no illi erat scandalum. Quando accessit ei vxor, & ait, Dic aliquid in Deum, & morere. Omnibus quippe ablatis à Zabulo exercitato EVA seruata est, non ad consolationem, sed ad testationem viri. Vbi scandalum? exaggerauit miserias eius, miserias etiam suas cum illius, & cœpit persuadere blasphemiam. Illi autem, qui erat mitis, quia Deus ex lege sua docuerat eum, & mitigauerat à diebus malignis, pax multa erat in corde eius diligentis legem Dei, & non erat illi scandalum; illa scandalum erat, sed illi non erat.*

In vxore Euam sensit Iob, sed non est passus ab 762.
ipsa vinci, ipsam vicit, vicit Diabolum, qui in vxore contra virum pugnabat; manere se in Paradiso Adamum per Euam statuisse sanctus Augustinus in Psal.47. *Casus primi hominis ad experimentum ca-*

uendi debet nobis valere, non ad imitationem peccandi. Ideo ille cecidit, vt nos surgamus. Respondeamus talibus suggestionibus, quod respondit Iob. Nam & ipsum per fœminam tamquam per Euam tentauit, & viuit in stercore, victus in Paradiso.

Iobi vxor Eua Iobo fuit, non fuit ipse Adam, vt vellet mala suadenti malè obsequi. S. Augustini in Psal. 95. hæc sunt verba: *Et qui sunt recti corde? Qui sic inueniuntur quomodo inuentus est Iob qui ait, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Ecce rectum cor. Item in graui vulnere quid dixit vxori, quam propterea reliquerat Diabolus, & non occiderat, vt ipse haberet adiutricem, non vt maritus consolatricem? Meminerat enim, quia per illam Euam deceptus erat Adam, & necessaria sibi putabat hanc* EVAM. *Accessit ad Iob illa tamquam* EVA: *sed Iob melior fuit in stercore victor, quàm Adam victus in Paradiso. Quid enim illic respondit mulieri? Vide cor paratum, vide correctum. Numquid non patiebatur persecutiones & graues? & omnes Christiani patiuntur: & si non saeuiunt homines, saeuit Diabolus: & si Christiani facti sunt Imperatores, numquid diabolus factus est Christianus? Intendat ergo sanctitas vestra quid sit rectum cor. Accessit ad eum, & ait, Dic aliquid in Deum, & morere, & enumerauit omnes ærumnas ipsius, vel suas, dic aliquid in Deum & morere. Et ille illam iam cognoscens* EVAM, *redire volens, vnde lapsus est fixo corde in Deo, tanquam luminare in firmamento, habitans corde in libro Dei, Locuta es, inquit, tanquam ex insipientibus mulieribus: si bona suscepimus de manu Domini, & mala non tolerabimus? Qui affixum cor in Domino, ideo rectum. Quia enim rectus est Deus, quando in illo figis cor, forma tibi fit, vt sit tibi cor rectum.* Istuc idem vrget idem sanctus Augustinus in Psal. 97. *Tuba ductilis erat Iob quando repentè percussus tantis damnis, & orbitate filiorum, tunsione illa tanta tribulationis factus tuba ductilis sonuit, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Quomodo sonuit, quàm suauem sonum dedit ista ductilis tuba? Adhuc tunditur, datus est in potestate, vt & caro eius percuteretur. Percussa est, cœpit putrescere, scatere vermibus. Supposita Eua ad seductionem, vxor eius seruata ad ministerium Diaboli, non ad solatium mariti. Suggerit blasphemias, non obtemperat ille. Obtemperauit Adam Eua in Paradiso, repellit Adā* EVAM *in stercore. In stercore enim sedebat Iob, cùm flueret, & putresceret vermibus. Melior Iob putris in stercore, quàm integer ille in Paradiso. Sed adhuc illa* EVA *erat, iam ille Adam non erat. Respondit Euæ, Prepara te ad istam supplantationem, & tentationem, & ait ille, Ecce audiuimus quomodo tunditur tuba ista. Percussit eum Diabolus à capite vsque ad pedes graui vulnere, & putrescens vermibus sedebat in stercore. Audiuimus quemadmodum tentus est, audiamus quomodo sonet vox tubæ huius ductilis. Dulcem vocem, si placet, audiamus. Locuta es, inquit, tamquam vna ex insipientibus mulieribus, si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? O sonum fortem! ô sonum dulcem. Quem non dormientem excitet sonus iste?*

Adamum Euam audientem, nec audientem
763. Deum, nec Dei præceptis obtemperantem, sic perstringebat S. Chrysostomus hom. 17. in Genesim, vbi Deum adducit Adamum arguentem: *Qua venia dignus es, qui mea præcepta obliuisceris, & qui mulieris datum meis verbis præferendum putas?* O vtinam non multos Adamos haberemus audientes suam Euam, & mulierum blanditias Dei iussibus præferentes?

Felicior Adamo Loth fuit, qui vxoris exemplum non est sequutus; respexit vxor retrò, non respexit Loth; sed fors hoc non tam Lothi fortitudini tribuendum, quia temporis carentiæ, statim vxor in statuam versa est, opportunitas illi nulla relicta maritum ad paria prouocādi; amisit statim vocem, alloqui virum non potuit, nec virum sermonibus decipere; muliebribus technis deceptus, & Loth fors cecidisset. Acutè Auitus Viennensis Archiepiscopus lib. 2.

Hoc tamen hic mirum est, quòd Loth non flectitur, ipsam
Nec sociam sequitur, primò constantior Adam:
Quanquam id credo magis factū, quia visa referre
Iam nequit elinguis: quæ si comperta referret,
Forsan & in similes ausus temeraria traxit,
Credulo vt imposuit virgo primæua marito.

ADAGIVM DCCCLVI.

Eua tibi est.

VXor quæ mariti lapsus sit occasio, Euæ eius esse dicetur; hinc illud sancti Augustini in 764.
Psalm. 93. *Aut ipsa* EVA TIBI EST, *aut tu illi serpens es.* Porrigi ad quamcumque poterit, quæ ruinæ alicui sit aut causa, aut occasio; quod ab Eua prima humani generis matre natum est. Paulò aliter elata hæc formula à probo auctore est, cuius hæc sunt verba: *In doloribus, & anxietatibus paries mulier, & ad virum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui, &* EVAM TE ESSE *nescis.*

Peccauit Eua, & non contenta peccasse, ad paria virum allicere studuit, nimirum, qui peccatum suum non deflet, cùm peccauit peccata peccatis adiicit, scelera sceleribus inædificat. De Eua censet S. Bernardus ser. 27. ex paruis: *Debuit illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato, sed in hoc se putauit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem, quodammodo enim naturale est, vnumquemque velle siue in vitiis, siue in virtutibus associare sibi consortem.*

Spe auxilij diuini pascamur, cadet, qui humano nimis fidit; in adiutorium exhibita mulier prima primo homini fuit, & tamen per illam cecidit; cur ita? fors quia totam spem in Deum non iecit, adiutricem se habiturum mulierem confisus; hinc illud S. Ambrosij lib. de Parad. cap. 4. *Quia adiumentum vxoris habiturum se esse credebat, lapsus est per vxorem.*

Non simul cum Adamo Euam creauit, vt fecerat in aliis animantibus; nimirum, vt homo ex mulieris opificio agnosceret opificem, coleret, veneraretur. Præclarè S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 2. quæ in Adamum; *In Adami,* inquit, *conspectu vult illam Deus fingere, & fictricis manus suæ spectatricem desiderat propriam imaginem. Nondum enim Deum Adamus quicquam fabricantem viderat, & quomodo igitur auctorem condisceret qui facientem non vidit?*

EXCVRSVS CXXIX.

Eua in muliere qualibet cauenda.

Eua ante Adamum sistitur, *vt eius adspectu in Deum raperetur.*

A Deo *virum mulier auocauit diaboli* ianua *facta.*

In lætitiæ *cumulum data mulier viro.*

In

In qualibet muliere *Eua cauenda.*
Adhuc in viros *per mulieres Eua sæuit.*
Adami lapsus *cautiores à fœmenis nos reddere debet.*
Quæ ex viro formata *insidias viro struxit, magis struet, quæ non formata.*
Iniustitiæ poculum *mulier vino propinat.*
Mulier *qualibet fomes iniquitatis.*

765. *Eua ante Adamum sistitur, vt eius adspectu in Deum raperetur.* S. Basil. Sel.

EX Adamo Eua formata sistitur ante Adamum, vt scilicet ex eius conspectu in inuisibilia raperetur, in creatorem mentem erigeret, quàm abetit si vir mulieris vim auertat, à Deo mentem. Aduoco huc verba sancti Basilij Seleuciæ Episcopi, qui orat. 1. ait: *Ea propter ipsius ante oculos fœminam struxit Deus, & similis naturæ spectatorem facit, vt in illa, quæ circa se sunt, velut in speculo contemplatus ex visu discat inuisa.*

A Deo virū mulier auocauit diaboli ianua facta. Tertull.

Quod contrà accidit, nam Euæ effectu delinitus Adam Dei sui iussa temerauit, Dei gratiam amisit, hostis eius factus, iure in Euam calamum acuit. Tertullianus lib. de habitu muliebri, initio, dum ait: *Tu es diaboli ianua, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit, tu imaginem Dei hominem tam facile elisisti; propter tuum meritum, id est, mortem, etiam filius Dei mori habuit.*

In lætitiæ cumulum data mulier viro. S. Basil. Sel.

In lætitiæ cumulum data viro mulier est, quæ tamen fuit miseriarum; sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 2. ita loquitur; *in tanta bonorum affluentia agens Adamus, non habebat, qui cum felicitatem communicaret; carens autem voluptatis suæ consorte, imperfectiori lætitiæ sensu capiebatur. Cùm enim alterius generis haberet sauitia à congrui naturæ solatium in vniuerso non videbat. Errabundus erat hospes, Dominus in medio Paradiso palabundus desolatione pacis societatis affligebatur.* Solatium quærebat Adam, & eùm se inuenisse putauit, verè tunc amisit, mulierem reperit, Deum reliquit, mulieris vocem audiens.

766. *In qualibet muliere Eua cauenda.* S. Aug.

Qui sapit in qualibet muliere Euam timebit, cauebit Euam, id quod monuit etiā S. Augustinus epist. 38. *Quid interest*, inquit, *vtrùm in vxore, aut in matre, dum tamen Eua in qualibet muliere caueatur? nam ista vmbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus se primùm parentes nostri in illa damnabili nuditate texerunt.* Cùm in omni muliere cadere quilibet possit, quælibet mulier cuilibet Eua potest esse.

Adhuc in viros per mulieres Eua sæuit. 1. Tim. 2. 14.

Adhuc in viros per mulieres Eua sæuit, adhuc insidias viris nectit, hinc Paulus 1. ad Tim. 2. 14. *Adam*, inquit, *non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit*; signatè *mulier*, non *Eua*, vt non sexu Euam, Euæque artes latere doceremur; mulier in præuaricatione fuit, & adhuc quoque est, id quod peritè tetigit etiam sanctus Chrysostomus hom. 9. epist. 1. ad Tim. in hæc verba: *Non enim dixit, Eua autem seducta: sed mulier, quod commune est nomen sexus, potius quàm proprium Euæ; quid igitur? Non sexus omnis muliebris per illam in præuaricationem factus est.* Qui igitur se saluti consultum volt, in muliebre qualibet Euam timeat, latere Euam censeat. S. Chrys.

Adami lapsus cautiores à fœminis reddere nos debet. S. Cypr.

Et cur Adami exemplum, Adami lapsus, & tot sine numero virorum, quos fœminæ insidiæ strauerunt, nos cautiores non reddant? *Miramur*, inquit S. Cyprianus lib. de singul. Cleric. *si Adam per Euam seductus est quem nulla morientium exempla præcesserant, nisi iussio vua constrinxerat, non modò nos, nec innumerabiles mortes, nec infinita iussa compescant.*

Euam ita alloquitur S. Basilius Seleuciæ Episc. orat. 3. *Vt membrum sumpta es, & vt sagitta missa es in vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenta es? Iussa es virum fouere, & ad insidias peruenisti?* Si quæ ex viro nata, vitam viro post Deum debebat, virum decepit, virum strauit si quæ in viri auxilium data virum deiecit, quis deinceps se à muliere securum putabit? 767.

Quæ ex viro formata insidias viro struxit, magis struet, quæ nō formata. S. Basil. Sel.

Iniustus facilè fiet, iniustitiæ poculum ebibens vir, nisi in qualiber muliere Euam timeat, & caueat; nouit Eua iniustitiam propinare; sanctus Gregorius lib. 12. moral. cap. 16. expendens illud Iob ex cap. 15. *Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?* subdit statim: *Primum quippe viro iniustitiam mulier propinauit in Paradiso. Quomodo ergo iustus apparebit, qui de illa natus est, quæ iniustitiæ propinatrix extitit?*

Iniustitiæ poculum mulier vino propinat. S. Greg.

Fœmina prima *fomes iniquitatis*, dicta est à sancto Maximo hom. 6. in natali Domini, hæc vis in alias etiam fœminas deriuata est, vt quælibet suo modo iniquitatem foueat, iniquitatem nutriat, *fomes iniquitatis* audiat.

Mulier qualibet fomes iniquitatis. S. Max.

EXCVRSVS CXXX.

Carnis vxor decipit dum blanditur, non secus ac Eua fecerit in Adamum.

Eua Adamum *decepit*, nos *nostra caro.*
Vxor stulta *caro, quæ mollia suadet.*
Vxor *hominis litigiosa pessima caro.*
Bona vxor caro, *si fructus* bonos *producat.*
Caro tanquam vitis *computanda.*
Vox *vxoris, & carnis non audienda.*
Perstrictus Adam, *qui vxori obtemperauit.*
Inficit nos caro, *mundus deficit, Dæmon decipit.*
בשר *carnis* nomen, *quid doceat.*
In laqueum *gehennalem amatores suos caro ducit.*
Caro à carendo *dicta, quia caret omni bono.*
Timendum ne caro *in gehennam nos trahat.*
Salutare sui corporis odium.
Bonorum operum instrumentum *caro esse debet.*
Virtutum pedissequa, *non vitiorum lena caro sit.*
Pecus, non homo, *qui carni suæ seruit.*

EVa Adamum decepit, nostra Eua nostra caro est; Diabolus per Euam Adamum vicit, nos nostræ carnis illecebris, atque blanditiis. Inserenda hîc verba sancti Augustini in Psalm. 48. qui huc respiciens ait. *Quare autem Eua hoc dixit? Quia per carnem labitur homo. Eua nobis interior caro nostra est. Qui diligit, inquit, vxorem suam, se ipsum diligit. Quid est, se ipsum? Sequitur, & dicit: Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. Quia ergo quomodo illum hominem Adam per Euam supplantauit, sic Diabolus per carnem vult nos supplantare: præceptum est Euæ vt seruet caput Diaboli, quia Diabolus calcaneum ipsius obseruat.* 768.

Eua Adamū decepit, nos nostra caro. S. Aug.

Nec nouum insolénsque, vxoris nomine carnem significari, Vgo Carensis in Psalm. 79. *Notandum*, inquit, *quod contradicit caro pœnitentiæ, hæc est vxor Iob, de qua Iob 2. Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es*; sic enim eius vox coërcenda,

Vxor stulta caro, quæ mollia suadet. Vgo Car.

cùm tacens aliqoid ſuadet, quod à Deo nos aoocat, item impedit ad Deum; tanquam ſtulta reiicienda eſt, alioquin ſtultus audiet, qui ſtultam non putat carnem quæ mollia quærit, & à duris pœnitentiæ operibus abducit.

Vxor hominis litigioſa peſſima caro. Petr. Bleſ.

Vxor hominis litigioſa caro noſtra eſt; Petrus Bleſenſis epiſt.11. ita ſentit, ita loquitur: *Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris, & domeſticus inimicus, hic eſt ignis in gremio, ſerpens in ſinu, hæc eſt* VXOR *hominis* LITIGIOSA, PESSIMA CARO *noſtra.* Magis igitur nobis timenda caro noſtra, cautiúſque comprimenda, quo magis nobis domeſtica, quo magis familiaris, vt nunquam nos deſerat, ſemper nobiſcum ſit, ſemper nobis inſidias ſtruat.

Bona vxor caro ſi fructus producat. Pſal.127.3. Rich. Pamp.

Bona vxor eſt caro ſi fructus bonos producat. Pſal.127.v.3. *Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ*; id eſt, interprete Richardo Pampolitano hîc, *caro tua fructificans, & agens cibum, qui non perit in illis, qui adhærent conuerſationi tuæ.* Viris noſtra caro eſt, vt noueris, in illa eſſe multa, quæ ad vberiorem fructum ſit amputanda; iam probatum vxorem de carne dici, vxoris titulum carnem circumferre; iam probandum tanquam Euam Adami vxorem timendam eſſe.

Vox vxoris, & carnis non audienda. Vgo Foll.

Euam ſuam vxorem ſuam audit, qui carnem blanditiis nutrit, voluptatibus delinit. Vgo Foll. in alleg. Tilm. in Gen. *Vox vxoris, vox carnis, vox autem carnis voluptas*; Euam igitur ſuam ſe audiuiſſe teſtatur, & clamat, qui voluptates ſectatur, voluptatum cœno mergi carnem ſuam ſinit.

Periſtrictus Adam, qui vxori obtemperauit. S.Bern.

Nemo Euam ſuam audiat, nemo carni ſuæ blandiatur, nemo ſeruiat, hoſtis perſonam induet, qui nimium carnem ſuam fouet, illique obſequentem ſe præbet. Adam quoque, ne Euam contriſtaret, ex vetito ligno comedit, ſed poſtea Euæ coram Deo accuſator eſt factus, amorem in crudelitatem vertens. Egregiè rem expendebat S. Bernardus ſerm.1. in feſt. omnium Sanctorum. *Iam verò*, inquit, *Adæ crudelitatem hæc ſententia tangit, qui videbatur vxoris amore peccaſſe, eccè enim ſcimus Adam, quia os de oſſibus tuis, & caro de carne tua eſt, & eius amore peccaſti; videamus nunc quantum diligas eam, oppone te diſcrimini propter illã, & dic, Domine, mulier infirmior eſt, mulier ſeducta eſt, mea iniquitas meum peccatum, in me ſolum vindicta procedat, ſed non loquitur ſic, Mulier inquit, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & ô peruerſitas pœnam pro ea ſuſcipere refugis, & culpam admittere non recuſaſti; quomodo proh dolor! omnia confudiſti? perniciosè miſericors, vbi ſeuerus eſſe debueras, crudelis, vbi miſericordiam impendere oportebat, nam delinquere propter illam nullo modo, ſatisfacere verò pro ea libenti animo debuiſti.* Eadem occinenda & illi, qui carnem ne contriſtet, mollia, & noxia carni ſuadenti obtemperat.

770. *Inficit nos caro, mundus deficit, Dæm decipit.* S.Bern.

Carni nemo credat, quæ decipit dum blanditur, inficit, dum blanditiis afficit; feſtiuè ſanctus Bernardus lib. de conſcientia, cap. de quatuor ſpiritibus cordis humani: *Diabolus clamat, Ego decipiam, mundus clamat, Ego deficiam, caro clamat, Ego inficiam, Chriſtus verò clamat, Ego reficiam.*

בשר carnis nomen quid doceat. Hebr.

Caro apud Hebræos בשר *baſar* dicitur; de quo nomine ita philoſophatur R. Iochanan, vt vnaquæque littera verbum producat, in hunc modum, ב בושה *buſah* pudor ש שאול *ſchol* ר רמה *rimah* vermis, vt vel nudum carnis nomen doceat, quî caro fouenda, quæ pudorem parturit, ad foueam ducit, vermes nutritura eſt.

In laqueum gehennalem amatores ſuos caro ducit. Petr. Bleſ.

Carni nemo fidat, nemo ſe credat ei, quæ nihil aliud nouit, niſi eum fallere cui blanditur. Scitè Petrus Bleſenſis epiſt.11. *Non conſentias carni fatuæ, quæ te pariter trahit in laqueum gehennalem.*

Caro à carendo dicta, quia caret omni bono. Idiota.

Quis carni ſe credat, quæ cultores ſuos ad inferna deducit? qui carere omnibus bonis non vult, carni haud obſequatur, quæ vel nomine innuit, veris bonis cariturum, qui ei blanditur, eam fouet. Scitè Idiota c.2. de conflictu carnis, & animæ, vbi inclamat: *O miſera caro! quid te mouet, vt meam animam velis ſpoliare virtutibus, & deiicere in infernum? Tu namque cunctis virtutibus denudata es; ideóque diceris* CARO A CARENDO, QVIA CARES OMNI BONO.

Timendũ ne caro in gehẽnam nos trahat. Petr. Bleſ.

A carnis blanditiis timendum maximè eſt, timendum ne in gehennam nos trahat; rem egregiè verſat Petrus Bleſenſis epiſt.11. qui carnis damna hæc recenſet: *Circunferimus hoſtem noſtrum, caro noſtra licèt ſit vexata doloribus, repleta illuſionibus, infecta ſordibus, afflicta infirmitatibus, obnoxia paſſionibus, flagellis trita, plagis caſa, morti denique deputata; tamen adhuc aculeis contradictionum hiſpida, rebellis, ſuperba, murmuroſa, querulosa, contumax, inquieta, in ſuum, & animæ coniurat exitium: nec poſſe ſatisfieri ſibi putat, donec ſe, & animam præcipitet in æternæ damnationis abyſſum.*

Salutare ſui corporis odiũ. Mercur. Triſm.

Sui corporis odium ſalutare eſſe etiam Mercurius Triſmegiſtus aſſeruit, cuius hæc ſunt verba cap.3. *Si tuum corpus primitus non oderis, ô fili, te ipſum amare non potes.* ἐὰν μὴ πρῶτον τὸ σῶμα σου μισήσῃς, ὦ τέκνον, σεαυτὸν φιλῆσαι οὐ δύνασαι.

771. *Bonorũ operũ inſtrumentum caro eſſe debet.* Idiota.

Bonorum operum inſtrumentum animæ caro eſt, vt ea vtatur malè, qui vtitur ad malum. Benè Idiota de vitæ curſu, cap.3. *Carnem tanquam inſtrumentum ad operandum animæ conſuliſti, vt ieiunando, vigilando, orando, abſtinendo, peregrinando, pœnitentias agendo, operibus miſericordiæ inſiſtendo, tribulationes cum patientia ſupportando, & virtutibus inhærendo merita augerentur, & æternis gaudiis frueretur.*

Virtutũ pediſſequa, non vitiorũ lena caro ſit. S. Ambr.

Virtutum denique pediſſequa caro nobis eſſe debet, non lena vitiorum, ita loquitur S. Ambroſius lib.7. in Lucam, *Vt anima*, inquit, *caro fiat appendix, non iam lena vitiorum, ſed æmula quædam, & quaſi pediſſequa virtutis*

Pecus, non homo, qui carni ſuæ ſeruit. S.Zeno.

Pecus non homo audire debet, qui totum ſe carnis obſequio addit, animæ cura neglecta. *Carnis ſi curam geris*, S. Zenonis ſunt verba ſerm. de ſpiritu, & corpore, *pecudem te eſſe cognoſcis*. non eris, nec te cognoſces, ſi carnem preſſeris, carnem ſubieceris ſpiritui.

EXCVRSVS CXXXI.

Carni ſpiritus haud ſeruiat, ſeruiat ſpiritui caro.

Animæ ſceptrũ *tenere, carnis animæ ſeruire.*

Caro diſciplinæ fræno *gubernanda.*

Aurigæ *munus anima in corpus exercet.*

Quærenti Deum anima *conſulenda, non* caro.

Carnis ſpiritui ſubiici, *à quo decorem haurit.*

Vt caro ſpiritui obſequatur, *obſequatur ſpiritus Deo.*

Feræ dum mulcentur manſueſiunt, *corpus contrà* efferatur.

Corpus ab anima *regi debet, vt puer à pædagogo.*

Caro ab anima, *vt à doctore exercenda, non interimenda.*

Carnis

Carnis cura *etiam in licitis resecanda.*
Lætatur *animus cùm premitur caro.*
Caro humilitatis poculum *nobis offerat.*
Spiritus est carnem regere.
Obsequatur animæ caro, *vt in animam quodammodo immigret.*
In iusto exterior homo,*interior intrà conformatur,vt idem cum illo esse videatur.*
Flagella *expectet , qui sua carnis mancipium est.*
Nesciat *caro,quid anima præstet,ne eam impediat.*
Corpus laqueus *est.*
In laqueum *gehennalem amatores suos caro ducit.*

772. *Anima sceptrum tenere, carnis animæ seruire.* S.Prosper.

SCeptrum tenere mens debet, & carni imperare,non contrà, mẽs domina est,est imperatrix; carnis est seruire,& spiritui subdi; hoc tamen , vt rite fiat,perfectéque caro frænetur, Domini auxilium necessarium est ; pulchrè S.Prosper in epigr.

Nulla anima est,quæ non mortali carne grauetur,
Nec quæ corporea conditione gemat.
Sed infirmare inualidam,& frænare rebellem,
Legitimum,& proprium est mentis opus dominæ.
Quæuis natura,& moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia quæque suis,
Auxilium à Domino, & vires petat vt aleat se,
Vincere nec sensus incitet ipsa suos.
Nam nullus famulæ poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

Caro disciplinæ fræno gubernanda. Vgo Car.

Caro indomitus equus est,& disciplinæ fræno coërceri debet ; Vgo Car.in cap.1. Prouerb. *Caro,* inquit,*gubernanda est,sicut equus fræno disciplinæ.*

Aurigæ munus anima in corpus exercet. S.Hier.

Aurigæ munus exercere anima in corpus debet ; sensus equi sunt,qui nisi regantor,in præcipitium ruunt, & rectorem præcipitem agunt.Scitè sanctus Hieronymus lib.2. aduersùs Iouinianum,cap.8. *Sensus,* inquit, *corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes:anima vero in* AVRIGÆ *modum retinet fræna currentium,& quomodo equi absque rectore præcipites ruunt ; ita corpus sine ratione , & imperio animæ in suum fertur interitum.* Et Thalassius cent.1.num.31. *Vt Dei,*inquit, *opus est regere mundum,ita,& animæ gubernare corpus.*

773. *Quærenti Deum anima consulenda, non caro.* Thren.3.25.

Vbi Deus quærendus est , caro non est consulenda,animæ hoc negotium est , quæ tutiùs quæret si se à corporis cœno quantum poterit obduxerit;hinc Ieremias Thren.3.15. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum* ; signatè *animæ* nomen posuit,cùm de inquisitione Dei agitur ne res carnali prudentiæ , carnísque consiliis committeretur. Sanctus Ambrosius lib.6.Exaëm. cap.8. legit : *Bonus est Dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum* ; additque, *de hominibus dixit, & animam adiiciendam putauit ; meliùs enim quærit ista,si sola sit abducens se à corporis cœno, & à cupiditate carnali.*

S.Ambr.

Carnis spiritus subiici , à quo decorem haurit. Petr.Bles.

Carnis esset spiritui subiici, à quo decorẽ omnem habet , omnem venustatem, vitámque ipsam. Pulchrè Petrus Blesensis epist.11. *Cur non,* inquit, *attendit infelicissima caro quàm nobilem , & quàm necessarium sibi habeat hospitem , cuius beneficiis sustentatur , regitur, & honestatur ? Quòd audit , quòd videt , quòd sentit , quòd intelligit , quòd loquitur, quòd mouetur , totum hospiti suo debet : cuius auxilio destituta fieret , quasi terra sine aqua immundum morticinum , vermium cibus , aëris corruptela. Inuenta est iniquitas eius ad odium , dum ini-*

què odit , quod totis visceribus debuerat dilexisse, odit, dico,qui enim diligit,odit animam suam.

Vt caro spiritui obsequatur, obsequatur spiritus Deo. S.Aug.

Vt caro spiritui obsequatur,obsequatur spiritus Deo,subiectam carnem habere nõ meretur mens, quæ se Deo non subiicit, imperanti Deo non paret. Scitè sanctus Augustinus in Ioannem , (tractatus numerus excidit ;) *Vis vt seruiat caro tua animæ tuæ , Deo seruiat anima tua , debet regi , vt possit regere.* Imperium non meretur , quæ imperium excutit.

774. *Feræ dum mulcentur mansuescunt, corpus contrà efferatur.* S.Io.Clim.

In corporis porrò cura aliter , ac in feris edomandis accidit , feras efferas qui demulcet mansuetas reddit , corpori qui blanditur efferat. Peritè Ioannes Climacus gradu 14. *Qui leonem blanda demulcet manu, nonnunquam illum mansuefecit; qui verò corpus obsequiis fouet , ipsum ampliùs efferat;* è contrà mansuefacit , qui ei non blanditur, illud non palpat,sed premit,castigat,cruciat.

Corpus ab anima regi debet,vt puer à pædagogo. S.Hier.

Corpus ab anima regi debet , vt puer à pædagogo;hinc illud sancti Hieronymi lib.2. aduersùs Iouinianum,cap.8. *Alia quoque comparatio animæ,& corporis à Philosophis ponitur,corpus puerum , animam pædagogum esse dicentibus,vnde & historicus , Animæ, inquit , imperio, corporis seruitio magis vtimur,alterum nobis cum Diis , alterum cum belluis commune est ; igitur nisi vitia adolescentis, & pueri,prudentia pædagogi rexerit , omnes conatus eius , & impetus ad lasciuiam prouocant.* Huc etiam spectant , quæ habet sanctus Chrysostomus hom.23.in epist.1. ad Corinth. vbi monens castigandam carnem esse , non interimendam,&tanquam à doctore exercendum puerum, exercendam, ac tractandam ; ad illa Apostoli verba , *castigo corpus , & in seruitutem redigo* , 1. Cor.9.27. ita loquitur ad hanc mentem : *Non dixit,interimo , neque enim caro est inimica , sed castigo, & in seruitutem redigo , quod quidem est Domini,non hostis:tortoris,non inimici ; pædotribæ puerum exercentis, non aduersarij.*

Caro ab anima, vt à doctore exercenda,non interimenda. 1.Cor 9 27. S.Chrysost.

Carnis cura etiam in licitis resecanda. Rich.Vict.

Quanta à non coërcita, & edomita carne timenda sint damna , quanta à pressa carne nascantur bona,explicari non potest ; carnis curam resecandam etiam in rebus licitis , ita monebat Richardus de exterm.mali,tract.2.c.27. *Nunquam humanus affectus ad æternitatis desiderium perfectè inflammantur ; nunquam humanus intellectus ad æternorum contemplationem plenè acuitur:nisi carnis cura in rebus etiam licitis,multúmque necessariis frequenter,fortitérque repellatur.*

775. *Lætatur animus cùm premitur caro.* S.Greg.

Prematur caro , vt recreetur spiritus , animus erigatur, perfundatur lætitia. S.Gregorius lib.31. Moral.c.17. *Quo plus caro premitur , eo de cælesti spe animus lætatur;*contrà cùm caro delinitur,premitur animus.

Caro humilitatis poculum nobis offerat. Pet.Bles.

Cogitemus carnem nihil aliud esse , quàm carnem;sitque nobis ista cogitatio comprimendæ superbiæ occasio, & per eam humilitatem spiritum, vt ita dicam , bibamus. Festiuè Petrus Blesensis serm.11.in Quadragesima:*Quid superbis terra,& cinis?quid est caro nisi caro,induatur caro purpura,& serico,non est tamen caro,nisi caro. Ecce* HVMILITAS *opus celeberrimum,*QVASI POTIO *superbiam excludes.*

Spiritus est carnẽ regere. Tertull.

Caro spiritui subiici debet, spiritus carnem regere;colligit id opportunè Tertullianus ex verbis Saluatoris , quibus ad discipulos suos loquens ait, carnem infirmam esse , spiritum verò promptum,cap.4. ad Martyres sic ille scribit : *Scimus ex Dominico præcepto , quòd caro infirma est , spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur , quia Dominus consensit carnem infirmam esse,propterea enim prædixit spiritum promptum esse , vt ostenderet , quòd cui debeat esse subiectum , scilicet,vt caro seruiat spiritui, in-*

firmior fortiori, vt ab eo etiam ipsa fortitudinē assumat.

Obsequatur animæ caro, vt in animā quodammodo immigret. Gen.46.26.

Obsequatur animæ caro, vt in animam quodammodo immigret, & anima audiat, sicut Iacobi Patriarchæ familia animæ nomine significata est, Gen.46.26. *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta*; animarum mentio fit, non corporum, vbi corpus animæ obtemperat, in animam spirituali quadam mutatione videtur verti. Acutè S. Ambrosius in Ps.118. octon.4. *Caro nostra obediens animæ gubernacula fiat anima, & hoc appellari mereatur animæ, sicut appellata est familia Patriarchæ Iacob.*

S. Ambr.

776. *In iusto exterior homo interiori ita conformatur, vt idem cum illo esse videatur.* Psal 36. S. Ambr.

Hinc est, vt plerumque corpori, & carni tribuatur in sacris litteris, quod animi, & mentis est; vt illud Psal.36. *Os iusti meditabitur sapientiam*; os meditari dicitur, quod est mentis, quia nempe in iusto exterior homo interiori ita confirmatur, & transfunditur in illum, vt illius exercere videatur officium. Quod festiuè expendebat idem sanctus Ambrosius in hunc Psalmum, dum ait: *Ideo os iusti meditabitur sapientiam, iam enim & ipse exterior homo iusti in interioris hominis transfusus est disciplinam, & in eius conformatus naturam ipsius exercet officium, vt caro meditetur quod mentis internæ est.*

Flagella expectet, qui suæ carnis mancipiū est. Psal 90.

Flagella expectet, qui carnis suæ mancipium, carnis desideria perficit, delitiis innatat, & voluptatibus; à flagellis immunis erit, qui in corde viuit, sed secundùm spiritum ambulat. Regius Propheta Psalm.90. *Non accedet*, inquit, *ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Distinctus est, inter illum, & illius carnem aliquid medium est, is à flagello liber, & immunis, cùm ille, qui se cum tabernaculo suo confundit, vt anima in carnem immigrare videatur, adeò carni seruit; huc nos ducit sanctus Bernardus in Psalm. Qui habitat, serm.11. vbi expendens producta verba, ait: *Sanè considera, non ad hominem, qui secundùm carnem viuit, sed ad eum, qui in carne degens secundùm spiritum ambulat, hanc fieri promissionem, siquidem non est distinguere inter illum, & tabernaculum illius. Confusè in eo sunt omnia tanquam in filio Babylonis.*

Nesciat caro, quid anima præstet ne eā impediat. Matth.6. S. Laur. Nou.

De manu dextera, atque sinistra acutè philosophatur sanctus Laurentius Nouariensis Episcopus hom. de Eleem. expendens, & versans illa Christi verba ex cap.6. Matthæi; *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, & ad carnem animamrem in hunc modum flectit: *Sinistra facit malum, non illi consentit dextera; & quid est in homine dextera? Nónne pars animæ? Quid est sinistra? nónne pars corporis est. Tale est quod dicit quando bonum aliquid conatur facere dextera, id est, anima, non illam impediat sinistrā, quæ est caro, sed tanquam dormiente sinistra festinet dextra, furtiuo modo operari bonum est; sinistra tua, id est, caro errauit? dextra, quod est anima, emendet errorem.*

777. *Corpus laqueus est.* S. Bern.

Nemo se suæ carni credat, nemo se putet securum carnem suam circumferens, quæ laqueus amatori fit; corpus hominis laqueum esse monuit etiam sanctus Bernardus serm.3. super Psalm. Qui habitat, ait enim: *Ipsum corpus laqueus quidam est, vnde & oculus legitur animam deprædari; minimè ergo decet esse securum hominem, qui secum portat* LAQVEVM *suum.*

In laqueum gehennalem amatores suos caro ducit. Petr. Bles.

Laqueus caro est, nec hîc sistit, sed ad gehennalem laqueum trahit, quem ceperit, quem deceperit; vt iure inclamarit Petrus Blesensis epist.11. *Non consentias carni fatuæ, quæ se, & te pariter trahit in laqueum gehennalem, sicut legitur de Zambri, qui se, & domum Regiam pariter dedit in combustionem, & cibum ignis.* Præstat hîc carnem premere, ne ad pœnas nunquam finiendas cruciandos nos eueiandos ducat; denique, vt consulamus carni, carnem dum hîc sumus non consulamus, eorum minimè audiamus consilia, ne cruciatibus æternis cum ipsa adiudicemus.

ADAGIVM DCCCLVII.

Abrahæ tabernaculum figere.

QVi hospitalitatis cultor hospitium hospitibus summa humanitate excipiendis parat, is prouerbiali quadam figura *Abrahæ tabernaculum figere* dicetur; notum ex diuinis litteris est, quàm auidè, quàm promptè, quàm benignè hospites ad sua tabernacula Patriarcha Abraham inuitauerit, ac quodammodo traxerit; huc spectant sancti Hieronymi verba, qui epist.20. quæ est ad Oceanum, ita scribit: *Certabant vir, & fœmina, quis in portu* ABRAHÆ TABERNACVLVM FIGERET, *& erat hæc inter vtrumque contentio, quis humanitate superaret; inuat vterque, & vterque superatus est; ambo se victos, & victores fatentur, dum quod alter cupiebat, vterque perfecit: iungunt opes, sociant voluntates, vt quod annulatio dissipatura concordia cresceret, necdum dictum iam factum. Emitur hospitium, & ad hospitium turba concurrit. Adducunt maria quos in gremio suo terra suscipit. Mittit Roma properantes, quos nauigaturos littus molle confoueat; Xenodochium in portu Romano situm totus pariter mundus audiuit.* Ita Pammachij, & Fabiolæ hospitalitatem effert sanctus Hieronymus.

Domus confluentium hospitum, receptione nobilis, vbi omnes promiscuè tanquam Dei Angeli recipiantur, nullique sumptui parcitur, non sine aliqua adagiali forma Abrahæ tabernaculum appellabitur. In vita sancti Auxentij Abbatis, hæc habet Simeon Metaphrastes; *Monachi omnes benignè excipiebant, promptóque, & alacri animo magnum propter victum facientes apparatum, adeò vt fieret illud Monasterium tanquam* ABRAHÆ TABERNACVLVM, *omnes enim ferè seu dignos, seu indignos tanquam Angelos Dei accipiebant*; quàm fuerit Abrahę hospitalitas insignis, ex sacris litteris liquet, vt proinde tabernaculum eius omnibus hospitibus excipiendis destinatum locum prouerbio facere potuerit. Sed hospitalitatis iniecta mentio nos ad hospitalitatis commendationem, laudémque vocat, quin & trahit; sequor, & ire sino, quò eum adfectus vocat.

EXCVRSVS CXXXII.

Hospitalitatis venatio commendatur.

Sectandi hospites, *non inuitandi tantùm.*
Hospites Abraham venabatur.
Itinera explorat, *vt* venator.
Alia venatio *timenda.*
Abraham excubias *agit.*
Abrahæ promptitudo *in hospitibus excipiendis.*
Precibus *tenebat prætereuntes, compellebat ad mensam, mensæ ministrabat.*
Deum, & Angelos recepit dum homines venatur.

Oculos

Oculos *hospitalitas aperit.*

Pauperes canes, *quibus dum aluntur à nobis, cælestem gloriam venamur.*

778. OPportunè hîc paulisper excurremus in hospitalitatis, & beneficentiæ laudes, vt eius in omnium animis viuificat amor, & eadem opera aliquibus sacræ Scripturæ locis farta præferemus.

Sectandi hospites, non inuitandi tantùm. Hospitalitatem venationem dixi, vere est exercenda hospitalitas tanquam venatio sectandi hospites, tanquam præda, non ieiuni inuitandi dumtaxat, huic rei probandæ occurrit in primis Beati

Rom. 12. 13. Pauli locus epist. ad Romanos cap. 12. v. 13. vbi hospitalitatem suadens hac phrasi vtitur: *Hospitalitatem sectantes*, in Græco fonte est φιλοξενίαν διώκοντες, quod verbum ingentem vim continet, significat enim διώκειν magno studio persequi, sectari, & hoc sibi volebat Apostolus, hospitalitatem non modò amate, & occasionem eam exercendi oblatam, libeoter accipere, sed eam maximo studio consectamini, & ingenti sollicitudine hoc agire, vt hospites recipiatis. Vrger hunc sen-

S. Hier. sum, ac vim eleganter Beatus Hieronymus epist. 4. ad Rusticum, ac legit, hospitalitatem persequentes, hæc eius verba: *Pulchrè persequutio pacis dicitur: iuxta illud Apostoli, Hospitalitatem persequentes, vt non leui vsitatéque sermone, &, vt ita loquar, summis labiis hospites inuitemus, sed toto mentis ardore teneamus, quasi offerentes se cum lucro nostro, atque compendio.* hæc B. Hieronymus, arguens frigidum illorum affectum, qui tam parum hospitalitatis amatores sunt, vt eam potius desugete studeant, quàm sectari; cùm tamen hospites ita ardenter sectari deberemus, ac venator feras. Nam hoc etiam indicauit B. Paulus cùm dixit, διώκοντες φιλοξενίαν, SECTANTES HOSPITALITATEM, verbum enim hoc Græcum etiam *venari* significat, ac sectari, venatorum in morem.

Hospites Abraham venabatur. Talis hospitum venator erat ille Patriarcha Abraham, qui aduenientibus hospitibus occurrebat etiam in feruore diei, vt solet feris venator. Accommodatissimè in hunc locum quadrant Bea-

S. Chrys. ti Chrysostomi verba homil. 41. in Gen. sic enim ille de Abraham meridie expectante hospites, eisque occurrente loquitur: *tempus hoc, vt idoneum elegit, & sedens eos, qui præteribant,* VENABATVR. Ecce Patriarchæ desiderium, qui vt venator prædam, sic tanta ille cupiditate expectabat hospites, quos in domum suam non inuitaret modò, sed traheret. Pergit Beatus Chrysostomus vt magis hanc venationem explicet: *Eleuatis oculis vidit: currit, & volat senex, vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis suæ ratione habita,* AD VENATIONEM CVCVRRIT. Talis huius Patriarchæ in hospites studium, & beneficentiæ, hospitalitatísque ardor, dignum exemplar, quod omnium oculis obuersetur; quærentem, ac capientem hospites, velut prædam, nobiscum exhibet B. Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 5. *Præsto est,* inquit, *aduenientibus, & occurrit obuiam, & itinera explorat, & adest non quærentibus, & rapit prætergredientes.* non aliter ac venator prædam explorat,

Itinera explorat vt venator. ac rapit, nec id muneris aliis committit, ipse exe-

S. Chrys. quitur, quod expendens sanctus Chrysostomus ait: *Tantopere curabat Abraham hospitalitatem, vt nollet horum* VENATIONEM *cuiquam committere.* Alij autem sæpe non solùm tantum studium non faciunt, sed & planè diuersum, & horum congressum fugientem.

Alia venatio damnanda. Sed facilius est inuenire, qui venentur ad necem, qui parent velut venatores insidias, quàm qui hospites per charitatis officia, & beneficentiæ exhibitionem capiant, & illiciant, vt verè Michęas

prædixerit cap. 7. v. 2. *Vir fratrem suum ad mortem venatur*; tantum abest, vt hospitalitatis retibus li- Mich. 7. 2.

get, & venetur. Ab his sibi cauebat Regius Psaltes cùm Dei auxilium supplex implorans diceret, *Libera me de laqueo venantium*, & non venabantur hospites ad mortem, qui eos perimebant, & curabant, vt alibi de Hesperiarum Regionum populis, & Cæsario retulimus, aor immolabant, vt de tauris, & Ponricis diximus. Psal 90.

779. Abrahamum excubias agentem, ne peregrinus illius ædes præteriret, his verbis nobis exhiber sanctus Ambrosius lib. 2. offic. cap. 21. *Abrahæ laudi est datum, qui ante ianuam suam speculabatur, ne forte præteriret peregrinus aliquis, & diligenter* PRÆTENDEBAT EXCVBIAS *vt occurreret.* *Abraham excubias agit.* S. Ambr.

Accurrebat hospitibus Abraham, promptior, quàm capiendæ prædæ venator; de illius cursu ita loquitur sanctus Chrysostomus homil. 41. in Geoes. *Accurrit, & cursu promptitudinem declarat;* de cuius promptitudinis mercede addit: *Eiusmodi res hospitalitas est, quæ magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet;* minuunt sibi meritum, qui promptitudinem, & alacritatem minuunt, augent, qui augent. *Abrahæ promptitudo in hospitibus excipiendis.* S. Chrys.

Occurrebat hospitibus Abraham, & prætereuntes renebat precibus, ne hospitij sui sinum effugerent, compellebar ad mensam, & mensæ ministrabat; quod sic explicat sanctus Petrus Damianus serm. 121. de diuite, & Lazaro: *Abraham fratres venientibus longè semper occurrit; prætereuntes etiam per se vocat nolentes, magna cum supplicatione suam compellit ad mensam: prima, & saginata, de gregibus hospitibus semper apponit: suis, & coniugis suæ manibus factos calentes, semper offert panes, quos frigidos, & hesternos esse vtique humanitas non sinebat.* *Precibus tenebat prætereuntes, compellebat ad mensam, mensæ ministrabat.* S. Petr. Dam.

Homines Abraham sectabatur, sed Angelos cepit, quin & Angelorum Dominum dicat sanctus Ambrosius lib. 2. offic. cap. 21. *Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, vt ne potus quidem aqua frigida à præmiis remunerationis immunis sit. Vides, quia Abraham* DEVM RECIPIT *hospitio, dum hospites quærit? Vides quia Loth* ANGELOS SVSCEPIT? *qui scis an & tu cum suscipis hospitem suscipias Christum?* & Synesius epist. 57. *Et quidem mensa sacrum est aliquid, per quam Deus honoratur amicorum, siue hospitum præses, & Abrahamum in hospites humanitas Dei conuiuatorem fecit.* *Deum, & Angelos recepit dum homines venatur.* S. Ambr. Synes.

780. Dominum recipit hospitalitas, nec recipit tantùm, sed oculos etiam apetit, vt quem receperimus agnoscamus; certè illi duo discipuli, qui in Castellum Emaus se conferebant, non cùm esset Christus in via, Christum agnouerunt, sed in fractione panis, cùm hospitalitatis munus exercuerunt, vt quid hospitalitas possit colligeretur; id quod expendebar sanctus Augustinus serm. 140. de tempore dum ait: *Tene hospitem si vis agnoscere Saluatorem. Quod tulerat infidelitas reddit hospitalitas; Dominus ergo præsentauit se ipsum in fractione panis;* sed redeo ad venationis metaphoram. *Oculos hospitalitas aperit.* S. Aug.

Ad hospitalitatis venationem illud facit, quod de Duce quodam Amadeo legitur, hunc authores haud contemnendi referunt, rogatum quodam tempore à Legatis, quos liberaliter tractauerat, vt venaticos suos canes ipsis exhiberet; post multas tergiuersationes, ac subterfugia, tandem eorum victus instantia cubiculum aperuit, omnis generis mendicis plenum, qui quotidie ipsius alebantur eleemosynis, dicitque: Hi sunt canes mei quos alo quotidie, quibus & me cælestem *Pauperes canes, quibus dum aluntur à nobis cælestem gloriam venamur.* Amad.

gloriam ſpero *venaturum.* O præclarum reſponſum! ô bellam venationem, nec tantùm voluptatis veræ plenam, ſed & ſummæ vtilitatis.

EXCVRSVS CXXXIII.

Hoſpitalitatis ſagena omnibus hoſpitibus capiendis.

Hoſpitalitatis ſagena *expandenda.*
Omni viatori oſtium *pateat.*
Hoſpites recipientes non ante quærebant *quinam eſſent, quàm bibiſſent.*
Diuitiùs reprehenſus, *qui domum nobilibus tantùm recipiendis deſtinabat.*
Curioſè *non explorat hoſpites Abraham.*
Nullius hoſpitis vilitas *eſt contemnenda.*

781. *Hoſpitalitatis ſagena expandenda.*

COmmune ſit hoſpitalitatis officium omnibus, abſque perſonarum acceptione exhibeatur, ſimilis hoſpitalitas eſſe debet euangelicæ ſagenæ ex omni genere piſcium congreganti; ita piſcabatur hoſpites magnus Patriarcha Abraham, vnde & meruit Angelorum Dominum cum Angelis ſuis ſuſcipere. Felix iactus vbi cùm nullus excluditur, omnium creator ſuſcipitur. Idem accidiſſe legimus Magno Gregorio, qui plures pauperes alens, vidit inter eos Dei filium. Sic & hoſpites piſcabatur Loth, de quo Beatus Chryſoſtomus (S. Chryſ.) conc. 2. de Lazaro. *Quemadmodum piſcator iacto in mari rete piſcem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum, & margaritas; itidem & Loth* RETE *captans* HOMINES PISCATVS EST, *tamen & Angelos quoque, quod mireris, etiam inſcius.*

Omni viatori oſtium pateat. Iob 31. 32. LXX.

Hoſpitalitatis ſagenam ad hunc modum iacebat & Iob, qui alliciebat omnes, nullos reiiciebat, vnde quod vulgatus habet cap. 31. v. 32. *Oſtium meum viatori patuit*, LXX. pleniùs, & ſignificantiùs extulerunt, *& oſtium meum* OMNI VENIENTI PATVIT, non diuitibus modò, ac nobilibus domus mea hoſpitium erat, ſed omnibus, nullo habito perſonarum diſcrimine, pauperes, diuites, nobiles, ignobiléſque recipiebam, omni aduenienti domus mea patuit, occluſa nulli, omnibus reſerata.

(S. Ambr.) Septuaginta interpretum lectionem ſequitur etiam ſanctus Ambroſius lib. 1. offic. cap. 11. ſic enim habet: *Foris non habitabat peregrinus, oſtium meum omni venienti patebat. Beatus planè de cuius domo nunquam vacuo ſinu pauper exiuit*; luculentiùs hoc ipſum verſat eodem lib. cap. 32. dum ait: *Non igitur mediocris virtus, de qua ſibi plaudebat Iob, dicens, Foris non habitabat hoſpes, ianua mea omni venienti patebat; beneuolentia itaque in his eſt omnibus tanquam fons aqua, reficiens ſitientem, tanquam lumen, quod etiam in aliis luceat, nec illis deſit, qui de ſuo lumine aliis lumen accenderint*; hæc Beatus Ambroſius. Vera igitur hoſpitalitas, ſi communis omnis beneficentiæ fons, ſi pateat omnibus, negetur vlli. Probè verò beneficentiam equidem in illa ornanda his Iobi verbis vti non dubitem; porta ipſius cuiuis venienti patebat, nec extrà iacebat peregrinus. Paulus quoque ad Romanos cap. 16. (Rom. 16. 23.) v. 23. Caij hoſpitalitatem extollens, ait, *Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia*; pleræque editiones habent *vniuerſa Eccleſia.* nam in pluribus codicibus Græcis ita etiam legitur, ξένος μου καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης, *hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia*, vt ſit verus ſenſus, hoſpes, vt qui non mei ſolùm, ſed omnium hoſpitum ſit exceptor, ſic habet tranſlatio Syriaca, hanc lectionem ſequitur, & expendit etiam ſanctus Antiochus homil. 97. de (S. Antioch.) hoſpitalitate, ſiue benignitate erga peregrinos, legit enim: *Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſæ Eccleſia*, quod ſic illuſtrat; *pro eo*, inquit, *quod ſit exceptor hoſpitum omnium, nobilium, ignobilium.*

Hoſpites recipientes non ante quærebant quinam eſſent, quàm bibiſſent. Athæn.

Hinc olim qui hoſpites recipiebant, non ante rogabant, quinam eſſent, quàm bibiſſent, ne perſonas potius honorare viderentur, quàm hoſpitis iura, & fidem; Athæneus lib. 5. Gymnoſoph. ſub initio rem ſic habet. NON ANTEA, QVI ESSENT, ROGABANT, QVAM BIBISSENT, *ſed guſtato iam vino, hoſpitij ius, ac fidem honorantes potius quàm priuatim hoſpitum ſingulos*; non igitur examinandi quos recipis, ſed ſine diſcrimine largiter, ac liberaliter excipiendi.

782. *Diuitiùs reprehenſus qui domum nobilibus tantùm recipiendis deſtinabat.* Olckot.

Malè hoſpitalitatis officia exercebat ſenator quidam, qui nobilibus tantùm ianuam domus ſuæ patere, ſua inſcriptione prodidit. Rem habet Olckot lect. 19. Sapientiæ, eius verba ſubiicio. *Fertur quòd ſenator ſibi caſtrum conſtruxit pulcherrimum, ſuper cuius ianuam ſic metricè ſcripſit:*

Decretum detur, ne dormiat, aut epuletur
Hic gens Villana, ſed Achilles, Plato, Diana.

Intendens per hoc ordinare, quòd nullus ad illud caſtrum, ad hoſpitium, vel prandium reciperetur, niſi eſſet miles, vel Philoſophus, aut domina nobilis. Cui Chriſtus apparuit in ſomnis, & ait, Me, & meos à caſtro tuo conaris excludere, propter quod & te caſtro meo, quod eſt cælum, debeo iuſtè priuare; & tandem illi dictum:

Muta decretum, Sanctorum ſuſcipe cœtum,
Nudum Martinum, Iacobum, Lazarū peregrinum.

Hæc, & alia plura Olckot, ex quibus vides, quàm nobilem, & pium animum dedeceat nobiles tantùm hoſpitio recipere, pauperes, ac Lazaros eliminare.

Curioſè non explorat hoſpites Abraham. S. Chryſ.

Legimus Abrahamum hoſpites ſumma humanitate recepiſſe, curioſè inueſtigaſſe, quinam eſſent, non legimus, pari in quoſcumque amore, ac ſollicitudine ferebantur. quod eleganter ad eius laudem expendit B. Chryſoſtomus homil. 41. in Geneſ. *Eos*, inquit, *qui calore æſtuabant ſub tectum introducere ſtudebat*, NON CVRIOSE EXPLORANS EOS, *qui præteribant, neque requirens an noti, vel ignoti eſſent.* Minuitur, ac ferè amittitur hoſpitis meritum ſi perſonæ in recipiendo habeatur ratio. Pergit ſanctus Chryſoſtomus; *Neque enim hoſpitalitatis fuerit diligenter ſingula perſcrutari, ſed omnibus ſimpliciter ſuam communicare benignitatem.* qui hoſpites nimis curioſè diſcutit, incurioſus veræ hoſpitalitatis amator eſt.

Nullius hoſpitis vilitas eſt contemnenda. S. Chryſ.

Nullius igitur hoſpitis vilitas contemnenda eſt, vt in qua Dominus recipiatur, quòd ea Chriſti verba; ita deducit ſanctus Chryſoſtomus homil. 41. in Geneſ. *Non*, inquit, *ad talem benignitatem ſegnes ſimus, neque curioſius eos, qui adueniunt, ſcrutemur, inquit, Qui acceperit vnum ex minimis meo nomine, me accipit; ne igitur ad vilitatem venientis ſpectes, ſed cogita, quòd per ipſum Dominum tuum ſuſcipias.* Huc faciunt Theodulphi verba epiſt. ad ſuos Preſbyteros; *Sciant ſanè quicumque hoſpitalitatem amant, Chriſtum ſe in hoſpitibus recipere*; & illa ſancti Auguſtini lib. contra hæreſ. 5. *Diſce Chriſtiane ſine diſcretione inhibere hoſpitalitatem, ne fortè cui domum clauſeris, cui humanitatem negaueris, ipſe ſit Chriſtus.* Hinc hoſpites accipiendi tanquam Dominus ipſe excipiendus; in vitis Patrum, vt refert B. Iordanus lib. 2. cap. 5. de conuerſatione ſpirituali, ſanctus Apollonius fratribus ſuis præcipiebat

bat attentiùs vt venientes fratres, quasi Domini susciperent aduentum. nam & adorati aduentantes fratres, propterea, inquit, tradirio habet, vt certum sit in aduentu eorum, aduentum Domini Iesu Christi haberi, qui dixit, *Hospes fui, & collegistis me*, & ex hoc sumpta est illa laudabilis obseruantia ordinis, vt fratres ordinis recipiantur cum genuflexione, & manuum deosculatione.

EXCVRSVS CXXXIV.

Hospitalitatis thesaurus, de Abrahæ hospitalitate aliqua scitu digna.

Hospites quærendi non secus ac thesaurus *quæreretur.*

In hospitali tabernaculo *diem Christi vidit Abraham.*

Quercus, *sub qua Dominum hospitio recepit Abraham vsque ad Constantini tempora.*

Thesaurum *retundit, qui magna distribuit.*

Hospitalitatis gemma.

Hospitalitatis vis, *&* virtus.

Abraham peregrinorum mancipium.

Mensa ministrat tanquam seruus.

Robur, *&* vires *ab hospitalitatu gaudio hauriebat Abraham.*

Nullus in officio segnis *apud Abraham.*

Qui duos *ad terrenam mensam suscepit*, duos populos *suscepit ad cælestem.*

Etiam non necessariis recreabat *hospites Abraham.*

Hospites non corporeo *tantùm cibo souebat Abraham, sed &* spirituali.

783.
Hospites quærendi non secus ac thesaurus quæreretur.

HOspitalitatem cense diuitem thesaurum, nec aberrabis, eam sic coles magis, & amplecteris opes, ac facultates, quæ in pauperes, hospitésque erogantur, non amittuntur, sed augentur, quæ sparguntur in peregrinos, colliguntur, & tuto in loco ponuntur; de re, quæ magno, & ingenti desiderio quæritur; & summo gaudio inuenitur, & possidetur, quodam prouerbij schemate dicitur tanquam thesaurus effodi, hinc illud Prouerb. 2. v. 4. de sapientiæ inquisitione: *Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam.* i. tanta voluptate, ac gaudio, tanto desiderio, ac conamine, ac si thesaurum effoderes, ac eruderares. Ad hunc modum hospitum aduentus expectari debet, ac si ingentem thesaurum quæreremus. Huc spectabat Abraham, qui tam sollicitè hospites in suam domum non modò inuitabat, sed trahebat, thesaurum putabat se inuenisse, quem in domum suam inueberet. Festiuè B. Chrysostomus homil. 41. in Gen. vbi de huius Patriarchæ hospitalitate sic loquitur. *Videas in extrema senecta iuuenilem alacritatem, & senem quasi iuuenem exultantem, & putantem se inuenisse thesaurum quendam hospitum aduentum.* Hæc ille; bona vniuersa se putabat possidere in hoc thesauro. Grauiori oratione hoc ipsum attigit idem sanctus Pater homil. in illud 1. Cor. 2. *Oportet & hæreses esse.* nefas putaui eius verba supprimere; sic autem ait: *Eadem de causa & Abraham admirabilis est, non solùm quòd vitulum immolauit, neque quòd farinam commiscuit, sed quòd multa cum humilitate, & voluptate hospites suscepit; accurrebat enim, ministrabat, dominos appellabat, thesaurum*

S. Chrys.

innumerorum bonorum se inuenisse putabat, si quando hospitem videret prætereuntem; hæc Abrahæ mens, & sensus, qui vtinam omnium esset, promptiores ad beneficentiam, ac hospitalitatem, pauperes, ac mendici nobiles, ac diuites reprimerent.

784.
In hospitali tabernaculo diem Christi vidit Abraham.

Quàm Deo hæc eius sedulitas, ac beneficentia in hospites placuerit, illud non leue argumentum est, quòd in hospitali tabernaculo diem illum vidit, de quo Saluator ait, in Euangelio; *Abraham vidit diem meum, vidit, & gauisus est*; hoc voluit Beatus Paulinus epist. ad Alethium, dum scribit: *Pater Abraham dum peregrinos suscepit, & cepit, & Dominum cum Angelis Christum, &* IN HOSPITALI TABERNACVLO ILLVM, *quem in Euangelio coram ipso Saluator exhibet*, DIEM VIDIT, licèt alij putauerint diem cum Abraham vidisse, cùm in monte filium Isaac immolare voluisset.

S. Paulinus.

Quercus, sub qua Dominũ hospitio recepit Abraham vsque ad Constantini tempora.

Illud scitu dignum est, quercum illam, sub qua Abraham Dominum hospitio recepit, vsque ad Constantini tempora seruatam, in eius hospitalitatis, & munificentiæ monumentum; sic restatur Oleaster in cap. 18. Genes. *Erat autem*, inquit, *in loco vbi Abraham morabatur, quercuum multitudo, ac pinuum, & aduerte quòd vallis hac Mambre ab Hebron sex stadiis distat. In qua valle vsque* AD CONSTANTINI TEMPORA QVERCVS OSTENDEBATVR, *sub qua Abraham Dominum hospitio recepit.* Hæc Oleaster.

Oleast.

Thesaurum recondit, qui sua distribuit.

Ad beneficentiæ thesaurum redeo. hic bene, ac tutò reconditur in pauperum, & indigentium manibus, quod rectè monuit sanctus Eucherius epist. parænet. *Thesaurum*, inquit, *is bene recondit, qui indigentibus diuidit, non qui congregat, & in arcam claudit.* Eadem ferè B. Chrysologi mens serm. 8. THESAVRVS *cæli, est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælo.* Sed prior B. Chrysost. hom. 78. in Ioann. *Tunc ea bona haberes si aliis dares, si tibi seruas, minimè habes, incertus enim thesaurus propria, certus autem thesaurus, est pauperum manus.* Thesaurus hic exhauriri nequit, nescit dum minuitur. Verè Basilius Constant. Imperat. de eleemosyna cap. 5. *Inexhaustus est beneficentiæ thesaurus*, dum enim spargitur colligitur, & dum donatur recipitur, neque solùm eos, qui illum possident facit hîc opulentos, sed illic etiam beatos.

S. Chrys.

S. Basil.

Hospitalitatis gemma.

Nihil igitur hospitalitate ditius, & beneficentia in egentes, hæc vera viri probi nobilitas, ac decor; non sic in auro gemma ornatur, ac iustus vir hospitalitate, vt probè dixerit Vgo Carensis in cap. 15. Genes. *Sicut gemma fulget in auro, ita hospitalitas in viro iusto.*

Vgo Car.

785.
Hospitalitatis vis, & virtus.

Denique hospitalitatis virtutem sic efferebat Hildebertus Episcopus epist. 61. *Non legitur alia Loth benefacta nisi quòd hospitalitatis prærogatiuam dilexerit, hac illi hostia fuit, hoc sacrificio sulphur, & ignem euasit Sodomorum, & tota seruata est familia, etiam vnius mentis.* tantum hospitalitas potuit.

Hildeb.

Abraham peregrinorum mancipium.

Vt pleraque de Abrahæ hospitalitate, eiúsque commendatione dixerimus, sunt alia quæ hîc implantari vtiliter possunt. Abrahamum peregrinorum, indigentiúmque mancipium, vocat sanctus Gaudentius in præfat. ad suos tractatus. Astantem assidentibus hospitibus, tanquam seruum, famulique munia obeuntem, ita repræsentat sanctus Petrus Chrysologus serm. 121. *Abraham suscepto hospiti astitit, non assedit; & fuit iste non conuiua hospitis, sed minister: Abraham viso peregrino Dominum se esse nesciuit; ipse allator prandij ad coquinam satis delicatam sollicitus addixit vxori, & qui se suaque omnia famulis suis credit, & committit,*

S. Gaud.

commit

committere vix audes hospitem coniungi, quàm probare.

Mensa ministrat tanquā ornus. S.Pet. Chry.

Astabat comedentibus tanquam famulus, & quod mirere, centenarius qui stare tot annorum pondere grauis potuit? gaudium, quod in hospitalitatis officio perfundebatur, addebat robur, magis eum erigebat amor in hospites, quàm premeret annorum multitudo. Aduocanda huc sancti Chrysostomi verba, qui homil. 41. in Genes. hanc rem expendens ait: *Mihi videtur hanc præ gaudio, alacritateque, multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse*, vix ferè sentitur labor, aut ne vix quidem, vbi opus alacritas vrget; exulat lassitudo, cùm animi promptitudo non exulat.

Robur & vires ab hospitalitatis gaudio hauriebat Abraham. S. Chrys.

Animus iste alacer gratior hospitibus fuit, quàm fuerit ipse apparatus. Philo lib. de Abraham, obsequium ipsius totiúsque familiæ in hospites considerans aiebat; NEMO *ad humanitatis officium* SEGNIS *est in sapientis familia, tam mulieris, quam viri, tam serui; quàm promptè ministrant hospitibus, qui recreati magis animo, quam apparatu hospitis.*

Nullus in officio segnis apud Abraham. Philo.

Tres Angelos hospitio legimus recepisse Abrahamum, aut, vt aliquorum opinio fert, duos cum Domino ipso, quem adorauit. Pende quid hinc sequitur, & ad cœlestem quoque mensam populos ab Oriente, & Occidente, cum Abraham recubitores Saluator tradit; sic enim legis Matth. 8. v. 11. *Dico vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham.* Diceres duos hos populos respondere duobus Angelis, quos hospitio receperat. Certe huc flexit sanctus Petrus Chrysologus serm. 42. *Abraham cœlestis conuiuij Principem humanitas ardens Deo impensa perficit, nam qui duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, Orientis, & Occidentis populum mensam suscepit ad cœlestem. Venient, inquit, ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.*

Qui duos ad terrenā mensam suscepit, duos populos suscipit ad cœlestem. Matth. 8. 11.

S. Petr. Chry.

786. Non necessariis tantùm rebus hospites sustentabat Abraham, sed & non necessariis recreabat, vt proinde arbores plantasse legatur, vt arborum fructibus vmbra, & visu hospites recrearentur. Genes. 21. v. 23. *Abraham plantauit nemus in Bersabee*; Abulensis hic in hunc modum verba hæc illustrat: *Locus ille erat sine arboribus; ideo Abraham, qui delectabatur in suscipiendo hospites, plantauit arbores, de quarum fructibus recrearentur viatores, & eorum visu delectarentur*; hospitalitate adeò delectabatur Abraham, vt nihil quo hospites delectarentur omitteret.

Etiam non necessariis recreabat hospites Abraham. Gen. 21. 23. Abul.

Hospites recipiebat Abraham, nec recipiebat tantùm, corporeoque cibo fouebat, sed, quod magis, spiritali, excitabat enim eos ad Dei laudes celebrandas, gratiásque diuinæ beneficentiæ reddendas; idem Abulensis ad illa verba Gen. 21. 33. *Et inuocauit ibi nomen Dei æterni*, ita ex Hebræorum mente scribit: *Faciebat enim ibi orationem, & gratiarum actiones Deo de beneficiis datis, vel, vt volunt Hebræi ibi, hospites ad laudandum Deum, & gratias reddendum ei pro beneficiis incitabat. Et licet scriptum non dicat, tamen ibi Altare construxit, quia quocumque ibat ad aliqualiter manendum, Altare construebat ad laudandum Deum.* Dignus hospitum exceptor, qui non nudus exceptor erat, sed informator, sed inhortator ad bonum.

Hospites non corporeo tantùm cibo fouebat Abraham, sed & spirituali. Gen. 21. 33. Abul.

EXCVRSVS CXXXV.

Hospitalitas, Abrahæ exemplo, imitanda.

Loth *ab Abraham hospitalitatem didicit.*
Quantum Loth *profuerit Abrahami sectatorem fuisse.*
Gehennalem ignem *facilè euadit hospitalitatis sectator.*
Vrbem in refugium *accepit Loth, qui domum hospitibus exhibuit.*
Ab hospitali domo ad cœlestem rapiemur.
Sit hospitum receptor, qui hospes est mundi.
Copiosa hospitalitatis messis.
Vt diutinitus probata *hospitalitas.*

Præiuit Abraham, cuius insignis hospitalitas celebris mundo est, & cæteris in exemplum proposita, Abrahæ imitator factus est Loth, tantum potest proba apud probos institutio, bonorúmque domum incolere, illorum vitæ actus spectare. Bene Oleaster in cap. 19. Genesis; *Disce*, inquit, *quid valeat à puero apud bonos nutriri, vnde patet Loth dedicisse in porta hospites explorare, eisque assurgere, currere in eorum occursum, & se super terram proiicere, & eos ad hospitium cogere, nisi quia hæc in domo auunculum Abrahæ, scilicet didicerat, & eo frequenter viderat eum fecisse.* 787.

Loth ab Abraham hospitalitatem didicit. Oleast.

Quantum porrò profuerit Loth Abrahami sectatorem in hospitalitate fuisse, explicat his verbis sanctus Paulinus epist. ad Alethium: *Sodomitas hospitum damnauit iniuria, & Loth eò potissimum liberari meruit affecta, quòd hospites prætulit filiabus. Non ille impius, sed perfectè pius*; & sanctus Ambrosius lib. 2. offic. cap. 21. *Loth quoque nepos eius, non solum genere, sed etiam virtute proximus propter hospitalitatis affectum, Sodomitana à se supplicia detorsit?* Luculentiùs rem vrget Origenes homil. 5. in Genesim: *Loth, inquit, in Sodomis habitabat. Alia eius bene gesta non legimus. Hospitalitas in eo sola ex vsu veniens memoratur, euadit ignes, euadit incendia, ob hoc solum, quòd domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum, Angeli ingressi sunt, clausas hospitibus domos ignis ingressus est.* Paria à Deo speret, qui paria pro Deo præstiterit.

Quantū Loth profuerit Abrahami sectatorē fuisse. S. Paulinus.

Sodomæ euasit ignē, vt indicio hæc tes esset gehennalem ignem eos facilè euasuros, qui hospitalitatis amatores fuerint, & misericordiæ finus in alios expanderint. vide si non huc flexit sanctus Petrus Chrysologus serm. 42. *Loth quia hospitio suscepit Angelos iudicium præuenit. Hinc gehennam vicit in carne. Misericordem nescit diuinus ignis exurere; faciat ergo misericordiam qui vult gehennæ incendium non timere.*

Gehennalem ignem facilè euadit hospitalitatis sectator. S. Petr. Chry.

Fugiens Loth Sodomam, & impurarum ciuitatum ignem, montem petiit, in quam se reciperet, & saluaretur ab igne. obtinuit statim, quod petebat; data est vrbs ad munimen, licèt prius oblatus ei mons esset, audiuisserque, *in monte saluum te fac*; Gen. 19. innuit aliquid muratio ista refugij, vt exhibiro monte, ciuitas postularetur, & concederetur; ciuitas magis congruebat cum domo, cùm ex domibus pluribus formetur: vt igitur indicaretur, ob hospitalitatis meritum, qua hospites domo sua exceperat, ciuitatem in refugium datam, monte relicto, ciuitas datur; huc aduocanda verba sancti Paulini epist. ad Alethium; *Huius*, inquit, *mentis perfectio, vel istius perfectionis mens,* 788.

Vrbem in refugium accepit Loth, qui domum hospitibus exhibuit. Gen. 19.

S. Paulin.

iam

iam ab origine seculi iustum Loth ab illo Pentapolitano incendio liberauit, meruitque pro hospitali domo, tantam non in domum vrbem munere Dei sortitus accipere.

Ab hospitali domo ad cœlestem rapiemur.
S. Ambr.

Quid in cœlum ipsum, in æternaque illa tabernacula domus ipsa versetur, in qua hospites exceperimus; certe ab hospitali domo ad cœlestem rapiemur. Sancti Ambrosij hæc sunt verba lib. 1. offic. cap. 11. *Si nudum vestias, te ipsum induis iustitiam: si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula.* & lib. de viduis sic ad hospitalitatem nos inhortatur: *Salubre est præceptum hospitalitatis aduertere, vt hospitibus deferamus, quia nos quoque sumus hospites mundi.*

Sit hospitum receptor, qui hospes est mundi.
Idem.
Copiosa hospitalitatis messis.
S. Chryſ.

Nemo auaritiæ sordibus infectus, sibi deperire putet, quod hospitibus exhibet, non pereunt, sed augentur potiùs, vt instar seminis se habeant, quod semini incréditum multiplicatúmque erumpit. Viduæ illius exemplo, quæ Eliam recepit hospitio, sic rem firmat sanctus Chrysostomus tom. 6. orat. in sanctos Petrum, & Eliam: *Hospitalitatis semen vidua sparsit, & statim florentem, atque* COPIOSAM *hospitalitatis* MESSEM COLLEGIT. *Quid enim Elias ait viduæ? Viuit Dominus, hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non imminuetur*; adeò non deperit, quod hospitibus impenditur.

Vt diuinitùs probata hospitalitas.
Vit. Pat.

Arbor diuinitus inclinata senis cuiusdam hospitalitatem prodidit, & probauit res his verbis narratur in vitis Patrum lib. 5. libello 13. qui est de hospitalitate num. 9. *Dicebant de quodam sene in Syria, qui iuxta viam eremi habitabat, & hoc erat opus eius, vt quacumque hora veniret Monachus de Eremo, cum fiducia faciebat eum reficere. Venit ergo aliquando vnus solitarius, & ille petebat ab eo, vt gustaret. Qui cùm nollet gustare dicens, Ego ieiuno. Contristatus senex dixit ei: Ne prætermittas puerum tuum obsecro te, ne despicias me, sed veni, oremus, ecce enim arbor hic est, cum quo curuante genu, & orante inclinata fuerit, ipsum sequamur. Curuauit ergo ille solitarius genu in oratione, & nihil factum est. Flexit etiam senex ille, qui eum susceperat, genu, & statim curuata est etiam arbor illa cum ipso; quod cùm vidissent, gauisi sunt, & gratias egerunt Deo semper mirabilia facienti.*

EXCVRSVS CXXXVI.

Quid ignotos hospites non recipere.

Ignoti *notio plerisque ignota.*
Græca lectio *cuidam corrupta, eius error, & deceptio.*
Ignotus *pro ignorante.*
Notus *de noscente.*
Nesclus *pro ignoto.*
Ignatus *de ignorato.*
Nescius *de ignoto.*
Felices hospitalitatis nundinæ.
Sumptus *in hospite quæstus est.*
Hospitalitas gemmis *pretiosis præferenda.*
Debiles & claudi hiacynthis, *&* smaragdis *pariati.*

789.
Ignoti notio plerisque ignota.
Sap. 19. 13.

Recipiendos hospites dum suademus calamo, ipso ipsam hospitalitatem excipiemus, excipiet ipsa suo sinu obsequium calami; explicandum hîc est, quid sit ignotos hospites recipere; Sap. 19. v. 13. hæc leguntur. *Detestabiliorem in hospitalitatem instituerunt; alij quidam ignotos non recipiebant aduenas; alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant*; facilis, ac plana sententia, Ægyptij, & Sodomæ populi inhospitalitatis insimulantur, & arguuntur, quámque fuerint inhumani in extraneos his verbis ostenditur; ignoti verò notio ignota est, vt nonnulli à vulgata lectione, vt quæ cum Græcis originibus non cohæreat desciuerint, & versionem hucusque receptam repudiauerint, vnde tempus inutiliter non combussero, si quæ huic verbo notio subsit, ac vis, breuiter dabo, vt ab omni nota doctissimus interpres vindicetur.

Græca lectio cuidam corrupta, eius error, & deceptio.

Magnum negotium hæc vox exhibuit etiam viris magnis, & in primis adeò Petri Nannij Alchmarij mentem torsit, vt cùm ipsi videretur cum Græco fonte non cohærere, aliter hunc locum vertendum putarit, & lectionem aliam nobis obtruserit. nam cùm in Græco sit, Οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγνοοῦντας οὐκ ἐδέχοντο παρόντας. οὗτοι δ' εὐεργέτας ξένους ἐδουλοῦντο: non ignotus, sed ignorantes actiuè transferri debebat. Sed audiamus quę ille in scholiis ad hunc locum affert. *Iam illud*, inquit, *participium* ἀγνοοῦντας *admodum mihi est suspectum, quod cùm sit actiui generis, non pro ignotis, sed pro ignorantibus exponunt, quam obrem mecum ambigo, num vetus interpres legerit* ἀγνῶτας, *quòd si alteram diuinationem adiungi licet, mallem legere pro* ἀγνοοῦντας ἀγνωμονοῦντας, *hoc est, malignè agentes. Atque ea tum esset sententia, quum duplices sint hostes, & qui excipiuntur, & qui excipiunt, isti nec eos, qui ad ipsos adueniebant, benignè receperunt, & illos qui ipsos hospitio susceperant, in seruitutem redegerunt.* Hæc ille.

Sed frustrà hic auctor fuit, & qui eum secuti fuerunt, benè interpres vertit, nec tam facilè lectio Græca, aut Latina immutari debet, vbi editiones omnes conuincont, & sensus optimus, & cohærens euadit. nos hanc nebulam depellemus, & vulgatam, & hucusque receptam lectionem tum Græcam, tum Latinam ab hac vellicatione defendamus.

Res, quæ huic auctori imposuit, & his, qui Græcam lectionem putarunt corruptam, aut latinè malè redditam, fuit, quia putarunt hîc τὸ *ignotos* passiuè sumi, cùm Græcè ἀγνοοῦντας sit actiuæ significationis; esse verò insolens apud Latinos ignotum de nesciente, & ignorante actiuè dici; sed Latinæ phrasis vsum videntur ignorasse, quæ ignotum, aut notum etiam actiuè capit, itaque per ignotos errantes, & ignorantes interpretor, & probè, ac latinè vertisse interpretem ex probis, & Latinis auctoribus probo. Noto igitur vt hanc notionem firmam apud bonos auctores ignotum de errante, & ignorante actiuè sumi. Locuples huius significationis testis est Plautus in Mænech. act. 2. sc. 2. sic enim ait:

Ignotus pro ignorante.
Plaut.

Nam ego quidem insanum esse te certè scio,
Qui mihi molestus homini ignoto quisquis es.

idest, ignoranti, vt notauit & Lambinus hîc, quod etiam probat ex Cicerone, cuius verba affert, & sunt ita. Atqui illi artifices corporis simulachra ignotis nota faciebant.

Lamb.
Cic.

Habes ex duobus latinitatis fontibus ignotum actiuè de ignorantibus sumi; concinit igitur Latina lectio Græcæ, nec vlla immutanda, aut vt corrupta, & deprauata explodenda: sensus igitur vt adeò inhumani, & inhospitales erant, vt nec errantes, atque ignaros reciperent, tantæ erant immanitatis, vt pallantes, & qui nullam notitiam vsúmque habebant eiicerent, ac propulsarent. Inutiliter ergo se torquent, qui alia ratione Latinam lectioni Græcæ conciliare conantur.

Sed

790. *Notum de noscente.* Sed vt sensus iste etiam ex nostris firmetur, & aliis sacræ Scripturæ locis lucem aliquam immittamus, obsecuo vt ignorum latinissimè de ignorante actiuè dicitur, ita & notum pro noscente vsurpatum. sic Psalm. 87. *Longè fecisti notos meos à me*, id est, eos qui me probè nouerant. Quod monuit etiam Beatus Augustinus in huius Psalmi commentario; cuius hæc verba sunt. *Longè fecisti notos meos à me, si eos quos nouerat accepimus dictos esse notos meos, omnes erunt. nam quem ille non nouerat? sed eos dicit notos, quibus & ipse notus erat quantum enim tunc nosse potuerunt.* Vides per notos, noscentes intelligere beatum Patrem. Nec abit Euthymius ad illa verba, *Elongasti à me amicam, & proximum, & notos meos a miseria.* Sic enim hunc locum edisserit, *Elongasti à me notos meos, sanctos scilicet Angelos, qui antequam peccarem amicissimi, atque beneuoli mihi erant, illis tunc notus eram, verùm nunc ob peccata abominantur me.* Vbi interim vides quàm peccata custodes Angeli auertentur.

Psal 87. — S. August. — Euthym.

Nescius pro ignoto. Sed vt ignotum pro ignorante poni, ex probæ notæ scriptoribus probauimus, ita & vicissim nescius, & ignarus pro ignoto à bonis auctoribus non semel vsurpatur. Ita capiendus Tacitus 12. Annal. dum scribit ad hunc modum. *Dementiam, ac iustitiam quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capessere*; ignara pro ignota posuit, vt etiam notauit Lipsius. Hæc alio sensu extulit hoc verbum Virg. 10. Æneid. dum canit,

Tacit. — Lips.

Occupat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.

Ignarus de ignorato. Virg. Seru. Seruius ignoratum exponit; sic enim ad hunc locum scribit, *Vera est lectio ignarum, idest, ignoratum, qui nesciretur.*

Nescius de ignoto. Eadem plerumque notio subest τῷ *nescius*, licèt enim trita significatione actiuè sumatur de eo qui nescit, & ignorat, non semel tamen reperitur apud optimos scriptores pro ignoto. Plaut. in Rudent. act. 1. scen. 5. *qua in locis nesciis nescia spe sumus*; idest, in locis ignotis incerta spe. Huc vocant aliqui ea Virgilij verba 4. Æneid.

Plaut. — Virg.

——Liquitque volatile ferrum

Nescius

idest, occultatus, ignoratus.

Non mirum igitur si doctissimus interpres, ignotos dicat pro nescientes, vnde non ὀγνῶμε legendum est, sed ἀγνοοῦντας, quod omnes antiquæ, & correctissimæ quas viderim editiones habent. Sicque plenior sensus euadit, vulgatique versio eximitur ab omni nota.

791. *Felices hospitalitatis nundina.* S. Petr. Dam. Sed age vtili aliquo monito excursum ritum obsignemus, hospitalitatis exercitio velut in nundinis fit, multum lucri posse nos acquirere innuebat sanctus Petrus Damianus opusc. 9. cap. 1. in hæc verba. *Felices nundinæ tuæ, in quibus datur hospitium, suscipitur habitaculum, præbetur panis exiguus, recipitur regnum, porrigitur nummus, comparatur aula cælorum.*

Sumptus in hospite quæstus est. Plaut. Vel Ethnicus auctor sumptus in hospite quæstus dixit. Plautus in Phil. ita sentit,

In mala vxore si quid sumas, sumptus est.
In bono hospite, atque amico quæstus est, quod sumitur,
Et quid in diuinis rebus sumas sapienti lucro est.

Hospitalitas gemmis pretiosis præferenda. S. Chrys. Hospitalitatem pretiosis gemmis anteferendam censebat sanctus Chrysostomus homil. de eleem. & hospit. *His itaque omnibus reiectis, quæ solent è turba mulierculæ saltatrices insuper, & tibicinæ magnificare circumcingente sapientia, hospitalitatem exercere, continenter orationi incumbe videbis hæc fore auratis vestibus potiora, gemmisque pretiosis, & monilibus longo interuallo præstare.* Hoc idem habet idem sanctus Pater homil. 30. in epist. ad Romanos, in hæc verba: *Philosophiam ambi hospitalitatem, & continuas preces meliora sunt ista vestibus deauratis, lapidibus pretiosis, in auribúsque honestiora.* Huc vocari potest quod narrat Palladius in historia Lausiaca cap. 5. de sancto Macario; ait enim. *Habet Ptochotrophium in superiori quidem parte mulieres, in inferiori autem viros. cùm ea (virgo auara) autem accessisset, introducit eam in vestibulum, & dicit ei sanctus Macarius, Quid vis primum videre,* HIACYNTHOS, AN SMARAGDOS? *ea verò illi dicit, quod tibi videtur. Ille verò eam ducit in partem superiorem, & ostendit ei mulieres mancas, ac mutilatas, & orbatas oculis, & dicit ei, Ecce hiacynthi. deinde deducit, eam in partem inferiorem, & ostendit ei viros, dicens, Ecce smaragdi, & existimo non inueniri his pretiosiores.* hac eadem mente pauperes à diuitibus inspicerentur, reciperentur, idem de indigentibus sentirent, promptiùs enim eis hospitium exhiberent, meliùs tractarent, prolixiúsque.

Debiles & claudi hiacynthis, & smaragdis pariati. Pallad.

EXCVRSVS CXXXVII.

Pleræque circa hospitalitatem obseruationes, pleraque vtilia monita.

Cur natus Christus in Ægyptum *ierit.*
Hospitalitas *hinc commendata.*
Dei iram *timere debet qui Dei seruis non occurrit, & non succurrit.*
Peregrini non recepti qua olim formula *vterentur.*
Prophetandi *gratiam per hospitalitatem Abdias consequutus est.*
Iob *eximius hospitalitatis cultor.*
Domus fores *cur plateam versùs.*
Abraham *ab hospitibus Dei cultum pro mercede exigebat.*
In Dei lege *hospites erudiebat Abraham.*
Hospites ab Assyriis *Doctores appellati.*
Hospitio receptus præstare *quid debeat.*
Iter habentes *illud hospitium recedentes ferè adibant, ad quod euntes se contulerant.*
Vouere *domum in aduenientium hospitium Christianorum mos.*
Cellulæ *hospitales recipiendis hospitibus.*
Grauiter mulctati *hospites non recipientes; Leucanorum mos.*
Iouem ξένιον *ab hospitalitate dicebant*; hospitalis *tessera.*
Ab hospitalite *bonorum virorum terminus quænam ciuitas dicta.*
Dei seruos, *vt olim ad hospitium fideles allicerent.*
Gothi *vt benignè aduenas admittant.*
Gothorum, *& Suecorum* lex *circa peregrinorum receptionem.*
VVandalorum alacritas *in suscipiendis hospitibus.*
Celtiberi *vt benignè hospites recipiant.*
Hospites tuba *excepti.*
Cuiusdam hospitalitas *remunerata.*
Zachæus *in vitam sanctam mutatus hospitio Dominum recipient.*

Hospites

Hospites *ab aliquibus deuorati.*
Lacones *inhospitalitatis nota laborabant.*
Tauri, *&* Pontici *hospites immolabant.*
Laconizare *pro hospites reiicere.*
Notati qui penuria, & necessitatis tempore peregrinos *ab vrbe excludebant.*

792. *Cur natus Christus in Ægyptum iuit.*

QVia hîc sumus, præstabit alia in hospitalitatis commendationem adiicere, quibus ad illam maiorum nostrorũ exemplo animamur. Nam casu accidit Dei filium dũ vix ex matris sinu prodiisset, in Ægyptũ, quæ vitiorum omnium monstra alebat, se contulisse; an deerant illi alia loca, ad quæ se commodiùs conferret: non deerant; sed in Ægyptum iuit, vt Ægyptum præsentia sua ditaret; cur ita? vt multę adfuerint causæ, adfuit etiam ista, quia licèt criminibus refertissima fuerit Ægyptus, hoc boni olim tamen præstitit, vt hospitio Iosephum receperit, benè, benignéque Dei populum, saltem dum Ioseph viueret, illum tractauerit, sic obseruabat B. Dionys. Carthus. in cap. 2. Matth. ad illa verba: *Secessit in Ægyptum,* subdit enim, *Quæritur cur potiùs Ægyptum ingressus sit Christus? Respondendum, quoniam Ægypty olim tempore Ioseph circa populum Israel multum beneuoli erant.* Scilicet tam grata Deo hospitalitas, inque seruos suos beneficentia, hic tam singulare beneficio afficeret Ægyptum, quòd populum suum multis annis aluerit, licèt tandem afflictum, & laboribus oppressum eum impius Pharao dimiserit ab Ægypto; quid à Deo boni sperandum, si plenæ, perfectæque hospitalitatis munera exercuerimus.

Hospitalitas bene commendata. Matth. 2. B Dio. Cart.

Contrà, Dei iram timere debent, qui seruis suis indigentibus non occurrunt, non succurrunt cùm possint, quod in hunc modum colligebat S. Petrus Damianus opusc. 9. c. 1. *Quibus,* inquit, *profectò valdè formidandum est, quod in Deuteronomio per Moysen Israelitico populo dictum est, Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto. Nam si gentes illæ vtique non habentes, idcirco ab Ecclesia Dei irreuocabiliter excluduntur, quoniam inimicis etiam suis per humanitatis officium occurrere neglexerunt; quàm terribili sententia digni sunt, qui viscera sua ab indigentibus proximis claudunt? qui charitatem fratribus non impendunt?*

Dei iram timere debet, qui Dei seruis non occurrit, non succurrit. Deut. 23. S. Petr. Dam.

793. *Peregrini nõ recepti qua olim formula vterentur.* S. Aug.

Peregrini dum in orbe aliqua à fidelibus non reciperentur, inclamare hoc solebant, inhumanam esse illam ciuitatem, & apud ipsos barbaros hospitium, refugiúmque se fuisse recepturos, si ad ipsos confugissent; hoc continent hæc sancti Augustini verba enarrat. in Psal. 57. *Peregrinus tecto indigens venit in patriam tuam, non suscipitur ille: tunc clamat inhumanam esse illam ciuitatem, facilè apud Barbaros sibi esse potuisse refugium. Sentit iniquitatem, quia patitur: tu forte non sentis.*

Prophetandi gratiam per hospitalitatẽ Abdias consequutus est. 3. Reg. 18. 4. S. Petr. Dam.

Quid boni ex hospitum receptione recipiatur Abdię exemplo ostendit S. Petrus Damianus serm. 20. *Sicut est ille in hospitalitate non dispar Abdias, dum Prophetas pascit in specubus, prophetandi gratiam & ipse meretur.* Respicit ad locum illum 3. Reg. 18. 4. *Abdias timebat Dominum valde, nam cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua;* hoc idem vrget idem S. Pater serm. 54. & luculentiùs premit in hunc modum: *Sic olim dispensator ille domus regia Abdias, quia Prophetas centum in specubus absconditos pauit, prophetalem gratiam & ipse postmodum dignè remuneratus, accepit. Et qui tunc pane simul & aqua Prophetarum aluit pia sedulitatis ministerio turbam, nunc prophetiæ suæ oraculis, cœlestibus videlicet alimentis, vniuersam recreat, & pascit Ecclesiam.*

Hospitalitatis laude valdè fuit insignis Iob, qui de se ipso c. 31. v. 32. ita scribit: *Foris non mansit peregrinus; ostium meum viatori patuit;* libentissimo animo obuios quosque hospites, ac peregrinos recipiebam, nec minus ostium animi, quam domus cuilibet viatori, & transeunti patebat. Vatablus in scholiis n. 33. alium sensum ex Hebraico fonte inuehit nõ ineptum, neque spernendum, legit enim; *ostium meum viatori patuit. Hebr. ad iter, aut iuxta iter;* idest, vt faciliùs declinarent in domum meam peregrini, ac si ad eam partem apertum esset domus ostium, quæ publicam viam respiceret, vnde peregrini, & viatores non facilè domum eius possent prætetire, & mutæ domus fores quodammodo prætereuntes allicerent, ac inuitarent. 794.

794. *Iobus eximius hospitalitatis cultor,* Iob 31. 32.

Hunc sensum ex quodam Hebræorum apophthegmate illustro, ac firmo. Ioseph Ioannides Ierosolymitanus celebris inter antiquos Hebræorum Patres, sic aiebat, *Domus tua plateam versùs patens esto,* quo dicto illud significabat, vt hospitalis quisque esset, & nullus hospites, & peregrinos excipere defugeret, sed potiùs ostio ad plateam verso omnes ad hospitium alliceret. Plena perfecit hoc Iob, dum inquit, *ostium meum iuxta iter*, respicit ad eam partem domus meæ ostium, quam adueniunt viatores, vt ex domus ipsius situatione veluti quadam voce eos ad ma[...]endum vocare videar.

Domus fores cur plateam versùs. Ioseph.

Illud dignum est, quod non supprimatur, Abrahamum pro hospitalitatis mercede hoc ab hospitibus exegisse, vt creatorem cœli, & terræ, qui hæc illis dedisset, timerent, & colerent. Sic tradit Ionathas, eum cũ iis, quos hospitio recipiebat, pro mercede consueuisse pacisci, vt Deum omnis boni auctorem colerent, ac venerarentur. Existimo etiã in Dei lege hospites instituisse, quæque ad Dei præcepta seruanda pertinerent, diligenter edocuisse. Hinc Vallis illustris, in qua morabatur Abraham Gen. 12. 6. dicitur in Hebræo אלן מורה *elon more.* idest, quercus monstratoris, vel Doctoris, quod videlicet ibi ita hospites reciperet, vt etiam erudiret, in Deique lege instrueret, vt nonnulli explicãt. Et verò non fuit insolens olim hospites simul Doctores fuisse. Lucianus in Dea Syria. *In sacra ciuitate erant publici hospites, qui ab Assyriis appellabantur Doctores, quoniam ipsis omnia exponunt, & enarrant.*

Abraham ab hospitibus Dei cultum pro mercede exigebat. Ionath.

In lege Dei hospites erudiebat Abraham. Gen. 12. 6.

Hospites ab Assyriis Doctores appellati. Lucian.

795. *Hospitio receptus præstare quid debeat.* Hebr.

Apud Hebræos qui hospitio recipitur in omnibus hospiti videtur parere, vt nullum honorem repudiet, obsequium nullum, néve impudenter se agat. Sic in שלחן ערוך tract. de iis, quæ ad mẽsam, הנכנס לביתבר כל מה שיאמר לובעל הבית יעשה. idest, *Qui domum ingreditur quicquid dominus domus iusserit domus præstare debet*, viget & hoc apud illos prouerbiũ ei, qui alterius domum adit, omnia præstãda sunt, excepto quòd ex se ipso discedere debet, nec productiori tẽpore hospitem onerare; Hebræa eadem cũ superioribus, nisi quod addunt חוץ מצא *excepto exitu,* qui expectandus non est vt videatur.

Iter habentes, & per locum aliquem transeuntes, apud illum redeũtes hospitabãtur, apud quem recepti fuerant dũ irent. Gen. 13. de Abrahã: *Reuersus est per iter, quo venerat;* Lyranus ex Hebręo legit: *Per mãsiones quibus venerat,* additq; ad explicatũ: *Homines reuertentes ad terrã suam, vnde exirent, cõsueuerant accipere hospitiũ redeũdo vbi fuerãt priùs hospitati eũdo.*

Iter habentes illud hospitiũ redeuntes ferè adibant, ad quod euntes se contulerant. Lyran.

Christiani primæui sæculi adeò ad hospitalitatem propensi erant, vt solerent vouere domos suas in hospitium aduenientibus peregrinis. Meminit

Vouere domũ in aduenientiũ hospitium Christianorũ mos.

S. August.

minit huius moris Beatus Augustinus in Psal. 75. dum ait: *Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus Sanctis aduenientibus, magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum magnum votum vouit. Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* hæc sanctus hie, digna res, quam fideles nostri temporis imitentur.

Cellulæ hospitales recipiendis hospitibus.

Addo & cellulas hospitales habere solitos, quæ hospitibus recipiendis deseruirent. S. Paulinus de se ipso ita scribit epist. 10. ad Seuerum. *Tugurium vero nostrum, quod a terra suspensum cœnaculo vna porticu cellulis hospitalibus interposita, longius tenditur, quasi dilatatum gratia Domini.* Digna res, quæ in cæterorum Præsulum exemplum eat, imitatores Episcopos habeat.

796. Grauiter mulctati hospites non recipientes, Leucanorum mos. Ælianus.

Celebre est, vt etiam de Gentilibus aliqua producam, plerosque populos ita hospitalitatis amatores exstitisse, vt grauiter mulctaretur, qui hospites non recepisset. Hoc de Leucanis narrat Ælianus lib. 4. *Leucanorum quadam lex sic se habet, si sub occasum Solis venerit peregrinus, volueritque sub tectum alicuius diuertere, & is hominem non susceperit mulctetur, & pœnas luat inhospitalitatis.* Hæc ille, quæ res Christianis pudorem ingerere potest, si inhospitales fuerint; verùm eos iustior Christi lex pœna maiori mulctat.

Iouem Xenium hospitalitatis dicebant, hospitalia tessera.

Adeò verò fuit etiam Gentilibus curæ hospitalitas, vt Iouem peculiari epitheto ξένιον cognominarent, idest, hospitalem, & hospitali tessera inter se vterentur, genúsque hoc amicitiæ ξενίας vocarent si publicum foret, si priuatum ἰδιοξενίας.

Ab hospitalitate bonorum virorum terminus quarti ciuitas dicta. Mol.

Ab hospitalitate ciuitas Attrebatum, *bonorum virorum terminus* dicta est, vt refert Molanus in vita sancti Vulgaris confessoris 2. Nouembris.

Dei seruos, vt alim ad hospitium fideles alliceret. B. Beda.

Dei seruos vt faciliùs ad hospitium suum fideles allicerent, suæ domus inquilinos haberent, participes suæ mensæ, quandoque pollicebantur se illis id facientibus eleemosynas pauperibus erogaturos. De sancto Ioanne Haguftaldensi Episcopo ita scribit Beda lib. 5. Hist. Anglorum, vt refert Surius 7. Maij, vbi vnius miraculi recensionē adiicit: *Aliud quoque non multum huic dissimile miraculum de præfato Antistite narrauit idem Abbas, dicēs: Villa erat Comitis cuiusdam, quæ vocabatur Huch, non longè a monasterio, idest, duorum ferme milliarium spatio separata; cuius coniux quadraginta ferme diebus erat acerbissimo languore detenta, ita vt tribus septimanis non posset de cubiculo, in quo iacebat, foras efferri. Contigit autem eo tempore virum Dei illo ad dedicandam Ecclesiam ab eodem Comite vocari. Cùmque dedicata esset Ecclesia, rogauit Comes ad prandendum domum suam ingredi; sed renuit Episcopus, dicens se ad monasterium, quod proximum erat, reuerti debere. At ille obnixius precibus instans vouit etiam se eleemosynas pauperibus daturũ, dummodo ille dignaretur ea die domum suam ingrediens, ieiunium soluere. Rogaui, & ego vnà cum illo, promittens etiam me eleemosynas in alimoniam inopum dare, dum ille domum Comitis pransurus, ac benedictionem daturus intraret.*

797. Gothi vt benignè aduenas admittant.

Gothi, & Sueci aduenas non solùm benignè admittunt, sed cuncta ad liberalem conuictum necessaria gratis, & sine vlla numismatis compēsatione subministrant: deinde equis, vel iumentis ad vicinos deducent, eisque commendant. Fitque nō rarò lis inter populares, quis peregrinū excipiat. Summa enim laude ille à cæteris efferri consueuit, qui plures aduenas liberali hospitio collegerit: quemadmodum ille publico odio dignus, qui cibum, potúmque negauerit itineranti; sic ferè ex Ioanne Magno lib. 4. c. 2. vbi hoc quoque adiicit: Carolus Guthorum, & Sueonum antiquus Rex, inter ma-

Ioan. Mag. Gothorum, & Sueonum.

Sueonū lex circa peregrinorum receptionem.

ximas leges constituit, vt Gothi ac Sueci inter se, & maximè in omnes aduenas & peregrinos, hospitalitatem obseruarent, summúmque nefas ducerent, quicunque viatorē tecto arceret: quod si quis facere tentasset, & idoneis testibus ter negare hospitium conuictus fuisset, immisso igne à des eius comburi iussit, vt domibus proprijs iuste priuaretur, qui earum vsum inhumaniter denegasset. Hinc ego deductum puto, quòd vix alibi in tota Europa promptior, liberaliórque hospitalitas, quàm apud Suecones, & Guthos hodie inueniatur.

VVandalorū alacritas in suscipiendis hospitibus. Crantz.

VVandali olim, vt ait Crantzius lib. 4. VVandaliæ c. 23. in suscipiendis hospitibus populariter alacres fuere, hospitium vltrò offerentes: quicquid ex agricultura, piscationibus, aut venatione cōquirebant, totum in largitatis opus conferebant, eo fortiorem quemque, quo profusiore iactantes. Cuius ostentationis causa multi ad furta, & latrocinia pronebebantur, & excusantes hospitalitatis palliatione, VVandalorum enim legibus, quod noctu furatus fueris, crastino die hospitibus disparties. si quis peregrinum hospitio expulisse deprehensus esset, eius domum, & facultates vel diripere, vel incendio licebat consumere.

798. Celtiberi vt benignè hospites recipiant. Diod.

Celtiberi aduenientes externos benignè hospitio recipiunt: adeò vt æmulatione quadam inuicem pro illorum honore certent. Quos aduenæ sequuntur, hos laudant, amicosque Deorum putant, vt ait Diodorus lib. 5. cap. 9.

Hospites tuba excepti. Iouin. Pont.

Apud aliquos inualuit hic mos etiam ad nostra tempora deuolutus, vt refert Iouinus Pōtanus lib. de liberal. c. 23. vt cùm peregrinus quispiam in aliquod oppidum ingreditur, & se in hospitium recipit, qui dignitatem aliquam præseferat, adsint tubicines, qui postquam tuba eum salutauerunt, dono se aliquo cumulari expectent.

Cuiusdam hospitalitas remunerata. Crom.

Satis grande munus non tubicini, sed hospitis receptori est hospitis receptio; Piasto Crusuicensi agricolæ erga peregrinos duos hospitalitas Poloniæ regnū cōciliauit, vt referebat Cromerus lib. 2.

Zachæus in virum sanctū mutatus hospitio Domini recepti. S. Aug.

Feliciter Zachæus, *qui cùm hospitio Dominum suscepisset*, verba sunt sancti Augustini epist. 54. quæ est ad Macedonium, *in virum sanctum repentè mutatus est*, vt hoc exēplo doceremur, quid boni sperare ab hospitalitate possimus, mutari in virum alterum inceperit cùm transeuntem Dominum in arbore vidit, perfectè tamen mutatus est, alios induit mores, aliam mentem, cùm Christum Dominum recepit hospitio, vt hospitalitatis priuilegiū appareret.

Hospites ab aliquibus deuorati. Cæsarius.

Quidam non hominum, sed ferarum more adeò ab omni humanitate exules erant, vt non benignè hospites ad mensam admitterent, sed mensę apponerent, & vorarent. Cæsarius Dial. 2. ita scribit: *In Hesperiis autem regionibus vltra Indos habitant quidam, qui hospites deuorant, & aduenas interficientes comedunt, neque vlla stellarum beneficarum à cade ipsos auertere potuit, vsque in hodiernum diem.* Vide quæ de hac re externi scriptores tradidere.

799. Lacones inhospitalitatis nota laborabant. Cælius Rho.

Plerique expellebant hospites, non hospitio excipiebant. Notantur hac inhumanitate Lacones, vt testatur Cælius Rhodig. lib. 18. lect. antiq. c. 5. *Iucessitur*, inquit, *à celeberrimis auctoribus Laconum ξενηλασία, quod verbum significat hospitum expulsionem, siquidem non tempore omni peregrinis licebat Spartam adire, sed præstitutis diebus, quod à Lycurgo sancitum, auctor est Thucydides.* Hęc Cælius. hinc λακωνίζειν, pro hospites reiicere; Philostratus in epist. hoc sensu extulit hoc verbum, μὴ, *inquit*, λακωνίζε ὦ γύναι, μὴ δὲ μιμοῦ τὸν Λυκοῦργον ξενηλασίας ἔρως ἐν ἴχνε: idest, *ne Laconiza vxor, neque Lycurgum imitare, peregrinorum depulsionem amor non nouit.*

Laconizare pro hospites reiicere. Phylostr.

Imma

Tauri, & Pontici hospites immolabant. Arnobius. Orig.

Immaniores erant Tauri, & Pontici, qui hospites immolabant; de his enim loquens Arnobius, ait: *Tauris, Ponticis, & Ægyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare.* Idem habet Origenes lib. 5. contra Celsum. *Quomodo*, inquit, *nefas sit, soluere leges Taurorum, exempli gratia; hospites pro victimis Dianæ mactantium, aut Afrorum filios Saturno immolantium.* Hæc ille.

Notati qui penuria & necessitatis tempore peregrinos ab Vrbe excludebant. S. Ambr.

Tetigit in hac re & nonnullos ex nostris aliqua sæuities, quos lego penuriæ, & famis tempore legem tulisse, vt hospites, & omnes peregrini expellerentur, & abire cogerentur. Grauiter in hanc legem inuehitur Beatus Ambrosius lib. 3. offic. cap. 7. *Sed & illi*, inquit, *qui peregrinos vrbe prohibent, nequaquam probandi expellere eo tempore, quo deberent iuuare, separare à commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare inita iam consortia viuendi, auocare cum quibus fuerint communia iura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri? feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem.* Hæc B. Ambrosius. Exulet inhumanitas ita ab hominum, præsertim Christianorum consortio, sit Christiani populi nota, atque veluti regius character humanitas, & hospitalitas.

EXCVRSVS CXXXVIII.

Hospitibus pedes abluti.

Hospitum pedes *abluere olim maximè in vsu; reddita huius ritus ratio.*

Frigida ne, *an* calida *aqua lauandis hospitum pedibus adhibita fuerit ab Abraham.*

An camelorum pedes *abluti.*

Quadam lectio *expuncta.*

Tangendi *tanquam res sacra hospitum pedes.*

Nobiles mulieres *pedes hospitibus suis manibus abluebant.*

Puellæ, *& vniuersè* mulieres *olim hospitum pedes abluere solebant.*

Ablutos hospitum pedes *etiam vngebant mulieres.*

Mulieres virorum *pedes abstergebant etiam apud Hebræos.*

Humilitas Abigail, *quæ non Dauidis pedes, sed eius seruorum ablutaram se spondet.*

Hospitio recipiens Christum Pharisæus, *debebat illi pedes abluere, quod à Magdalena præstitum.*

Christi pedes *quàm Magdalenæ, quàm aliis salutares.*

Magdalena *Christi sui pedes osculans expenditur.*

Sacrarium, *&* altare *in Christi pedes inuenit Magdalena, vbi se immolaret.*

Abrahæ exemplo in operibus hospitalitatis filij *exercendi.*

Plura hospitibus re *præstanda, quàm* verbis *promittantur.*

Extraneorum conuiuia *vitanda vt hospites recipiantur.*

Ægrè hospites dimittendi.

Caro *in spiritũ vt hospitalitatem exerceat.*

800. MVlta humanitatis officia in hospites antiqui ostendebant, illud maximè in vsu, vt eorum

pedes abluerent; extant huius ritus in sacris litteris exempla non pauca. Nos hîc opportunè aliqua de hac Hebræorum consuetudine, aliis aut indicta, aut non ita solidè tacta, breuiter edisseremus.

Hospitum pedes abluere olim maximè in vsu, reddita huius ritus ratio. Oleast.

Obseruo in primis ita hospitibus, & aduenientibus pedes abluere solitos, quia ferè tunc pedites incedebant, & nudis pedibus, vnde post itinera ablutione indigere videbantur. Ita censuit etiam doctissimus Oleaster in cap. 19. Gen. sic enim scribit. *Ratio, vt reor, quare tunc hospitibus aqua ad pedes abluendos ad ingressum dabatur, est, quia omnes pedites incedebant, nec erat tunc vsus equorum, ideo ne illotis pedibus domum fœdarent, atque etiam vt meliùs quiescerent, pedes in ingressu lauare solebant, crediderim etiam tunc temporis nudis pedibus homines incessisse.* Hæc Oleaster, quæ fuit etiam aliorum sententia. Hinc Abraham veræ hospitalitatis exemplar, dixit tribus Angelis, quos sub humana specie receperat tamquam hospites, & peregrinos, *afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros*, Genes. 18. vers. 4. Gen. 18. 4.

Frigida ne, an calida aqua lauandis hospitum pedibus adhibita fuerit ab Abraham. S. Chrys.

Ad quæ verba dubitant aliqui frigida ne, an calida iusserit Abraham hospitum pedes lauari, & cùm magnus æstus fuerit, diei que feruor, ad refrigerium frigidam adhibitam fuisse sentire videntur aliqui recentiores. Ego in aliam sententiam libentiùs eo, puto enim tepidam aquam lauandis hospitum pedibus exhibitam fuisse. Habeo huius sententionis testem locupletem Beatum Chrysostomum, qui homil. 41. in Genes. ita loquitur. *Aquam enim tepidam inquit*, (Abraham) *habeo ad lauandos pedes.* Nec est quòd ab eo recedamus, & licet non tam molles antiqui fuerint vt nostri, tamen in hospites officiosissimi erant.

Ex his etiam aliis sacrarum litterarum locis lux affulget; & in primis aperitur ille locus Genes. cap. 24. vers. 32. vbi de Laban habetur. *Et introduxit eum* (seruum Abrahæ) *in hospitium, ac destrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquas ad lauandos pedes eius, & virorum, qui venerant cum eo.* quia scilicet hæc consuetudo in hospites erat recepta. 801.

An camelorũ pedes abluti. Gen. 24. 32.

Quadam lectio expuncta.

Apud Steuchum exstat hæc lectio, *Ad lauandos pedes camelorum*; vnde non nemo putauit etiam brutis pedes lauari solitos, quod omnino reiiciendum est, sicut reiici, & explodi hæc lectio debet, quod rectè fecit Steuchus, dum ait: *Ad lauandos pedes eius, scilicet serui Abraham, non camelorum. Septuaginta quoque non de pedibus camelorum loquuntur, sed eius viri, ἢ νίψαι τοῖς ποσὶ αὐτοῦ: & aquam pedibus eius, quare enim in hospitio camelorum pedes lauentur non video.* Hæc Steuchus.

Hæc autem lectio, pedes camelorum, adeò obsona aliquibus visa, vt in nullis, neque Latinis, neque Hebraicis, aut Græcis codicibus reperiri affirmẽt, & frustrà fuisse Steuchum, qui lectionem expungendam monuerit, quæ nullibi exstat. Sic enim Martinus Del-Rius in sua Pharo ad hunc locum Steuchum vellicat, his verbis. Ad lauandos pedes eius; *quid sibi hic velit Steuchus nescio, nam in nullis exemplaribus Latinis vlla mentio lauandorum camelorum, vt nec in Hebrais, aut Græcis.* Hæc ille. Ergo censet id à Steucho fictum, quod numquam legitur, sed fallitur. Non vidit Del-Rius omnia exemplaria, editiones omnes, nam Antuerpiensis editio anni M. D. LXX. apud viduam, sic expressè habet: *Deditque paleam, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo.* Vnde

Mart Del-Rius.

iure monuit Eugubinus hanc lectionem reiiciendam, & iniuria, quòd id monuerit, queritur Martinus Del-Rius. Non facilè auctores carpi debent. Quid, quod Dionysius Carthusianus in cap. 7. Lucæ ad hanc lectionem, quam expungit Eugubinus respiciens, eaque deceptus ait: *Labam legitur dedisse aquam ad lauandos pedes Camelorum, & virorum, qui cum Abrahæ seruo aduenerant*; vt vel hinc appareat quàm iniustè Eugubinũ Delrius vellicauerit.

Tangendi tanquam res sacra hospitum pedes. S. Chrys.

802. Tangendos tamquam rem sacram sacrorum hominum pedes dum hospitio recipiuntur, suadebat sanctus Chrysostom. hom. 14. in epist. ad Timoth. vbi loquens de iis, qui in monasterio degunt, ait: *Perge ad illos, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes. Longè enim honorabilius est illorum pedes quàm aliorum caput attingere. Nam, quæso, si statuarum pedes plerique tenent quòd effigiem habeant regiam: tu illi qui Christum ipsum in se habet, pedes tum tenebis, vt saluus fias.* redeo ad ablutionem.

Nobiles mulieres pedes hospitibus suis manibus abluebant. 1. Tim 5. 9. Theophyl.

De pedum ablutione alia sunt, quæ à nobis quia hîc sumus afferantur; obseruo igitur etiam Christum hoc humanitatis officium instituisse ad fouendam, augendamque charitatem; & mulieres ipsas nobiles hospitibus suis manibus pedes abluisse. Vnde Paulus 1. ad Timoth. 5. v. 9. ait; *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit.* Quæ verba aliqui sic exponunt, lauit, idest, lauare fecit seruorum, aut ancillarum ministerio; sed huic expositioni non subsigno, nam bona opera hîc quæruntur, quæ vidua fecit, non quæ iussit; sed audiamus Theophylactum huic explicationi occurrentem; sic enim ait, dum hæc verba exponeret: *Hoc dixit, quia multæ quidem hospitales sunt, & hospitio recipiunt peregrinos, ac Sanctos, ipsæ autem per se ipsas non inseruiunt, sed per ancillas. Volens ergo viduam per se laborare, nec ignauam esse, ipsam per sese ministrare iubet, ignauia enim, & mollities delitiarum potius est & voluptaria. & aliter ne omnino penuriam prætexat alienam, quo minus sit hospitalis, vt quæ non abundet re familiari, neque diues sit, abluere, inquit, pedes non est magni sumptus, neque copiæ.* Hæc Theophylactus. Ex quo obiter vides, quàm mulieres pudicæ, & quàm pudici viri, & quàm magna fuerit illius temporis pudor, ac temperantia.

Puellæ & vniuersè mulieres olim hospitum pedes abluere solebant. Athen. Homer.

Et vt altiùs effodiam, obseruo antiquiori æuo puellas, ac mulieres hospitum pedes lauare solitas, sic Homeri tempore factitatum obseruauit Athenæus lib. 1. Gymnosoph. dum ait: *Introducit Homerus puellas, & mulieres, quæ lauant hospites, quasi neque inflammationem, neque intemperantiam patiantur, quæ bene vixerunt. Antiqua est autem hæc consuetudo.* Moris huius mentio fit ab Homero Odyss. 3. ad calcem, vbi ita scribit,

Interea Telemachum lauit pulchra Polycaste.

Ablutos hospitum pedes etiam vngebant mulieres. Homer. *Mulieres virorum pedes abstergebant etiam apud Hebræos.* 1. Reg. 25. 41.

Idem habet lib. 7. de ancillis Menelai. Addo virgines non solùm lauisse, sed etiam ablutos vnxisse: testis idem Poëta 3. Odyss.

Porrò postquam lauit, & vnxit pingui oleo,

Circum ipsum indusium pulchrum iecit, & tunicam.

Hunc eundem abluendi morem viguisse apud Hebræos coniicio, solebant enim virgines, ac puellæ virorum pedes lauare, ac tergere, nec coactè id colligo ex 1. Reg. 25. v. 41. vbi vocata casta Abigail a seruis Dauid, vt secum pergeret, Regis vxor futura; respondit: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Quibus verbis ostendit non insolens fuisse mulieres virorum pedes lauare, alioquin non tam humilitatem saperet hoc responsum, quàm impudentiæ notam contineret, si præter consuetudinem fuisset mulieres, virginésque virorum pedes contingere, & abstergere maculas. Pulchrè verò notat hîc Abulensis quæst. 15. humilem huius mulieris animum, dum dixit, *vt lauet pedes seruorum Domini mei*; *ista*, inquit Abulensis, *adhuc erat maior humilitas, quia non solùm dixit Abigail, quòd volebat esse ancilla Dauid ad lauandos pedes eius, sed ad lauandos pedes seruorum Dauid, istud enim erat infimum genus seruitutis, quod Abigail poterat præstare Dauid.* Hæc ille.

Humilitas Abigail quæ non Dauidis pedes, sed eius seruorum abluturam se spondet. Abul.

Hospitio recipiens Christũ Pharisæus debebat illi pedes abluere, quod à Magdalena præstitum. Luc. 7. B. Dio. Cart.

803. Ex his, quæ hucusque diximus, aliquam lucem immittere illis verbis possumus, quæ Christus hospitio à Pharisæo receptus dixit Pharisæo Luc. 7. *Aquam pedibus meis non dedisti, hic autem lachrymis rigauit pedes meos*; ac si diceret, meos pedes nec tu manibus tuis abluisti, nec tuis iussisti vt abluerent, quod hospitalitatis lex exigebat, quin & conuiuij. B. Dionysius Carthusianus ad hæc verba, *Aquam pedibus meis non dedisti*, ait: *idest, pedes meos aqua, quæ in promptu est, nec lauasti, nec lauari fecisti, cùm tamen hoc de iure, vel consuetudine hospitalitatis existat, & Christo præcipuè fieri debuit, qui nudis pedibus pergens pedes frequenter lassos, pulueratos, afflictos.* Abluit lachrymis Christi pedes Magdalena, & vnxit vnguento.

Christi pedes quàm Magdalena, quàm aliis salutares. B. Ælredus.

Magdalenam ad Christi pedes occurrentem ita commendat B. Ælredus; *Gratia tibi ô beatissima peccatrix, ostendenti mundo tutum suis peccatoribus locum, pedes scilicet Iesu, qui neminem spernunt, neminem proiiciunt, neminem repellunt, suscipiunt omnes, omnes admittunt. Vbi certe vel Æthiopissa mutat pellem suam; vbi Pardus mutat varietatem suam, vbi solus Pharisæus non expurgat superbiam suam.*

Magdalena Christi sui pedes osculãdo expenditur. Idem.

Eandem sanctam peccatricem ad Christi pedes se demittentem, eósque osculantem idem Beatus auctor extollebat in hæc verba: *Osculare, osculare, ô beata peccatrix, pedes dulcissimos, speciosissimos, suauissimos, quibus caput serpentis conteritur, ante quos antiquus hostis egreditur, quibus calcantur vitia, quibus mundi omnis sternitur gloria, quibus superborum, & sublimium colla mira virtute premuntur; Osculare, inquam, & felicibus allambe labiis vestigia, quæ nullus peccator post ea exhorreat, nullus quantumlibet criminosus refugiat, nullus expauescat indignus. Osculare, complectere, stringe, & Angelis, & hominibus adoranda vestigia, pœnitentiæ, & confessionis vnguento perfunde, vt tota domus impleatur odore vnguenti.*

Sacrarium, & altare in Christi pedes inuenit Magdalena vbi se immolaret. S. Paulinus.

804. Sacrarium, & altare Christi sui pedes constituisse Magdalenam, ibique affectum Deo sacrificium obtulisse, seque ipsi tanquam victimam libauisse, pulchrè asserebat sanctus Paulinus epist. 4. dum ait: *Non vnguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, quæ pudenter impudens, & piè improba, sine opprobriis, & repulsæ metu, extraneam sibi Dominũ Pharisæi non inuitata, illa vi petulans penetrauit, quæ rapitur regnum cælorum, & tantum verbi cœlestis esuriens, non ad opes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, séque in illis abluit, & cibauit, atque ipsos sibi pedes, sacrarium (vt ita dixerim) & altare constituit. In quibus libauit fletu, litauit vnguento, sacrificauit affectu, sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Quem illa immolans Deo, non solum remissionem delictorum, sed & gloriam prædicandi cum Euangelio nominis meruit.* Quæ imitata est errantem, sequatur Magdalenam pœnitentem.

Abrahæ exemplo in hospitalitatis operibus filij sunt exercendi. Gen. 18.

Porrò vt Abrahæ tabernaculum huc nos duxit de eius hospitalitate, hoc quoque adiiciam, studuisse nimirum & filiis suis hunc hospitalitatis spiritũ inhalare; illud Gen. 18. *Tulit inde vitulum tenerrimũ, deditque puero qui festinauit & coxit illum;*

aliqui

aliqui de eius filio Ismaële intelligunt, cui vitulum parandum tradidit, vt in hospitalitatis operibus illam exerceret, & hospitalitatis amorem illo in-

Lyran.

stillaret. Lyranus hîc: *Hebrai dicunt*, inquit, *quod iste puer fuit Ismael filius suus, cui tradidit cibum parandum, vt eum assuefaceret hospitalitatis operibus*; hospitalitatis cultores essent filij, si patres filios in hospitalitatis artibus exercerent, & ad hospitalitatem verbo, & exemplo liberos prouocarent.

805. *Plura hospitibus re præstanda, quàm verbis promittantur.* Gen. 18. Oleast.

Abrahæ in hospites liberalitatem, animúmque in illos effusum, officiúmque re magis, quàm verbis prolixiùs exhibitum, colligit Oleaster ab illo eiusdem Patriarchæ hospites adloquentis, & inuitantis: *Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis*, Gen. 18. 5. Expendens enim hic tractator hæc verba ait: *Plura iustè exhibent ex bonis, quàm promittant, inuitat eos ad buccellam panis, & instruit solemne conuiuium; non sic impij, sed cùm multa polliceantur, perpauca exhibent*, ditiores verbis, & promissis, quàm rebus ipsis.

Extraneorum conuiuia vitanda, vt peregrini excipiantur. S. Ambr.

Extraneorum conuiuia vitanda, vt hospitio peregrini exciperentur, monebat sanctus Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 20. *Vnde quod prudenter facitis conuenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officiis arbitrer, declinare extraneorum conuiuia, vel vt ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus sit opprobrio locus:*

Ægrè hospites dimittendi.

Læto hospites animo excipiendi sunt, vt ægrè à nobis sinantur abire; illorum hospitalitas plena non est, qui transacto primo hospitalitatis die statim de eius discessu cogitant, vt exporrectam frontem contrahant, si non abeant; Discipulos suos

Matth. 10.

alloquens Christus Matth. 10. *In quancunque*, inquit, *ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.* Mutari hospitium à suis nolebat Christus, non solùm vt leuitatis notam defugerent, sed ne discessu tristitia illum afficerent, à quo excipiebantur; hæc enim vera digni hospitis consignatio est, si quos

S. Thom.

libens suscipit, ægrè dimittat; sanctus Thomas hîc expendens hæc verba: *Ibi manete*, addit ad explicatum: *Hîc docet de stabilitate hospitis, ibi manete, idest, non transite de hospitio in hospitium; & quare? ne sit tristitia hospiti, & si dignus sit recipiet vos libenter, & ita cum tristitia dimittet*; ægrè sinit à se abire hospites hospes bonus.

806. *Caro in spiritum vt hospitalitatem exercere debeat.* S. Bern.

Denique vt prolixè, benignéque hospes omnis excipiendus, & tractandus, præcipuè excipiendus à corpore spiritus est, à carne anima, quæ illius quodammodo hospitio recipitur. Religio hîc esset sancti Bernardi verba prætetire, qui serm. 6. de aduentu Domini festiuè, opportunéque rem versat in hunc modum: *Nobilem hospitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota salus tua pendet de eius salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina, vt exul apud te est hospitata. Quæso te: Quis rusticus, si fortè nobilis, & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari: non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit: cedens hospiti suo locum sicut dignum est potiorem? & tu ergo fac similiter. Iniurias, vel molestias tuas ne reputaueris; tamen vt hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est vt pro eo interim te exhibeas in honorem. Ac ne fortè despicias, aut paruipendas hospitem tuum pro eo, quòd peregrinus tibi videtur, & aduena: diligenter attende quid hospitis huius tibi præsentia largiatur. Ipse enim est, qui tribuit oculis visum; auditum auribus præstat: ipse est, qui linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vita, si quid sensus, si quid in te decoris est, huius hospitis beneficium recognosce. Denique discessus eius probat, quid præsentia conferebat. Protinus enim anima discedente lingua silebit: oculi nihil videbunt: obsurdescent aures: corpus omne rigebit: facies expallescet. In breui quoque totum cadauer putidum simul & putridum fiet, & decor omnis in saniem conuertetur: vt quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas, & lædis hospitem istum: quam nec sentire quidem vllo modo poteras, nisi per ipsum? Ad hæc si tantum tibi confert exul, & inimicitiarum causa a facie Domini sui eiectus: quantum tibi præstabit reconciliatus? Noli ô corpus, noli impedire reconciliationem illam: quoniam grandis tibi exinde gloria paratur. Patienter, imò & libenter temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules, quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti tuo, quia recordabitur Dominus tui, & restituet te in gradum pristinum, & tu memento mei. Omnino enim memor erit tui in bonum, si bene serueris illi, & cùm peruenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cùm in vltionem culpæ suæ exularet seruus tuus: pauper quidam apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiam, & vtinam retribuat pro me Dominus meus. Primò siquidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit vtilitatibus meis, non parcens sibi propter me in ieiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum; in fame, & siti: etiam in frigore, & nuditate.* Poterat res elegantiùs afferri, magis appositè versari? nihil aliud adiiciam; digna hæc verba sunt, quæ hunc excursum obsignent, & veluti quadam coronide perficiant, benè alios hospites excipere non potest, non potest prolixè tractare, qui animæ suæ hospitem malè tractat, tractat inurbanè.

ADAGIVM DCCCLVIII.

Poëtica, Pictoria, & Hæretica licentia.

DE iis, qui omnia licita sibi esse putant quæ 807.
illis adlubent, & temerè sibi eam auctoritatem in aliqua re vsurpant, qua destituuntur; hic pictorum mos, hic Poëtarum, & quod grauius, ac nocentius est, hæreticorum. Hos omnes pariat Tertullianus lib. 1. aduersùs Marcionem c. 3. dum ait: *Principalis itaque & exinde tota congressio de numero, an duos Deos liceat induci, si forte* POATICA, ET PICTORIA LICSNTIA, ET *tertia iam* HÆRETICA.

ADAGIVM DCCCLIX.

Secundus Arius.

ARij primi impietas extrema notissima est, & multorum Patrum calamis confossa, multorum auctorum scriptione traducta. Secundus igitur Arius audiet impius veritatis proditorum Catholicæ veritati infestus, Christianæ fidei hostis, qui omni studio conetur errores in Christianis agris seminare, & Ecclesiam modis omnibus impetere, & falsis dogmatis arietare. de quodam scelestissimo Presbytero, qui Lucius vocabatur, Ecclesiámque, & Ecclesiasticos viros exagitauerat, quique eiecto per vim Petro Athanasij successore, Alexandrinæ Ecclesiæ sedem temerarius inuaserat, loquens S. Greg. Nazianz. orat. 33. quæ est in laudem Neronis, ait: *Ille veritatis proditor, ille luporum pastor, ille per caulam transcendens latro,* SECVNDVS *ille* ARIVS, *turbida illa, & imposatilis*

auerſio, ille impio fonte vberior fluminis. Sic ſceleſtum hominem deſcribit, depingit hiſce colnribus; quod in impios quoque Hæreſiarchas, & Eccleſiæ virorúmque Eccleſiaſticorum inimicos iaci poteſt.

ADAGIVM DCCCLX.

Cadmeam victoriam appetere.

DE inutili, aut etiam noxiâ victoria Adagium interpretantur; quæ de hoc prouerbio prophani afferunt vide apud prophanos. Noſtros hîc ſcito. Zacharias Scholaſticus Epiſc. Metyl. Dialogo contra Philoſophos de Mundi opificio: *Neque opus eſt*, inquit, CADMEAM *quandam, vt in prouerbio eſt*, VICTORIAM APPETARE; & paucis interiectis, *Nunquid conſideras non oportere eum, qui Philoſophiam ſibi vendicat, captioſè, & contentioſè multum diſceptare, &* CADMEAM VICTORIAM APPETERE? Clemens Alexand. 1. Stromatum, de ſophiſticis loquens; CADMEAM, inquit, REFERVNT VICTORIAM.

ADAGIVM DCCCLXI.

Scythâ tetrior.

808. SCythæ omnium ſenſu ad immanitatem magis, quàm ad illud humanitatis ſtudium nati videntur, vt eius ſæuities in prouerbium abierit. Marcion à Tertulliano lib. 1. contra ipſum cap. 1. SCYTHA TETRIOR dicitur, & Maſſageta inhumanior.

ADAGIVM DCCCLXII.

A Libero aquam petere, à Lymphis vinum.

ADagium ſapit vſurpandum cùm præpoſterè aliquid poſtulatur, vt ſi ab erudito diuitias, à diuite doctrinam. Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 22. ita loquitur; *Ne faciamus, vt mimi ſolent, & optemus* A LIBERO AQVAM, A LYMPHIS VINVM; cùm eſſet ordinatè, à Libero optandum vinum, à Lymphis aqua.

ADAGIVM DCCCLXIII.

Simia etiam auro decorata ſimia eſt.

HOc prouerbio illorum ſuperbia ferietur, qui externis opibus intumeſcunt, veris ſolidiſque deſtituti, ſibique de extima blandiuntur pompa, virtutibus vidui. Sanctus Gregorius Nazianzenus in carm. ad Nicobulum rem ita verſat, dum canit:

Quæ tibi, dic quæſo, genitor perſancte, voluptas
Hæc erit, humana ſub imagine ſi tibi turpis
SIMIA *ſit collo innexum,* QVÆ FVNIBVS AVRVM
GESTET? *Non etenim ſpecies ridenda, leuiſque*
Mutatur, ſaluo licèt hanc decoraueris auro.

ADAGIVM DCCCLXIV.

Alter Goliath.

TOrqueri in eum poterit, qui arrogantia tumet, vt tamen proprio mucrone vigiletur, propriis verbis damnetur. Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis lib. de Euchariſtiæ ſacramento ita loquitur: *Te quidem Dauid, Humbertum verò* GOLIATH *appellas; equidem rectius te nominaſſet* GOLIATH, *quia homo arrogantiſſimus eſt, & ea ſentis, & ſcribis, & loqueris, quibus tu ipſe velut enſe proprio iuguleris.*

EXCVRSVS CXXXIX.

Suis viribus nemo fidat inſtar Goliæ. Dauidis virtus imitanda eſt.

Ad ima cadit, *qui in ſublimia ſuis viribus fertur.*
Peritia noſtra *probatur ſi adeſſe magiſtri ſummi manum fateamur.*
Abſonè ſonus erumpit, *quo quis aliquid ſuis viribus tribuit.*
Opus polluit, *qui virtutem ſibi illud proficiendi tribuit.*
Cadit *qui ſuis viribus tribuit, quòd in aduerſis non ceciderit.*
Multum ſibi fidere, quàm cuique noxium.
Placent Deo, *qui Deo ſoli fidunt.*
Miſeri, qui in ſe confidunt.
Ruinam *timeat qui ſibi fidit.*
Deſipit, *qui ſibi illud tribuit, quod Dei gratia præſtat.*
Lapſui proximus *eſt, qui ſua ſe prudentia credit.*
Communi vtilitati *conſulere, quàm ſit ſingulare.*
Quales lapides, *quibus vſus Dauid.*
Dauid Chriſti radix.
Dauid mundo maior.
Virtutum omnium prata *in Dauidis anima conſita.*
Proficuum peccatoribus *Dauidis exemplum.*
Dauidis erectio *poſt lapſum lapſos erigere debet.*

DOcet iſtuc caſus Goliath, & cadens altè inclamat, ne aliquis lacertis ſuis fidat, ſuis viribus cadit, qui ad ſublimia tendere ſe ſuis viribus credit. Verus in bac re ſanctus Proſper in epigrammatis num. 51. ita canit, 809.

Ad ima cadit, qui in ſublimia ſuis viribus fertur.

S. Proſper.

Cæleſtem ad patriam tendens cognoſce vocantem
Cuius proueheris, ſi bene curris, ope.
Nam ſi te virtute tua ad cæleſtia credis
Scandere, de ſuperis pulſus AD IMA CADES.

Peritia noſtra probatur ſi adeſſe magiſtri ſummi manum fateamur.

Probatur in bonorum operum exercitio peritia, probantur in magnarum rerum molitione ſi adeſſe magiſtri noſtri manum fateamur, nec nudis noſtris viribus fuiſſe tantis rebus pares; contrà hîc accedit, ac in humanis artibus, in quibus diſcipulus ſe plenè, & perfectè doctum probat, quia artem exercere ſine magiſtri auxilio poteſt; egre

S.Basil.Sel.

egregiè rem versat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.21. in hæc verba: *Qui tenues, ac per humum serpentes docent artes, tunc maximè discipulis probant artem perfectam eos esse consecutos, quando absque magistra manu per se ipsi magistrorum opera præclara effingunt imitatione. Pictor lineamentis, & coloribus naturam simulat. Naupegus nauem compingens per fluxum maris elementum cursum machinatur. Verùm Dominus Iesus Christus mundi Saluator miraculorum potestate discipulis elargita ipse in cœlum euolauit solium ad Patris dexteram aditurus, inuisibili verò manu cum discipulis mira facientibus conuenit.*

Absonè erũpit sonus, quo quis aliquid suis viribus tribuit. Rich.Vict.

810. Absunè sonus ille erumpit, quo quis aliquid suis viribus tribuit, suæque virtuti, id quod fistulæ similitudine sic exprimebat Richardus Victorinus in Psal.136.in hæc verba: *Si eo tenore gloriationis tua fistulam tangas, vt illud vnde gloriaris tuis meritis, vel viribus adscribas, ad eiusmodi fistulæ tactum sonum tam falsum, quàm fractum inflata fistula reddet, & ad fœdam dissonantiam erumpet.*

Opus polluit, qui virtutem sibi illud perficiendi tribuit. Exod.20,25.

Huc quoque flecti ritus ille potest, quo cur culter Altari adhiberi prohibetur, ne pollutum esset; sic enim habetur Exod.20.25. *Quod si Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus; si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur;* huc spectauit B.Rupertus in Exod.lib.3.cap.33. *Ædificatum Altare, si super eo cultrum leuaueris, id est, si tibi virtutes ipsas arrogaueris, polluetur;* mundum esse non potest, quod inanis gloria, inanisque iactantia inficit, & maculat.

Cadit, qui suis viribus tribuit, quòd in aduersis nõ ceciderit. S.Prosper.

Qui in aduersis stat, caueat, ne suis id viribus tribuat, tunc cadit, sterniturque cùm sibi vindicat, quod non ceciderit; scitè sanctus Prosper in epigram.num.33.

Cùm constans anima aduersis non frangitur vllis,
Et fidei virtus intemerata manet.
Norit inesse sibi Dominum patientia fortis,
Inque eius donum, quòd steterit, & referat.
Nam quòd non cecidit propriis si viribus aptat,
Hoc ipso, quo se stare putat, cecidit.

Multum sibi fidere, quàm cuique noxiũ. S.Aug.

811. Quàm noxium cuique sit, multum sibi fidere, vitæ similitudine explicat sanctus Augustinus in Psal.77. ad illa verba, *Dedit arugini fructus eorum,* ait enim: *Rubigo occultè nocet quam etiam aruginem nonnulli interpretati sunt, alij caniculam; quod malum cui vitiorum aptius comparatur, nisi quod difficillimè apparet; sicuti etiam multum de se fidere? Aura est enim noxia, quæ hoc in fructibus latenter operatur; sicut in moribus occulta superbia, quando se putat quispiam aliquid esse, quum nihil sit.*

Placent Deo, qui Deo soli fidunt. Exod.14.

Verè illi Deo placent, qui sibi minimè placent, qui suis viribus non fidunt, fidunt Deo; Exod.14. *Timuerunt valde filij Israel;* dubitat Aben Esra cur timuerint Hebræi Ægyptios, cùm sexcenti fuerint; respondet eos non fuisse bellis assuetos.

Oleast.

Oleaster verò ad nostram mentem: *Ego autem,* inquit, *potius credo Deum eos tales elegisse, vt non sibi ipsis, sed ei soli fiderent, quales vult omnes seruos suos esse, qui nihil sui animi habeant, sed Dei.*

Miseri, qui in se confidunt. S.Aug.

Propheta quoque Regius Beatos eos vocat, qui in Deum confidunt, non in se ipsos, Psalm.2. *Beati omnes qui confidunt in eo,* seu, vt habet sanctus Augustinus serm.44.de temp.in eum, addit: *Si beati, qui confidunt in eum; miseri, qui confidunt in se.* & epist.52.ad verba Ieremiæ respicit, quibus maledictum eum vocat, qui in homine confidit; ita arguit idem sanctus Pater: *Maledictus est omnis (sicut alibi eadem litera docent) qui spem suam ponit in homine; ergo nec in se ipso quisquam debet, quia & ipse homo est.*

Ruinam ti-

Lapsum, ruinámque suam timeat, & expectet, qui virtuti suæ confidit, spem suam in se iacit, iacit in suas vires, quæ eo imbecilliores, quo magis iis innitimur. Scitè sanctus Nilus orat.8. quæ est de superbia: *Qui propriæ confidit virtuti, non aliter, quàm si aranea telam conscẽdat, humi delapsus affligitur.* Istuc idem hac eadem similitudine habet sanctus Antiochus hom.101.ait enim: *Quemadmodum aranea, vbi ad telæ suæ fastigium conscendit, velut euanescens momento ruit præceps; ita & qui temerè propriis nititur viribus, mox decidit, & vel priorem habitum euanidus relabitur. Tales videri possunt neutiquam audisse Iob dicentem, si autem & manum meam imponens ori deosculatus sum.*

meat, qui sibi fidit. S.Nilus. S Antioch.

Desipit, qui sibi illud tribuit quod Dei gratia præstat. Gal.6.

Desipit, qui sibi tribuit bona, quæ Dei gratia facit; scitè Apostolus ad Gal.6. *Qui seminat,* inquit, *in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat de spiritu, de spiritu metet vitam æternam;* obserua Pauli prudentiam, carni suam apposuit, spiritui *suum* non adiecit, vt nempe tectè insinuaret mala à nobis esse, & nobis tribuenda, non esse tribuenda bona, quæ Dei dona sunt; debemus acumen istuc Primasio, qui hæc verba expendens ait: *Illud obseruandum, quòd qui seminat in carne cum additamento, sua, ponitur; qui autem seminat in spiritu, non dicitur in spiritu suo, sed simpliciter in spiritu, qui enim bona seminat, non in suo spiritu, sed in Dei spiritu, & ideo nemo sibi aliquid tribuat, quia Dei dona sunt, quæcumque bona sunt.* 812.

Primas.

Lapsui proximus est, qui sua se prudentia credit. Gen.3.5. S.Euchet.

Lapsui proximus est, qui sui se ducem exhibet, supero se lumine indigere non credit, se suæ prudentiæ credit; hinc & Dæmon mulieri dixit: *In quocumque die comederitis, ex eo aperientur oculi vestri,* Gen.3.5. Nunquid erant eorum oculi clausi, vt essent aperiendi? an suadere illis volebat serpens, vt supero Dei lumine se non opus habituros arbitrarentur, séque suo consilio regerent, vt ita in præcipitium traheret. Sancti Eucherij in Genesim hæc sunt verba: *In hoc quod dixit, aperientur oculi vestri, persuadet vt sub Deo esse nollent, sed similes ei essent, non indigentes illius interno lumine, sed viuentes propria prouidentia.* Quod cæcutientium est, non est videntium; sed ad Dauidis pugnam, Dauidísque virtutem calami venam vertamus.

Cõmune vtilitatẽ consulere, quàm sit singulare. Franco.

Occurrit Goliæ Dauid communi vtilitati consulens, sui penè oblitus, licèt verè sui non obliuiscatur, qui aliorum salutem quærit sola actus charitate, de illo ita loquitur Franco Abbas tom.5. de gratia Dei, Goliam monstrum vocans: *Infestantibus Allophilis pace turbata discrimini se sponte obiicit, & vt bonus Rex plus communi vtilitati, quàm propriæ saluti consulit, atque immanem illum Goliam monstrum potius dicendum, quàm hominem corpore enormem animis trucem, bellis assuetum, victoriis elatum, scuto fidei munitus solus illo in tempore non expauit.* 813.

Quales lapides, quibus vsus Dauid. Franco.

De lapidibus illis, quibus se muniuit Dauid, vt Goliæ occurreret, ita scribit idem Franco Abbas tom.5.de gratia Dei: *Bellica arma nulla requirit; quinque lapides limpidissimos, tanquam manu Dei limatos, atque digito Dei inscriptos de torrente colligit, in pera pastorali abscondit, hosti superbo ex aduerso occurrit, vnum impudoratæ fronti infigit.*

Dauid Christi radix. S Basil.Sel.

Dauidis sanctitas ex eo colligenda, quòd Christi Pater esset, & radix; de Deo ita scribit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.14. *Quòd si huius fructus Christus est, quomodo non pretiosa radix.*

Dauid mundo maior.

Sphæram calcare Reges consueuerunt, vt se mundo maiores tumidè iactarent; maior est, qui humilitate, & sanctitate mundo se maiorem ostendit, quàm extima hac specie, quæ nudam iactan-

tiam, solúmque fastum præsefert; talis Dauid, qoem sic efferr Saluianus lib. 2. de gubern. Dei: *Dauid tantus Rex, tanti nominus cunctis Regibus altior,* MVNDO MAIOR.

814. Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.14. ita effert Dauidem: *Cogitatione*, inquit, *transi ad Prophetam Dauidem, & v. de tota virtutum prata in eius anima consita.*

Virtutũ omnium prata in Dauidis anima consita.
S.Basil.Sel.

Proficuum peccatoribus omnibus Dauidis exemplum, quo à scelere, in quod ceciderat, per pœnitentiam resurrexit, peccarotum valetudinarium illud vocat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.17. his verbis: *Par est vt curatura modum videamus, hinc enim publicum peccatoribus aperitur valetudinarium, & pœnitentiæ medicamentum Dauidis nomine paratum omnibus egenis condonatum est.*

Proficuum peccatoribus Dauidis exẽplum.
Idem.

Denique à Dauidis quoque post lapsum erectione discat quisque resurgere, cùm esset lapsus; hinc illud alterius sancti Basilij hom.19. quæ est de pœnitentia: *Quamuumus sane*, inquit, *cadat vir robustus, mox tamen resurgit. Molestè factum hoc tulit Dauid (erat enim ipse Dauid, qui ceciderat) viuit Dominus, inquit, morte dignus est, qui hoc fecit. Sententiam ipse aduersùs se ipsum tulit. hanc vbi tulerat, Propheta declarauit, quis hic homo esset. Statim Dauid ad pharmacum properauit, videbat vulnus, confugit ad medicum. Peccaui, inquit.* Qui errantem sequutus est, Dauidem quoque sequatur pœnitentem, vt quem malum ducem ad malum habuit, habeat & bonum ad bonum.

Dauidis erectio post lapsũ lapsos erigere debet
S.Basil.

ADAGIVM DCCCLXV.

Poni in signum, cui à multis contradicetur.

815. QVi rem quampiam aggreditur, munus aliquod exerceat, in qua, in quo multorum in linguas excitaturus sit, multorum calumniis se obiiciat, multorum pateat dicteriis, multos contradictores habiturus, is poni in signum dicetur, cui contradicetur. quod dictum desumptum est ex Luca cap.2.24. vbi de Christo prophetans Simeon iustus ait: *Ecce positus est hic in ruinã, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur;* quæ sententia si extendatur ad alios, induere prouerbij formam poterit. Sanctus Anselmus tract. de sacramento Altaris, cap.1. ad amicum scribens, sic eum monet: *Si opus hoc exierit in manus eorum, qui carpere amant aliorum etiam benedicta, futurus est* IN SIGNVM, CVI A MVLTIS CONTRADICETVR, *credetur metaphora sumpta à iaculantium more, qui in signum ictibus expositum tela, aut lanceas dirigunt.*

Ad res etiam inanimas porrigi hæc sententia potest, porrexit S.Bernardus serm.4. in nat. Domini, qui de pannis loquens, quibus inuolutus Iesus fuit, & ad Angeli verba respiciens, aientis: *Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*, Luc 2.12. ita loquitur: IN SIGNVM *positi sunt panni tui Domine Iesu, sed in signum*, CVI A MVLTIS VSQVE HODIE, CONTRADICITVR. *Multi quippe vocati, sed non multi electi, & ideo nec signati.* Sic ille.

ADAGIVM DCCCLXVI.

Qui montes aureos pollicetur, ne scorteum quidem nummum ex thesauris suis profert.

QVi grandia promittit, nec minima daturus, sponsionibus diues, exhibitione pauperrimus, is prouerbio isto percelletur, quòd eleganter ad litterarias diuitias retulit; scitè sanctus Hieronymus lib.3. Apologiæ aduersùs Ruffinum: *Vt*, inquit, CVM MONTES AVREOS POLLICITVS FVERIS, NE SCORTEVM QVIDEM NVMMVM DE THESAVRIS TVIS PROFERAS.

ADAGIVM DCCCLXVII.

Cicada noctium.

VIr orationi deditus, in qua se non diu tan- 816.
tùm, sed maximè noctu exerceat, quique diuinas laudes in alto noctis silentio canat, *cicada noctium* audiet; hoc titulo religiosos viros, qui hoc præstabant, donatos legimus à sancto Francisco: de quo hæc refert Ludouicus Granatensis conc. de sancto Bartholomæo: *Sanctus Franciscus, qui vigiles cum Deo noctes transigebat, apposite nomine verum monachum* CICADA NOCTIS *appellabat, quòd cicada sine vlla intermissione sole vigente canat;* cicada nostra pro sole Deum verum habet, cuius calore ad canendum vrgetur, & excitatur; noctium cicada erat sanctus Antonius, qui integris noctibus in Deum mentis oculum figeret, eiúsque radiis foderetur, corporeum solem oriri cernens in has querelas erumpebat, *Quid me impedis sol, qui ad hoc oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate?* S.Ambrosius cicadas noctis nos esse volebat, cùm alicubi diceret: *Esto & tu* CICADA NOCTIVM; in sacris litteris orationem cicadæ habemus. Psal.101.v.18. *Respexit in orationem humilium*, aliquia ex Hebræo apud Genebrardum, *Respexit in orationem* CICADÆ; non ore autem, sed pectore sonum edens cicada designat feruentem, & ex corde prodeuntem orationem.

ADAG. DCCCLXVIII.

Nostri temporis Noë.

NOstri temporis Noë dictus quoque est sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus, eo quòd fœminarum monasterium veluti arcam quandam propter tempestates fabricauerit. Cyprianus Presbyter, qui sancti Cæsarij Arelatensis vitam conscripsit, ita de eo loquitur: *Inter hæc autem præcipuum illud monasterium, quod sorori suæ condere cœperat, instar prioris instaurauit, & quasi alter quidam* NOSTRI TEMPORIS NOE *propter tempestates, & procellas, in latere Ecclesiæ fœminarum extruxit cœnobium, tanquam arcam: euocatáque Massiliensi Cœnobio venerabili sorore sua Cæsaria quam idcirco ei miserat, vt disceret, quod doceret, & prius esset discipula, quàm magistra, in præparata domicilia, cum duabus, aut tribus sodalibus, eam introduxit.*

Alter Noë, Saulus fuit, quia & primo illi præferendus

ferendus; scitè S. Chrysostomus hom.8. de Pauli laudibos: *Paulus* ALTER NOE, *sed absque arca insurgentes aduersùs se vndas impietatis, enauigans*; sed quia Noë iniecta est mentio, aliqua de Noe in eius laudem afferamus.

EXCVRSVS CXL.

Noë laus, & commendatio.

Noë encomium.
Noe iustitia.
Virtutes *pro parentibus habuit Noë.*
Noë cur Abrahæ *proximus.*
Noe meritum, *&* sanctitas *etiam aliis profuit.*
Noe iustitiam, *vt efferant Hebræi.*
Etiam Noe orationi *debemus, quod amplius diluuium non sit futurum.*
Noe secunda radix *humani generis.*
Malorum multitudo *bonis non officit.*

817. *Noë encomium.* S. Basil. Sel.

NOëmum pulchrè effert, & commendat sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat.5. dum ait. *O Noeme hominum progenitor, Adamo anteferende! ô imaginis Dei firmior adseruator! ô qui finis vnaque principia naturæ fuisti! ô faustum humanitatis confine! ô qui tutior diuinæ bonitatis fideiussor illuxisti! ô qui grassantem per genus humanum exsecrationem sististi! ô impietatis exitus fideique radix! ô qui obliteratum imaginis illius characterem reformasti! ô qui diuini operis semina reseruasti! ô qui naturæ causas in te complexus es! ô cuius ope redarsit naturæ scintilla! ô diluuio violentior! ô fidei custos tutissime.*

Noë iustitia. Gen. 8. 16. B. Rup.

Noë iustitiæ perfectionem ex illis verbis colligit B. Rupertus, qoibus ei Deus egressum ex arca iniunxit: *Egredere*, inquiens, *de arca*, Genes. 8. 16. Sic enim productus auctor lib. 4. comment. in Genes. cap. 24. producta verba expendebat. *Egredere de arca, tanquam diceret, tot diebus priùs exiccata fuerat terra, cùm tandem Deo iubente, egressus est Noe de arca. Ergo viri iusti, atque perfecti magna in hoc quoque iustitia, vel perfectio commendatur, laude digna quòd tandiu carcere conclusus, non erupit solutus mox vt terram vidit, sed sicut præceptum ingrediendi fideliter accepit, sic & egrediendi licentiam obedienter sustinuit.*

Virtutes pro parentibus habuit Noë. Gen. 6. 9. Philo.

Pro patenribus suis, atauísque virtutes habuisse visus est Noë, certè hoc indicauit sacra Sciptuta, cùm de eo loquens ait: *Hæ sunt generationes Noe.* sed quænam? statim addit: *Noe vir iustus atque perfectus fuit, in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, Gen. 6. 9. ac si Noë ac vniuersa omnis sapientis cognatio, agnatióque in virtutom contubernio sit. Scitè Philo lib. de Abraham, vbi expendens hæc verba ait: *In tantum Scriptura magnificauit hunc virtutis amatorem, vt in stemmate eius non more aliorum auos, proauos, maiorésque cæteros recenseat, siue paternos, siue maternos, sed virtutes quasdam tantùm non disertè clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam, sapientis esse præter virtutes, & harum actiones: Hæ sunt, inquit, generationes Noe, Noe homo iustus, perfectus in generatione sua, Deo placuit.*

Noë cur Abrahæ proximus. Ferus.

Noe vita tandiu, ex multorum mente producta est, donec Abraham adueniret; aut certè Abrahæ vitæ proxima exstitit, qood non casu factum, sed vt post vnum iustum alius surgeret, cuius exemplo ad virtutem homines excitarentur, cuius precibus fulcirentur. Ioannis Feri hæc sunt verba in cap. 9. Gen. *Si annos computes, inuenies, Noe vixisse vsque ad tempora Abrahæ, tandiu viuere eum permisit, donec surgeret alius; qui homines ad Deum, verbis, & exemplis duceret; sic enim Deus nullo non tempore aliquos mundo dedit, per quos instruerentur*, redderentúrque inexcusabiles si eorum vestigia detractarent premere, in quibus eadem natura, eadem corporis constitutio, eædem vires paria non præstantes redargueret.

818. *Noë meritũ, & sanctitas etiam aliis profuit.* S. Ambr.

Noe sanctitas etiam aliis profuit, in cæteras domus suæ se meritum eius effudit, vt in ipsum referendum, quod domus eius à diluuij fluentis fuerint exempta: sanctus Ambrosius calculum suum adiicit lib. de Noë, & arca, cap. 11. dum ait: *Stultus sibi soli stultus est, sapiens autem sibi & plurimis sapit, itaque Noe iusti meritò etiam domus eius in diluuio seruatur, sic in mari nauigantes, & in bello exercitus, si illis non desit gubernatoris peritia, istius Imperatoris prudentia, à periculi tuti sunt aliena ope.*

Noë iustitiã, vt efferant Hebræi.

De Noë iustitia ita philosophantur Hebræi, in cap. 6. Gen. v. 8. dicitur, *Noe vir iustus in generationibus suis.* in fonte est, בדרתיו *in sua ætate*; eædem hæ litteræ formant etiam hanc sentẽtiam בדירתו, *in sua habitatione, vt innueretur*, Inquiunt, *in sua habitatione, ac domo fuisse iustitiam eius, nec hominibus nota erat.*

Etiam Noë orationi debemus, quòd amplius diluuium non sit futurum.

Porrò tam gratus Deo Noë, tam efficax eius oratio exstitit, vt etiam illi debeamus, quod se ampliùs diluuium suum immissurum Deus promiserit. Gen. 9. 11. *Statuam*, inquit Deus, *pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium super terram*; eladis præteritæ spectator Noë humani generi misertus, similem suis precibus studuit anteuertere, quod notauit etiam Abulensis, dum ait: *Noë continuo orabat Dominum, ne hoc fieret, scilicet ne propter peccata eorum eos diluuio iterum destrueret, ideo pepigit Deus cum eo, & semine suo ne vnquam talia ageret.*

Noë secunda radix humani generis. S. Hieron.

Secunda humani generis radix fuit, qoam Noë appellauit Sanctus Hieronymus lib. 1. aduers. Iou. cap. 9. *Porrò Noe quasi* SECVNDA RADIX *humano generi seruabatur.*

Multorum multitudo bonis non officit. S. Chrys.

Malorum multitudinem bonis non officere, nec multos impios, vel vnum probum virum deiicere posse ostendit exemplo suo Noë, quod in hunc modom obseruabat sanctus Chrysostomus hom. de Pœnitentia, & confessione: *Ciuitas*, inqoit, *integra peruersaque in suam pœnam, & supplicium attrahere bene viuentem, & deiicere non potest, & hoc de Noe manifestum. Parentibus enim omnibus solus seruatus est.* Bonitatis vera hæc consignatio est; malis bonitatem affricare, malorum improbitate non iofici.

ADAGIVM DCCCLXIX.

Quod longè est ab oculis, longè est à corde.

819.

FAcilè, quod recipiont oculi ad cor transmittunt, vt proinde, quod ab oculis longè est, longè & à corde sit, tantũ obiecti præsentia potest. Solet hoc vulgò nõc iactari; iactabatot etiam olim, vt patet, ex his verbis S. Anselmi Cantuariensis Episcopi lib. 1. epist. 66. vbi commune istuc dictum aliquando fallere, cùm ingens amicorom amor, amicorum præsentiam nõ semel supplcat, & cordi amicus amicũ exculpat, licèt longè ab amico amicus distet; hæc sancti huius Patris sunt verba: *Non vt vulgò dici solet, quia* QVOD LONGE EST

AB

AB OCVLIS, LONGE EST A CORDE, *non, inquam, sic quanto benigna vestra mansuetudo longius vel loco, vel tempore à me abest, tanto amor eius in me tepescit; sed quantò minus illa frui visa possum, tantò magis desiderium eius in veri dilectoris vestri mente feruescit*, vt vera amicitia absentiæ damna non sentiat.

ADAGIVM DCCCLXX.

Honores mutant mores, sæpiùs in peiores.

ITa sæpè accidit, vt quos euehãt dignitates, extra se quodammodo ducant, & extra vsitatæ modestiæ limites, vulgò id hoc prouerbio efferunt, cuius inter alios meminit Petrus Delphinus, optimæ notæ auctor, lib. 1. epist. 24. dum ait: *Passim ab omnibus vsurpatur*: HONORES MVTARE MORES, AC SÆPIVS IN PEIORES.

Nobis tamquam ægrotis honores nihil prodesse, sic euomebat sanctus Augustinus in Psal. 102. *Quid prodest honor ægrotis? Quis enim non ægrotat in hac vita? Quis non longum languorem trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ: quotidiana medicamenta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames nónne te occideret, nisi medicamentum eius apponeres? Sitis nónne te perimeret, nisi eam tu bibendo non penitus extingueres, sed differres? Reditura est enim sitis paululum temperata. Temperamus ergo istis fomentis ærumnam ægritudinis nostræ, stando lassatus eras, sedendo reficeris, ipsum sedere medicina est lassitudinis, in ipsa medicina rursus lassaris, diu sedere non poteris. Quicquid est vbi fatigationi succurritur, alia fatigatio inchoatur. Quid ergo ista desideras languidus? Priùs de salute tua cogita.*

ADAGIVM DCCCLXXI.

Aperto ore.

CAssianus præfat. ad librum de Incarnatione indicat hoc prouerbium fuisse, dum ait: *Iubes contra pestiferi serpentis graues hiatus*, APERTO, *vt aiunt*, ORE *consistere*; hoc est, vt ego interpretor, intrepidè, sine vllâ formidine obstinatâ facie, nullo timoris velamine, apertè; huc flecti potest & illud S. Hieronymi epist. 13. REVELATA, inquit, *tecum* FACIE *loquar*, apertè, sine vllo dissimulationis tegmine.

ADAG. DCCCLXXII.

Fugientem agnum ad lupos reducere.

CVm suadebimus mitem, mansuetum, quietis, & pacis amatorem non esse eorum manibus tradendum, qui in eum sæuiat, in eius pacem, ac mititatem debacchentur, prouerbium istuc vsurpabimus, ita loquitur sanctus Anselmus lib. 1. epist. 49. *Nolite obsecro ampliùs* AGNVM FVGIENTEM AD LVPOS REDVCERE.

ADAG. DCCCLXXIII.

Loqui quicquid in buccam venerit.

QVi temerè effundit absque vllo siue rerum, siue verborum delectu, is loqui dicetur quicquid in buccam venerit; sanctus Bernardus epist. 130. *Vobis audeo* LOQVI QVICQVID IN BVCCAM VENERIT. Et sanctus Petrus Damianus lib. 5. epist. 1. QVICQVID IN BVCCAM EFFVNDAM, *vt ipsi dicunt*.

EXCVRSVS CXLI.

Lingua coërcenda, silentiíque fræno cohibenda.

Vt quis Dei templum *fiat, à multorum verborum fusu abstineat.*
Templi *vestibula olim osculabantur.*
Oris custodia *hinc collecta.*
Silentium *deuotionis nutrimentum.*
Pernicies *à lingua pro cursu timenda.*
Linguæ equo *frænum adhibendum.*
Lingua frænum *necessarium.*

VT quis Dei templum fiat, Deique domicilium, silentium colat, à multorum verborum 820.
fusu, strepitúque abstineat; & nunc etiam templum, quod Salomon erigere visus est, ab omni strepitu mallei securis immune erat? erat. Sic habetur 3. Regum cap. 6. vt ab hoc silentio silere disceremus, quo Spiritus sancti spiritale templum redderemur. Scite huc flectit sanctus Petrus Damianus lib. 7. epist. 6. dum ait: *Eorum qui tecum conuersabantur, absentiam noli deputare iacturam, immò salutis occasio, perfectionis lucrum, & perfectio nostri meriti deputetur augmentum; quia dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est, quod de Israelitici templi constructione sacra testatur historia; quia malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, cùm ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit, quia cùm mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritalis ædificij structa consurgit: tantóque subcrescens in altiora sustollitur, quanto per silentij custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur.* Huc quoque videtur spectasse sanctus Prosper in epigram. vbi canit,

Vt quis Dei templum fiat à multorum verborum fusu abstineat.
3. Reg. 6.
S. Pet. Dam.

Nam templum Domini per sacra silentia crescit,
Et tacitè struitur non ruitura domus.

Olim templi vestibula osculabantur, plerique quidem se flectentes, alij autem manu contingentes, quam deinde ori admouebant. Meminit huius ritus sanctus Chrysostomus hom. 30. in epist. 2. ad Corinth. ex quo infert quanta cautione custodiendum os sit, & ab omni obscœnitate submouenda; non patiar hic eius verba desiderari; sic enim ille scribit: *Templum Christi sumus, igitur vestibula templi, & ingressum osculamur, illi quidem flectentes, alij autem manu contingentes, & ori manum admouentes? Per has etiam ianuas ac portas, & ingressus est, & ingreditur ad nos Christus, quando communicamus, scitis qui mysteriorum estis participes, quid dicatur, etenim non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Domini, cùm propter hoc maximè*

Templi vestibula olim osculabantur.
S. Chrysost.
Oris custodia hinc collecta.

maximè hîc osculamur. Audiant qui fœda loquuntur, qui conuitia proferunt, & horrescant, quod tale os polluunt. Audiant qui fœdè osculantur.

821. *Silentiū deuotionis nutrimentum. Th. à Kemp.*

Benè de silentio sentit, qui illud deuotionis nutrimentum dixit. Thomas à Kempis part.1. serm.4. *In nullo statu, & ordine stabit pax, & disciplina, si non adsit censura silentij, quietis amica, quæ est deuotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga.*

Pernicies à lingua procursu timenda. S.Greg.Naz.

Equo comparari lingua solet, quæ quò velociùs currit, eò faciliùs loquentem deiicit, & præcipitat; scitè sanctus Gregorius Nazianzenus in Quadragesimi ieiunij silentium: *Certè*, inquit, *nulla res est, quæ maiorem hominibus perniciem afferat, quam lingua. equus est perpetuò cursu mentem amouertens*, ex quo fit vt loquens miserrimè cadat.

Lingua equo frænum adhibendum. S.Chrys.

Equus lingua est, cui se frænum adhibeatur, Deus insidet, si sine fræno, sic diaboli vehiculum est; hinc illud sancti Chrysostomi hom.52. in Matthæum: *Regius*, inquit, *quidam equus est lingua nostra; si ergo ei* FRÆNVM *immiseris, ascendet in eum Rex, & quiescet in eo; si autem nullo fræno domueris, diabolo eam vehiculum fecisti*; tanti refert benè custodiri linguam, & a nimio verborum fusu coërcere.

Lingua frænū necessarium.

Linguæ frænum necessarium, & natura ipsa docuit, quæ membranula quadam, quæ frænum vocatur, cum mento deuincit linguam, vt nullus foret, qui à fræno linguam eximeret, sine fræno currere eam fineret, frænanda lingua est, ne nos excutiat, & in præcipitia deiiciat, cautè custodienda lingua est, ne dum temerè verba fundit, loquenti multa mala creat, multis postea damnis expienda. Audiendus hîc sanctus Gregorius Nyssenus orat.1. de pauper. amand. in hæc verba: *Timor Dei erudiat linguam, ea quæ decet, loqui, tacere contraria, temporis occasionem animaduertere, modum obseruare lari necessaria, aptè respondere, modestè dicere ne verborum veluti grandine colloquentes obruat. Idcirco enim, & tenuis illa membranula, quæ cum ipsa lingua mentum inferius deuincit, frænum dicitur; ne ineptè loquatur, & inconcinnè*; quin nec nimis effusè, & absque vlla coërcitione.

S.Greg Nyss.

ADAGIVM DCCCLXXIV.

Fornax Chaldæorum.

Dagialiter locus, vbi perditi homines viuunt, quorum mali mores noxij alicui sint, vbi damna non facilè reparanda immineant, fornax Chaldæorum dicetur; sanctus Anselmus lib.2. epist.49. ita loquitur, *Nolite innocentem, & redamantem in* FORNACEM CHALDÆORVM *impellere.*

ADAGIVM DCCCLXXV.

Ætatis nostræ Sara.

De laudabili fœmina, prudique viri proba vxore diceretur; ita sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Gorgoniæ: *Eequis est igitur, qui nouum nostrum Abraham*, SARAMQVE NOSTRÆ ÆTATIS *ignoret? Gregorium dico, & huius vxorem Nonnam?* Hoc eodem titulo gaudebit, quæ prædita iisdem moribus erit, & pari probitate erit insignis.

EXCVRSVS CXLII.

De Sara aliqua in Saræ commendationem chartis illinuntur.

Sol *mulier*, sol *Sara*.
Sara innocentia, & pulchritudo.
Sara modestia, & verecundia.
Sara magnitudo, *quòd in hospitum obsequio ad vilia quæque se demisit.*
Sara probitas, *vt collecta.*
Quanti referat filias *probarum matronarum adiici obsequio.*

Mulier Soli comparari debet, morum splendore solem præseferre, talis fuit Sara. hine illud Rabbinorum ex illo Genes.23.cap.1. שרה מאת שנה, Sarah centum anni, & viginti anni, & septem anni, ab Hebraicis verbis, quæ produximus, si prima elementa exscindas, fit שמש, quæ vox *solem* signat, quod firmat illud Sapientum Hebræorum: עד שלא שקעה שמשה של שרה זרחה שמשה של רבקה ולכן נסמך מיתת שרה ללידת רבקה, hoc est; *Antequam occidisset* SOL *Saræ, ortus est sol Rebecca, ob id ortus Rebeccæ cum obitu Saræ recensetur.* 822. *Sol mulier, sol Sara. Hebr.*

Porrò de ista annorum recensione, ac distinctione ita philosophantur Hebræi, vt eius innocentiam, & pulchritudinem hinc deducant; sic autem Lyranus in cap.23. Genesis refert: *Hebræi dicunt, quòd isti tres numeri prædicti, ita ponuntur distinctè ad designandum conditiones Saræ, ac si diceretur, ita munda, & innocens fuit viginti annorum, sicut cùm fuerat septem annorum tantùm, & ita pulchra centum annorum, sicut viginti, & istuc concordat prædicta 20. capite* Hactenus ille ex illis. *Sara innocentia, & pulchritudo. Hebr.*

Saræ verecundiam, & castitatem in aliorum exemplum proponit sanctus Epiphanius in Ancorato: *Risit Sara quæ intus erat, & vult sic ostendere ipsius castitatem quæ exemplum est eorum, quæ in veritate pietatem exercere volunt: quo vbi susceperint peregrinos propriis quidem laboribus inseruiant, verùm propter verecundiam, & castitatem, faciem suam viris ne ostendant, illa enim beata, omnia composuit; ac construxit, & quum hoc faceret, in facie Angelorum non conspecta est; posterioribus sæculis reuerentiæ exemplar proponens*, quod cæteræ mulieres imitentur. 823. *Sara modestia, & verecundia. S.Epiph.*

Magna erat Sara, & magni vxor viri, sed & maior exstitit, quæ in hospitio obsequium, etiam ad ancillæ officium se demisit; quod expendebat sanctus Chrysostomus hom.de Eleemosyna, & hospitalitate, ait quippe de illa loquens: *Cùm tanta esset gloria illustrata, fermento farina indito panes conficiebat, & reliqua in ancillæ morem Angelis vescentibus ministrabat.* *Sara magnitudo, quòd in hospitum obsequio ad vilia quæque se demisit. S.Chrysost.*

Ad Saræ probitatem commendandam maximè facit, quòd Agar pro ancilla in domo sua habuerit; Agar ex Hebræorum mente fuit filia Regis Pharaonis, cuius mater sanctitatem Saræ considerans cùm propter eam Deus Pharaonem flagellauerit eius obsequio filiam addixit; secum cogitans melius filiæ futurum in domo peregrinæ mulieris, sed insigni probitate insignis, seruire, quàm in domo Pharaonis Regis regnare; succinit Lyranus in cap.16. Gen. ab illa verba: *Sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar*, addit quippe statim: *Ista Agar, vt dicunt Hebræi, fuit filia Regis Ægypti. vna enim de vxoribus Pharaonis, videns sanctitatem Saræ, cum esset in domo Regis, & quomodo Pharao,* & *Sara probitas, vt collecta.*

& domus eius fuerat flagellatus à Domino, suprà duodecimo capite dixit, in corde suo, quòd melius esset filia sua Agar, si seruiret Sarai tanquam ancilla, quam si remaneret in magno honore in domo paterna, & ideo tradidit Sarai tanquam ancillam eius.

Quanti referat filias probarū matronarum adiici obsequio. Tanti refert ad probitatem sub putæ dominæ imperio aliquam degere: quam mentem vtinam à non fideli muliere fideles exhiberent, & filias bonorum potius seruas constituerent, quàm magnorum: adeò vt in iis locandis pietatis potius, & sanctitatis ratio haberetur, quàm exstimi splendoris, exstimæ nobilitatis.

ADAGIVM DCCCLXXVI.

Vbi portus putabatur naufragium inuenire.

824. VTetnur quoties in aliquo loco, aut persona pericula inuenimus, discrimina, & ruinas, in quo, aut in qua periculorum remedium, & munimen contra ruinam inuenturos nos putabamus. Philippus Abbas Bonæ Spei epist. 12. ad hunc sensum aiebat: *Ille me persequitur, ad quem refugiens in eius debuissem gremio refoueri, si fortè me vidissem lapidibus forensium perurgeri; nihil absurdius, quam* VBI PORTVS PVTABATVR, NAVFRAGIVM INVENIRE, & excidio, apud illum premi, apud quem contra excidium munimen summum credebatur.

ADAG. DCCCLXXVII.

In alto cœno adobrutus.

A Puro veritatis fonte discedens, impuro impietatis, errorisque luto conspurcatus, hic prouerbij quadam specie, alto cœno diceretur adobrutus; sancti Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba orat. 1. in Iulianum: *Aut enim quispiam eorum, qui apud illos sapientum numero habentur, hæc non intellexit, sed* IN ALTO COENO, *vt dici solet, atque obscura erroris, & ignorantia caligine* ADOBRVTVS EST; *vtpote nequaquam ita purgatus, vt veritatis radios intueri posset*; formula qua effert hanc sententiam, prouerbialem formulam esse, satis probat; in libri quoque ora prouerbij titulus est appositus.

ADAG. DCCCLXXVIII.

Oui leonis catulos domandos committere.

CVm sæui, immites, morúmque asperorum, quique coërceri vix se sinant, aut ne vix quidem, viro alicui mitissimo, ac lenissimo cicurandi, & domandi traduntur, locus huic erit adagio; hoc sensu illud afferebat sanctus Anselmus Cantuariensis Episcopus lib. 2. epist. 49. dum ait: *Nolite* OVI CATVLOS LEONIS DOMANDOS COMMITTERE.

ADAG. DCCCLXXIX.

Ocrea caput tegere, & galea calciari.

825. Vadrabit in eos, qui ineptè rebus aliquibus vtuntur, earumque vsum, ordinémque peruertunt; desumptum adagium est ex sancti Augustini verbis, qui lib. 3. confess. cap. 7. *Si quis nescius in armamentis quid cuique membro accommodatum sit,* OCREA *velit* CAPVT CONTEGI, ET GALEA CALCIARI, *& murmuret, quòd non aptè conueniat*; sensus concinnior, & formulæ prouerbiali accommodatior euadet, si res longiùs traducatur.

ADAGIVM DCCCLXXX.

Fortium castra contra imbecillum pulicem cogere.

VSorpabitur prouerbialis hæc sententia, cùm grandi apparatu alicui occurritur, qui tamquam minimarum virium sterni facilè potest, postea vinci; cùm debilem, pusillúmque magno conatu magni, & fortes insequuntur, & impugnant. Philippus Abbas Bonæ Spei epist. 9. *Quare*, inquit, *persequitur me pusillum,* FORTIVM CASTRA COGIT CONTRA PVLICEM IMBECILLVM?

ADAG. DCCCLXXXI.

Vt aprorum dentes se inuicem acuere.

PRouerbialis comparatio, vsurpanda quoties aliqui mutuo se ad opus aliquod excitant, & inhortantur, ab apris similitudine docta, quibus natura hoc tribuit, vt dentem illum, in quo summa earum vis sita est, aliis dentibus affrictim ita exacuant, vt nulla nouacula parem incidendi vim habeant, quod referebat etiam Scholiastes sancti Gregorij Nazianzeni ad illud orat. 32. *Quæ cùm dixissent, ac fecissent: seque* VELVT APRORVM DENTES INVICEM ACVISSENT; loquitur de Machabæis se inuicem ad pugnam extimulantes, & pœnas quascunque pro lege subeundas.

ADAG. DCCCLXXXII.

Cantoris Tygellij duritiam imitari.

826. QVi precibus deliniri se non patiuntur, nec postulatione flecti, vt aliquid præstent, quod tamen iniussi faciunt, hic cantoris Tygellij imitator prouerbiali schemate audiet, hic enim rogatus vt caneret, canere nolebat, iniussus verò cantabat: *Alij in illius* CANTORIS TYGELLII *pertinacem* VERGVNT DVRITIAM, *qui nunquam inducebat animum cantare rogatus, iniussus cantabat*, ait Philippus Abbas Bonæ Spei in quadam epistola, nam numerus nobis excidit.

ADAG.

ADAG. DCCCLXXXIII.

Formarum hydra.

FOrmarum hydra mulier illa audire potest, quæ fucis lenocinij quæ pigmentis nunc format formas, quas postea delet, aut emendat, variásque pro libitu species induit, nouas manibus formas parturit, vt rediuiuo semper partu noua species effundatur, cùm priori numquam sit contenta; sicut & de hydra fabulantur, cui post caput recisum alia pullulabant; hanc mulierũ insaniam sic exagitat sanctus Zeno serm. de pudicitia: *Miris excolit artibus sese, faciémque suam in se, quam non habet, quærit. Pingit se in seipsam, & lenocinante vario magistri medicaminis fuco, vultum suum vultibus vestit alienis, hoc futura, non quod natura præstitit, sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictauerit, nunc emendat, nunc delet, quas amauerat species: nunc subiicit alias, nunc parturit nouas. Manibus suis facta* HYDRA FORMARVM *procax semper incedit: quia erubescere alienis sub coloribus nescit. non domesticis, non affinibus, non maritis nota, non sibi, quia non potest esse notum, nec verum, quod est semper incertum.* de hac formæ mutatione ita loquitur sanctus Cyprianus de bono pudicitiæ: *Quid facies artibus in diuersam formam conuertitur?*

Claudius Marius Victor de peruersis suæ ætatis moribus ad Salmonem Abbatem hanc varietatem formarum qua viris mulieres occurrunt; ait enim,

Ergo quòd variis studeant occurrere formis
Atque viris aliis, aliásque opponere vultus,
Nonne hæc culpa viri est?

Est si amet in muliere, quod damnare deberet; quàm à pulchritudine vera abest hæc falsæ pulchritudinis affectatio? venustior facies esset, si minus venusta appareret; certè deformem mentem arguit hæc formæ variatio, parturirio. Acuit hæc res multorum calamos, acuit & nostrum, vt mihi integrum non fuerit ab hac formarum formatione eum coërcere; in fucos igitur arieto fuci omnis expers, & elegantiæ, nam nimis compta scriptione illud probare videtur, quod ipsa scriptione damno; hac eadem opera, & aliquibus sacrarum litterarum locis lucem immittam.

EXCVRSVS CXLIII.

Fucandæ, & pingendæ faciei damnatur artificium.

Fuci lasciuiam *nutriunt.*
Faciem pingere *meretricum.*
Voluptas *instar meretricis faciens fucantis.*
Fallacia *adulterina fucandi ars.*
Adscititius ornatus velamen Antichristi.
Satanæ inuentiones *hæc pigmenta.*
Liæ exemplo *fucus repudiandus.*
Conditoris offensam *incurrit, qui corrigit opus, quod ille pinxit.*
Regiæ imagini *addere nihil licebat.*
Res ad fucos *transfertur.*
Deum accusat, *qui vir factus muliebrem faciem studet induere.*
Damnat in se Dei opus, *qui cutẽ fucis pingit.*
Dei picturam *oblitterat, qui pigmẽtis vtitur.*
Libidinosa, *&* meretricia *hæc vnguenta.*
Ab ascita pulchritudine pœnæ imminentis *metu auocantur mulieres.*
Quæ faciẽ poliunt *sepulchris dealbatis pares.*
Cœno suo *iuuenes in rabiem agunt.*
Paries dealbatus *fucata mulier.*
Lepram *in cute habet, quæ faciem fucat.*
Quàm damnandi *qui facies suas exterminant, & deturpant.*
Ad inhonesta *prouocat, quæ faciem fucat.*
Detestanda hæc picturarum *genera.*
Virgines cœno *facies illinebant, ne amantes illicerent.*
Turpanda est facies, *quæ sibio depicta.*
Apud nonnullos lege *cauebatur, ne mulieres faciem fricarent.*
Facie mentiri *non licet cui nec lingua.*
Premuntur, quæ faciem *pingunt.*
Cutem *vt olim expolirent.*
Perstricta mulieres, *quæ post funeris lacrymas ad fucos se conferebant.*
Pigmenta ista venena *sunt.*
Naturalis decor *quærendus vt sol, vt luna, non adscititius.*
Alienus à castitate *fucus est.*
A vultus picturâ *mulieres deterrentur.*
A fuco abstineat, quæ carnem *fœnum esse cogitat.*
Penelopis telam *texunt, quæ faciem pingunt.*
Affectatus decor *intuentes fascinat.*
Statua *forma magistra pulchritudinis exemplar.*
Internus decor *quærendus, non externus.*
Diaboli hamus *est, qui fucus putatur.*
Adscitus decor, & ornatus adulterij nomine *circumscriptus.*
Hæc pictura contumeliæ notam *mulieribus inurit.*
Venustas quæsita Adonidis hortus.
Et Polypi *color.*
Litteris in arena scriptis *similis hæc pulchritudo.*
Graculi formam *mulieres habent.*
Crocodili *excrementis vtebantur.*
Fuci anima languentis *signa.*
Faciem non pinget, *quæ Christi faciem sputis illitam cogitat.*
A Christiano purpurissus, *&* cerussa *abesse debent.*

MVlier, quæ pudicitiæ cultrix, non erit pigmentorum; *hæc artificia*, inquit S. Gregorius tract. aduersùs mulieres studiosiùs sese ornantes, *non pudicitiæ sunt, sed lasciuiæ, ac libidinis.* 827.

Fuci lasciuiã nutriunt.
S. Greg. Naz.
Faciem pingere meretricum.

Philo meretricum hanc esse artem affirmat, quæ faciem pingunt, vt deformitatem suam occultent, aitque & voluptatem amatores suos istis mendaciis decipere; hæc illius verba lib. 2. Allegoriarum: *Voluptas non quale est subiectum, tale id agnoscit cogitatione: sed addit arte mendacium, rem inutilem transferens in ordinem vtilium: sicut meretrices, deformes videre licet*

Philo.
Voluptas instar meretricis faciem fucantis.

licet fucantes, pingeméſque faciem,vt tegant ſuam deformitatem.

Fallacia adulterina fucandi ars. S.Aug.

Fallaciam adulterinam hane artem vocat ſanctus Auguſtinus epiſt. 73. in hæc verba: *Capillos nudare fœminas (quas etiam caput velare Apoſtolus iubet)nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior,vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt,qua non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi.*

Adſcititius ornatus velamen Antichriſti. S.Hier.

Cogitet mulier,quæ faciem alteram faciei ſuæ addit,velamen Antichriſti ſe geſtare;grauiter ſanctus Hieronymus epiſt.10. ad Furiam de viduitate ſeruanda: *Ornatus iſte non Domini eſt,* VELAMEN *illud* ANTICHRISTI *eſt, quâ fiducia erigis ad cœlum vultus,quos conditor non agnoſcit.*

Satanæ inuentiones hæc pigmenta. S Chryſ.

Non aberrauit, qui hæc ſtudia *Satanæ inuentiones* dixit. hoc & titulo donauit ſanctus Chryſoſtomus hom.31.in Matthæum, Liæ exemplo,quæ deformis erat, nec tamen vſa huiuſcemodi pigmentis eſt,vt marito placeret,ab hac inſania mulieres auocans hiſce verbis: *Lia etſi formoſa non erat,nec admodum adamata à marito, nihil tamen habendi excogitauit (ſc.pigmenti) nec faciem à natura ſua traduxit? Tu verò cuius caput Chriſtus es, quæ fidelis es* INVENTIONES SATANÆ comprobabis? Chriſti caput habere non meretur,qui genas pingit,& pigmentis vtitur.

Conditoris offenſam incurrit, qui corrigit opus, quod ille pinxit. S.Ambr. Regis imagini addere nihil licebat S.Chryſ. Res ad fucum transfertur. Idem.

Conditoris offenſam incurrit, qui imaginem illam corrigit,quam ille formauit,in exhortat.ad Virg.ita inclamat ſanctus Ambroſius: *Ipſam ſerua imaginem, quam Chriſtus in te operibus ſuis pinxit, ſicut ipſe ait ad Hieruſalem, id eſt, ad animam pacificam: Ecce ego Hieruſalem pinxi muros tuos*; hoc & ad corporis imaginem transferri poteſt, quæ non facilè corrigenda pro libito,ſed ſeruanda,id quod monebat ſanctus Chryſoſtomus hom.31.in Matthæum,ad calcem: *Nemo,*inquit,*imagini, quæ ad ſimilitudinem Regis alicuius facta eſt, opponere quicquam audet,aut ſi audebit,non faciet impunè.Hominum igitur operi nihil addis,quod verò Deus operatus eſt, id emendare conaris?nec gehenna ignis tibi venit in mentem,nec animæ deſtitutio:non pertimeſcis, quæ tunc omnino neglecta iacet,cùm totam mentem, curam,ſtudiúm-*
828. *que tuum ad corpus contuliſti*; damnandum iſtue in muliere eſt,ſed multò magis in viro, ſi adeò inſaniat, ſi muliebrem faciem ſtudeat induere, exuta virili; quod in quodam qui laborabat hoc vitio his verbis reprehendit ſanctus Iſidorus Peluſiota lib.1.epiſt.463. *Magno mœrore afficior, quoniam te paternæ pudicitiæ æmulum haudquaquam eſſe audio,verùm peregrinam turpitudinem ſectari, faciem tuam naturalis honeſtatis,& grauitatis flore ſpoliantem, eam in muliebrem potiùs transformantem. Quod quidem nihil aliud eſt,quàm eum,à quo effectus ſit,accuſare.*

Deum accuſat, qui vir factus muliebrem faciem ſtudet induere. S.Iſid. Peluſ.

Damnat in ſe Dei opus, qui cutem fucis pingit. S.Paulinus.

Damnare Dei opus videatur, qui pigmentis inficit, quod ille formauit, vt iure inclamaret ſanctus Paulinus epithalam. in Iulianum, & vxorem,

Non facies maleficta cutem,neque lumina nigro
Puluere,nec flauo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aſpernata ſuperbo
Crimine, DIVINVM IN SE SIBI DAMNAT OPVS.

Dei picturã oblitterat, qui pigmentis vtitur. Nicetus.

Dei opus oblitterat, qui vultum fucis pingit; audiendus hîc Nicetus,qui in oratione S.Gregorij Nazianzeni de Chriſti natiuitate hæc habent in hanc rem: *Ne artificiis vtamur, facies noſtras ceruſſa, & fuco aliiſque meretriciis ac libidinoſis vnguentis frictionibuſque depingentes, quæ natiuam pulchritudinem ementiuntur, immutatione quadam ipſam referentia,atque aduersùs imaginem diuinam adinuenta,& excogitata ſunt, vultum enim oblitterant, ac formam, quam Deus natura pictor nobis affinxit, obtegunt.* Sic ille,vbi interim vides meretricia hæc vnguenta dici,de *libidinoſa*,cùm libidinem excitent, excitatam foueant,ac nutriant.

Libidinoſa, & meretricia hæc vnguẽta.

829. Abadſcita hac pulchritudine grauiter pœnæ imminentis metu omnes auocat ſanctus Cyrillus Alexandrinus orat.de exitu animi, & de ſecundo aduentu. *Qui ſibi purpuriſſo vultus humectant, & ceruſſa genas illinunt,dealbántque,& ad ſpeculum comantur,vt homines ad nequitiã, & prauas cupiditates,amoréſque ſatanicos incitent,atque illiceant, ij in die iudicij non pij reperientur, ſed vt Dei præceptorum contemptores torquebuntur. Qui pulchritudinem aſciſcunt alienam, Paradiſi pulchritudine priuabuntur.* Quis adeò inſaniat, vt vera, & æternum duratura pulchritudine ſe priuet,inani hac,ac deceptrice deceptus?

Ab aſcita pulchritudine pœna imminentis metu auocantur mulieres. S.Cyr. Alex.

Quæ faciem poliunt ſepulchris dealbatis pares. S.Chryſ. Cœno ſuo iuuenes in rabiem agunt. S.Greg Naz.

Sepulchri parietibus ſe pares oſtendunt mulieres dum faciem dealbant,nam parietes dealbabantur;hinc illud ſancti Chryſoſtomi hom.31.in Matthæum: *Non albario illitas genas, ceu ſepulchri parietes*;ſanctus Gregorius Nazianzenus tract.aduersùs mulieres ſtudioſiùs ſeſe ornantes; *colores parietibus relinquamus, iiſque mulieribus, qui cœno ſuo iuuenes in rabiem agunt.* Pende poſtrema verba, *iuuenes* IN RABIEM AGVNT, in rabiem acti ad ſancti Bellini ſepulchrum, oſſaque ducuntur, vt deſinant agi, contrà ſe res habet in muliebrium genarum parietibus dealbatis, in rabiem incautos ſpectatores agunt, rabiem non comprimunt, non auferunt.

Paries dealbata fucata mulier. S.Aug.

Sponſa dealbata ob puritatem erit,non ob fucum,ſancti Auguſtini hæc ſunt verba.*In Pſal.103. dicitur, Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? Quid eſt dealbata? illuminata, non dealbata,ſicut fucata, quemadmodum ſe dealbant fœminæ, quæ volunt videri, quod non ſunt: non dealbata, ſicut paries dealbatus eſt.*

Lepram in cute habet, quæ faciem fucat. B.Alb.

Lepra in cute laborare mulieres cenſet B. Albertus Magnus, quæ totæ in cute polienda ſunt; ſerm.de Dom.3.Aduentus,ita ſcribit: LEPRAM IN CVTE *habent mulieres,quæ quibuſdam fucis,& lineamentis cutem ſuam liniunt, & perungunt, vt rubicundiores appareant,& nitidiores.*

830. Damnauit eos Chriſtus, qui facies ſuas exterminabant, vt apparerent hominibus ieiunantes, *Matth.6.*quàm maiori reprehenſione ſunt dignæ, quæ facies ſuas exterminant, & corrumpunt,non oſtentandi ieiunij gratia, ſed excitandæ libidinis? rem grauiter premit S.Chryſoſtomus hom.2. in Matthæum, dum ait: *Si faciei corruptio eſt,propter inanem gloriam pallidum apparere quemdam, quid nam dicendum eſt de fucis,atque picturis corrumpentibus facies fœminarum in perditionem iuuenum laſciuorum? non hi quidem qui oſtentant pallorem ieiunij, ſe ipſos tantùm non; hæ verò & ſe ipſas, & eos, à quibus videntur,interimunt.*

Quàm damnandi qui facies ſuas exterminant,& deturpant. Matth 6. S. Chryſoſt.

Ad inhoneſta prouocat, quæ faciem fucat. S.Greg.Naz.

Nam ad inhoneſta prouocare, quæ faciem ſuam fucis, & pigmentis pingit, pauonis exemplo, ſic explicat ſanctus Gregorius Nazianzenus tract. aduersùs mulieres ſtudioſiùs ſeſe excolentes: *Ferunt inſolentem pauonem,cùm curuato collo, penniſque gemmantibus circulum efficit, fœminas clangore ſuo ad Venerem incitare. Eodem modo admodum mirabor, ſi tu aliam ob cauſam formam fingas, quàm vt nitidorum & fallacium virorum oculos ad te conuertas.*

Deteſtanda hæc picturarũ genera. S.Ephræm.

Hæc tincturarum,& picturarum genera damnat S.Ephræm ſerm. de compunctione cordis, ait enim: *Deteſtare varia tincturarum genera: ſtibia quoque ac venuſtates*; deteſtanda maximè eſt, quæ illa non deteſtatur.

Virgines

Virgines cœno facies illinebant, ne amantes allicerent. Nicet. Chon.

Virgines iussas cœno facies suas illinere, obseruo, ne sua pulchritudine amantes illicerent; id euincunt hæc verba Nicetæ Choniatæ de rebus Constantinopolis, vbi rem ita narrat: *Adolescentulas cœno faciem illinere, vt pridem fucis, atque ita ruborem genarum extinguere iussimus, ne formæ venustas principio vt viatores noctu elatu ignis spectatores, deinde amatores, postremo raptores allicere*

831. Hoc certè præstare deberent, qui faciem cerussa pinxerunt, vt spectatores deciperent, inque suas casses traherent; hinc illud apud sanctum Hieronymum ad Eustochium in epitaph. Paulæ, epist. 27. ante medium, *Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi.*

Turpanda est facies, quæ stibio depicta. S. Hier.

Apud nonnullos lege cauebatur ne mulieres faciem fucarent. Cæsarius.

Apud nonnullas Gentes lege cautum repetio, ne mulieres genas suas pingerent, fucarent faciem. Cæsarius Dial. 2. ita scribit. *Alia item apud Gelas lex, vt mulieres agros quidem colant, & ædificent, & opera virilia faciant, sed consuetudinem habeant cum quibuscumque velint peregrinis, nulla increpatione virorum, qui ipsis præsunt, neque æmulatione impedita. Non vnguntur autem odoramentis, neque fuco in facie inficiuntur, vt genas pingant; quemadmodum apud nos vxores alienæ quæ faciei medicamenta quædam adhibent. Viri verò induuntur ad pedes demissa veste molli, & tincto amictu.*

Facie mentiri non licet, cui nec lingua. Tertull.

Lingua mentiri fideli non liceat, licebit faciei mendacium? minimè; egregiè Tertullianus de cultu fœmin. cap. 5. *Quam indigna nomine Christiano faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur; effigiem mentiri quibus lingua non licet.*

Premuntur quæ faciem pingunt.

Grauiter fœminas vrget, & premit idem Tertullianus, quæ genas sibi depingunt, cultum maculant, à Diabolo hanc artem esse affirmat, qui vt malitia hominis spiritum studet transfigurare, sic quærit & corporis figuram pigmentis, & coloribus. hæc illius verba lib. de cultu fœminarum, cap. 5. *In Dominum delinquunt, quæ autem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adiiciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, id est, Diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? ille indubitata huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, Diaboli negotium est, diuino operi satana ingenia superducere quàm scelestum est.*

832. Claudit: *Edite, benedicta, quomodo præcepta Dei custodietis, liniamenta non custodientes.* Lucianus in Dialogo, cui titulus Amores de his pigmentis hæc habet; *Crebra medicamentorum compositiones fœdam faciei cutem expoliunt, perinde autem vt in publica pompa, alia subinde alia ancillarum instrumenta manibus exhibent, pelues videlicet aureas, & gutturnia, speculáque, & quemadmodum in pharmacopolio, pyxidum turbam, & vascula plena multa infelicitatis, in quibus dentium vis abstersiua, aut palpebris denigrandis ars comparata veluti thesaurus quispiam seruatur.*

Cutem vt expolirent. Lucianus.

Perstrictæ mulieres, quæ post funeris lacrymas ad fucos se conferebant. S. Zeno.

Sanctus Zeno serm. de continentia eas mulieres arguit, quæ cùm virum vita functum vbi planxisset, statim ad pigmenta, picturásque se contulit; hæc eius verba: *Tu ne illa es, quæ mariti corpus expositum lauasti lacrymis, oculis detersisti, crinium damno velasti, scissis genis, liuore fœdatus vberibus, sordido plus puluere tecta quam veste.* Pergit: *Post hæc si libet nubere, omnia illa mentita es. Quid hoc est, aut rursus ad lenocinia redis, colorem de pyxide mutuaris paulo ante damnatum. Ecce indulgenter excolis crinem, odorato puluere luctus puluerem mutas, in stibio fletus includis, ornamento ligas, quod suspendio voueras collum.*

Vt ab pigmentis hisce abstineas, cogita venena esse. Claudius Marius Victor de peruersis suæ ætatis moribus epist. ad Solmonem Abbatem, ait:

Pigmenta ista venena sunt. Claudius Marius.

——— *Quid agunt in corpore casto*
Cerussa, & minium, centúmque VENENA *colorum.*

Verè venena non corporibus perimendis, sed animis, mentem occidunt deferentium, occidunt & spectantium.

833. Nitorem alium non quærat mulier, nisi quem conditor tribuit; stellas, solem, lunam tunc pulchra existimamus, cùm naturali suo decore vestita sunt, spoliati omni adscititio; minuitur pulchritudo si aliquid adiiciatur: ab hisce luminaribus mulieres discant illam pulchritudinem pigmentis non inficere, quam auctor dedit. Pulchre Ennodius ille Magnus dict. 12.

Naturalis decor quærendus vt sol, vt luna, non adscititius.

Ennodius.

Nil iuuat externo componere membra nitore,
Lux naturalis sydera nobilitat.

Quàm suspectus haberi debeat fucus iste, quámque alienus à castitate sit, explicat in hunc modum S. Ambrosius lib. 1. de Virg. *Quæsitis coloribus ora depingunt, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis*; & per hæc pigmenta iter sibi ad inhonesta sternunt.

Alienus à castitate fucus est. S. Ambr.

Ab hac vultus picturâ, & pigmentorum vsu, ornatúsque adscititij sic deterret mulieres Vgo Victorinus in libello de nuptiis vitandis, cap. 2. *Illa* (mulier,) *quæ verticis crines aurea diuidit acu, quæ frontem pingit, faciem colorat, gemmis digitos exornat, erit esca vermium, erit colubri cibus; huius collum coluber ambiet, auget anguis vbera; & quanto pulchrior, atque tenerior fuerit caro, tantò velocius putrefacta vertetur in saniem*; seriò id cogitent fœminæ, & quid futuræ sint attentæ pensent, vt hos fucos fugiant, ab hisce pigmentis abstineant.

A vultus pictura mulieres deterrentur. Vgo Vict.

834. Sanctus quoque Orientius in suis versibus sic à vultos fuco nos auocabat:

A fuco abstineat, quæ carnem fœnum esse cogitat. S. Orientius.

Quæ laus in vultu, fœnum omnem credite carnem
Quippe vt flos fœni gloria carnis erat.

Ridendæ hæ, quæ tempus, annósque absumunt cuti poliendæ; fucandis vultibus operam ludunt in re parum duratura; imitantur Penelopem, quæ telam, quam interdiu texerat, noctu soluebat, vt rem in prouerbium abierit; parem laborem mulieres subeunt, quæ quotidie faciem pingunt; sic eas perstringit sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres studiosiùs sese exornantes: *Pictum, & fucatum corpus vel fuge, vel conserua, nec turpe, atque obscœnum tibi formæ adiumentum ascisce? Quid enim alioquin agis, quàm quod Penelopes instar telam noctu soluis, interdiu texit, internéque Hecubam, externè Helenam refers.*

Penelopes telam texunt, quæ faciem pingunt.

S. Greg. Naz.

Ab hoc fuco, vt à fascino sibi spectatores caueant; nam verè hoc adscititio decore fascinant intuentes leues esse mulieres; Ildeberti hæc verba sunt epist. 36. de Virgin. ad Christum: *Affectatus decor, & quicquid aliud, quàm quod natum est, oculos fascinat intuentium, odium prouocat, non gratiam, repudium, non fauorem.*

Affectatus decor intuentes fascinat. Ildebertus.

Obseruo eò olim dementiæ deuenisse, vt ante statuam vitæ expertem se constituerent, ac ad eius pulchritudinem efformarent se, eámque æmularentur,

Statua formæ magistra pulchritudinis exemplar.

rentur, in exemplúmque sumerent. Exscolpo id
S.Greg.Naz. ex D.Gregorio Nazianzeno aduersùs mulieres. sic enim ait: *Tum videlicet cùm forma magistram oculorum sensu carentem, hoc est, imaginem vitæ expertem sibi constituens, pulchritudinis exemplum illinc petit.* Sic ille de muliere se ornante. Billius in scholiis num. 2. de simulachro eleganti explicat, ad cuius similitudinem se lasciuiores mulieres componebant, adeò excreuerat luxus iste; rectè autem vocat Nazianzenus imaginem hanc *formæ magistram*, quia scilicet ore muto mulieribus monstrabat, quo se ritu ornare venustatis causa deberent.

835. *Internus decor quærendus, non externus.* S.Paulinus.

Ab extimo hoc ornatu auocare mulieres omnes, præsertímque virgines monitum illud potest, quod illis offert sanctus Paulinus epist. 4. ad Seuerum: *Meminerint esse se filias illius filiæ, cuius gloria ab intus est*; vt à matre degenerent, quæ ornari, polirique in corporis superficie student inferiori animæ pulchritudine neglectâ. Respicit
Psal. 44. sanctus Doctor ad illa Prophetæ Regis verba Psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* de multis inuerti sententia potest, quarum omnis gloria extrà est, intus squalor, intus sordes.

Diaboli hamus est, qui fucus putatur. S.Cyr. Alex.

Diaboli hamum hunc fucum vocatum reperio, sancti Cyrilli Alexandrini hæc sunt verba orat. de exitu animi, & de secundo aduentu. *Væ qui fucantur, vt animas ad impuræ nequitiæ coniunctionem, libidinémque vulnerent, cùm re ipsa hamus sit diaboli, cùm fucus*; & eò nocentior hic hamus est, quo etiam & qui capit capitur, & qui spectatores tenet, tenetur etiam spectatus, spectatáque. Addit, *Qui pulchritudinem asciscunt alienam, Paradisi pulchritudine priuabuntur.* hæc cogitent, quæ tanto studio hanc pulchritudinem quærunt.

Adscitus decor, & ornatus adulterij nomine circumscriptus. S.Paulinus.

Ægrè pudica audiet quæ faciem fucat, concupiscentiæ igni excitando. adscitum hunc decorem, quem ars, non natura parturierit, adulterij nomine circumscriptum obseruo; sanctus Paulinus huc videtur spectasse dum in epithalam. in Iulianum ita canit,

Frustrà hæc se mulier iactauerit esse pudicam
Quæ se tam variis ornat adulteriis.

836. *Hac pictura contumeliæ notam mulieribus inurit.* S Greg.Naz.

Meminerint ornatum hunc nihil illis profuturum, nisi vt apud homines sibi contumeliæ notam inurant. Ita docuit, monuítque sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres studiosiùs sese exornantes: *Hisce pigmentis nihil aliud, mihi crede, consequeris, quàm vt forma illa, quam tu ingenij viribus viuam depingis, apertissimam tibi apud homines contumeliæ notam inurat.* Deinde inanem eius laborem
Venustas quæsita Adonidis hortus. explicat, quem subit in re minimè duratura. *Venustas*, inquit, *hæc Adonidis hortus est, citò marcescens.* quæ de Adonidis hortis produnt auctores obuia
Idem. *& Polypi color.* sunt; talis venustas ab adiumentis alienis adscita; nec hîc sistit sanctus Pater, addit, *Polypi color* polypum omnem eius rei cui adhæret colorem induere testantur, vt fallat incautos pisces; talis mulier, vt fallat, ac decipiat iuuenum oculos ad has artes fugit, ad hæc pigmenta. Pergit sanctus Doctor,
Litteris in arena scriptis similis hæc pulchritudo. *Littera in arenam conscripta.* Quid minus firmum, & instabilius, dum scribuntur pereunt, sic & mulieris decor ab his pigmentis mutuatus, vix picta facies est, cùm deleti color hîc incipit: desouit
Graculi formam mulieres habent. Nazianzenus, *An tu cùm graculi formam habens non times ne detractis tibi alienis pennis risum tandem moueas.* Scita est fabula de graculi pennis, quos sibi ex aliis asciuerat, ac tandem nudus remansit, omnibus risui, ac ludibrio.

837. Porrò, ne pietatem aliquam sub hisce pigmentis latere, sed opus totum sæuitiei esse, & crude-
Crocodili excrementis vtebantur. litatis scires, aliquæ olim crocodilorum excrementis vtebantur, vt sicut crocodili lachrymæ in prouerbium abierunt de crudelitate, quæ pietatem, & commiserationem mentitur, ita & hæ fraudes ad mortem sunt, licèt blandiri videantur.
Clem. Alex. mutis huius meminit Clemens Alexandrinus 3. Pædag cap. 2. *Ter non semel digna sunt, quæ crocodilorum excrementis vtuntur, & spuma sepiarum vnguntur.* Pergit, & signat hæc artificia languentis, & ægrientis animæ esse in hunc modum firmat:
Fuci animæ languentis signa. Idem. *Quemadmodum autem cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet mariti suspicionem, ita fuci, tinctura, & colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant.* Erant leues mulieres, & de adscita pigmentorum auxilio pulchritudine sibi blandiuntur, cùm animi ægrotantis hæc indicia sint. Fortiter, & christianè illa: *Facies*
Faciem non pinget, quæ Christi faciem sputis illitam cogitat. *Christi virulentis sputis deformata fuit, ego stibio pingam meam*; non pinget, quæ Christi sui faciem sputis illitam seriò cogitabit. Christiana, & Christi cultrix in facie cerussam non debet. Audien-
A Christiana purpurissus, & cerussa abesse debent. S.Hier. dus sanctus Hieronymus, qui epist. 10. quæ est ad Furiam, de viduitate seruanda, ita loquitur: *Quid facit in facie Christiana purpurissus, & cerussa? quorum alterum ruborem genarum, labiorúmque mentitur, alterum candorem oris, & colli*; candore mentis caret iste candor.

EXCVRSVS CXLIV.

De oculorum pictura.

Oculi *olim picti.*
Nigro colore *oculorum exordia producta.*
Medorum fuit oculos *depingere.*
Virgines *ab oculis pingendis auocatæ.*
Ab hoc ritu *illustratus Ieremias.*
Stibio *oculi picti.*
Stibium *in oculorum pictura.*
Dæmonum inuentum *oculorum pictura.*
Stibio scindi *oculi dicebantur.*
פוך *quid*, fuci *nomen.*
στιβίζοντες mulieres *à stibij vsu.*
Supercilia flaua *depicta fuligine, & atramento.*
Supercilia fuligine *tincta acu producta.*
Geometriam *in superciliis exercere quinam dicerentur.*
Ouis formicarum *supercilia denigrata.*
Palpebræ *depicta.*
Palpebræ *vncis ferreis lacerata.*
Abrasa supercilia.
Pingendorum oculorum *ritu expositus locus 4. Reg.*
Iezabelis *exemplum nulla imitetur.*
Iezabel *oculos fuco pingens, pinxit & suo sanguine terram.*
Ritu oculorum pingendorum lux *immissa* Ezechieli.
Oculorum pictura ad libidinem *excitat.*
Fucati colores *mentem decolorant.*
Vultus adulterium *ad castitatis adulterium viam aperit.*

Iudicium

Iudicium suum *perdunt mulieres dum maritorum citra formam verentur iudicium.*

Damnatur stibij *vsus.*

Non pingendi stibio *oculi, sed ab oculis lacrymæ fundendæ.*

Stibium *abesse à Christi sponsa debet.*

Scriptura sacra tamquam grauis matrona stibij vsum *in oculis auersatur.*

Christi collytio *oculi inungendi, non Diaboli stibio.*

Christum videre *non meretur, qui oculos inſici à Diabolo sibi permittit quos Deus fecit.*

838. *Oculi olim picti.* QVia hîc sumus, oculi ad oculos flectendi sunt, flectendus calamus, nam olim in genis luxus non sistebat, se quoque ad oculos porrigebat, fucabantur genæ, pingebantur & oculi. Sanctus Paulinus in epithal. Iul.

S.Paulinus.

——*Neque lumina nigro*
Puluere, nec flauo tinctam colore comam.

S.Cypr. Huc spectabat & sanctus Cyprianus de bono pudicitiæ: *Quid oculorum extremitates suffuscantur? Quid facies artibus in diuersam formam conuertitur.*

S.Isid.Pelus. De oculorum fucis loquitur etiam sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 461. *Ornatus studium ac capillorum flores, aurique cum iis connexio, atque intorti crines, & oculorum pigmenta, & pulchritudinis effictio, prauaque circa res huiusmodi artificia, quæ tibi curæ esse omnes referunt, necessary vsui, honestati, & grauitati contumeliam inferunt, vitiosarum autem affectionum rabiem significant.* & lib. 2. epist. 52 *Mulieres eæ, quæ muliebres morbos occultare nequeunt si formosæ sunt, atque opibus circumfluunt, splendidis ac summi pretij lapillis auro intextis gloriantur: si autem deformes & inopes, fucis quibusdam & oculorum pigmentis, ascitiam pulchritudinem comminiscuntur.*

Clem.Alex. Et Clemens Alexandrinus 2. pædag. cap. 8. *Quid de fucata oculorum picturâ?* Et lib. 3. pædag. cap. 2. *Ita mihi videntur fœminæ in genis vngendis, oculisque pingendis*; eodem spectat & sanctus Chrysostomus hom. 9. in epist. 1. ad Timoth. ad illa Pauli verba: *Non in tortis crinibus, aut auro*, ait enim: *Quòd si & quæ opum tantùm indicia sunt, tanto studio circumcidit, aurum scilicet, margaritas, & vestimenta pretiosa, quantò magis & quæ in modico studio & arte quæruntur, cuiusmodi sunt purpurisso vultus inficere, & stibio oculos pingere, superfluam pallij ac tunicæ iactationem stridentes socros.* & hom. de Dauid, & Saule: *Vbi stibio picti oculi, vbi coloribus tincta gena?* & sanctus Hieronymus epist. ad Furiam: *Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos.* Sanctus Ambrosius lib. 1. de Virg. *Oculis color alter infunditur.*

S.Chrys.

S.Hier.

839. *Nigro colore oculorũ exordia producta.* Tertull. Oculos, oculorúmque exordia pingi nigro colore solita, indicat Tertullianus de hab. mul. cap. 2. *Et illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Et de cultu fœminarum cap. 5. *In illum* (Deum) *delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant,* OCVLOS FVLIGINE COLLINVNT; *displicet illis nimirum plastica Dei, in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium, reprehendunt enim cùm emendant adiiciunt*; & cap. 13. monet: *Prodite vos medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia.*

Et vt externas etiam producamus; Iuuenalis,

——*Pingitque trementes.*
Attollens oculos.

Iuuenal.

Pollux. Iulius Pollux ad Commodum Cæsarem scribens ait: τὼ ὀφθαλμὼ ὑπογράφει. id est, *oculos suppingit.* Plinius lib. 11. cap.. *Tanta est decoris affectatio, vt tingantur oculi quoque.* Apuleius lib. 6. Metam. *Die sequenti variis coloribus indusiati, & deformiter quisque formati, faciem cœnoso pigmento deliniti, & oculos obuncti graphicè prodeunt.* Menander Comicus apud Clementem Alexandrinum talem luxum ita perstringit:

Apul.

Menander.

At nunc recede ab his adibus, nam fœminam
Pudicam non decet facere flauos pilos,
Sed neque genas fucare, nec oculos depingere.

Damnat luxum hunc vt pudori aduersantem etiam Ouidius lib. 3. in arte, his versibus.

Ouidius.

Nec pudor est oculos tenui signare fauilla,
Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Medorũ fuit oculos depingere. Medis hoc solenne vt pictos oculos gestarent. Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 18. *Medorum fuit oculis pictis incedere*; quod ex Xenophonte lib. 1. παιδ. sumptum est. Persas quoque solitos coloribus oculos suppingere, idem Xenophon tradit lib. 8.

Alexand. ab Alex.
Xenoph.

Dæmonum inuentũ oculorũ pictura. S.Cypr. Hoc porrò inuentum Dæmonum fuisse tradit sanctus Cyprianus de discipl. & habitu Virg. *Illi* (Dæmones) *& oculos circumducto nigrore fucare docuerant.* Dæmonis fit discipulus, qui spectatoribus decipiendis oculos pingit.

Ad hanc oculorum picturam spectabat etiam Lucianus de mercede conductis in hæc verba: *Iam primum illud cuiusmodi fuerit, vide, iuxta virum seuerum tetricúmque tum senem, canóque mento (scis autem quàm profundam, ac venerabilem barbam habuerit Themospolis) assidere nihili hominem, & effœminatum picturatis oculis, lubrico vultu, fracta ceruice.* Et Naumachius apud Stobium de nuptialibus præceptis serm. 74. inter alia monita, quæ exhibet, ab oculorum pictura virginem auocat; hæc eius verba: *Nunquam nimis afficiaris auri studio, neque in collo purpureum hyacinthum geras, viridimve aspin, quibus stultè superbiunt; tu verò ornatu, ô virgo, inani non indiges: neque in speculo manu discernens tuam contempleris formam: sed neque circa comam multiplices contexe nodos, neque sub genis tuis oculos colore nigro inficias.* Ex his igitur, quæ diximus, apertissimè constat, primi æui consuetodinem extitisse, vt non genas tantùm fucarent, & pigmentis illinerent, sed & oculos.

Lucianus. *Virgines ab oculis pingendis auocata.*

Naumach.

Hinc procliue erit Ieremiæ verbis lucem immittere, quæ huius ritus ignoratione negotium nonnullis non leue facessiuere; sic ille scribit c. 4. v. 30. *Tu autem vastata es, quid facies? cùm vestieris te coccina, & ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustrà componeris; consumpserunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Pingit sub his verbis meretricios Hierosalem focos, eiúsque superfluos ornatus mulieris exemplo, quæ tota infricanda cuticula est, cerusśáque ac fuco facie linienda perstringit. Et plures in his verbis prisci æui ritus subindicantur. Nos ad oculorum picturam quò sunt verba imus, nec repugnantem Scripturam aliò detorquens, nam quod de pictis oculis hîc dicitur, adeò nouum, insolénsque aliquibus visum, vt de genis, ac facie duntaxat intellexerint, non de oculis, palpebris, superciliis. Vatablus, quod noster habet, *Si pinxeris stibio oculos tuos*, vertit: *Si pinges fuco faciem tuam, frustrà pulchrum te reddes.* quod de oculis ait Ieremias, intelligit ipse de facie, sed quàm commodè ex his quæ dedit constat, certè versiones cæteræ Vatablo

840.
Ier. 4 30.
Ab hoc ritu illustratus Ieremias.
Vatabl.

Pagn. Montanus.

repugnant. Pagninus, *Quia pingis stibio oculos tuos.* L X X. *Si vnxeris tibi oculos tuos, in vanum pulchritudo tua.* Montanus in Biblia Pagnini, *Quia scindes in fuco oculos tuos.* Non est igitur quòd a vulgata lectione recedamus, & per oculos genas, & faciem intelligamus. ex prisco enim more mulieres se, vt pulchriores, ac venustiores viderentur, oculos, palpebras, imò & supercilia depingebant, ad quem ritum respicere producta Prophetæ verba nullus in dubium voco. Exempla quæ protulimus id euincunt, & alia multa quæ aduchi huc possent.

Stibio oculi picti. S.Chrysost.

841. Stibio verò oculos depictos non est quod vocemus in dobium; sanctus Chrysostomus hom. de Dauid, & Saule: *Vbi stibio picti oculi?* vbi coloribus tinctæ genæ? & in catena Græca Ieremiæ in cap.4. ad illud, *Si vnxeris stibio.* Idem sanctus Pater sic habet; *Nigrum ais, quo mulieres oculos colorare solent.*

Stibium in oculorum pictura.

In Omphale Lydiæ Regina inter cætera ascititiæ formæ instrumenta Ion enumerat, ἢ τὴν μέλαιναν φῦκον ὀμματογράφον, id est, *nigrúmque stibium oculorum picturamentum.*

Stibio scindi oculi dicebantur. Hebr.lect. Pagninus.

Sed pendamus etiam lectionem Hebræam. in Hebræo est, *Si sciderts stibio oculos tuos*; ita legit Pagninus in Lexic. & addit: *& dixit, Sciderts, quia ob nimiam fucandi frequentiam oculi scindantur.* Hæc ille. Porrò in facie est vox, פוך, & dum cum serili, בפוך *in stibio*, à qua voce & nostra Latina *fucus*, videtur deducta, & verbum *fucare.*

פוך *quod fucus nomē vnde.* *στιβίζοντες mulieres à stibij vsu.* Cœl. Rhod.

Stibium autem vsas mulieres etiam alij testantur. Græci videntur vocare, στιβίζειν. *de Trogloditarum mulieribus ita refert ex Artemidoro Strabo: στιβίζονται δ' ἐπιμελῶς αἱ γυναῖκες. quod interpres per errorem sic reddit, mulieres diligenter sibi cerussam inducunt*; vt Cœlius Rhodig. lib.27. lect. antiq. cap.25. & rectè monuit erroris, puto Strabonem ad stibium respicere, quo mulieres oculos sibi concinnabant, insolens visum interpreti stibium mulieribus ad fucum, ideo cerussam vertit tam malè, quàm ritum hunc muliebrem olim receptissimum ignorauit.

842. Adde linitionem hanc maximè superciliis adhibitam, quæ quia nigra esse volebant, quod natura sæpè non dabat, arte supplebant, ob ídque fuligine, nigroréque illinebant; hinc si mulier quæpiam flaua haberet supercilia, ad artes, fucósque currebat.

Supercilia flaua depicta fuligine, & atramento. Clem. Alex. Artemid.

Moris huius testis est Clemens Alex.3. pædag. cap.2. *Supercilia*, inquit, *flaua habet, aliqua depingunt fuligine.* Idem testatur Artemidorus lib.1. dum ait: *Supercilia forma studiosæ mulieres atramento inficiebant.*

Supercilia fuligine tincta, acu producta. Iuuenalis.

Addo supercilia hac fuligine tincta acu producere solitas, vt discriminarent: huc respexit Iuuenalis Satyr.2.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Geometriam in superciliis exercere, qui nam dicerentur. Iul. Pollux.

Hinc Γεωμετρεῖν περὶ τὰ ὀφρύα, id est, *Geometriam exercere in superciliys*, prouerbiali figura dicebantur, qui toti in concinnandis superciliis erant; meminit huius formulæ Iulius Pollux lib.5. cuiusmodi homines, οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ προσωπεῖον φέρειν. dicit, *non faciem hominis, sed personam, seu laruam præferentes*, quo etiam Nazianzenus vsus est aduersùs fœminas stibio formæ lenocinium quærentes, ὅτι προσωπεῖα, καὶ οὐχὶ πρόσωπα φέρειν.

843. Pingi supercilia solita etiam Philo indicauit, illius quippe hæc sunt verba lib. de mercede meretricis non inducenda in ærarium: *Impudentiam præferens in oculis, elata ceruice, fucata facie, pictis superciliis, recens, lota, purpurissata.* De superciliorum tinctura loquitur etiam Plinius, cuius suprà verba aduocauimus: *Oua formicarum*, inquit, *supercilia denigrari aiunt.* Manasses in annalibus de Sardanapalo, *supercilia colorabat.*

Oua formicarum supercilia denigrata. Plin.

Palpebra depicta. Abul.

Nec solùm supercilia, sed palpebras etiam ita illinebat; sic indicauit Abulensis quæst.17. in 9. 4. Reg. qui explicans quomodo Iezabel depinxerit oculos suos stibio, ait: *Tunc depinxit oculos suos stibio, id est, quodam colore nigro, quo fœminæ vtuntur ad reddenda supercilia nigra, & palpebras, & faciunt maiorem apparentiam palpebrarum, & superciliorum quàm alias.*

S.Greg Naz.

Hoc idem significat sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres studiosiùs sese ornantes, & excolentes, dum ait: *Nihil tibi venustatis ex eo accidit, quòd pictarum palpebrarum supercilium attollas, humidásque pupillas intus voluas, quod lasciua voce beneuolas aures allicias, quòd manus ac pedes aureo vinculo construas.*

844. Fortiùs illæ virgines, quæ in fidei testimonium passæ sunt sibi palpebras lacerari, meliùs sic ornatæ, quo fœdiùs laceratæ. Ado in vita sanctæ Martinæ: *Iussit Imperator virginis faciem alapis cædi, vncisque ferreis eius palpebras lacerari.*

Palpebra vncis ferreis lacerata. Ado.

Abrasa supercilia.

Gonzalus Syluerius, vt de illo scribit Nicolaus Godignus lib.1. cap.4. vitæ illius supercilia sibi aliquando abrasit, vt fieret deformis, & incusus.

Ex his, quæ de pigmentis oculorum diximus, procliue erit alia sacrarum litterarum loca aperire.

Pigmentorum oculorum ritu expositus. locus 4.Reg.

Luxus iste mulieribus olim familiaris erat, vt non solùm ad meretrices, ac viles, impudicásque fœminas esset deuolutus, sed etiam illustres mulieres, hinc magna illa Iezabel & insigni improbitate insignis oculos sibi hoc ritu pinxisse scribitur 4. Reg.9.30. in aduentu Iehu, sic enim legis: *Venitque Iehu in Iezabel. Porrò Iezabel depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem Iehu per portam*; quæ verba ad eum, quem hucusque diximus ritum, explicanda, & accipienda sunt, vt parum idonea ea exposuisse videatur Lyranus dum ad faciei fucum respicit, ait enim, *depinxit stibio oculos, id est*, inquit, *faciem suam fucauit.* nimis extendit, quòd ad oculos tantùm Scripturæ verba referunt. Accipio igitur de oculorum pigmentis, ac fuco, vt verba ipsa non coactè suadent, & vsus antiquorum poscit, quem superiùs ab omni dubitationis nubilo vindicauimus. Benè hîc Abulensis quæst.17. in 4.Reg. *Porrò Iezabel introitu eius audito depinxit oculos suos stibio.* scilicet (ait Abul.) *audiuit Iezabel, quòd veniebat Iehu, & introibat in vrbem, & tunc depinxit oculos stibio, id est, quodam colore nigro, quo fœminæ vtuntur ad reddendum supercilia nigra, & palpebras, & faciunt maiorem apparentiam palpebrarum, & superciliorum, quàm aliàs, & vocatur vulgariter Alcohol.* Hæc Abulensis, & optimè. Fauent aliæ versiones, Pagn. ex Hebr. *& posuit fucum in oculis suis.* L X X. *& stibio depinxit oculos suos.* Montanus in Biblia Pagn. *& posuit in fuco oculos suos.* nam in fronte est, ותשם בפוך עיניה, *& posuit in stibio oculos suos*, id est, vt exponit Pagninus in Lexico, *stibium in oculis suis*; est enim *figura hypallage, id est, submutatio, secundùm R. David in commentario. sicut & illud Psalm. 74. v. 7. miserunt in*

4.Reg.9.30. Abul. Pagn.

in igne sanctuaria tua. pro ignem in sanctuariis tuis. Subdit aliam explicationem, *& posuit, idest, disposuit, aptauit stibio oculos suos.* Eodem spectauit noster Agellius in Psalm. 103. vbi ait, *Sic namque Iezabel scriptum est in libro quarto Regum capite nono. Posuit in stibio oculos suos, quod est, posuit stibium in oculis suis: sensum expressit Beatus Hieronymus, depinxit oculos suos stibio.*

Iezabelis exemplum nulla imitetur. S. Petr. Dam.

845. Nun esse Iezabelis exemplum imitandum, sed Iudithæ, monebat sanctus Petrus Damianus opusc. 12. cap. 21. rem ad sæculi pumpam transferens, & castitatis vnguentum, sic enim ait: *Vt ergo interni sponsi conspectui placeat, non oculos suos stibio cum Iezabele depingat, id est, non se fucis pompæ sæcularis obducat, sed cum Iudith myrto optimo sua membra perungat: omnes videlicet mentis suæ sensus immortalis vnguine castitatis obliniat, ne in mortem per incontinentiam corruens, in fœtore luxuriæ computrescat.*

Iezabel oculos fuco pingens, pinxit & suo sanguine terram. S. Greg. Naz.

Iezabel stibio oculos pingens, pinxit & suo sanguine terram, dixit enim Iehu Eunuchis, *Præcipitate eam.* ita cecidit, ac mortua est cum suis fucis, & illecebris, sæpè ante cadit mulier, & ruit, quàm ostentet se. Grauiter sanctus Gregorius Nazianzenus aduersùs mulieres sese studiosiùs exornantes: *Fornicaria quoque ac Iezabel oculos pinxit, cæterùm meretricio cruore meretrices perfudit,* vt in effuso Iezabelis sanguine legant quid adscitus formæ decor parturire.

Ritu oculorũ pingendorum lux emmissa Ezechieli. Ezec. 23. 40. Pagn.

Ad oculorum picturam respexit etiam Ezechiel cap. 23. vers. 40. in his verbis, *Miserunt ad viros venientes de longè, ad quos nuncium miserant, itaque ecce venerunt, quibus te lauisti, & circumliniisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.* Pagnignus ex Hebræo, *Et ecce venerunt propter quos lauisti te, & decorasti oculos tuos stibio, & ornasti te ornamento.* L X X. ab hoc sensu non abeunt dum vertunt; *Simul ac venirent, statim lauabaris, & stibio liniebas oculos tuos, & ornabaris ornatu.* Vnde non est quòd à tradito sensu vllo pacto recedamus, cùm illius temporis ritus fuerit, vt oculos fucis illinirent ac depingerent, nec erat quòd aliquis id ad faciei fucum valdè coactè detorqueret.

Oculorũ pictura ad libidinem excitat. Isa. 3. v. 16. Chald.

846. Ab hoc ritu lucem suam accipit Chaldaica versio; nam quod vulgatus habet Isaiæ 3. v. 16. *& nutibus oculorum ibant, & plaudebant*; Chaldæus interpres vertebat, *& stibio lenitus oculis ibant*; ac si nutibus ad inhonesta prouocare, & stibio oculos excitandæ libidini vngere in idem recideret.

Fucati colores mentem decolorant. S. Aug.

De coloribus, quibus facies vniuersè depingitur, rectè sensit, qui dixit decolorare potius quàm colorare; sanctus Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21. *Ambo inuersi sunt in eas, quæ formam pigmentis colorant, vel potiùs decolorant.*

Vultus adulterium ad castitatis adulterium viam aperit. S. Ambr. *Iudicium suũ perdunt mulieres dum maritorũ citra formam verentur iudicium.* Idem.

Eas, quæ vt viris suis placeant faciem pingunt, sic perstringit sanctus Ambrosius, quod laudat, & refert producto loco sanctus Augustinus, *Dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis.* per illud quippè via an istuc quodammodo sternitur; pergit, *Quanta hæc amentia effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale iudicium, perdiderunt suum. Prior enim de se pronuntiat quæ cupit mutare quod nata est*, ita dum aliis studet placere, ipsa sibi displicet.

Damnatur stibij vsus.

Eum puno, qui stibio vtebatur. premit quidam Poëta,

Nil hîc speclo tuum; de pyxide totus, & vdo
De stibio mendax totus imago viri es.
Si caput infidum, quis fida hic pectora speret?
Mens stat ficta dolis, vt gena picta rosis.

847. Ab oculorum pictura ad lachrymas mulieres vocabat sanctus Cyprianus de lapsis; *Quæ nigri pulueris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lachrymis oculos tuos ablue.*

Non pingendi stibio oculi, sed ab oculis lachrymæ fundendæ. S. Cypr.

Stibiũ abesse à Christi sponsa debet. S. Ambr.

A Christi sponsa abesse stibium, fucúmque omnem debere; sic docebat sanctus Ambrosius lib. 3. de Virginibus, ad quædam sacri Epithalamij verba respiciens, ait quippè: *Et ideo virgo per fenestram tuam Christus introeat, Christus manum suam mittat, per fenestram tibi veniat verbi, non corporis amor. Si igitur per fenestram tuam manum mittit Dei verbum, vide quemadmodum ab omni puluere delictorum detergere debeas. Nihil tetrum habeat, nihil adulterinum fenestra virginis. Procul stibium & cæteras affectati nugas decoris, procul adulterium amoris illecebras.*

Scriptura sacra tanquam grauis matrona stibij vsum in oculis auersatur. Petr. Cell.

Scripturam, vt hoc quoque adiiciam, tamquam matronam quandam grauem stibij vsum auersantem, non tamen decore destitutam, sic nobis exhibebat Petrus Abbas Cellensis lib. 2. mysticæ exposit. Mosaici Tabernaculi, loquens de arca: *Et inaurabis eam auro purissimo: Scriptura quasi matrona quædam grauis, & grandæua licèt stibio, purpura, & cerussa recuset ornare genas suas rubentes satis naturali vigore, & decore, tamen illis Philosophorum studiis, & doctrinis, quæ tantummodo in facie verborum gloriantur, nequaquam inferior inuenitur. Sensu namque maiestas eius venustior, numerosa sententiarum compactio validior, intellectus vtilior, fructus vberior, lectio modestior.* Etiam virgo quælibet absque vllo decoris præiudicio stibium fucandi artificium ablegare à se potest.

Christi collyrio oculi inungendi, non Diaboli stibio. S. Cypr.

Quæ sapit, Christi collyrio oculos inunget, non Diaboli stibio, audiétque inclamantem sanctum Cyprianum de opere, & eleemosynis: *Inunge oculos tuos non stibio Diaboli, sed collyrio Christi.*

Christum videre non meretur, qui oculos infici à Diabolo sibi permittit quos Deus fecit. Idem.

Christum videre non meretur, quæ oculos inficit quos Deus fecit, aut Christi hoste infici sinit. Grauiter sanctus Cyprianus de discipl. & habitu Virg. *Deum*, inquit, *videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit.* Sed quia diu nos hæc pigmenta detinuerunt, calamum à fucis, à pigmentis alienum, ad alia vergemus.

ADAG. DCCCLXXXIV.

Scabello dignus in hemicyclio residet.

Vsurpabitur cùm quis imi subsellij, alios erudire tamquam peritissimus præsumit. 848.
Philippus Abbas Bonæ-spei ita loquitur epist. 5. *Non hæc dixi, vel scripsi, vt præsumerem vos docere, &* SCABELLO DIGNIOR IN HEMICYCLIO RESIDERE.

ADAG. DCCCLXXXV.

Zachæi vestem Goliæ artubus adaptare.

PRouerbium de valde imparibus, & inæqualibus; vsurpari poterit cùm exiguis, minimisque rebus casso irritóque labore explere alterius indigentiam volumus, cui nisi rebus magnis succurri potest. Pulcbrè ille ex nostris putans nihil satis esse nostræ voluntati, quæ ad normam diuinam structa est, Deóque solo impleri potest: *Omnia minus sunt, si nostrum expendamus sinum;*

inaqualia nobis, nec implebunt: VESTIS ZACHÆI APTARI NON POTEST ARTVAVS GOLIÆ; ita est, irritare res seueræ voluntatem vestram possunt, possunt fatigare, implere non possunt. Zachæi statura pusillis, & Goliæ magnitudo nota ex diuinis litteris est.

.ADAG. DCCCLXXXVI.

Academicorum more de omnibus dubitare.

QVi dubius de re quacunque hæsitat, omnia, licèt alioquin certa, in dubium reuocat, nihil certi de rebus certis statuit, is Academicorum more dubitare dicetur, hi quippè hac insania laborabant, vt nihil certi esse statuerent, scientiámque omnem de medio tollerent; huc spectabat sanctus Augustinus lib. 5. confess. cap. 14. ait enim: *Itaque* ACADAMICORVM MORE DVBITANS DE OMNIAVS, *atque inter omnia fluctuans*; in hunc Academicorum errorem plures è Philosophiæ schola calamum acuère. Idem sanctus Augustinus lib. 6. confess. cap. 11. ad hanc insaniam Academicorum respiciens aiebat: *O magni viri Academici, nihil ad agendam vitam certi comprehendi potest; imo quaramus diligentiùs, & expectemus vt & nos desperemus.* & lib. 2. contra Academicos cap. 5. de illorum placitis agens, ait: *Omnia incerta esse non dicebant solùm, verum etiam copiosissimis rationibus affirmabant:* quæ eò fallaciores, & alieniores à vero, quò firmiùs id probare videbantur, præsertim cùm euerterent se ipsos, si certè probarent, nihil dari certi, dubia omnia esse. Et lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 23. ait idem sanctus Pater: *Nunquid & Varro vel tanquam poeta fingit, vel tanquam Academicus dubius ponit.*

Tenebras Academicorum patronas vocat idem sanctus Pater lib. 2. contra illos cap. 13. *Nunc antequam stilum nostrum tenebra occupent qua patrona Academicorum solent esse*; non alterius merebantur patrocinium, qui solis tenebris seruiebant.

ADAG. DCCCLXXXVII.

Amphora in vrceum versa est.

849. CVm magno inchoata principio contractiori fine concluduntur, & minora euadunt, quæ maiorem magnitudinem initio pollicebantur, adhiberi adagialis hęc formula non alienè poterit; adhibuit Philippus Abbas Bonæ-spei epist. 7. dum grandiores aliquotom animos coërcens, air, *Vellem vt vestra* AMPHORA IN VRCEVM VERTARETVR, *vestrum grande principium fine humili clauderetur.* vniuersè in eos quadrabit, quorum magni conatus exiles exitus sortiuntur.

ADAG. DCCCLXXXVIII.

Homo caducarius.

OLim qui comitiali morbo laborabat, vulgò caducarius dicebatur, quod prouerbialem faciem videret, si res corporis ad animum transferatur, & inconstantes, miniméque in re aliqua firmi nulla veritatis soliditate fulti, hoc titulo indigerentur. Sanctus Augustinus hoc elogio Academicos donat, nam lib. de vita beata, ait: *Isti* HOMINES CAOVCARII *sunt, quo nomine vulgò apud nos vocantur, quos comitialis morbus subuertit*; & nonnullis interiectis, *Ne concludas beatum esse Academicum, qui hesterno sermone vulgari quidem, & malè Latino, sed aptissimo sanè, vt mihi videtur, verbo,* CADVCARIVS *dictus est.*

ADAG. DCCCLXXXIX.

Arca Noë.

PRouerbialiter ille populus, & congregatio, & familia *Noe arca* vocabitur, quæ inexpugnabili pace insignitur. Ferocissima, & inter se aduersa animalia continebat arca Noë, inter quæ tamen nullum dissidium erat, dum degerent in ea, summa omnia animantia vertebat pax, summa regebat corcordia; hæc Christiani ouilis consignatio, & nota, vt lis omnis, atque contentio ab illo absit, & inte, *Noe arca* indigeretur. Implantanda huc sancti Gregorij Nazianzeni verba, quæ prouerbialem hanc formam offerunt; sic ille scribit orat. 12. *Sic namque se res habebat, vt cùm alij alio quodam ornamento, vel maiori, vel minori praditi cine, nostris oculis hoc maximè proprium esset, quod minimè infringi posset, atque ab omni seditione abhorreret, ita vt persæpè* ARCA NOE *vocati simus.* Grande pacis numimen atque concordiæ stant vrbes, stant regna, si à seditione, tumultúque aliena, summa pace perfruantur. Hic quia sumus, nequeo mihi temperate quin aliqua de pacis, & concordiæ bono meo lectori offeram, & aliqua de arca, moribus informandis, & poliendis.

EXCVRSVS CXLV.

Concordiæ bonum commendatur, condemnatur discordiæ malum.

Vnitatem *vt Deus commendauerit.*
Ex terra *Eua non formata probanda concordia.*
Vnitatis *necessitas vt explicata.*
Concordiam *colunt qui Deum celebrant.*
Diabolica arma *concordia frangit.*
Diaboli *est discordias nutrire.*
Discordia tamquam virus *euomendum.*
Concordiam vt Ecclesiæ *commendauerit Spiritus sanctus.*
Pacem *nobis testamento reliquit Christus.*
Pax, vnitásque Christiana religionis fundamentum.
Pax fidei alumna, columna *iustitia.*
Iustitiæ, *&* pacis *coharentia.*
Fraternam dilectionem *suis vt Christum persuaserit.*
Premuntur qui vnitos dispergunt.
Animorum diuisionem *Dæmon amat.*
Pax nostra Satanæ bellum.
Dei spiritus pacem *vt amet, concordiam foueat.*
Omnia per Christum ad vnitatem *rediguntur.*

Prisci

Prisci aui fideles quanta concordia *necterет.*
Sæculorum fæces *quinam.*
Pax in patriâ *plenè laudabitur.*

850. *Vnitatem vt Deus commendauerit.* S. Aug.

COmmendare homini vnitatem Deus voluit, non humanum genus ex vno produxit homine, non ita factum in aliis creaturarum generibus est; quod eleganter expendit sanctus Augustinus serm.20. ex iis qui nouissimè prodierunt; hæc illius verba: *Carissimi, multum Deus commendat vnitatem. Hoc ipsum vos moneat, quòd in principio creaturarum, quando Deus cuncta constituit, fecit sidera in cælo, in terra autem herbas, & ligna. Dixit, producant aqua natantia, & aer volatilia, & factum est sic. Producat terra animam viuam omnium pecorum, & bestiarum, & factum est sic. Nunquid Deus de aue vna fecit cæteras aues? Nunquid de vno pisce omnes pisces? De vno equo omnes equos? De vna bestia omnes bestias? Nunquid non multa simul terra produxit, & multiplicibus fœtibus multa compleuit? Ventum est ad hominem faciendum, & factus est vnus, de vno genus humanum. Nec duos facere voluit separatim, masculum, & fœminam, sed vnum, & de vno vnam. Quare sic? Quare ab vno genus humanum inchoatur, nisi quia generi humano vnitas commendatur; & Dominus Christus est vna: vnitas virgo est, tenet virginitatem, seruat incorruptionem. Ipse Dominus Ecclesiæ vnitatem commendat Apostolis.*

Ex terra Eua non formata probata concordia.

Ab hac eadem causa nasci ex homine hominem Deus voluit, non è terra; poterat è terra formare Adæ filios, sicut formauit Adam; poterat Euam ex terra ædificare, sed noluit, vt scilicet vel formationis modo nobis concordiam persuaderet, nemo enim ex homine nascens concordiæ amor in homine innasci debebat; huc spectabat sanctus Chrysostomus homil. 34. in epist. 1. ad Corinth. (S. Chrys.) *Nobis,* inquit, *vnum dedit caput, nempe Adamum. Cur enim non nascimur omnes ex terra? cur non perfecti sicut ille? vt & partus, & filiorum educationes, & alium ex alio inter nos nasci, nos inter nos colligarent. Propterea neque mulierem fecit è terra. Nam quoniam non sufficisset ad nos imitandos ad concordiam quòd similiter essemus eiusdem essentiæ, nisi etiam eundem haberemus primum parentem, hoc quoque effecit.*

851. *Vnitatis necessitas vt explicata.* B Laur. Iust. Vgo. Vict.

Vnitatis ac concordiæ necessitatem sic explicabat Beatus Laurentius Iustinianus de charitate cap. 15. *Spiritus humanus nunquam viuificat membra, nisi fuerint vnita; sic Spiritus sanctus nunquam viuificat Ecclesiæ membra, nisi fuerint in pace fraterna dilectionis vnita.* Hugo Vict. instit. monast. in 2. de claustro animæ cap. 14. *Sicut lapis sine cæmento non potest in altum erigi, sic & paries virtutum sine cæmento concordiæ non potest eleuari.*

Concordiam colunt qui Deum celebrant. S. Greg. Naz.

Concordiam, & vnitatem colere debent, qui Patrem, Filium, Spiritúmque sanctum efferre, & celebrare volunt; hinc illud Sancti Gregorij Nazianzeni orat. 2. de pace. *Inter nos consentimus, concordésque sumus, labiúmque vnum & vox vna existimus; contrario tamen modo atque ij, qui turrim olim extruebant. Illi enim in malum conspirabant: at nos præclarissimis quibusque de causis concordiam inter nos colimus, vt vno animo atque ore Patrem & Filium, & Spiritum celebremus.*

Diabolica arma concordia frangit. Psal. 75. 2.

Nil ferè est, quod diabolica arma sic frangat, idem concordia de Domino vix dixerat Propheta Regius; *factus est in pace locus eius,* Psalm. 75. v. 2. cùm subditur statim, *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum;* probus nexus, nec mysterio viduus; pax, & concordia præmittitur, & armorum fractio recensetur, vt intelligeremus concordiæ cultus, & vnitatis apparatu Satanæ arma frangi, frangi vires, potentiámque eius euerti, vt facilè vincatur. Præclarè Vgo Victorinus in cap. 1. Regulæ sancti Augostini, (Vgo Vict.) vbi ad hanc mentem hæc verba expendens, ait: *Victus vehementer dolet* (Satan) *cùm eos* (seruos Dei) *per discordias diuidere, & penetrare non valet. Hinc de Domino scriptum est, factus est in pace locus eius, ibi confregit potentias, scutum, arcum, gladium, & bellum. ex quibus verbis patet, quòd omnia* DIABOLICA ARMA FRANGIT CONCORDIA.

852. *Diaboli est discordias nutrire.* S. Pet. Chrys.

Diaboli est discordias nutrire, ac fouere, de illo ita scribit sanctus Petrus Chrysologus serm. 11. *Diabolus foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat.* Diabolum imitator qui hostis vnitatis est, discordias amat.

Discordia tamquam virus euomendum. S. Cypr.

Discordiam tamquam virus euomendum suadebat sanctus Cyprianus de zelo, & liuore, dum ait, VENENA *fellis euome, discordiarum* VIRVS EXCLVDE; quàm noxium hoc virus nisi expuatur, quàm lethale venenum istuc si mentis visceribus teneatur inclusum?

Concordiam vt Ecclesiæ commendauerit Spiritus sanctus. S. Chrys.

Commendare Ecclesiæ concordiam Spiritus sanctus voluit, non in specie ignearum linguarum apparere in die Pentecostes voluit, quod in hunc modum colligebat sanctus Chrysostomus tom. 6. homil. de sancta Pentecoste. *Propterea in specie linguarum Spiritus aduenit: neque idcirco tantùm, sed vt veteris etiam historiæ memoriam nobis refricaret. cùm enim olim homines superbia elati turrim extruere voluerint, quæ ad cælum vsque pertingeret, & vniuersa diuisione linguarum prauam illorum coitionem & concordiam dissiparit Deus: idcirco nunc quoque in specie ignearum linguarum ad eos aduolat Spiritus sanctus, vt per illum orbem terrarum diuisum coniungat.*

Pacem nobis testamento reliquit Christus. S. Greg. Naz.

Christus quoque hinc discedens concordiam nobis, & pacem reliquit veluti testamento, vt proinde colenda nobis maximè sit; quod expendebat sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de pace: *Pacem,* inquit, *reuereamur, quam nobis hinc discedens quasi* TESTAMENTO *reliquit.*

Pax, vnitásque Christianæ fundamentum. S. Pet. Chrys.

Pax, vnitásque Christianæ religionis fundamentum, illúdque stabile, & inconcussum dicta est; sic eam indigitat sanctus Petrus Chrysologus serm. 149. *O quam desiderabile nomen pacis, quàm religionis Christianæ stabile fundamentum, & Altaris dominici cælestis ornatus.* ab eodem fidei alumna vocatur, iustitiæque columna; (*Pax fidei alumna, columna iustitiæ.* Idem.) serm. 138. ita loquitur: *Pax alumna fidei, columna iustitiæ, firma spei pignus idoneum.*

853. *Iustitia, & pacis cohærentia.* Psal. 71.

Porrò adeò cum iustitia pax cohæret, vt aliquando iustitiæ nomine circumscribatur, ne vera pax putetur, nisi quæ à iustitia prodit, inter iustos reponitur. nam & quæ inter impios, hunc titulum non meretur. Psalm. 71. ait Dauid, *suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* ad quæ verba ait S. Augustinus: (S. Aug.) *Fieri potest vt alio nomine pax appellata sit iustitia, hæc est enim vera pax, non qualem iniusti inter se faciunt.* iustè pax non est dicenda, à qua iustitia exulat; vera pax solùm in iustitiæ solo coalescit; ex ipsa figere radices non solet, non potest.

Fraternam dilectionem suis vt Christus persuaserit. Matt. 11. 30. B. Ælred.

Vnitatem, ac pacem commendauit Christus in illis verbis, *Iugum meum suaue est,* Matth. 11. v. 30. iugum non premit, sed vnit, vnitos suos, paceque coniunctos voluit, dum inuitauit ad iugum; scitè sanctus Ælredus cap. 5. specul. *Iugum istud,* inquit, *fraterna dilectio est, iugum istud non premit, sed vnit;* nimis efferus est, qui

vnitatis

vnitatis osor hoc iugum repudiat, & excutit.

Premuntur qui vnitos dispergunt. Matth. 12.

Amantis concordiam, & pacem, discordiámque odientis sunt etiam illa verba Christi apud Matth. cap. 12. *Qui cùm colligit mecum dispergit*; si cum Christo non est, qui non colligit dispersos, & inter se abiunctos, erit qui collectos dispergit, vnitos disiungit, & iuxta vnanimes lites seminat? non erit? hinc illud sancti Bernardi epist. 2. qui huc spectans ait: *Qui non colligit mecum, dispergit, quanto magis qui collectos dispergit?* & eos qui vniti Christo sunt à Christo auellit? (S. Bern.)

Animorum diuisionem Dæmo amat. Matth. 17. Orig.

Ab hac animorum vnitate valde alienus Dæmon est, vt eam impedire vbique conetur; hinc Petro instillauit, vt diceret cùm esset in monte sancto: *Faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*; Matth. 17. Vides hîc diuisionem? cur non potiùs vnum tantùm tabernaculum fieret, ne vlla esset separatio, à Iesu non alienaretur Elias, non separaretur Moyses; Satanas diuisionis amator hæc dictauit, ita Origenes homil. 3. in Matthæum ita scribit: *In hoc malitiosè operatur Diabolus, nolens esse simul Iesum, & Moysem, & Eliam, sed separare eos ab inuicem obtentu trium tabernaculorum, quod fieri non poterat; si enim separentur ab inuicem, nec Christus intenditur, nec Propheta vera dixisse inueniuntur; quod fieri cupiebat mala suggestio*; nescit quid dicat, qui separationem suadet, suadet diuisionem.

Pax nostra Satanæ bellum. Tertull.

Pacem odit Dæmon, pacem studet euertere, concordiam auferre; pax nostra bellum Satanæ, Tertullianus in lib. ad Martyres cap. 1. ita loquitur: *Inueniat munitos, & concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi*, vt bellum illi esset pax, si pacis capax pacis hostis esset.

Dei spiritus pacem vt amet, concordiam foueat. Absalō Abb.

854. Pacem Deus amat, dissidiorum osor, & rixarum Spiritus sanctus est, sub eius vmbra non est, qui pacem scindit, concordiam lacerat; elementa ipsa alioquin inter se contraria videntur à spiritu hausisse, vt sese mutuò iuuarent, non destruerent, spiritus Dei super aquas ferebatur, ex quo factum est vt aquam suo sinu, & gremio terra contineret, aqua terram sitientem irrigaret, ignis terram fœcundam redderet, aër conseruaret. Præclarè de hac re philosophatur Absalon Abb. serm. 35. *Primus*, inquit, *flatus Spiritus sancti fuit in creatione, secundus in Incarnatione Verbi, tertius in renouatione hominis: de primo dictum est, quia spiritus Domini ferebatur super aquas, quo spirante fluxerunt, hoc est, confluxerunt, idest, in vnum locum fluxerunt, quia congregata sunt aquæ, quæ sub cœlo erant in locum vnum, vt appareat arida; elementa siquidem huius mundi naturali quadam confusione sibi erant aduersantia: quippe frigida pugnabant calidis, sicut humida, donec tandem Spiritus sanctus magisterio stabili fœdere pacis considerunt, solicita suo modo seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: quippe terra in gremio suo aquam suscipit instabilem in se, & vagam aqua terram rigat per se sitientem, & aridam, & ignis caloris beneficio fructus terra educit, aër sua temperie inuiolata conseruat*; vel ab inanimis, rationeque carentibus amare vnitatem discamus, discordiarum obliti, litiúmque.

Omnia per Christum ad vnitatem rediguntur. Matth. 17. S. Pasch.

855. Etiam filius vnitatem amat, quin & facit, diuisionem tollit; cùm in monte tres essent visi, Iesus, Moyses, Elias, *Matth.* 17. tandem clauditur; *neminem viderunt nisi solum Iesum*; ac si post Patris vocem qui tres erant, in vnum Iesum quodammodo migrauissent, certius est omnia ad vnitatem redigere. Tangebat istuc sanctus Paschasius lib. 8. in Matthæum, vbi exponens producta verba, ait: *Cùm tres essent, vnus factus est tres, si quidem in principio videntur, & vnus in fine est Dominus Iesus Christus, qui omnia quæ perfecta sunt, vnum facit*; vbi Christus Dei filius à Deo Patre dictus fuit, nihil debuit perseuerare, quod diuisionem aliquam præseferret, nec deinceps Petrus de tribus tabernaculis struendis aliquid cogitaret, sed vnitatem amaret.

Prisci aui fideles quanta concordia vtererent. Rich. *Seculorum faces quinam.*

Quanta in primis Ecclesiæ fidelibus concordia vigeret, quanta eorum animos vnitas stringeret, exposuit sanctus Lucas cùm dixit credentium *cor vnum* fuisse; de hac vnitate ita disserit Richardus tract. de gradibus charitatis cap. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, quam nec voluntatum varietas, nec rerum proprietas animos diuidebat: sed firmiter stringebat charitas, & suauiter cohibebat in vnitate spiritus, in vinculo pacis. heu in quam inferiori seculo dilapsi sumus; heu in quos fines, imò faces seculorum homines deuenerunt.*

Pax in patria, pax plenè laudabitur. S. August.

Finio, nec in pacis laudem plura adducam; coronidem illis sancti Augustini verbis huic excursui adiiciam; nam in Psalm. 147. permulta de pace claudit: *Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis, ibi eam pleniùs laudabimus, vbi eam pleniùs habebimus.* O quando? Pergit: *Hanc quam nominatam sic amatis & diligitis, ipsam sectemini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in vxoribus, ipsam in filiis, ipsam in seruis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite.* Sic ille, sic nos cum illo.

EXCVRSVS CXLVI.

De arca aliqua notatu digna notantur, éxque arcæ fabrica vtilia quædam monita decerpuntur.

Arcæ fabricatores *cur se in arcam non receperint.*

Hominum iudicia *paruipendant Deo parentes.*

Noë patentia *in arcæ fabrica.*

Quadrata *ligna ex quibus arca confecta, quid doceant.*

Timendas Dei minas *clamabat arca dum compingeretur.*

Voluntas nostra *quærenda, non vtilitas nostra.*

Arcæ aspectus *pœnitentiam suadebat.*

Sine quietis *amore arca spiritualis non construitur.*

Noë, arcæ fabricator, *quid doceat.*

De arcæ reliquiis.

Arcæ bitumine *olim ad expiationem vtebantur.*

Arca intus, *&* foris *bituminica quid doceat.*

Dolabra, *qua arca fabricata vt conseruaretur.*

Tempus, *quo arca fabricata laborandum nobis esse ostendit.*

De montibus Armeniæ *vbi arca quieuisse legitur.*

Arcæ laus.

Arca nostrorum temporum prophetia.

Arca Ecclesiæ figura.

Arcæ mensura *modestiæ terminos signat.*

Arca

Arca mundi simulacrum.
In corde *salutis arca fabricanda.*
Arca clausa *quid doceat.*
Olea ramus *ad arcam delatus fructu non caruit; quid res ista doceat.*
Charitatis fructus *necessarius.*
Aquæ *aduersitatum Ecclesiam efferunt.*
Templum *Ecclesia arca præferenda.*
Arca paradiso *composita.*
Arca vt homines ad pœnitentiam *vocaret.*
Arca vt Ecclesiam *significaret.*

856. ARcæ fabrica non sinit nos vltrà pergere, quin aliqua in lectoris vtilitatem hic exprimamus; satiatissimè alibi de hoc argumento egi, hîc ista quæ subiicio, desiderari nolui.

Arca fabricatores cur se in arcam non receperint. S. Aug.

Arcæ fabri cur suæ saluti consulentes se in arcam non receperunt? An quia spe mercedis tantùm laborantes, nulla salutis suæ cura tangebantur, Dei opus secum non expendebant; sancti Augustini lib. quæst. in Genes. quæst. 5. hæc sunt verba: ait à Noë, tribuique filiis suis centum annorum spatio arcam fabricatam; addit: *Quòd si non potuit, non erat magnum fabros alios adhibere, qui operis sui mercede accepta non curauerunt vtrùm eam Noe sapienter, an verò inaniter fabricaret, & ideo in eam non intrauerunt, quia non crediderunt, quod ille crediderat.*

Hominum iudicia paruipendidit Deo parentes. Lipp.

Vt Deo pareamus, hominum iudicia paruipendenda sunt; vera hæc iusti nota, etiam contra mundi sensum Deo obedire; fecit istuc Noë in arcæ fabrica, quod in hunc modum expendebat Lippomanus in catena cap. 6. Gen. *Magna obedientia signum, & certissima fidei contra totius mundi iudicium, & sensum impiis interim eum deridentibus, veluti stulto labore suadentem, cùm id vno verbo Deus, & paruo miraculo, imò natura ductu præuenire potuisset, seruando quod vellet in aliquo spatio terra, vel aliàs aquis non replendo, sed longè sibi fortius erat verbum Dei omnium hominum opinione.*

Noë patientia in arca fabrica. S. Zeno.

Noë in arca fabricanda patientiam, & cunctationem in hunc modum expendebat sanctus Zeno serm. de patientia. *Noe cataclysmum, quo omnis caro funditus deleretur, denuntiante Deo imminere per momenta & credit, & timet: arcámque cum suis vt saluus foret, quam iussus est facere, non præcipiti festinatione compingit: nec tantum munus quasi præsumptor, aut demens rapit, sed patienter ædificat, patienter exornat, patienter variis animantibus replet. quando ingredi iubeatur, quando ianuam claudere, patienter expectat. dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere.*

Quadrata ligna ex quibus arca confecta quid doceant. S. Aug.

Quod ex lignis quadratis fabricari arca iubentur, ad spiritalem structuram in hunc modum transfert sanctus Augustinus lib. 15. de ciu. Dei cap. 26. ait enim: *Et quod de lignis quadratis fieri iubetur, vndique stabilem vitam Sanctorum significat, quacumque enim verterit quadratum stabit.*

Timendas Dei minas clamabat arca dum compingeretur. S. Chrys.

Fabricatur Dei iussu arca, vt imminentem Dei iram denuntiaret, strepitúsque qui dum arca compingeretur, audiebatur, tacitè clamaret, timendas Dei minas esse, atque cauendas; rem sic expendebat sanctus Chrysostomus lib. 1. de prouidentia Dei: *Tum verò ne ex longitudine prædictionis in obliuionem, ac negligentiam inciderent, ædificari arcam in oculis omnium instituit, voci omni clariùs clamantem, Deique minas omnibus annunciantem.* Pergit, *illa ante omnium oculos posita iugiter imminentium sibi malorum illos admonebat, nec sic tamen illi emendati sunt, sed in vitiis perseuerauerunt.*

Voluntas nostra quærenda, non vtilitas nostra.

Docuit Noë in arcæ fabrica parendum Deo esse etiam vtilitatis nostræ neglectu, satis magna vtilitas est, si Deo pareamus; alia quælibet compendia dispendiorum loco habenda sunt, cùm diuinæ voluntati perficiendæ laborandum est; egit istuc Noë, qui tot annos, tot sumptus in arcæ fabrica insumpsit, domesticis etiam rebus neglectis, vt Deo qui hoc imperauerat, obsequeretur; præiuit ille, sequi nos debemus; magnorum imitatione magna proficiscitur laus. huc nos vocat sanctus Gregorius homil. 25. in Ezechielem, dum ait: *Præcepta Dei festinamus præsenti nostra vtilitati præponere? Noe ante oculos veniat, qui cura domestica postposita ex iussione omnipotentis Domini per centum annos ad arcam fabricandam vixit occupatus*; verùm quò vtilitatem præsentem minus curauit, eò magis futuræ consuluit, quin præsentem quoque quæsiuit, dum non quæsiuit, nulla maior vtilitas quàm vtilitate neglecta iussa diuina perficere.

S. Greg.

Arca efficaciter pœnitentiam suadebat.

Poterat & sine arca Noëmum Deum è diluuij discrimine eximere, sed noluit, arca vsus est, vt eius aspectu dum fabricaretur homines ad pœnitentiam alliceret, ac vrgeret; quod censuit etiam sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 5. *Iubet*, inquit, *arcam compingi, erat hoc diuinum in hominum gratiam commentum inuitamento ad pœnitentiam. erat enim facilè, vel absque ligno Noemum seruare; sed ipsum primum quidem constituit lentum arca ædificatorem, vt vel ex visis concepta formidine intuentes ad pœnitentiam attraherentur.*

S. Basil. Sel.

De arcæ fabricatore Noë ita philosophatur Ri- 857.
chardus in Psalm. 28. *Noë requies interpretatur, & constat satis, quia sine quietis amore arca fabrica nullo modo perficitur.* Aliter Vgo Victorinus instit. monast. in 2. de claustro animæ cap. 6. rem versat. *Noë requies interpretatur, qui tunc nascitur, quando mens ab exterioribus per disciplinam reprimitur. Hic est Noë, qui construit arcam, idest, ædificauit animam, quæ irrationabilia animalia in inferioribus ordinat homines, & volatilia in superiori parte locat, idest, motus carnales subiicit, spirituales superponit.*

Sine quietis amore arca spiritualis nõ construitur. Rich.
Noë arcæ fabricator, quid doceat Vgo Vict.
De arcæ reliquiis S. Epiph.

De arcæ reliquiis ita scribit sanctus Epiphanius contra hæreses lib. 1. tom. 1. hæresi 18. contra Nazarenos: *Quomodo non possumus ostendere de consequentia, quum adhuc hodie reliquiæ arcæ Noe ostendantur in Cardiensium regione? Et si quis omnino quæsierit, reperies etiam reliquias Altaris, nam consequens est ipsum illas reperturum esse in ima montis parte vbi mansit Noë, egressus ab arca.*

Arcæ bitumine olim ad expiationem vtebantur. Berosus.

Olim arcæ bitumine ad expiationem vtebantur, Berosus Chaldæus de diluuio. *Dicit autem & nauis eius, quæ in Armeniam venit, circa montem Cardicum, & adhuc aliqua pars est, & quosdam bitumen exinde tollere, quo maximè homines ad expiationes.*

De arca intus, & foris bituminanda rectè phi- 858.
losophatur B. Beda in cap. 9. Genesis: *De intus sanè, & de foris bituminabis eam, intus scientiam, foris opera habent in arca.* Præiuerat Origenes homil. 2. in Gen. *De intus sanè, & foris bituminabis eam, &c. intus scientiam, foris operam habens.* Aliter quidem rem ibidem versat, dum infrà: *Vult te cautum vndique & castitatis, atque innocentiæ virtute munitum, hoc est, intus & foris bitumine esse oblitum*; denique & corporis, & animæ sanctimoniam significatam censet idem auctor eodem loco in hæc verba: *Quæ genera intrinsecus, & extrinsecus bitumine liniuntur. Vult enim te architectus Ecclesiæ Christus non esse talem, quales sunt illi, qui de foris quidem apparent hominibus*

Arca intus & foris bituminanda quid doceat. B. Beda.

minibus iusti, deintus autem sunt sepulchra mortuorum, sed vult te & corpore sanctum esse extrinsecus, & intrinsecus purum.

Dolabra, qua arca fabricata, vt conseruaretur. Niceph.

Nicephorus lib. 7. cap. 49. refert Constantinum Magnum dolabram Noë, quo ipse arcam construxerat, in Constantinopoli vrbe reposuisse, suis manibus suo sigillo obsignasse; hæc eius verba: *Præterea dolabram Noë, qua ille arcam construxit, manibus ipse suis Imperator, sigillo suo ea omnia obsignata reposuit. Quæ ad nostra vsque tempora etiamnum vrbi ipsi intactus, inuiolatúsque thesaurus permanent.*

Tempus, quo arca fabricata laborandū nobis esse ostēdit. Pet. Bles.

Anni, quibus tanto labore fabricata est, laborandum nobis esse indicabat Petrus Blesensis, certè eos premebat, qui non laborant; hæc eius verba epist. 16. *Noe vt se, suósque saluaret, centum annis in arca fabrica laborauit; nos verò quantum laborauimus, quorum singuli dies momentanei sunt, transitory, & finales?*

859. *De montibus Armeniæ, vbi arca quieuisse legitur.* Gen. 8. 4. S. Hier.

Super montes Armeniæ arcam finito diluuio requieuisse notum est; sic enim habetur Genesis 8. v. 4. *Requieuitque arca mense septimo vigesimo septimo die mensis super montes Armeniæ*; de quibus autem montibus id intelligatur, explicat his verbis sanctus Hieronymus lib. 11. in cap. 38. Isaiæ: *Ergo & arca, in qua liberatus est Noe cum liberis suis cessante diluuio non ad montes generaliter Armeniæ delata est, quæ appellatur Ararat, sed ad montem Tauri altissimos, qui Ararat imminent campis.*

S. Basil. Sel.

De Armeniæ montibus, in quibus arca quieuit, ita scribit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 6. *Principium mensium nouit Scriptura Pascha mensem: decimum autem appellat mensem, qui inter hybernos est medius, in quo deminutis aquis arca requieuit, pro sede nacta montium summa, sedit celsitudine diluuij terrorem metiens, veteris supplicij monumentum recentes minas conseruans, & communem gentium vindicem ob oculos posteritati relinquens. Et in hodiernum vsque diem durat apud Armenios temporis successione transmissum, & inaccessis custoditur montibus; oculis quidem eminus spectabile, sed accessum loci difficultas negat.*

Arcæ laus. S. Basil. Sel.

In arcæ laudem ita excurrit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 6. *O arca virtutum symbola! ô natura dum periclitaretur depositi seruatrix! ô scapha admirabilis signi salutaris vmbra & imago! ô quæ crucis vsum nauigantibus præstitisti! ô quæ per tempus crucis gratiam præoccupasti seruans in aquis, & ex aquis eripiens! ô quæ magnum iustitiæ mundinatorem liberasti! ô quæ virtutis thesaurum absque periculo transuexisti! ô nequitiæ accusatrix. Huius miraculi memoriam retineamus, simus amantes iustitiæ, abominatum scelus abiiciamus, pœnitentiæ, quæ peccantibus est medela, consilia tractemus, vitia lacrymis extinguamus, iram præueniamus immutatione propositi.*

860. *Arca nostrorum temporū prophetia.* S. August. *Arca Ecclesiæ figura.* Idem.

Arcam nostra tempora respexisse, eorúmque fuisse prophetiam, asserit his verbis sanctus Augustinus lib. 18. de Ciu. Dei cap. 38. *Ipsa arca, quam fecit Noe, & in qua cum suis euasit, prophetia nostrorum temporum fuit.* Tract. 6. in Ioannem figurasse Ecclesiam ait, & rem ita explicat; *si arca figurabat Ecclesiam, videtis, quia necesse est, vt in isto diluuio seculi vtrunque genus contineat Ecclesia & coruum & columbam. Qui sunt corui? Qui sua quærunt. Qui columbæ? Qui ea quæ Christi sunt quærunt.*

Arca mensura modestiæ terminos signat. Rich.

In arcam conscientiæ bonæ mensuram notabat Richardus in Psalm. 28. modestiæque terminos, hæc illius verba; *sola illa huic diluuio supersunt, quæ in arca sunt inclusa viuunt, quæ conscientiæ bonæ mensuram non excedunt, quæ modestiæ terminos non deserunt.*

Arca mundi simulacrū.

In arca mundi totius simulacrum vidit idem S. Basilius Seleociæ Episcopus orat. 6. ait enim arcam efferens: *Arca mundi habitabilis simulachrum est, animantium depositi seruatrix, nauigans vrbs, creaturis grauida communem secum partum circumferens, vniuersum mundum conceptum circum agens, aluus vnica varios creaturæ complexa partus, animatorum mater exanimis, turris diluuio valentior, murus montibus celsior.* S. Basil.

Quo corde salutis arca fabricanda sit, docet Origenes homil. 2. in Genesim: *Si quis est qui crescentibus malis & inundantibus vitiis conuertere se potest à rebus fluxis, & pereuntibus, & caducis, & audire verbum Dei, ac præcepta cælestia, hic intra cor suum arcam salutis ædificat, & Bibliothecam, vt ita dicam, intra se diuini consecrat verbi, longitudinem in ea & altitudinem, fidem, spem, charitatémque collocat.* 861. *In corde salutis arca fabricanda.* Orig.

Adam Præmonstratensis de arca, & arcæ clausura ita differit serm. 1. *Emergere oppressa non valet, quia qua oneratur, deponere molem sufficiens non est. huic autem cogitationi cùm tot modis impetuosa, & tumultuosa se inferens strepit sancto Noe intra arcam incluso, & ipse est perfectus, quilibet in occultis pausans conscientia sua non minus necessarium, quàm salubre, vt i desoris Domini ostium claudat. Claudat verò contra immoderatam sollicitudinem perturbationem, quæ vniuersos miserabiliter carnales deuastat, ipsa est diluuium, quæ consumit omnem carnem.* *Arca clausa quid doceat.* Adam Præm.

Oleæ ramum ad arcam à columba delatum fructu non caruisse censet sanctus Augustinus, ex quo colligit in nobis sola folia non sufficere, quæri fructus; sic ille scribit tract. 6. in Ioann. cap. 1. *Quia erant ligna foris baptizata, reportauit ad arcam ramum de oliua. Ramus ille, & folia, & fructum habebat. Non sint in te sola verba, non sint in te sola folia: sit fructus, & redis ad arcam non per te ipsum, columba te reuocat.* Istue idem sanctus Pater tract. 7. in Ioan. cap. 1. vbi per oliuæ fructum charitatem intelligit; ait quippe: *Cùm esset emissa, attulit ramum oliuæ: sed non sola folia habebat, habebat & fructum. Itaque hoc optandum est fratribus nostris, qui foris baptizantur, vt habeant fructum: non illos sinet columba foris, nisi ad arcam reduxerit: fructus autem est totus charitas, sine qua nihil est homo, quidquid aliud habuerit.* *Oleæ ramus ad arcam delatus fructu non caruit, quid nos ista doceat.* S. Aug. *Charitatis fructus necessarius.* Idem.

Aquæ diluuij arcam ita ferebant, vt efferrent, & erigerent; hoc Ecclesiæ aduersa faciunt, erigunt eam dum videntur deprimere; hinc illud Petri Blesensis epist. 124. *Tempore diluuij concussa inundationibus arca, erecta est in sublime: eius enim concussio, ipsius erectio est: quia, sicut B. Hilarius dicit, proprium est Ecclesiæ vt tunc vincat, cùm læditur.* Succurrit sanctus Gregorius lib. 20. moral. cap. 17. dum ait: *Scit sancta Ecclesia in passionibus crescere, atque inter opprobria honorabilem vitam tenere, scit, nec aduersis deiici se nouit contra aduersa animum ad spem superni culminis exaltare.* 862. *Aquæ aduersitatum Ecclesiam efferunt.* Pet. Bles. S. Greg.

Templum, Ecclesiámque arcæ non comparabat modò, sed præferebat sanctus Chrysostomus homil. 3. de pœnit. vbi ita loquitur: *Arca quidem animalia suscepit, & animalia conseruauit; Ecclesia verò animalia suscipiens, eadem transformauit: verbi gratia accipiter illuc introiuit, & accipiter exiuit. Introiuit huc quis accipiter, columba exit: introiuit lupus, & ouis egreditur. Anguis introiuit, & exit agnus, non transmutata natura, sed malitia exclusa.* Istue idem habet idem sanctus Pater hom. de sancto Phoca: *Commune theatrum erat arca Noë; sed Ecclesia melior est etiam, quàm ista. Nam bruta quidem animalia recipiebat, & bruta conseruabat; hæc autem bruta recipit, & transmutat.* *Templū, Ecclesia arcæ præferenda.* S. Chrys.

Arca Paradiso componitur, quin & præfert sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 5. in hæc verba; 863. *Arca Paradiso cōposita.* S. Basil. Sel.

verba: *O arca Paradiso firmior, illic namque cum aliis nauigabat serpens: illic lignum mortis fuit instrumentum, hic lignum salutis fuit gubernaculum: illic Adamum prauaricari docebat, hic perfugio Noemum petit.*

Arca vt homines ad pœnitentiam vocaret. S. Aug.

Tacebat Noë, sed arcæ fabrica clamabat, homines ad pœnitentiam prouocabat; sancti Augustini hæc sunt verba serm. 69. de temp. *Noe etsi tacebat voce, opere loquebatur; silebat lingua, fabricatione clamabat. nam vtique cùm operaretur opus nouum, & nulli aliquando compertum, admonebat omnes nouis periculis noua tabernacula præparari.*

Arca vt Ecclesiam significaret. S. Epiph.

Arca Ecclesiam refert, linitam bitumine, vt nullum falsorum dogmatum virus eam subeat; id quod in hunc modum versabat sanctus Epiph. lib. 2. aduers. hær. 31. *Nihil aduersùs arcam conatus istorum proficit, quam ideò munire ac firmare sanctus Noë diuina voce commonetur, linies eam bitumine, vt sancta Dei Ecclesiæ speciem præberet, quæ bituminis vim habet, qua perniciosa, ac lethifera serpentum dogmata propulsantur.* In hanc arcam recipere se debet, qui errorum aquis obrui non vult.

ADAGIVM DCCCXC.

Omnes anchoras rumpere.

864. QVi moras omnes amolitur, impedimenta omnia tollit, vt aliquid perficiat, is anchoras omnes rumpere dicetur. Sanctus Augustinus lib. de vita beata ita loquitur: *Lectis Platonis paucissimis libris sic exarsi, vt* OMNES *illas vellem* ANCHORAS RVMPERE, *nisi me nonnullorum hominum existimatio commoueret.*

ADAGIVM DCCCXCI.

Alter Apollo.

INsigni sapientia insignitus quique oracula promit, dum verba alter Apollo solet adagialiter dici; huc aduocari potest illud Philippi Abbatis Bonæ-spei epist. 3. dum ait: *Apud homines magnus* VICE APOLLINIS *iam putatur.*

ADAGIVM DCCCXCII.

Sic debes chordam tendere ne rumpatur.

MEtaphora ab arcu ducta. modum in rebus, laodabilémque discretionem tenẽdum suadebimus hoc dicto, quod prouerbialem faciem eo faciliùs, aptiúsque induet, quò longiùs trahetur. in corporis afflictatione, carnísque maceratione adhibebitur, adhibebitur in litterarum studiis, & vniuersè in quocunque munere, ac labore, in quo quàm laudabilis mediocritas est, tam damnabilis est excessus. Petrus Blesensis sententiæ huius prouerbialis meminit epist. 15. quo tamen aliqui abutebantur, pœnitentiam differentes, carni nimium blandientes, quos non esse audiendos suadet. *Propitius*, inquit, *vt sis mihi Domine; nimia carnis afflictio morbos parit*, SIC DEBES CHORDAM TENDERE NE RVMPATVR. *hæc omnia in annos maturitatis differri oportet; nec virtus tua virtus est lapidis, nec caro tua ænea est.* Serpentini hi sibili exsibilandi sunt, laudanda in omnibus discretio, carnis deliciæ fugiendæ; in probo tamen sensu probanda hæc sententia est.

ADAGIVM DCCCXCIII.

Altera Cariathsepher.

CIuitas, in qua litteræ suum posuerint domi- 865.
cilium, altera Cariathsepher, quæ vel nominis interpretatione ciuitas litterarum dicitur, dicetur. Philippus Abbas Bonæ-spei Parisinorum vrbem commendans tamquam bonarum litterarum matrem, inter alia ita scribit epist. 3. *In qua (vrbe) tanta lectorum diligentia, tanta denique scientia scripturarum, vt in modum* CARIATHSEPHER, *meritò dici possit ciuitas litterarum.* & epist. 20. *Habes, quam incolis* CARIATHSAPHER, *ciuitatem, vt legitur, litterarum.*

ADAGIVM DCCCXCIV.

Secundo pede introire.

SEcundo pede intrare, aut aliquò se conferre, quid sit, explicat sanctus Augustinus epist. 45. vbi vulgò intentam hanc formulam tradit: *Namphanio quid aliud significat, quàm boni pedis hominem, idest, cuius aduentus afferat aliquid felicitatis; sicut solemus dicere* SECVNDO PEDE INTROISSE, *cuius introitum prosperitas aliqua consecuta est;* addit: *Virgilius Herculem vestrum ad sacra, quæ illi ab Euandro celebrantur, inuitat hoc modo:*

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

SECVNDO PEDE *optat, vt veniat.*

ADAGIVM DCCCXCV.

In modum Sem, & Iaphet nudum Noë cooperire.

QVi aliorum errata, labeculásque excusa- 866.
tionis velamine contegunt, quique adeò ab alieni criminis nudatione absunt, vt operire illud eo, quo possunt, modo, studeant hi Sem, & Iaphet imitatores audient; nam cùm Cham verenda patris vidisset, & irrisisset Sem, & Iaphet paterno pudori consulentes, & suo retro euntes pallium in nudum patrem iniecerunt, quo eius nuditatem velarent, vt habetur Gen. 9. res ad criminum velationem transferri commodè potest. Transtulit Philippus Abbas Bonæ-spei epist. 9. ait enim: *Si enim denudati Noë verenda nequaquam nota feci, sed* IN MODVM SEM, ET IAPHET, EIS PALLIVM SVPERIECI; *quare quæso mihi maledictio Chanaam irrogatur, cùm Noe benè pro meritis Sem, & Iaphet benedictionis munera largiatur?*

ADAGIVM DCCCXCVI.

Fœneus homo.

QVi nihil solidi habet, nihil firmi, qui nullius virtutis est, is prouerbiali schemate *fœneus* dicetur; Antiochum Aschilonitam ex vetere Academia fœneum vocat sanctus Augustinus lib. 3. contra Academicos cap. 17. quòd nihil haberet solidi; hæc illius verba: *Quibus ventis* FOENEVS *ille Platonicus Antiochus satis, vt mihi quidem videtur, dissipatus, atque dispersus est.*

ADAGIVM DCCCXCVII.

Flos vnus non facit hortum.

867. QVod de terreno horto dicitur, potest leui brachio ad non terrenum, & spiritualem transferri, idque opportunè cùm ad animæ perfectionem vnam virtutem, vniúsque virtutis actum non sufficere, significare videtur, sed multas virtutes, & multarum virtutum multos gradus; huc eleganter flexit Gillebertus Abbas serm. 37. in Cantica in hæc verba: *Tot horti sunt, quot virtutum plantationes simul collectæ; vbi enim tantum* FLOS VNVS EST, QVIS IAM HORTVM ESSE DEFINIAT? *sic nec vna castitatis plantatio, nec vna iustitia horti potest integritatem explere. Nam & Salomon fecit sibi hortos & pomaria conseuit, ea cuncti generis arboribus, non arbore conseuit, sed arboribus, nec vnius generis, sed cuncti generis; sic & sponsa plures habet hortos, & cuncti generis virtutum copiosè virgultis est consita; & in consequentibus sponsa sponsus applaudit, dicens, quæ habitas in hortis amici auscultare, fac me audire vocem tuam: iure omnino; quid enim nisi dulce auscultare illi quæ in hortis moratur, & de hortis loquitur, nec tam in hortis est, quam hortus ipsa est variarum virtutum germinibus plena.*

Firmare hoc possumus ex Apostoli verbis Ephes. 2.10. *In operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*; non bene ambulat, qui tantùm in vno opere ambulat, vnam virtutem colit, vnam cæteris neglectis exercet. Pulchrè ad hæc verba sanctus Chrysostomus homil. 4. in hanc Pauli epistolam; *Non iubet vt vnum operemur, sed vt omnia. Quomodo enim nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id quod oportet vtendum est; ita etiam omnibus virtutibus: non enim sufficit vna virtus, vt cum fiducia sistamus ad tribunal Christi, sed multa varia, & omnis generis, atque adeò omni virtute opus est.*

Et vt in florem horti, agríque metaphoram sistamus, Isaac Iacobum commendans dicebat: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, Gen. 27. v. 27. spiritalem odorem redolebat Iacob, virtutum omnium spirabat gratiam, non vnius duntaxat; filij odorem sensit, qui non vnius floris fragrantiam referebat, sed agri pleni, vt variarum virtutum odorem in illo cum illius patre subodoraremur. Audiendus hìc sanctus Ambrosius, qui lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 1. hæc ad hanc mentem habet: *Ecce odor filij mei tamquam odor agri pleni, erat enim perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atque cœlestis beatitudinis redolebat gratiam. Ipse est enim ager, quem benedixit Dominus, non iste terrenus, aut horridus syluis, aut fragosus torrentibus, aut palustris pigrioribus aquis, aut ieiunus frumenti, aut inutilis vitibus, aut infœcunda glarea saxosus, aut hiulcus, & aridus siccitate, aut sanguine madidus, aut sentibus incultus; sed ille ager de quo dicit Ecclesia in Canticis; Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus, & fortitudinibus agri. Hic namque est ager de quo & Dominus ait, & species agri mecum est. In hoc agro vua illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa sub qua sancti requiescent, spiritalis gratiæ suauitate recreati. In hoc agro est oliua illa fructifera, Dominica fluens pacis vnguentum. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus vno fidei munimine tegunt, & quodam fouent charitatis amplexu. Hos igitur fructus redolebat Iacob qui Deum per pericula sequebatur, & totum se vbique eius deductione credebat. Nam licèt dulcis, & suauis sit odor agri, quia est odor naturæ; tamen in sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. Quàm continens erat parsimonia, qui cibum sibi paratum non expetiuit, sed petenti fratri sine dilectione concessit, à quo primatus benedictionis accepit? Quàm pius erga parentes, vt præferri germano seniori materno affectu mereretur, & paternæ benedictionis munere sacraretur? Quàm religiosus, vt fratrem recusaret lædere? Quàm verecundus, vt patrem timeret fallere? Quàm honorificus, vt matri quod iubebat, non posset negare.* Hucusque Sanctus hic; quæ de filio ab Isaac patre dicta, faciet quisque vt dici verè & de ipso possint; poterunt, si virtutes omnes possideat, omnes exerceat, omnium à se fragrantiam emittat.

ADAG. DCCCXCVIII.

Vulcania arma.

COncinnius euadet hoc prouerbium si ad rationes, aliaque ab armis munimina traducatur; vt argumenta, quæ cùm ita facilè refelli, ac confutari possunt, quæque fortiter stringunt, & ita ab omni parte frangi vix queunt, & ita ab omni parte ambiunt, vt fugæ aditus non pateat, Vulcania dicantur; sanctus Augustinus lib. 2. contra Academicos cap. 1. de Academicorum rationibus, quibus errores suos tuebantur, loquens, ait: *Eóque fit, vt Academicorum* ARMA, *quando cum eis ad manus venitur, nec mediocribus viris, sed acutis, & bene eruditis, inuicta, & quasi* VVLCANIA *videantur; à quibus vix se eximere quis possit.* 868.

ADAGIVM DCCCXCIX.

Lingua Diaboli.

QVi ore nocitura euomit, discordias seminat, omnes carpit, omnes mordet, & lacerat, linguam in aliorum perniciem armat, & demum loquitur, quæ à Diaboli mente profecta esse videntur, & Diaboli consilia aperit, hic hyperbolica quadam parœmiæ formula lingua Diaboli dici poterit. Talis fuit Iudas Beato Brunoni, tales omnes illi, per quos Diabolus consilia sua promit, ac reuelat; sic ille loquitur serm. de Natiuit. Beatæ Mariæ: *Lingua Diaboli Iudas, quia per eum summis Sacerdotibus loquutus est, dicens; Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? omnes illi sunt* LINGVA DIABOLI, *per quos ipse loquitur, & sua consilia reuelat*; & vniuersè omnes illi, quibus vtitur Diabolus vt cæteros fallat, atque decipiat, inque præcipitium trahat.

ADAGIVM DCCCC.

Tuscum iurgium.

CVm propositæ quæstioni, obiecto dubio non eius solutione occurritur quæ quærebatur, sed alterius quæstionis obiectione effugium quæritur, non difficultas euacuatur, vsurpari prouerbij voce hæc formulâ poterit. Dabo hìc sancti Augustini verba, quibus ista loquutio illustratur, sic ille scribit lib. 3. contra Academicos cap. 4. *Metuo, ne hæc confusio cuiquam nostrûm suffugium præbeat. Hoc est, inquam,* TVSCVM *illud* IVRGIVM, *quod dici solet, cùm quæstioni non eius solutio, sed alterius obiecti videtur mederi.* 869.

ADAGIVM DCCCCI.

Lapides deflent.

Hyperbolica loquutio, quæ in prouerbiorum censum vocari facilè potest; cui tunc erit locus, cùm rei alicuius, aut personæ status miserandus producitur in medium; sanctus Basilius ad Monachum scribens, qui à sublimis vitæ culmine,in quo sterterat,desiderat. *Tui gratia doleo, sol obscurus fuit cùm delinqueres, & caderes, & virtutes cælorum in perditione tua commota sunt; & insensati* LAPIDES *insaniam tuam* DEFLERVNT. *O grauem cæcitatem! O immanem crudelitatem! Deum non timuisti, homines non es reueritus. Quocirca iterum miser tui gratia doleo; qui omnibus regni Dei vigorem annuntiabas, regno Dei excidisti; qui doctrina timorem omnibus incutiebas, non habuisti timorem Dei ante oculos tuos; qui vitæ sanctimoniam prædicabas, scelestus deprehenderis.* Hæc ille de illo, quæ omnia profectenda quoties sanctitatis cultor, ac perfectionis professor, ac doctor ab ea sanctitate excidit, quam antea profitebatur.

ADAGIVM DCCCCII.

Lupus aduersùs agnum culpas facit producere.

870. Congruit in eos, qui nocere aliis volunt,nil læsi ab illis, causas tamen aliquas confingunt, quibus sæuitiam suam conantur obtegere, sed excusatione omni nihil valitura in innocentes debacchantur; quod ductum ab Æsopica fabella; sanctus Basilius ita de suis calumniatoribus loquitur epist.80. *Videntur mihi qui,odium hoc inexcusabile contra nos induerunt, haud dissimile ab eo facere,quod habet Æsopica fabula. Quemadmodum enim illa* LVPVM CVLPAS QVASDAM ADVERSVS AGNVM PRODUCERE FACIT,*quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore putet,si præter iustam rationem interimat agnum, a quo nihil sit læsus, vt tamen, licet omnem quæ ex adornata calumnia intenditur,accusationem agnus placidè diluat, nihilo magis lupum ab impetu sibi temperare, sed etiam si iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorë peruincere: ita & qui odio nostri non secus atque rei honestæ student, turpe forsan putantes, si absque ratione nos odio persequi videantur, causas odij contra nos, & crimina fingunt. Nihil autem eorum, quæ contra nos ferrentur, constanter tuentur: sed nunc hanc paulo post aliam, & rursus quoque aliam inimicitiæ causam assignant; atque ita nulla in re malitia illorum solidè consistit; sed mox atque ab hac intentata culpa resiliunt,alij incumbunt,& rursus illa neglecta,aliam apprehendunt,& si omnia de quibus me accusant diluero, ab odio tamen haud recedunt.* In pares produci paria possunt.

ADAGIVM DCCCCIII.

Nerei pulchritudo.

Nerei tam eximia exstitit pulchritudine, vt abire in prouerbium potuerit, tunc vsurpandum, cùm singularis alicuius pulchritudo efferenda est. Philippus Abbas Bonæ-spei, epist. 4. ita scribit. *Nec* NEREI PVLCHRITVDO *ex æquo litterali scientiæ confertur;*& epist.11.affert illud Ouidij 4. de Pont.

Tam mala Thersitem prohibebat fama latere,
Quàm NEREVS PVLCHRA *conspiciendus erat.*

Addit statim: *cùm autem apud vos non commendet* NEREI *florida* PVLCHRITVDO, *notum quidem efficit Thersitis horrida turpitudo.*

Decor *libidinis inuitator* dicitur à Tertulliano lib.de cultu fœminarum cap.2. *Non de integra,* inquit, *conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis scimus.*

Mollis visa pulchritudo videatur, gladius est, & verus est, idem Tertullianus lib.eodem, eodem cap. *Perit ille simul in tua forma si concupierit, & facta es tu gladius illi.*

ADAGIVM DCCCCIV.

Summo digito mel degustare.

Qvi leuiter aliquid libat, aut alicuius rei dulcedine perfruitur, is summo digito dicetur mel degustare, nam quò longiùs res trahetur, eò concinnior euader sensus. S.Basilius epist. 8. ita loquitur: *Quali animi delectatione carverim, noui & ipse, etsi* SVMMO DIGITO *dulcissimum vestræ Ecclesiæ* MEL DEGVSTAVI; poterit non alienè & ad alia porrigi. 871.

ADAGIVM DCCCCV.

Nemini fac, quod pati non vis.

Iactari hoc vulgo solitum tamquam prouerbium,docet sanctus Augustinus lib.2.de Ordine, cap.8. in hæc verba: *In omni contractu, atque conuersatione cum hominibus satis est seruare vnum hoc vulgare prouerbium:* NEMINI FACIANT, QVOD PATI NOLVNT. Iusta seruandæ iustitiæ regula,& charitatis nutriendæ non facilè aliorum damna procurabit, nec aliorum incurret offensam, qui alius in alios erit, quàm vellet alios esse in se ipsum.

ADAGIVM DCCCCVI.

Æsopus fact[illegible] sum.

Nobilis fabularum fabrica Æsopus est; à fabularum formatione moribus informandis notissimus,ad alios res si transferatur, prouerbium prodidit; vt fabulæ cuiusdam inuentor, aut qui eam recenset Æsopus audiat; in hunc sensum aiebat sanctus Augustinus lib.2.contra Academicos cap. 3. *Quam totam fabulam, nam subitò* ÆSOPVS FACTVS SVM, *licentius tibi carmine suauius indicabit.*

ADAGIVM DCCCCVII.

Litteras sicut Vrias suæ mortis deferre.

Vi eumque ea defert, quibus suæ mortis sententia continetur, is sicut Vrias litteras suæ mortis dicetur afferre.Philippus Abbas Bonæ-spei epist.13. aiebat: *Ne* SICVT VRIAS TVLIT LITTERAS,*in quibus nescientes mors eius habebatur; sic & ritè inprouidus feras,vnde feriri merearur.* ille Vriæ litteras defert, qui litterarum notitiam pollet, sed & perficere negligit, quæ litteræ ipsæ cultoribus suis docent præstanda.

ADAGIVM DCCCCVIII.

Similes fabris arcæ Noë.

872. PRouerbiali hoc schemate percellentur, qui aliis consulunt, aliorum salutem quærunt, suam negligunt, & pereunt, curantes ne pereant alij, quod iis accidit, qui arcã ædificarunt, qua alij saluarentur, cùm ipsi in diluuio perierint. Aduocari huc possunt sancti Augustini verba, qui serm. 66. de diuersis, & 1. de Epiph. ita loquitur: *Quid dicam de infelicitate Iudæorum, qui Christum quærentibus Magis, etiam prophetiam indicem protulerunt, Bethleem ciuitatem designauerunt, quam ipsi non inuenerunt?* SIMILES FACTI FABRIS ARCÆ NOE, *aliis vbi euaderent præstiterunt, & ipsi diluuio perierunt.* Iaci istuc idem in Doctores illos potest, qui aliis salutis viam docendo demonstrant, quam ipsi calcare nolunt, vitæ spiritualis monita aliis tradunt, quæ ipsi in se ipsis non probant, dum non amplectuntur.

ADAGIVM DCCCCIX.

Similes lapidibus milliariis.

SEnsu cum superiori prouerbio hoc prouerbium cohæret, in eos hoc etiam quadrat, qui rectam salutis viam verbis aliis ostendunt, quam ipsi nescire videntur, dum non ineunt; vrgent ad iter alios, nec ipsi loco mouentur. Lapides milliarij viatoribus ostendunt viam, & immobiles ipsi remanent; quibus concionatores illi pares, qui vtilia, & salutaria aliis proferunt, Dei viam fidelibus indicant, & veluti digito commonstrant; pedem tamen ipsi non mouent, vt per illam deambulent. Pariat istis lapidibus Hebræos idem sanctus Pater sermone proximè producto, ait enim: *Iudæi* SIMILES *facti sunt* LAPIDIBVS MILLIARIIS, *viam ostendunt, nec ambulare potuerunt, quia stolidi in via remanserunt. Quæsitum est ab eis, vbi Christus na?ceretur; responderunt in Bethlehem Iuda, sic enim scriptum est: Et tu Bethlehem terra Iuda non minima es in ducibus Iuda; ex te prodibit Rex, qui recturus est populum meum Israel. Audierunt, & abierunt inquisitores, dixerunt, & manserunt Doctores, & contrariis affectibus separati illi facti sunt adoratores, illi persecutores*; istuc idem habet idem sanctus Pater serm. 34. de Temp. vbi hac lapidum similitudine eosdem Iudæos promit in hæc verba: *Quærendo Magi ciuitatem, in qua natus est Rex Iudæorum, necesse habuerunt percunctari Principes Iudæorum: vt illi de sancta Scriptura, quam in ore, non in corde gestabant, infideles fidelibus de gratia Dei responderunt, mendaces a se, veraces contra se. Quantum enim erat, vt illi quærentibus Christum comites fierent, cùm ab eis audissent quòd visa stella eius venerint, eum adorare cupientes; ipsi eos ad Bethlehem Iuda, quam de libris diuinis indicauerant, ducerent, pariter viderent, pariter intelligerent, pariter adorarent? Nunc verò aliis demonstrant vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate: factique sunt eis tanquam* LAPIDES A MILLIARIO, *qui viatoribus ambulantibus aliquid ostenderunt, sed ipsi stolidi, atque immobiles remanserunt.* Quibus verbis premi & omnium illorum oscitantia potest, qui vtilia, & salutaria alios edocent, ad quæ ipsi admouere manus negligunt; crucibus, quæ in viarum compitis viam transeuntibus monstrant, tales pariat Petrus Blesensis serm. 12. in Quadrag. *Sunt*, inquit, *qui Scripturam contemnunt, hic timeo, parti nostræ hi sunt clerici Ecclesiarum. Nos sanè sacram Scripturam legimus, exponimus, approbamus, quia vestit, & pascit nos, sed nihil eorum, quæ iubet, aut parat, opere adimplemus,* SIMILES CRVCIBVS, QVÆ *in compitis viarum cunctis* VIAM OSTENDVNT. Ita cæteris ostendenda via est, vt per eam etiam ambulemus; nectenda vita doctrinæ est. Magni hæc momenti res est, vt ab re non sit futurum, si vitam verbis nectendam esse fusiùs demonstremus, doctrinam moribus animandam; licèt enim etiam alibi versauerim hoc argumentum, hîc tamen ad eandem illud incudem reuocare alienum non erit, nec importunum; cùm vbi morbus viget, adhiberi medicina possit.

EXCVRSVS CXLVII.

Vitæ & doctrinæ coherentia; morum, & sermonum.

Auditorum animos acuit *dicentis vita.*
Vitæ, *&* sermonis *nexus.*
Post certamina, *&* victorias *ad prædicationem eundum.*
Virtutum montem *conscendãt prædicaturus.*
Absonum est aliis veritatis lumen *aperire, qui in tenebris est.*
Loquuntur ad cor *qui operibus alios erudit.*
Se ad iudicium stringit, *qui bona loquitur, nec facit.*
Doctor malè viuens, *& benè docens Deum instruit quomodo debeas eum condemnare.*
Condemnationi obnoxius, *& ludibrio, qui quæ docet non facit.*
Mysteria sua *Deus plerunque à nobis subducit, ne nos grauiùs puniat.*
Aliorũ Doctor suę carnis *petulantiã coërceat.*
Bona scientia, *quæ vita bona iungitur.*
Dei liber intus, *&* foris *legendus, vt studio opus addatur & exercitatio.*
Dei verba custodit, *viam suam corrigit, emendat vitam.*
Exemplo doctrina animanda, vt in verbo laboret, *qui alios erudit.*
Doctores Ecclesiæ muri *vita, & doctrina.*
Sagitta pennis *virtutum alata concionator.*
Pennati *auditores ad virtutis sermonem accurrunt.*
Prædicatores collo *comparat, quod virtutum torques ambit.*
Doctores luminaria *in signa virtutum mundo data.*
In bono præire *aliis debet, qui alios ad bonum vocat.*
Eloquens imperitia, *& grata balbuties fit si opera præmittantur.*
Etiam per malos *bona Dei dona ad nos transeunt.*

MVta, & elinguis eloquentia omnis, licèt ad miraculum alioquin magna censeri potest, 873.
quæ sola est, quæ vitæ sanctimonia, ac morum probitate est destituta. Loquendum Doctori est, vt

Auditorum animos acuit dicentis vita.

cæteros

cæteros erudiat, sed non loquendum tantùm. nudus sermo minus languet, si vitæ puritate careat, absit a probi Doctoris nota, qui verbis nudis instruit, non sermonibus. Loquentes Doctores, & non facientes damnat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 208. dum ait: *Neque docentium oratio perinde animos acuere solet, vt vita & mores. At isti, non secus ac si ipsis loquendi duntaxat munus commissum fuisset, ab actione abstinent.* in eandem sententiam hæc quoque habet idem sanctus Pater eodem libro epist. 275. *Vita sine sermone magis prodesse solet, quàm sermo sine vita. Nam illa etiam tacens prodest: hic autem etiam clamans molestiam affert. At si & sermo & vita in vnum occurrant, omnis Philosophiæ simulachrum efficiunt.*

S. Isid. Pelus. — *Vita & sermonis nexus.* — Idem.

Hunc nexum vitæ, & sermonis commendauit Christus cùm post certamina, post deuictum Satanam, initium prædicationi suæ dedit, vt idem præstarent, qui idem munus essent postéa obituri, quod sic expendebat auctor sub nomine Chrysost. homil. 6. in Matthæum, dum ait: *Ex tunc cœpit Iesus prædicare, ex quo tentatus est. Ventrem autem vicit in deserto, auaritiam spreuit in monte, vanam gloriam repercussit super templum, vt nobis ostendat, quia qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi huius bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi Vicarius factus iustitiam Christi prædicare.*

Post certamina & victorias ad prædicationem eundum. — S. Chrys.

Eiusdem Christi ascensum in montem, dum esset sermonem ad turbas habiturus, eodem flectebat sanctus Bernardus serm. 1. in festo omnium Sanctorum: *Quid est, quod priusquam docere inciperet, ascendit in montem, nisi quòd in hoc ipso docuit necesse habere prædicatores verbi Dei, desideriis animi, & conuersione sancta ad sublimia tendere, & virtutum conscendere montem.* Abit ab hoc exemplo, qui alios ad montem vocat, ad vitæ perfectæ culmen auditores vrget, cùm interim ipse in imis vitæ sordibus iaceat.

Virtutum montem conscendat prædicaturus. — S. Bern.

874. Absonum est quempiam aliis veritatis lumen aperire, si ipse interim tenebris obsideatur; quod sibi ne accideret, rogabat Beatus Laurentius Iustinianus in procem. lib. de casto connub. sic enim ibi loquitur: *O mellifluc amor! ô Dei ineffabilis sapientia! oro te, per te vt prius erudiar experientia, quàm proferam lingua; prius cordis palato degustem, quàm voce pronunciem: ne æs efficiar sonans, aut cymbalum tinniens. incongruum quippè est, vt in tenebris positus aliis veritatis aperiam lumen, atque æternæ vitæ demonstrato verbi fonte, ipse ariditate deficiam.* O eadem mens, eadem verba à quocunque Doctore eliceret!

Absonum est aliis veritatis lumen aperire, qui in tenebris est. — B. Laur. Iust.

Qui bonis operibus vacant, cæteros erudiunt, etiamsi taceant; nimirum hi ad cor loquuntur, mira dulcedine auditorum afficiunt mentes, cùm illi qui verbis nudis obstrepunt, modestiam non sæpè ingenerent; huc flectit illa verba sanctus Isidorus Pelusiota, quæ extant apud Euangelicum Prophetam cap. 40. 2. *Loquimini ad cor Ierusalem;* sed præstat hîc sancti huius Patris verba sistere, qui lib. 2. epist. 1. ita scribit: *Qui operibus emicant, etiam si silentium colant, spectatorum tamen animos erudiunt. Atque illud est, quod ex me intelligere quæsiuisti, Sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem. Multi enim sunt qui loquendo molestiam exhibeant; pauci autem qui operibus doceant.* Ad aures mihi loquuntur, ad cor auditorum pauci.

Loquuntur ad cor qui operibus alios erudiût. — S. Isid. Pelus. — Isa. 40. 2.

Quid refert multa, eaque vtilia aliquem scire, si cognita opere complere negligit? nihil refert, sed obest plurimum, cùm se ad iudicium arctiùs liget, ipse suis tenetur verbis, suis sermonibus damnatur; hinc illud sancti Gregorij lib. 2. moral. cap. 15. *Nulla est scientia, si vtilitatem pietatis non habet, quia dum bona cognita exequi negligit, sese ad iudicium arctius stringit.*

Se ad iudiciû stringit, qui bona loquitur, nec facit. — S. Greg.

875. Qui docent verbis, sed verbis tantùm, nec benè loquuntur, nec benè agunt, etiam Deum ipsum instruere videntur quomodo eos condemnet. Auctor sub nomine Chrysost. homil. 43. in Matthæum ita scribit ad hanc mentem. *Bene viuendo, & bene docendo populum instruis, quomodo debeat viuere; bene autem docendo, & male viuendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Ipse sese damnat, qui bene docet, & male agit; sanctus Isidorus Pelusiota & condemnationi obnoxium huiusmodi esse ait, & ludibrio; sic ille sentit lib. 3. epist. 120. *Docere, ac non facere etsi folia habet, fructu tamen caret, nec risus, nec ludibrij, & condemnationis expers est.* In eandem ferè sententiam sanctus Gregorius lib. 15. moral. cap. 7. *Qui mandata illius memoria retinet, sed nequaquam facit, hic in doctrina verbis sententias, quibus damnatur, tenet.*

Doctor malè viuens, & bene docês D. instruit quomodo debeat eum condemnare. — *Condemnationi obnoxius & ludibrio qui quæ docet non facit.* — S. Isid. Pelus. — S. Greg.

Ex hoc fit, vt plerunque Deus mysteria sua à multorum notitia subducat, multa multis occultat, ne si proderet, & manifestaret, condemnandi eos, puniendique occasionem reperiret, dum scilicet eas opere non præstant, quæ auribus excepere, & mente; huc spectabat Christus cùm gratias Patri suo ageret, quòd pleraque à prudētibus, sapientibúsque huius sæculi Pater absconderet, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus;* nimirum gratiæ Deo agendæ erant, tanquam ob singulare beneficium, quòd sapientiæ arcana à mundi huius sapientibus subtraxerit, ne grauiùs inde punirentur, dum ea, quæ reuelata sunt, opere complere contemnunt. Pulchrè Theophylactus hîc: *Deus propter magnam misericordiam suam non reuelat aliquibus plura mysteria vt non magis puniantur, vtpote aspernantes ea quæ didicerunt;* itaque denegantur sapientiæ dona ne in suppliciorum materiam conuertantur, dum contemnuntur.

Mysteria sua Deus plerunque à nobis subducit ne nos grauiùs puniat. — Matt. 11. 25. — Theoph.

Dei verba qui aliis edisserit carnis petulantiam calcet, carni minimè blandiatur; hoc est enim prædicare super tecta, quod aure excipitur; *Matth.* 10. huc flexit sanctus Augustinus, lib. quæst. in Matth. 9. 2. *Et quod in aure auditis, prædicate super tecta, id est, quod in secreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate.*

Aliorum Doctor suæ carnis petulantiam coerceat. — Matth. 10. — S. Aug.

876. Proba scientia est, si probæ vitæ iungatur, improba, si improbæ. Holchotæ ita de Mercurio, qui eloquentiæ Deus à Gentilibus habebatur, in m. s. cod. philosophatur cap. 26. *Mercurius qui dicitur Deus eloquentiæ, dicitur hermaphrodita, & hoc quia Mercurius planeta quando coniungitur planetis beneuolentia est beneuolus, quando cum malis est, maleuolus;* ita est, *ad litteram de gratia sermonis, & eloquentia si societur bonæ vitæ est bona, si malæ quasi plena malitia, & dolor.* Tanti refert quo mentis sinu scientia excipiatur.

Bona scientia quæ vitæ bonæ iungitur. — Holchot.

Sacræ Scripturæ verba non rectè versat, nec profert, qui profert tantùm, nec exercet; Scriptura sacra liber est scriptus intus, & foris, *Ezech.* 2. 9. *& Apoc.* 5. 1. intus igitur, & foris legendus est; intus legitur dum nudæ incumbitur notitiæ, foris si notitiæ addatur exercitium. Implantanda hîc sunt Absalonis Abbatis verba, qui serm. 32. qui est de Purif. B. Virg. ita sentit: *Via lucida gradiuntur sacræ Scripturæ inuestigatores legentes librum Dei legis intus, & foris; intus per cognitionem veritatis, foris per exercitium boni operis; intus in hoc libro scripta sunt multiplicia illa verba legis, & Prophetarum,*

Dei liber intus & foris legendus vt studio opus addatur & exercitatio. — Ezech. 2. 9. — Apoc. 5. 1. — Absal. Abb.

mandata euangelica dicta sanctorum Patrum, quæ omnia via sunt eundi ad Dominum. Foris in hoc libro scripta sunt, in vita Sanctorum bona opera; videl. agonia Martyrum, constantia confessorum, omnium iustorum pia conuersatio, quibus venitur ad cœlum Dei altissimi. Qui per viam lucidam rectè vult incedere, legat librum Dei legit, intus per scientiam, foris per experientiam, vt probet, quid sapiat maceratio corporis, pallor vigiliarum, patientia tribulationum, siccitas ieiuniorum, quorsum tendant pœnitentium, lachrymantiumque suspiria, asperitas disciplinæ: discant cur sancto Dauid inuiti habitu saltare ante arcam fœderis, & cum Paulo Apostolo non solum abundare, sed etiam penuriam pati. Qui enim legunt librum legis Dei intus, & non foris, hoc est, qui dicunt, & non faciunt, magis incubatores sacræ Scripturæ, quàm inuestigatores debent appellari.

Dei verba custodit qui viam suam corrigit, emēdat vitam.
Psal. 118. 9.
S. Aug.

Nolebat nos incubatores esse Propheta regius, sed inuestigatores, volebat nos Dei verba vita custodire, non nuda memoriæ, cùm diceret; *In quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones tuos*, Psalm. 118. 9. Quid sit Dei sermones custodire, ad nostram mentem scitè explicat sanctus Augustinus hic; dum ait: *Hoc loco custoditio verborum Dei intelligenda est operatio præceptorum. Frustrà enim custodiuntur memoria, si non custodiantur & vita. Non quidem verba Dei tenendo agunt ne obliuiscantur, nec agunt viuendo vt corrigantur. Non autem ait iste, in quo exercet iunior memoriam suam, sed in quo corrigit viam suam, atque ad hoc respondet, in custodiendo verba tua.* Non bene Dei verba custodit, qui sola memoria custodit, sola lingua, non vita, non moribus, non operibus.

Exemplo doctrinam animat verus Doctor.
1. Tim. 5.
Primasius.

877. Verus Doctoris character, si exemplo doctrinam suam animat, si priùs non laboret, quod suadere auditoribus suis studet; Pauli verba sunt 1. Timoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & docent in doctrina*, Primasius hic expendens hanc phrasin, ait: *Non dixit, maximè qui habet verbum, sed qui laborant.*

Doctores Ecclesiæ muri vita, & doctrina.
Procop.

Ecclesiæ muri, portæque Doctores in sacris litteris dicuntur, non solius doctrinæ titulo, sed & vitæ. Bellè Procopius in cap. 60. Isaiæ: *Sunt etiam, qui murorum, portarúmque nominibus Doctores significari putent; quorum vita & doctrina tamquam muro, cingitur Ecclesia; in quam etiam accedentes introducunt. Sculpturam deinde dixisse, quòd eorum valde sit illustris, & ad veritatis defensionem elaborata oratio.*

Sagitta pennis virtutum alata concionator.
Vgo Car.

Sagittæ concionator comparatur, virtutum enim pennis ferri debet, vt auditorum corda altè feriat. Scitè Vgo Carensis in Psalm. 17. *Prædicator dicitur sagitta, quia pennata est, sic ea ipsa pennis virtutum.* Pennati Doctores sint, pennatos auditores habebunt, pennati ad illos current, veloces ad illos aduolabunt; de suis auditoribus aiebat sanctus Chrysostomus homil. 9. de pœnitentia: *Sic mihi necessarij estis, sed in primis, qui ad virtutis sermonem pennati aduenistis*; pennati & ad virtutem erunt, si pennatum Doctorem nacti fuerint.

Pennati auditores ad virtutis sermonē accurrunt.
S. Chrys.

Prædicatores collo comparati, quod virtutum torques ambit.
Cant. 7.
Prou. 1.
B. Rab. Mau.

Collo Doctores in sacris litteris pariantur, quia ad alios vitæ cibum transmittit; sed huic collo virtutum omnium torques necessaria ambiri virtutum pulchritudine debet, qui ad virtutum exercitium vocant: collum istuc turris eburneæ in amoris Cantico componitur, vt purus, & ab omni sorde mundus sit, quod alios edocet. Scitè B. Rabanus Maurus in allegoriis nuper editis: COLLVM *est ordo Prædicatorum, vt in Cantico; collum tuum sicut turris eburnea, id est, Prædicatores, qui cibum vitæ aliis transfundunt, in se decori & casti sunt. Collum sermo prædicationis, vt in parabolis: vt addatur torques collo tuo, id est, vt sermo prædicationis in deficiente virtutum connexione confirmetur.*

Doctores luminaria in signa virtutum mundo data.
Gen. 1.
Gloss. Interl.

Virtutum exemplar ostendere non solùm sacri verbi tractatores debent, sed etiam esse; de luminaribus, quæ in prima mundi molitione condita sunt, ait Moyses Gen. 1. *Fiant luminaria*, addit Glossa Interlinearis, *Doctores*; ad quid? vt sint in signa; eadem Interl. *virtutum*, exemplo eo allicientes auditores suos, quò vocant verbis.

In bono prire alios debet qui alios ad bonum vocat.
S. Petr. Dam.

In bono præire aliis debet, qui alios ad bonum inhortatur, vt illud opere compleat, quod ore loquitur, ne manus linguam accuset, lingua manui aduersetur, & operi sermo; huc spectabat sanctus Petrus Damianus opusc. 13. cap. 15. in hæc verba, *Commendas inediam ieiunia prædicantem, nec loquentis sententias comedentis fauces impugnet. At eius nempè sobrietatem docet manus cum ad os sub moderamine ducitur, quam si nesciente lingua loquatur. Porrò viuida satis, & efficax in discipulorum mentibus prædicatio est, aliis os ad mensas impellere, impelientem verò in rigore ieiunij permanere; sic intenta delinquentibus seruitium, vt in te motum iracundiæ sub rigida cohibeas disciplina.* Idem habet idem auctor opusc. 15. cap. 28. *Viuida*, inquit, *& efficax in discipulorum cordibus prædicatio est, aliis alimenta prouidere, prouidentem verò in ieiunij rigore persistere. Optime viuus prædicat, qui post longum psalmodiæ decursum, signum excitandis fratribus pulsat: eloquentissimè dum tacemus, silentium commendamus: fructuosè de extremitate vestium disputat, qui se pannorum consutione deformat. Indumentorum verò iuxta diuitem nitore conspicuus, frustra cum Ioanne pilos prædicat camelorum.* & sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 213. in eandem sententiam: *Non verbis, bone vir, inescandi auditores, sed re ipsa, & exemplis, qui nos cernunt trahendi. Mores enim persuadentibus veneranda sunt, non oratio. Illi enim spectantibus flectunt, hæc verò auditores fatigat.* Quod corpus sine anima est, hoc est, nudus sermo operis exemplo destitutus; cadauerosa oratio est illa, quam loquentis vita, moresque non animant.

Explicari non potest, quantas sermoni vires 878.
addat loquentis vita; balbutia, & tertiata, vt ita dicam, proferat verba, qui loquitur, si opera prædicationi præmittat, eius balbuties quæcunque eloquentia magis placet; Moysis exemplo hoc firmandum: Exod. 14. v. 1. *Loquutus est Dominus ad Moysem, dicens, Loquere filiis Israel*; vir ij semet videtur loqui, cùm antea per Aaronem loqueretur; erat enim balbutiens, & loqui se nescire fatebatur, fatebatur se ineloquentem, vt ei Aaronem dederit, quo tamquam ore vteretur; nunc nulla balbutiei ratione habita sermonem ad populum habere videtur; cur ita? an quia tot operum prodigia præmiserat, tot signa fuerat operatus, [illegible] balbutiei defectui suppleuerat, vt loquens eius haud contemneretur, quod tactum in tot signa non fecisset. Propter signa, & opera facta, ait hic Abulensis; *quantumcunque balbutient audiretur, non ergo oportebat, quòd alius pro eo loqueretur*; satis eloquens ineloquentia omnis est, si operum, signorúmque clamor exaudiatur; muta ferè, & eloquens eloquentia omnis est, signis, & operibus dicentis destituta.

Plerumque imperitia, & grata balbuties fit [illegible] rum.
Exod. 14.
Abul.

Etiam per malos bona Dei dona ad nos trāseunt.

Denique excursum istum hoc monito obsignagnabo; excipienda scilicet obuio sint bona docentis verba, etiam si bonus ille non sit qui illa profert; leuitérque ac velociter per illam viam ambulandum, quā ille ostendit, qui mouere pedem negligit, cōtemus aliis significasse rectè hoc Christus docere voluit, cùm Iudam in Apostolorum censum

admisit;

S.Aug.

admisit;rem ita expendebat S Augustinus enarrat. in Psalm.10. *Eundem,* inquit,*traditorem suum quem Diabolum nominauit,cum cateris discipulis ad Regnum cælorum pradicandum misit, vt demonstraret dona Dei peruenire ad eos,qui cum fide accipiunt,etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit.* Pendendum quid quis accipiat,non per quem

EXCVRSVS CXLVIII.

Scientiæ lumen qui aliis impertit, in tenebris ipse non viuat.

Sapientia lex *quadam est.*
Doctrinæ,*&* lucis *nexus.*
Dei sermo quàm lucidus,*&* radians.
Sacrarum Scripturarum radij *quàm nobis necessarij.*
Illuminare *pro docere.*
Qui alienis tenebris *medetur, ipse* cæcitate *non corripiatur.*
Docta vita illuminare *alios debet.*
In doctrinæ lumine *ambulandum est.*
Lum[illegible] *[illegible]ina in tenebras sibi vertit, qui* [illegible] *vita succursum non dirigit.*
Doctrina lucerna *sine probæ vitæ oleo extinguitur.*
Iustitiæ fructus scientiæ lumine *præmittendus.*
Iustitiæ germen,ante scientiæ lumen.
Cognitionis,*&* operis *nexus.*
Scientia *sine* sanctitate *vitiorum vermibus scatet.*
Dictorum auctoritas à docentis vita.
Diuinæ doctrinæ *genus quæ docentis exemplo* animatur.
Sermo virtute,& auctoritate ferè destituitur, qui docentis exemplo *non fulcitur.*
Signorum editione *auctoritatem mandatis suis Christus præstruxit.*
Perstricti qui benè *docent,&* malè *viuunt.*
Vera scientia in diuinorum mandatorum *perfectione sita est.*

879. LVx doctrina est, mentem quippe illustrat, quam peruadit; sanctus Ephræm in carcere Sytiaco in laudem sapientiæ ita canit.

Sapientia lux quadam est.
S.Ephræm.

Secunda quadam LVX *est sapientia,oculósque pellucidos continet.*

Vet.dict.

& vetus illud,licèt ab externa schola,

Vt sol est oculorum cordis,sic lumen sapientia est.

S.Bern.

Accurrit sanctus Bernardus opusc. de charit.c.21. *Scientia* LVMEN *erumpat, lumen scientia velut Solis splendor effulgeat.*

Doctrina. & lucis nexus.
Isa.24.15.
Chald.
Isa.2.5.
Dei sermo, quàm lucidus, & radians.
Philo.

Doctrinam cum luce cohærere probatur etiam ex illo Isaiæ.nam quod vulgatus his verbis reddidit,cap.24.15. *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum.* Chaldæus vertit: *Cum venerit lumen iustis, glorificabunt coram Domino*; ac si idem esset lumen & doctrina;& Isaiæ 2,5.*Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini*; idem Chaldæus paraphrastes, *Venite, & ambulemus in doctrina legis Domini.* Philo lib.1.Allegor.*Quid fulgidius Dei sermone,aut radiantius,cuius participatione, & alia res caliginem, ac tenebras excutiunt, quæ appetunt lucem animarum.*Ille de verbis atticis dixit:*Sicut radiorum fulgores,ita attica verba in oratione relucent*; ita Philostratus lib.1. de vitis Philosophi iustiùs id veriúsque de diuinis dicatur.

Sacrorū Scripturarum radij,quàm nobis necessarij.
S.Chrysost.

Diuinarum Scripturarum radios necessarios nobis esse, sic explicabat sanctus Chrysostomus Procem.in epist.ad Roman. *Quemadmodum qui luminis huius visu sunt priuati,nequaquam rectà ingredi possunt; ita qui ad diuinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessariò in multa frequentes errata incurrunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis ambularent.*

Illuminare, pro docere.
Ps.26.14.
Theodotiō.
Agell.
Ephes.3.

Cùm lumen de doctrina dicatur, hinc fit vt illuminare alios,sit alios docere,quia nimirum doctrinæ lumen aliis impertit,qui docet.Psal.26.14. *Legem pone mihi Domine in via tua.* Theodotion vertit φώτισον ILLVMINA,quod idem est ac docere; vt notabat hîc noster Agellius, qui ab hac notione,& aliud Pauli locum explicabat;sed præstat hîc eius verba sistere, sic ille scribit ad hæc huius Psalmi verba:*Legem pone, doce me,inclina, & monstra mihi viam tuam. Aquila, & Theodotion verterunt* φώτισον ILLVMINA, *quod in idem recidit. In hanc significationem vsus est hoc verbo Apostolus ad Ephesios cap.3.Mihi data est gratia hac,illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo,* ILLVMINARE *dixit,pro eo quod est, docere.*

Qui alienis tenebris medetur,ipse cæcitate non corripiatur.
S.Hilar.

Tantùm qui alienis tenebris medetur, ipse in 880.
tenebris esse non debet, nec qui alios arguendo ad lucem [illegible]cat, alta cæcitate obsideri;opportunè sanctus Hilarius in Matth.can. *Fit sæpe vt assumamus nobis arguendo aliquos auctoritatem,sine vllo proprio emendationis exemplo; & medenda cæcitatis alienæ iactantiam praferamus, ipsi in tenebris corrupti luminis constituti:cùm difficile quemquam sit præstare quod exigas,& optimum sit exemplo potius quam dictis docere.*

Doctor vita illuminare alios debet.
S.Greg.Nyss.

Doctor non verbis tantùm illuminare alios debet,sed &vita.S.Gregorius Nyssenus in vita sancti Gregorij Thaumaturgi,sic illum efferebat:*Clarum est,quòd flammæ instar, vita eius rectè, & ex virtute gesta, animis nostris per commemorationem effulgens, viam ad id quod bonum, & honestum est,tam enarranti, quam auscultantibus aperiet.*

In doctrina lumine ambulandū est.
Isa.2.5.
Oleast.

Non satis est Dei lumen spectare, ambulandum per illud est;signatè aiebat Euangelicus Propheta superiùs aduocatus,cap.2.v.5. *Venite & ambulemus in lumine Domini*;consultò *ambulemus* dixit, ne qui sacras litteras versat in illis sistat, & præter nudam notitiam nihil aliud requirat. Scitè Oleaster hîc: *Sensus est: Venite, ambulemus* IN LVMINE *Domini, in doctrina, ac lege Dei, iuxta illud Psalmi, Lucerna pedibus meis verbum tuum;ac si dicat: Venite sequamur quod nobis Dominus dixerit, aut quod vos docuerit*; quod sibi quoque dictum putare Doctor debet. 881.

Lumen doctrina in tenebras sibi vertit,qui ad illud vita succursum non dirigit.
Procop.

Lumen Dei verba,Dei præcepta sunt, hanc lucem in tenebras sibi vertit, qui ad illum vitæ suæ cursum non dirigit. Pulcbrè Procopius in Isaiam cap.5.*Verùm quia præceptum Domini lucidum, illuminare oculos dicitur, qui non ad illius normam vita sua cursum dirigit, sed lutosis voluptatum illecebris perfunditur; lucem illæ voluptates, & Domini præceptum tenebras esse arbitratur.*

Doctrina lucerna sine proba vita oleo extinguitur.
Vgo Car.

Lucerna doctrina est, quæ si oleo sit destituta, emoritur.Benè Vgo Carensis in cap.5.Matth *Doctrina sine vita,lucerna est sine oleo; vua dens nesciens in acino.*

Iustitia fructus scientiæ lumine præmittendus.
Ose.10.12.

Morum sanctitatem luminis scientiæ permittendam esse innuebat & Oseas Propheta, apud quem cap.10.v.12. hæc habentur: *Seminate vobis*

LXX.

in iustitia, & metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale. Paulò aliter hæc efferunt LXX. *Seminate vobis in iustitia, vindemiate in fructum vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ*; rectus ordo, nec inuertendus, vt à iustitiæ ratione eatur ad scientiæ lumen, & cognitionis; fructus prius recipiantur, vindemientur, quàm doctrinæ lumen quæratur. Opportunè hunc ordinem, hæc verba expendebat sanctus Ambrosius in Psal. 118. oct. 1. ait enim: *Ait Scriptura, seminate vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis. Non prius illuminate, quàm seminate, nec solùm seminate prius ad iustitiam, sed etiã vindemiate, inquit, ad fructum vitæ, & sic illuminate lumen cognitionis, vt perfectio non solùm consistit, sed etiam receptis fructibus approbetur.*

S. Ambr.

882. Hunc eundem ordinem & obseruabat, & commẽdabat etiam S. Bernardus epist. 108. vbi ait, *Seminate, inquit, vobis ad iustitiam, metite spem vitæ: illuminate vobis lumen scientiæ. Vides quia non rectè proditur ad lumen scientiæ, nisi iustitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Quid ergo? Nondum tibi ad iustitiam seminasti, nondum spei manipulos messuisti, & veram te præsumis sectari scientiam?*

Iustitiæ germen ante scientiæ lumen.
S. Bern.

De cognitionis, & operis nexu ita sensit Clemens Alex. lib. 3. stromatum: *Vita institutio apertè eos arguit, qui mandata nouere, qualis enim sermo, talis est vita. Arbor autem cognoscitur ex fructibus, non ex floribus, & foliis, ac ramis. Cognitio ergo est ex fructu, & vitæ institutione, non ex verbo, & flore.*

Cognitionis, & operis nexus.
Clem. Alex.

Ritè de scientia, probitate vidua, sentiebat Philippus Abbas Bonæ-spei epist. 18. dum ait, *Scientia sine sanctitudine vitiorum scatet vermibus, & sordescit.*

Scientia sine sanctitate vitiorum vermibus scatet.
Philip. Abb.

Det suis Doctor dictis auctoritatem, opere compleat quæ docet, ducem se auditoribus suis præbeat, & veri Doctoris sustineat partes. *Magisterium*, ait sanctus Petrus Chrysologus ser. 167. *Stat de scientia, sed magisterij authoritas stat de vita; docenda faciens obedientem perficit auditorem, docere factis est sola norma doctrinæ; doctrina in dictis scientia est, in factis virtus; scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtute. Illa illa diuina est, non humana, Euangelista probante cùm dixit: Quæ cœpit Iesus facere, & docere*; quæ non in nudis verbis sita est, sed docentis exemplo fulcitur diuinum quidpiam sapere videtur.

Doctorũ auctoritas à docentis vita.
S. Pet. Chrys.
Diuina doctrina genuina, quæ docentis exemplo ornatur.
Act. 1.
Idem:

883. Virtutem, auctoritatémque amittit docentis sermo, qui docentis exemplo non animatur; scitè Cassiod. lib. 11. epist. 8. *Non potest auctoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo.* Prædicaturus Christus multa signa præmisisse legitur Matth. 4. *Et curauit, inquit, eos.* Tanta signorum copia, tanta miraculorum multitudine suæ doctrinæ præluxit, vt scilicet ex factis maiorem suis dictis auctoritatem conciliaret, tot ægros sanat, vt *auctoritatem suis mandatis prostrueret claritate signorum*; ait sanctus Chrysost. doctrina contemneretur, quam tot miracula, & tam insignia muniebant; docerentúrque Doctores insignis vitæ operibus prædicationem suam insignire, ac veluti animare.

Sermo virtute, & auctoritate fere destituitur, qui docentis exemplo non fulcitur.
Cassiod.
Signorũ editione auctoritatem mandatis suis Christus præstruxit.
Matth 4.
S. Chrys.

Eos qui cùm bene dicant, viuunt malè, sic perstringebat sanctus Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana, cap. 29. *Per Ieremiam Deus arguit eos, qui furantur, alienum auferunt: verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei, potiùsque ille dicit aliena, qui cùm dicat benè, viuit malè. Quæcumque enim bona dicit, eius excogitari videntur ingenio, sed ab eius moribus aliena sunt. Eos itaque dicit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt, cùm mali sint faciendo quæ sua sunt.*

Perstricti, qui benè docent, & malè viuunt.
S. Aug.

Vera scientia non in nuda rerum notitia sita est, sed in diuinorum præceptorum perfectione, viduus Dei scientia est, qui licet multa sciat, implere tamen negligit, quæ didicit; acutè id colligit Philippus Abbas Bonæ-spei epist. 3. ex his verbis, quæ habentur Oseæ 6. *Volui scientiam Dei plusquam holocausta; ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*; verborum series exigere videbatur, vt de Dei neglecta notitia Dei populus insimularetur, non de pacti transgressione; & tamen illius nulla facta est mentio, facta istius est, vt colligeremus Deum in nobis eam scientiam commendare, quæ ad diuina præcepta perficienda nos vrget. Præclarè productus Abbas producto loco: *Volui, ait, scientiam Dei plusquam holocausta. quòd autem scientiam Dei velit intelligi, non quæ fama, seu verborum eius foliis est contenta, sed quæ Deum sentiens, & degustans explendis eius voluntatibus est intenta, consequenter per oppositum innuit, dicens eos in transgressionis præcipitium deuolutos, quos vult intelligi non esse Dei scientiam assecutos, Volui, ait, scientiam Dei plusquam holocausta; ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum; cum deberet dicere; ipsi autem quam volui scientiam Dei nequaquam habuerunt, dicit, quòd non habentes Dei scientiam, consequenter facere voluerunt, vt per id quod fieri patenter perhibetur, quæ causa efficiens antecedebat, probabiliter intimetur.* Litteræ virtutibus vacuæ sordes meræ sunt, & meræ nugæ.

Vera scientia in diuinorum mandatorum perfectione sita est.
Osee. 6
Philip. Abb.

EXCVRSVS CXLIX.

Ignea Dei verba qui versat, & ad alios transmittit, ardeat ipse.

Ignis *Dei sermo qui calefacit, non comburit, nisi sola peccata.*

Dei præcepta obedientes illuminant, vrunt *contumaces.*

Præcepta Dei fidelibus lumen *exhibent, infidelibus* incendium *minantur.*

Adolescentiæ impetus vt frænum *cohibet lex diuina.*

Purgat sordes *ad modum ignis Dei lex.*

Purgatrix *diuinarum rerum meditatio.*

Ignea Dei verba *cordis vase inclusa ad virtutem illud accendunt.*

Ignea lingua *ignea Dei verba proferri debent.*

Lingua ignis *de flamma.*

Splendet *doctrinæ lux si cor intus ardeat.*

Doctrina ignis *in fumum abit si vita destituatur.*

Charitatis igne *ardeat, qui alios ad charitatem inhortatur.*

Ardet *dicentis sermo, si vita non torpeat.*

Ægrè inflammare *aliorum corda queunt verba, quæ à frigido exeunt.*

Feruor *nobis magis cura sit, quàm splendor.*

Ex feruore *oriri splendor debet.*

Ignea *adhuc* Pauli locutio, *quia Pauli cor ardebat charitate.*

Salubribus monitis pietatis scintillæ, *ex auditorum corde, velut ex silice educendæ.*

Ex sacri eloquij lapide ignis *vt excutiendus.*

Labi

Labi eum, qui aliorum dux est, *maximè Deo displicet.*

Qui alios ab Ægypto liberare *debet, non debet ipse in Ægyptum suos ducere.*

Res ad concionatores *flectitur.*

884. *Ignis Dei sermo quo calefacit, non comburit, nisi sola peccata.* Psal. 118. 140. S Ambr.

IGnis Dei sermo est, sed ignis qui lectorem suum purgat, non comburit; Dauidis verba sunt Psal. 118. v. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer,* vbi sanctus Ambrosius: *Bonus,* inquit, IGNIS, *qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata, mundat animum, consummat errorem.* Pergit ad Rubum, quem vidit Moses spectans: *Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur; vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, vt perdat.* licèt exurant, perdant contumaces, & refractarios. Philonis hæc sunt verba lib. de Decalogo: *Ignis habet vim geminam, illustrandi, vrendique. præcepta hæc obedientibus erunt per totam vitam pro lumine, legibus, seu syderibus animæ prælucentibus. quotquot autem contumaces fuerint, æstuabunt, vrenturque intestinis concupiscentiis, more flammæ, totos homines semel occupatos depascentibus.*

Dei præcepta obedientes illuminant, vrunt contumaces. Philo.

Præcepta Dei fidelibus lumen exhibēt, infidelibus incendium minantur. Apoc. 1. 14. Vict. Pict.

Lumen Dei præcepta bonis, & fidelibus exhibēt, incendium infidelibus minantur, atque etiam parant; legimus in Apocalypsi Dei oculos tamquam flammam ignis dictos, cap. 1. v. 14. *Oculi eius tamquam flamma ignis.* hoc ad Dei præcepta flexit Victorinus Pictauiensis hîc dum ait: *Oculi eius vt flamma ignis præcepta Dei sunt, quæ credentibus lumen ministrant, incredulis incendium.*

885. *Adolescentiæ impetus, vt frænum cohibet lex diuina.* Psa. 118. Agell.

Purgat admodum ignis Dei lex; Psal. 118. v. 9. ait Regius Propheta: *In quo corrigit adolescentior viam suam;* frænum in his verbis, quo feruentis ætatis æstus, & cupiditates cohibeantur, agnoscit noster Agellius dum ait: *Nihil est efficacius ad cohibendas adolescentium cupiditates, quam diuinæ assidua legis meditatio, quæ & ducis officio fungitur, & instar frænorum exultantes ætatis impetus cohibet;* ad fontem Hebraicum, si oculos flectamus, ignis metaphoram hîc delitescere animas depurantis deprehendemus. Pro, *in quo corrigit,* in Hebræo est, *in quo purgabit:* quam lectionem ita versat, explicátque idem Agellius eodem loco, dum ait: *In Hebræo est,* יזכה *iezacche, in quo purgabit adolescentior viam suam? Quo verbo significatur, multas in adolescentia sordes hærere, quæ tamquam igni diuinæ legis purgandæ sint.* Pergit & rem ex Eusebio ita confirmat: Ideóque Eusebius in hanc sententiam dixit: ὁ δὲ Σύμμαχος ἐκδοὺς, ἐν τίνι καθαριεῖ νεώτερος τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, ἐδίδαξεν ὅτι πολλῆς δεῖν ἀκαθαρσίας ἡ νεότης μεστή, καὶ δεῖται καθάρσεως, ἧς τρόπον ἐπήνεγκεν. id est, *Symmachus cùm ediderit, In quo mundabit adolescentior viam suam, docuit multis sordibus adolescentiam esse plenam, & indigere purgatione: cuius rationem subiunxit.* Hæc Eusebius.

Purgat sordes ad modum ignis Dei lex. Euseb.

Purgatrix diuinarum rerum meditatio. Didymus.

Purgatricem diuinarum rerum meditationem vocauit etiam Didymus, à quo illud facilè hausit Eusebius; sic enim habet eodem Agellio referente: πολλῶν φησὶν ἡ νεότης ἐστὶ σκανδάλων μεστή. πῶς οὖν ταῦτα τις νικήσει, ἢ διὰ τὸ ἔχειν ἐν μνήμῃ τοὺς τοῦ θεοῦ λόγους διηνεκῶς, ἡ γὰρ ἔννοια καθαρτική, καὶ φυλακτικὴ πάντων ἐστίν. hoc est, *Multis,* inquit, *scandalis adolescentia plena est; quomodo igitur hæc aliquis superet, nisi assiduè Dei verba, atque sermones in mente habeat? nam ea cogitatio purgatrix, ac seruatrix est omnium.* Ignis lucet, sed ea, quæ comburit, decolorat, & nigra reddit; diuinorum verborum ignis puros, candidósque eos reddit, quos corripit.

886. Ignea verba Dei sunt, ignea lex, vt cordis vase inclusa illud ad virtutes accendat; ille eiusdem Dauidis locus Psal. 118. v. 11. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt cùm peccem tibi,* hac expositione donat Græcus quidā interpres ignis, vasísque vtens similitudine: ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐν ἀγγείῳ χαλκῷ πυρὸς ἀπόθοιτο σπέρμα, πάντως δήπου, καὶ τῆς παρ' αὐτοῦ θερμότητος, ἀποπλεῖον μέτοχον, οὕτως ἐν καρδίᾳ τὸν θεῖόν τε καὶ οὐράνιον λόγον διακατασχὼν νοῦς, δι' ἐκείνου τὸ εἰς ἅπασαν ἀρετὴν ἀεὶ πρὸς τοῦτο δι' αὐτοῦ διεγείρει. id est, *Vt si quis in æreo vase semina ignis condiderit, omnino caloris eius partem vasi impertiretur, ita cuiuscunque animus in corde diuinum, & cœleste continuerit eloquium, illius ope semper illud ad omnium virtutum cupiditatem incendet.*

Ignea Dei verba cordis vase inclusa ad virtutes illud accendunt. Græc. Interp.

Ignea lingua, ignea Dei verba proferri debent. Act. 2. 3. S. Bern.

Cùm ignea Dei lex sit, ignea Dei verba, ignea quoque lingua sunt efferenda, & ab hac causa Spiritus Domini in igneis linguis super Apostolos apparuit, Act. 2. v. 3. hunc nexum vidit, probauítque sanctus Bernardus serm. 1 in festo Pentecostes: *Venit tunc super discipulos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur, & legem igneam lingua ignea prædicarent.*

Lingua ignis de flamma. Isa. 5. 24. Oleast.

Lingua ignis, vt hoc obiter notem, pro flamma aliquando ponitur, quæ ad modum linguæ se habet. Isa. 5. v. 24. *Sicut deuorat stipulam lingua ignis,* Oleaster hîc, *Sumitur hîc lingua pro flamma ad modum linguæ.*

Splendet doctrinæ lux, si cor intus ardeat. Iob 38. 36. S. Greg.

Ignea Dei verba proferentis lingua ignea sit, erit lingua si erit & cor; splendebit doctrinæ lux, si cor intus ardeat, & inflammetur. Iob 38. v. 36. hæc habentur: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam;* signate, *in visceribus* dictum, non in ore, non in lingua, nec in nudis vocibus, & verbis sitam veram sapientiam esse putaremus, sita in corde est, sita in bona bene loquentis conscientia, ardere cor loquentis debet, vt verborū fuso auditores suos accendat; eleganter rem vrgebat sanctus Gregorius lib. 30. moral. cap. 3. vbi hæc verba expendens hæc habet in hanc sententiam: *Notandum quòd sapientia diuinitus inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirum quantum ad electorum meritum spectat, non in solis vocibus, sed etiam in sensibus datur, vt iuxta quod loquitur lingua, viuat conscientia, & lux eius tanto clarius resplendeat in superficie, quanto veriùs inardescit in corde.*

Ignis doctrina est, sed in fumum abit si vita sit destituta. Scitè, licèt breuiter, Vgo in cap. 5. Matth. *Doctrina sine vita ignis est euanescens in fumum,* atque adeò infestare auditores plerunque solent, non secus, ac fumus, qui lingua multum potest, multa effundit, alienus à bona vita, bonis operibus destitutus. 887.

Doctrina ignis in fumū abit, si vita destituatur. Vgo Car.

Dictum est Ezechiell, *Imple manus tuas prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem,* cap. 10. nimirum Doctori sumendus prius manibus ignis est, quàm super alius spargat, vt ignea charitatis opera præstet, ad quæ alios vocat, & inuitat. Eleganter idem Vgo in cap. 10. Ezech. *Qui priùs in Sanctorum exemplis prunas ignis sumpserit, id est, ardorem charitatis conceperit, vel opera charitatis compleuerit, talis potest ignem postea effundere super ciuitatem, id est, ardenter prædicare ad plebem, & eam accendere ad amorem, qui enim non ardet, non accendit, Ecclesiast. 48. Surrexit Elias quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.* Hactenus ille.

Charitatis igne ardeat, qui alios ad charitatē inhortatur. Ezech. 10.

Ardet dicentis sermo, si vita non torpeat. S. Greg.

A vita flammas lingua concipit; ardebit dicentis sermo si vita non torpeat; hinc illud sancti Gregorij hom. 11. in Ezech. *Tunc rectè agit, cùm lingua eius ex vita arserit. Nam lucerna quæ in semetipsam non ardet, eam rem, vti supponitur, non accendit. Hinc enim de Ioanne Veritas dicit: ille erat lucerna*

ardens,

ardent, & lucent. Ardens videlicet per cœleste desiderium, lucens per verbum. Vt ergo seruetur veritas prædicandi, teneatur necesse est altitudo viuendi.

Ægrè inflammare aliorum corda queunt verba, quæ à frigido exeunt corde. S.Greg.

Alioquin, *quid prodest*, vt ait idem sanctus Pater lib.31.moral.cap.12. *benè loquendo alios accendere, si semetipsum indicat malè viuendo torpuisse*, licèt ægrè alios inflammare queant verba, quæ à frigido exeunt corde, lib.5.moral.cap.26. sic idem sanctus Doctor loquitur: *Mens concupiscentiis exterioribus occupata igne diuini amoris non calet, & iccirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur.*

Feruor nobis magis curæ sit, quàm splendor.

888. Ignis non lucet tantùm, sed etiam ardet, & qui Dei verba ad alios profert, ita lucere doctrina, & eruditione debet, vt etiam ardeat; imò hoc tamquam præcipuum à nobis quæritur, prioris illius posterior nobis cura est; etiam Saluator venisse se dixit vt ignem in terram deferret, non vt luceret, sed vt accenderetur: *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur*, Luc.12.49. signate, vt accendatur, non vt illustret tantùm, quod ad nostram mentem sic expendebat sanctus Bernardus serm. in Natiuitate B. Ioannis Baptistæ, ita scribit: *Væ nobis fratres si luxerimus tantùm; feruorem Dominus ab omnibus exigit, splendorem verò non ita: Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Ardor præmitti splendori debet; & veluti substerni; sic de sancto Ioanne Baptista scriptum legimus Ioan.5. *Illa erat lucerna ardens, & lucens*; ordinem pende, qui suo pondere non est viduus, priùs *ardent*, deinde *lucent*, vt feruorem lumini præmittamus; audiendus idem sanctus Pater eodem loco: *Non ait lucens, & ardens, quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore, sunt enim qui non eò lucent, quia feruent, sed magis feruent, vt luceant; at isti planè non feruent charitatis intuitu, sed studio vanitatis. Ioannes ardens erat in se ipso vehementi austeritate conuersationis, & pleno feruore deuotionis, luxit nihilominus exemplo, digito, verbo*, probns nexus luminis, & feruoris, nam eiusdem sancti Patris mente, *est tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere, & lucere perfectum.*

Luc.12.49. — S.Bern. — Ioan.5. — *Ex feruore oriri splendor debet.* S.Bern.

Ignea adhuc Pauli loquutio, quia Pauli cor ardebat charitate. Cassiod.

Accendet alios facilè illius loquutio, si ardeat ipse qui loquitur. Pauli verba, licèt Paulus abierit, terræ orbem incendunt, lectores incendunt, vnde hanc virtutem hauserunt? à Pauli ipsius ardore. Cassiodorus de amicitia hoc tetigit, dum ait: *Charitas quasi ignis scintillas feruebat in Paulo; vnde adhuc non cessat incendere plures illius ignea loquutio.* Tantum charitatis feruor, & ardor potest.

Salubribus monitis pietatis scintilla ex auditorũ corde velut ex silice educenda. S.Greg Naz.

889. Porrò vt ex silice ferro igne solet, dum percutitur, sic sermonibus salutaribus pietatis scintillæ ex auditorum cordibus excutiuntur; festiuè rem habet S.Gregorius Carm. de Virginit.

———Pietatis namque sepulta
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor
Inclusus saxis, vt porrò sæpe terendo
Ferrum de rigido solet ignem extendere saxo;
Haud aliter pietas latitans, sermone salutis
Attrita in medium prodit, claréque refulget.

Ex sacri eloquij lapide ignis, vt excutiendus. S.Greg.

Quî in sacræ Scripturæ verbis istuc idem fiat, vtque ex illis velut ex lapide ignis educatur, in hunc modum explicabat sanctus Gregorius in Ezech. hom.22. *Cui verba sacri eloquij, nisi lapidi similia dixerim, in quo ignis latet? qui manu quidem frigidus tenetur, sed percussus ferro, per scintillas micat, atque hoc emittit ignem, qui pòst ardeat, quod priùs manus frigidum tenebat. Sic etenim, sic verba sunt sacri eloquij, quæ quidem per narrationem literæ frigida tenentur, sed si quis hæc aspirante Domino intento intellectu pulsauerit, de mysticis eius sensibus ignem producit, vt in eius verbis pòst animus spiritaliter ardeat, qui priùs per literam ipse quoque frigidus audiebat.*

Finio, & in illa re sisto, quæ ea omnia, quæ hucusque dedimus, à nobis exsculpsit, cauendum scilicet ne pares arcæ fabris simus, similésque lapidibus milliariis, salutis viam alios doceamus, nos eam premamus, quæ ducit ad mortem, nullus adeò insaniat, vt alios à peccatis liberare salubribus monitis satagat, & scelera ipse sceleribus addat, criminibus se inuoluat, & liget. de Mose hæc habemus Exod.4.v.24. *Cúmque esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum*; itane qui in Ægyptum ibat, vt populum liberaret à seruitute, mortis periculum incurrit, & qui Angelum Dei opem ferentem habere debuerat, habet mortem minitantem? Vnde istuc? An quia filium in Ægyptum secum ducebat, qui ab Ægypto erat educturus? Accurrit sanctus Augustinus lib.qq. ex veteri Testamento, quæst.16. *Infectum Angelum in se vidit Moyses, & paratum ad vindictam, quia viri sublimis culpa graue peccatum est; quod ergo a summo viro, vtpote à ductore populi fit, acerbissimum est peccatum*; quia nimirum eius exemplum in subditos resilit, & ad paria alios inhortatur, dum facit; opportunè ergo se Moysi Angelus occidentis specie, vt eius crimen puniret, qui aliorum dux filium prætermiserat circumcidere. Tanti refert eos, qui super alios sunt, Dei mandata in aliorum exemplum obseruare. Pergit sanctus Pater, & tangens illud, quod tangebamus ait: *Filios suos ducere in Ægyptum non debuit, qui cæteros ibat inde educere*; absonum videbatur, Mosem filium in Ægyptum secum vehere, qui ibat vt ab Ægypto Iudæorum populum liberaret. Flecti hæc res ad Dei verbi concionatores potest; eorum munus est, probis monitis à dura peccati seruitute, à rerum mundanarum affectu vehere, ab Ægypto auditores suos & auocare, & abducere, hoc præstant, aut præstare conantur, dum Dei verba proferunt; verùm non adeò debent desipere, vt animam suam, suam mentem, quæ illis clarior esse debet, quàm sit filius patri, mundanæ seruituti subiiciant, terrenis rebus alligent; infestum Dei Angelum, infestum Deum ipsum habituri, si alios liberaturi, animum suum, animámque Ægypiiaca promant seruitute.

890. *Labi qui aliorum dux est maximè Deo displicet.* — Exod.4.24. — S.Aug. — *Qui alios ab Ægypto liberare debet, nõ debet ipsos in Ægyptum suos ducere.* S.Aug. *Res ad concionatores flectitur.*

ADAGIVM DCCCCX.

Ab ipsis ianuis.

AB Ianuis exiere nonnulla apud prophanos prouerbia, vt apud eorum collectorem videre est; ex nostris præfixum produxit sanctus Basilius epist.175. in hunc sensum, vt sit in ipso statim principio; eius hæc sunt verba: *Indicium certè magnum est te non perfunctoriam mei curam habere, propterea quòd* AB IPSIS, *quod aiunt*, IANVIS, *& via principio salutasti me*; vel ipsæ huius sententiæ efferendæ modus, prouerbialem illam esse indicat. 891.

ADAGIVM DCCCCXI.

Nouus Iudas, Iudæ vicarius.

HOmo prodigiosæ improbitatis, atque perfidiæ, & solis sceleribus infamiæ Iudas nouus audiet illi suppar, qui sui Domini proditor exstitit.

tit. In Synodo sub Mena act. 5. hæc habentur: *Eiice foras seucrum*, NOVVM IVDAM *eiice foras*; quod torqueri in sceleratissimum quemque poterit.

Hic idem titulus hæreticis, Dei sui proditoribus, conuenit. Eunomium, & Arrium cum Iuda componit sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 32. illis verbis: *Christus passione sua legis maledicto nos exoluit: Arius verò, & Eunomius par illud diabolicum cum* IVDA *coniurati Christi passionis telam texuerunt, cum impietatis intertextu.*

Nouus Iudas dictus est Nestorius à Synodo OEcumenica Ephesina in litteris quibus Nestorium damnat, illis enim hunc titulum præfigit: *Sancta Synodus iuxta religiosissimorum, Christianorúmque Imperatorum nostrorum præscriptum in Ephesiorum metropoli per gratiam Dei coacta Nestorio* NOVO IVDÆ. Phatius quoque in Synodo Constantinopolitana sub Adriano II. dictus est, NOVVS IVDAS; Girandus quidam, quem Albigensium, & Valdensium error infecerat, Iudæ cognomentum indeptus sua proditione est. In Chronico Altissiodorensi hæc leguntur: *Eadem nocte ad mensam eos properan recepit, sed post mensam* IVDAM *se illis* ALTERVM *ostendit.* Alij quoque non pauci Iudæ in perfidia, ac malitia similes Iudæ titulum sibi asciuere. Hugo quidam qui Lantbertum necare moliebatur, *Iudæ vicarius* dictus est; de illo ita scribit Luitprandus Ticinensis Ecclesiæ Leuita lib. 1. rerum per Europam gestarum, cap. 11. VICARIVM *se* IVDÆ *Domini nostri Iesu Christi proditoris appellari non timuit.* vniuersè magistri, Doctoris, Domini que proditor hoc titulo est insigniendus.

Illis Iudas, vt hostibus suis magistrum suum traderet, sed quando? quando peccatris mulier ad Christum iam conuersa, Christi pedes lachrymis abluerat, caput voxerat vnguento, Matth. 26. vix narrauerat Euangelista hoc huius mulieris in Christum obsequium, cùm statim subiicit: *Tunc abiit vnus de duodecim*; mysterio non viduum illud, tunc, scilicet cùm fœmina ad meliorem frugem reuersa est, tuoc Apostolus in peccatorum barathrum est lapsus; cùm peccatrix è luxuriæ cœno emersit, discipulus in scelerum cœno est mersus. Scitè sanctus Chrysost. hom. de prodit. Iudæ: *Quando prostituta lupanar exiuit, discipulus gehennam intrauit. Ideo dixit tunc, vt non magistrum in infirmitate accuses, quando discipulum reperis proditorem; magis enim virtutem Doctoris ostendit, qui & meretricem ad obediendum conuolare fecit*, dum discipulus ad tam immania ruit, peccatrix ad Christum aduolat, ne defuisse Christi misericordiam quis discipulo credat, quæ illo eodem tempore eam in meretrice patefecit.

Quo tempore meretrix resipiscit, & ad Christum conuolat, à Christo discipulus abit, Christi proditor futurus. Mulier ad spem allicit peccatorem, Iudas timorem incotit. Pergit idem sanctus Pater eodem loco: *Non ergo videndo meretricem de tua liberatione desperes, sed & Iudam cogitando non debes esse securus*; timor spei nectatur, & spes timori.

ADAGIVM DCCCCXII.

Iudæ osculum.

892. PRouerbium in eos quadrabit, qui amicitiæ signo hostilem animum tegunt, & charitatem simulant, amoris indicia subdolè præseferunt liuore, odióque refertissimi. Nota Iudæ proditoris impudentia est, qui osculi signo magistrum inimicis tradidit; illius impietatem grauiter expendebat sanctus Ambrosius lib. 6. Exaëm. cap. 9. *Quid*, inquit, *loquar de osculo oris, quod pietatis, & charitatis est pignus? osculantur se & columba: sed quid ad humani osculi venustatem, quo amicitia insigne humanitatisque præfulget; in quo plena charitatis fidelis exprimitur effectus? Vnde & Dominus velut prodigij genus in proditore condemnans ait: Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est, charitatis insigne conuertis ad signum proditionis, & infidelitatis indicium? Pacis hoc pignore vteris ad officium crudelitatis? bestialem igitur oris obsequio, inferentem potius necem, quam charitatis fœdera deferentem, diuina arguit vocis oraculo.*

In Iudam osculo Dominum prodeotem sic calamum acuit Sedulius lib. 5. carmin. Paschali.

Tu ne cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis, ferè proditor, impie latro,
Præscius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegámque aciem gladiis fudibúsque minacem
Commoueas, ori oras premis, melliqúe venenum
Inferis, & blanda Dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas, & amica fraude salutas?
Numquam terribiles aut pax coniurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno.

Iudam Christum osculantem sic premit sanctus Ambrosius lib. 10. epist. 89. *Iuda*, inqoit, *filium hominis tradis, hoc est, osculum offers, qui non habes osculi charitatem, osculum non labiorum quæritur, sed cordis, & mentis*; & lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 18. *Audiuit, Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est, amoris pignore scelus imples, & pacis instrumento odia seris, charitatis officio mortem irrogas?* Sanctus Leo de hostili Iudæ osculo, ita loquitur serm. 1. *Cùm impius Iudas non iam ouina pelle velatus, sed lupino furore manifestus cùm sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis sæuiore omnibus telis* OSCVLO *præbuisset.* Osculum Christi labris proditoriè iofigentem, ita repræsentat Marcus Vigerius Cardinalis in suo decachordo chorda 7. cap. 78. *Et confestim accedens ad Iesum (inimica mens multis, pessimisque cogitationibus turbata festinare compellit ad scelus affectatum) dixit: Aue Rabbi. Honorantis est verbum, sed mentiris, ô Iuda; Auere, id est, saluum esse non vis, quem ad necem inimicis vendidisti, & prodis in necem: veram facis Dauid prophetiam, quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & iracundia terræ dolos cogitabāt. Et osculatus est eum. Didicerat hoc à Ioab, quando Amasa dixit: Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruabat gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, & mortuus est Amasa; sic Iuda ad litteram quamuis manu sua Christum non occiderit, tamen per salutationem, & osculum morti eius viam dedit.*

Si res ad alios traducatur, qui amoris, & beneuolentiæ velamine hostilem animum tegunt, odiúmque plusquam nouercale: *Quisquam ne*, ait sanctus Hieronymus epist. 62. aduersùs errores Ioannis Hierosol. *extenta manu vertit faciem, & inter sacras epulas* IVDÆ OSCVLVM *porrigit*: saoctus Anastasius Synaita orat. in sacra Synaxi; IVDÆ OSCVLVM, inquit, *fratri offers.*

Malos Sacerdotes indignè suum munus exercentes Iudæ proditoriè Dominum suum osculanti pariat Petrus Blesensis serm. 42. in Synodo: *Tandem*, inquit, *solemniter induti ad Altare accedentes orationem incipimus. Aufer à nobis Domine iniquitates nostras, & Altari osculum infigimus. Nonne*

Christus

Christus è contra potest stare, & dicere, Iuda tradis osculo filium hominis?

893. Qui præsens præsentem adulatoriis, blandísque verbis delinit, absentem detractoriis, mortem is Iudam refert, oculo amicum prodit, non amicus; hinc illud sancti Bernardi serm. 2. de sancto Andrea: *Quòd si*, inquit, *adulator, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur, a dextris est mibi iste, sed* IVDAS *est, osculo me prodit.* Ille quoque qui pecunia corrumpitur, vt facinus aliquod perpetret, ínque magna discrimina sua auaritia quempiam coniicit, Iudas vocabitur. Sanctus Hieronymus ep 101. de quodam, qui accepta pecunia epistolam ex scriniis surripuerat loquens, ait: *Compilatis chartis eius, & sumptibus Iudas factus est proditor, deditque aduersariis latrandi contra me occasionem.* Constantium, qui Arrianismum plantare satagebat, ita compellat S. Hilarius lib. contra ipsum: *Osculo Sacerdotes excipis, quo & Christus est proditus; caput benedictioni submittis, vt fidem calces; conuiuio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egressus est.*

Iudam mundus refert, osculo amatores suos prodit, & in Dæmonis manus tradit. Pulchrè Petrus Blesensis epist. 3. *Mundus osculo proditorio se vendidit, & cùm te fallaci osculo alliceret, Angelis Satanæ dicebat, Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Iudam mundus refert, perdit quibus blanditur, quos osculatur; hinc illud à probo, & vero calamo, *Ipsum cui magis fauet, velut Iudas Christum osculo suo tradit perditioni, & potestati tenebrarum. Fallax mundus est.*

894. Iudæ prima Synagoga fuit, quæ Christi *sui caput* abscidit; sancti Petri Chrysologi hæc sunt verba serm. 157. *Vipera conceptus sui tempore intra os suum receptum caput coniugis refertur abscindere, vt per cruenta oscula, non fœtum concipiat illa, sed crimen.* Ad Synagogam rem flectés, ait: *Synagogam fratres, eiúsque filios tales fuisse demonstrant, ad quem Christus affectu coniugis cùm venisset, dicente Ioanne, Qui sponsam habet sponsus est: inter amplexus, &* OSCVLAMENTA IVDÆ, *Christi caput est expetitum, & ore petitum, cùm dicitur: Crucifige, crucifige.*

In Iudæ osculo reuerentiæ quoddam signum agnoscit Origenes lib. 2. contra Celsum, sic enim ille scribit: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum: retinens nonnihil reuerentiæ pristinæ: alioqui vel liberè, ac sine simulatione osculi tradidisset eum.* Tantum boni tam malus à Christi, discipulorúmque eius consortio hauserat.

EXCVRSVS CL.

De Iudæ osculo, Iuda Iudam ob osculum perimente.

Auaritia *Iudam obcæcauit.*
Auaritiæ triumphus *de Iuda.*
Cur mitiùs *Iudam Christus corripuerit.*
Iudam resipiscentem, *quàm libenter Christus excepisset.*
נשך *quid.*
Osculi *nexus, &* armorum.
Vt ad confessionem *Iudam Iudæ appellatione inuitauerit Christus.*
Iudas sui iudex, *sui* carnifex.
Guttur *extendit ad laqueum, quod extenderat ad osculum.*
Desperatio *Iudam ad laqueum traxit.*
Satanas ad laqueum *duxit Iudam, ne iniret pœnitentiam.*
Vel fictæ pœnitentiæ *verbum in Iuda timuit Diabolus.*
Laqueo auaritiæ *se priùs Iudas suspenderat.*
Nec cœlum *recipere Iudam vult, nec* terra *sustinere.*
Coruo *similis Iudas.*

CAlamorum magnetes insigni impietate insignes sunt; trahunt ad se calamos, trahunt 895.
linguas, vt eorum facinus damnetur ab omnibus, illorum exemplum sequatur nullus; nullus Christum sequitur qui discipuli proditionem non insequatur; nos quoque contra Iudam aliqua afferemus, hoc enim & explicata prouerbia ferunt, & discipuli huius summum facinus exigit.

Auaritia Iudam obcæcauit.

Pacis osculo fallere magistrum tentauit Iudas; quo demens prorepsit? ab eius notitia subducere se posse putauit, quia omnia nouit, & latere eum, quem nihil latet, cur obcæcatio ista Iudam corripuit? An quia auaritia tenebatur? Ita est, & hanc mentem fulcit Victor Antiochenus in cap. 14. Marci, vbi ait: *Iudas Christi gloriæ, & maiestatis oblitus, præque* AVARITIA OBCÆCATVS *existimabat latere se posse, dum osculum in amicitiæ symbolum pertendebat*; nimirum inuehit tenebras auaritia, & habendi amor habet tenebras.

Vict. Antioch.

Auaritiæ triumphum in Iudam ita describit Prudentius in Psychomach.

Auaritia triumphus de Iuda. Prud.

——— ———*Nónne triumphum*
Egimus Iscarioth? magnus qui discipulorum,
Et conuiua Dei, dum fallit fœdere mensa,
Haudquaquam ignarū, dextrámque paropside tingit,
Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus iugera collo.

Non legimus Christum seuerè Iudam corripuisse; nouerat Christus auarum Iudæ animum, & rapinis intentum, auaritia quippe fecerat, vt Magdalenæ pietatem, ac liberalitatem damnaret; corripit eum Christus, sed mitiùs in eum agit, cur non acriùs eum mordit, eum arguit, vt par sceleri correctio esset: noluit, ne eius animum exasperaret, & iratus Dominum traderet, haberétque excusationem aliquam, quòd animo exacerbato Dominum tradiderit. *Nihil acerbum Christus voluit pro merito sceleratæ mentis illius loqui ne Iudas eum tradere videretur iratus*, ait sanctus Gaudentius serm. 13. Reprehensionis aculeos omittit Christus, ne Iudas ab ira in proditionem impulsus videatur.

Cur mitius Iudam Christus corripuerit. S. Gaud.

Ad osculum Iudam proditorem Christus admisit, fors & Iudam osculatus est, non reiecit, vt doceret quàm promptè resipiscentem esset recepturus, qui tradentem non repulit; sic enim rem expendebat Vgo Carensis in Psal. 75. *Forsitan*, inquit, *etiam proditori Iudæ osculum voluit dare, quanto magis recipiet ad osculum Iudam reuertentem, si Iudam tradentem non repulit.*

Iudam resipiscentem, quàm libenter Christus excepisset. Vgo Car.

Apud Hebræos verbum נשך *nasach* & de 896.
osculo dicitur, & de armis, vt refert etiam Oleaster in cap. 18. Exodi; hinc Psal. 78. Filij Ephræm *nosche*, id est, *armati iacientes arcu*, scilicet docet hæc sub eodem verbo diuersa notio in mundi blandientis, in adulantis hominis osculis arma timenda, cauendos dolos esse; petunt plerunque iugulum ad necem, quæ petunt, exhibéntque osculum in amicitiæ signum.

נשך *quid.* Oleast. *Osculi nexus, & armorum.*

Osculatus est Christum Iudas; quem ille his

verbis

Vt ad confessionem Iudam Iudæ appellatione inuitauerit Christus. S.Cyr. Ierosl.

verbis alloquutus est, *Iuda osculo filium hominis tradis?* Luc.22.48. Non ab re bonus Magister discipulum arguens discipuli nomen præmisit, quod ortum à confessione habet, vt ad delicti sui confessionem eum vocaret, dum vocaret. Pulchrè sanctus Cyrillus Ierosolymitanus catech.13. *Fermè hoc ad ipsum dixit, admonens eum per ipsius appellationem, Iudas enim interpretatur confessio; intellige, accepisti argentum, confitere citò.* nimirum vel in ipso ipsius nomine latere sui volens medicinam voluit, vt secum semper circumferret, quò ægrienti animo posset subuenire.

Iudas sui iudex, sui carnifex.

Ire ad veram pœnitentiam noluit Iudas, iuit ad *laqueum, laqueo se suspendit*, ait sanctus Matthæus cap.27. Mirari quispiam potest, quòd tam immanis impietatis Iudam nemo damnauerit, nullus iudex morti adiecerit, non Pilatus, non populus, non Pontifices, non casu id factum, crimen eius hæc res non minuit, sed grauat, à sua quippe conscientia damnatus est, vt statim proderet fuisse omnino inexcusabilem; quod in hunc modum euincit sanctus Maximus hom.2. de damnato Domino: *Domini traditorem non inuenio à iudice esse damnatum, non enim eum damnat Pilatus, non damnat populus: sed, quod est grauius, se ipse condemnat, & cessante iustitia iudicatur. quem enim alter iudicat, potest vtcunque esse excusabilis: reus autem sine excusatione est, qui conscientia sua iudicio condemnatur. quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice sperare indulgentiam: qui se ipse iudicat, à quo indulgentiam postulabit?* Non poterat Iudas aptiori tortori tradi, quàm Iudæ ipsi.

S.Max.

897. Laqueo se adiicit Iudas, nam casu accidit, vt hoc mortis genus elegerit, guttur prophanum extendit ad laqueum, quod Christo ad osculum extenderat, mendacij pœnas luit, ficti osculi, hostilem mentem tegentis; sanctus Chrysostomus serm.1. de mysteriis Cœnæ Dominicæ, ita Iudam alloquitur: *Mihi crede, habebunt per te multi terrorem, ne quando cum proximis habeant simulatam charitatem; guttur enim prophanum, quod hodie Christo extendis ad osculum, crastino illud es extensurus ad laqueum.*

Guttur extendit ad laqueum, quod extenderat ad osculum. S.Chrys.

Laqueo se perimit, scelus scelere cumulat; in filium filij proditione peccauerat, nunc de diuina misericordia diffidens in Spiritum sanctum peccat; sanctus Leo serm.3. de pass. *Scelestior,* inquit, *omnibus Iuda, & infelicior existit, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed* DESPERATIO TRAXIT AD LAQVEVM; consultius fuisset ad Christum ire, quem tradideras, quàm ad impios Sacerdotes, quibus vendideras, Ioseph à fratribus venditus, fratribus ignouit, qui ad eum se contulerunt, errorémque suum confessi sunt; id si & Iudas præstitisset, & vitam produxisset, & pepercisset illi Christus, qui & pro eius peccato moriebatur.

Desperatio Iudam ad laqueum traxit. S.Leo. Gen.37.

Ad laqueum iuit, ad laqueum duxit Iudam Diabolus, ne si longiùs eius vita produceretur, audiénsque pro crucifixoribus Christum in cruce orasse, latronique Paradisum promisisse, ad pœnitentiam conuerteretur: *Persecutus est Diabolus Iudam,* inquit S.Chrysostomus hom.10. de Pœnitentia, *quoad* LAQVEVM DVXIT, *atque è præsenti duxit vita, pœnitentia proposito priuauit, quoniam si vixisset, & ipse fortè saluatus foret, argumentum ex crucifixoribus sumitur.*

Satanas ad laqueum duxit Iudam ne iniret pœnitentiam. S.Chrysost.

898. Aoteuertere eius pœnitentiam Dæmon studuit; timuit ne resipisceret, audita illius voce, quæ pœnitentiam licèt non bonam sonabat: *Peccaui tradens sanguinem iustum,* Matth.27.4. Ad laqueum illum duxit Diabolus, vt statim hoc mortis genere potestatem ille adimeret pœnitentiæ voces exprimendi; adeò Dæmoni pœnitentia displicet, vt nec illas voces ferat, quæ pœnitentiam aliquam sonant, licèt alioquin non vera sit; scieris in veram verti posse si is qui verè peccauit, vere conuertatur.

Vel ficta pœnitentia verbum, in Iuda timuit Diabolus.

Laqueo se suspendit; non nouus hic Iudæ laqueus diu illi collum porrexerat, *iamdiu erat*, ait Drogo de sacram. Dominicæ passionis, *quòd à Christo discesserat, &* AVARITIÆ LAQVEO *se suspenderat, sed quod fecerat in occulto palam omnibus innotuit;* diu erat quòd Iudam auaritia strangulauerat, à laqueo ad laqueum currit.

Laqueo auaritiæ se prius Iudas suspenderat. Drogo.

Suspendit se Iudas, in aëre medius crepuit, aëreis potestatibus par; in aëre proditor vitam amisit, nec cœlum eum recipere voluit, nec terra sustinere. Festiuè S.Bernardus serm.8. in Psal. Qui habitat: *Pulchrè Petrus Apostolus, filium perditionis in locum suum abiisse testatus est, quòd in aëre crepuerit medius aeriarum collega potestatum: vtpote quem veri Dei, & veri pariter hominis, qui de cœlo venisset operaturus salutem in medio terræ: huius, inquam, proditorem* NEC COELVM RECIPERET, NEC TERRA SVSTINERAT.

Nec cœlum recipere Iudã vult, nec terra sustinere. S.Bern.

Coruo, qui ab arca emissus ad arcam non est reuersus, Iudam pariat Drogo Hostiensis Episcopus, de sacram. Dom. passionis, dum ait: *Coruus semel emissus non est reuersus, quia Iudas egressus in aere submersus est.* Finio, & inclamo; Iudæ finem! qui timet, Iudæ fugiat mores; vitet vitam, vt vitet & mortem, vitet pœnas.

Coruo similis Iudas. Drogo.

ADAGIVM DCCCCXIII.

Carcerem sibi struere, ac parare.

Prouerbium in ventris mancipia, & delitiarum corporearum sectatores iactari solitum. Huc spectant S.Basilij verba, hom. ad adolescentes: *Oportet,* inquit, *Pythagoræ meminisse, qui vbi didicisset aliquem ex familiaribus sese, & exercitationibus, & edulijs valde saginare, ac carnosum reddere, itáne, inquit, non desines grauiorem* TIBI IPSI CARCEREM PARARE. huc aduocari & Philo potest, qui lib. de agricultura, ita loquitur: *Qui exercent, & tractant, quæ carni grata sunt, lutum maceratum fictilem statuam, animæ carcerem, quem illa à natiuitate ad extremum vsque diem ceu cadauerosum onus circumferre cogitur, colunt magno studio.* Huc etiam facit illud eiusdem sancti Patris hom.7. in Psalm.29. *Quid pinguefacis, & incarnas te ipsum? An ignoras quòd quanto crassiorem tibi ipsi facis carnem, tanto grauiorem* ANIMÆ CONSTRVIS CARCEREM? & S.Chrysostomus hom.54. ad populum Antiochenum, vbi ait: *Numquid mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus? Quid lautam mensam vermibus apponis? Quid animam obruis? quid parietem facis crassiorem?* Quod iaci in eos omnes potest, qui carnem nutriunt, & inferciunt, gulæ mancipia facti. 899.

EXCVRSVS CLI.

Caro ferculis non nutrienda, nec fouenda delitiis.

Corpus delitiis nutritum tamquam equus *sessorem suum excutit.*

A carne quot damna, *quot pericula.*

Eſcarum copia vires carni non ſunt tribuenda, quibus nobis bellum indicat.
Frænanda caro eſt ne nos ad infernum ducat.
Nimis carnem non eſſe nutriendam ſtateræ ſimilitudine probatur.
A corporis voluptatibus, deliciis, vel ipſi morbi nos auocant.
Eſcarum finis ab eſcarum cupiditate eximere nos poſſunt.
A deliciarum deſiderio, quæ mala oriantur, quæ bona ab abſtinentia.
A ſerpentibus mordentur Ægypti delicias requirentes.
Gulæ appetitus mordet, quos corripit.
Carnis eſus Hebræis noxius, ſalubris abſtinentia.
Breuis ferculorum tranſitus, & venter omnia indifferenter admittens nos à deliciarum ſuperfluitate auocat.
Qui Deum videre quærit, gulæ affectus ſupplantet.
Singnlare ſancti Romualdi exemplum in ciborum abſtinentia.
Gulæ mancipium vitiorum proſtibulum.
Gulæ tyrannis vitanda.
A nimio eſu, & potu anima liberata ſe liberiùs cognoſcit.
Crapula grauatus alterum ſe ſentit.
Non eſt Chriſtiani ventris incantamentis efferri.
Caro ſpiritui ſubiici debet, non ſpiritus carni.
Ad bonum infirma eſt caro, eſt firma ad malum.
Qui nutrit carnem, ad malũ faciendũ nutrit.
Caro mentis tinea.
Animæ remora caro eſt.
Ciborum copia rationem obruit.
Alogia quid ſit.
Brutis par, cui totus in ventris cura eſt.
Ventri non eſſe ſeruiendum, vt docuerit Chriſtus.
Propter ventrem, & crapulam multos Deus iudicat.
Ciborum varietas virtutum propugnaculum diruit.
Gratiæ hoſtis eſt qui amicus eſt gulæ.
Ei qui corporis delitiis neglectis corporis hoſpitio Spiritum ſanctum exceperit, cæli manſionem Spiritus ſanctus tribuet.
Spirituales deliciæ appetendæ, quæ in cælum comedentes efferunt.

900. Corpus delitiis nutritũ, tãquã equus ſeſſorem ſuum excutit. S. Aug.

NEmo adeò inſaniat, vt carnem foueat, ac nutriat, carníque blandiatur, quæ ſæuior omni fera; túncque magis efferatur, cùm blanditiis delinitur; & quò liberior ſinitur ire, eò periculoſiùs animum ſeſſorem ſuum excutit. Scitè S. Auguſtinus lib. qq. ex vtroque mixtim quæſt. 115. *Animi eſt ducere corpus; ſi autem dimiſerit illud, vt eat quò vult, præcipitabit ipſum, ſicut* EQVVS *furioſus negligentem ſeſſorem quin copioſiore pabulo eum nutrientem. Stat ſtridens dentibus aduerſarius*, ait S. Chryſoſtomus orat. 54. ad populum Antiochenum, *Tu verò diffunderis, & menſis vacas?* S. Chryſ.

Cauenda eſt caro tamquam infeſtiſſimus hoſtis, quin eò quocumque hoſte crudelior, qui ille blanditiis flectitur, & emollitur, hæc magis ſæuit, & indomita magis redditur. Prælia nobis mouentem carnem vidit ſanctus Gregorius Nazianzenus carm. aduersùs carnem.

Exitioſa caro, Beliæ tenebroſa procella, A carne quot dam na, quot pericula. S. Greg. Naz.
Exitioſa caro, quæ fluit omne ſcelus.
Exitioſa caro mundi labentis amica,
Cæleſti ac vitæ prælia dura mouens:
Hoſtis amica caro, blandiſſima pugna, bonúmque
Inſidum, vetitos ſemper edéſque cibos:
Cænum, maſſa grauis plumbi, limoſa catena,
Bellua pugnaci prodita maceriæ.

901. Eſcarum copia vires carni, nõ ſunt tribuenda, quibus nobis bellum indicat. S. Aug.

Pugnat in nos caro, & dum fouetur à nobis acriùs in nos bellum parat, blanditiis vires acquirit, fortior contra ſpiritum fit: qui ſapit, carnem ſpiritui ſubiiciet. Opportunè hoc docebat S. Auguſtinus lib. de ſalutaribus documentis, cap. 35. *Semper caro noſtra ſubiecta ſit animæ noſtræ, & ſicut ancilla famuletur dominæ ſuæ, ne præbeamus vires illicitas corpori noſtro, ne committat bellum aduersùs ſpiritum noſtrum, ſed ſemper ſubiecta ſit caro, vt obtemperet iuſſis ſancti Spiritus.* Pergit: *Neque incraſſari permittamus ancillam, ne contemnat dominam ſuam, ſed omnibus iuſſis eius, & obſequiis mancipetur;* impinguata caro iugum ſpiritus excutit, & parere menti tamquam ſuæ dominæ renuit. Frænandam, domandámque carnem ne ſe ſpiritúmque ad infernum ducat, idem ſanctus Pater monet eodem loco, dum ait: *Sicut equis fræna ſunt imponenda, ita corpora noſtra ieiuniis, vigiliis, & orationibus ſunt infrænanda; nam quemadmodum aurigæ ſi fræna laxauerint per præcipitia ducuntur, ita & anima noſtra cum ipſo corpore ſi ei frænum non impoſuerimus, ad inferni præcipitia delabitur. Simus ergo boni, & edocti aurigæ corpori noſtro, vt per viam rectam poſſimus incedere; eſca enim nimia non ſolùm animas, ſed etiam corpora noſtra plurimum lædunt.* Frænãda caro eſt ne nos ad infernum ducat. Idem.

Non eſſe nimis carnem nutriendam, fouendámque ſtateræ ſimilitudine S. Zeno ſerm. de præcept. Attende tibi, explicabat. *Vide ne fortè tu in huius belli congreſſione manus accommodans carni, & auxilia ei quamplurima ſubminiſtrans potentiam eius aduersùs ſpiritum erigas, & meliorem tui partem deteriori facias eſſe ſubiectam: ſicut enim ſtateræ momentum ſi in vnam partem depreſſeris, leuiorem ſine dubio alteram facies, ita in hoc animæ, & corporis iugo, cùm in vnam partem propenſior extiteris, clara erit alterius, & manifeſta diminutio: quis enim dubitat cùm corpus luxuria fluitat, carnibúſque diſtenditur, ignauum, & obtuſum effici mentis vigorem?* Nimis carnẽ non eſſe nutriendam ſtateræ ſimilitudine probatur. S. Baſil.

A corporis voluptatibus, à ciborum lautitiis morbi, & infirmitates nos auocant, cur non idem poſſit & ratio, poſſit & ſuperna Dei gratia? infirmo faſtidio voluptates ſunt, ſint & mente ſano. ſatur ſeteula faſtidis, faſtidias, & famelicus non ciborũ, ſed virtutum; bellè ille, & opportunè: *Voluptates, & cibos, quos ſatur ventre deſpicis, cur non famelicus virtutis deſpicies? quas æger corpore faſtidis, & horres, cur non & mente ſanus? quid impoſſibile iudicas virtuti, renunciare voluptatibus, quòd neceſſarium facis infirmitas? quod potuit vitium naturæ, nonne poterit robur gratiæ te facere pertæſum delectationes omnes vides? Si tibi faſtidio aliquando fuerunt diuina, & ſpiritualia, crede poſſe faſtidio eſſe carnalia.* A corporis voluptatibus delectas, vel ipſi morbi nos auocant. Euſ. lib. 1. cap. 3.

Non eſſe corpus nimiis deliciis obruendum, monuit natura ipſa, dum tam fœdo fine concludi

eſcas

Escarū finis ab escarum cupiditate eximere nos possunt. S.Chrysost.

escas licèt delicatissimas voluit; rem premit in hæc verba S.Chrysostomus hom. 14. in epist. 1. ad Timoth. *Ideo vt reor esca ipsa fine tam abiecto concluditur, ne simus delitiarum amatores. Nam nisi illa hoc fine desineret, neque in perniciem corporis immodicam verteretur, etiam inuicem voraremus.*

A deliciarū desiderio, quæ mala orian tur, quæ bona ab abstinentia. S.Ambr.

902. Quid boni consequi ex delitiarum abstinentia possimus, quid mali timere ex delitiarum desiderio, Iudæorum exemplo ostenditur, de quibus ita scribit sanctus Ambrosius de Elia, & ieiunio, cap. 18. *Omnes illæ tribus Patrum, cùm de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validissimas vincerent, & non erat in his nullus infirmus; vbi verò carnes desiderare cœperunt, & desideriis in Ægyptum conuertebantur, nequaquam ex tot millibus hominum præter duos in terram promissionis peruenire potuerunt.* Rem aliter ibidem versat, aliter probat, dum ait: *Qui murmurabant requirentes Ægypti delicias, à serpentibus mordebantur. quando per maris rubri transibant semitam, aquam bibebant.* Iure à serpentibus mordentur, quos gulæ appetitus antea momorderat; nam, vt ait Vgo Victorinus lib. 3. de claustro animæ, cap. 10. *Culicis more stimulus luxuriæ, mordet appetitus gulæ.* Sanctus Basilius homil. 1. de ieiunio carnis desiderium, quid Hebræis parturierit, quid temperantia, explicat in hunc modum: *Quorum actus desierunt in deserto, non eorum qui carnis esum quærebant? illi quamdiu contenti erant manna, & aqua ex petra, Ægyptios vincebant, per mare viam faciebant, non erat in tribubus infirmus: postquam verò mentionem fecerunt carnium lebetum, & conuersi sunt cupiditatibus in Ægyptum, non viderunt terram promissionis. Non times exemplum? non horres edacitatem, ne te à speratis bonis excludat?*

A serpentibus mordentur Ægypti deliciem requirentes. Idem.
Gula appetitus mordet, quos corripit. Vgo Vict.
Carnis esus Hebræis noxius, salubris abstinentia. S Basil.

903. A ferculorum lautitiis nos transitus breuitas auocat, & venter omnia indifferenter admittentis habitudo; nemo gulæ credat; festiuè sanctus Petrus Damianus opusc. 49. cap. 2. *Suauem cibum cur debeamus expetere, qui quantislibet apparetur impendiis, & antequam in os intret, nobis non sapit, & postquam flumine glutiente traiicitur, venter, cui illapsus est, discernit. Totius autem nostræ voluptatis iter, cui tanta ambitione seruimus, breuissimæ vnius palati summa concluditur;* claudit. *Nam si gula non sibi thesaurizat, sed ventri, cur ipsa quid quasi delicatius eligit, quod venter idem indifferenter admittit?* O hæc nostris mentibus insiderent, certè non tanta ferculorum cupiditate teneremur.

Breuis ferculorum transitus, & venter omnia indifferenter admittens nos à deliciarum superfluitate auocat. S.Pet.Dam.

Supplantandus gulæ affectus est ei, qui pura mente contemplari Deum quærit, in cuius rei figura Iacob, qui Israël dictus est, id est, Deum videns, Esau gulæ mancipij plantam tenuisse legitur, dum in lucem ederetur, Gen. 25. v. 25. Huc flexit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 192. *Iacob*, inquit, *Esau plantam in ortu tenebat: hoc videlicet per hanc speciem significans, quòd mens, quæ Deum per puritatem cernit (id enim si interpreteris, Israël sonat) gulæ affectus supplantat.* Israël audire non meretur, qui Esau non supplantat, gulæ gulam non vincit; Esau supplantator fuit sanctus Ramualdus, de quo ita scribit sanctus Petrus Damianus in vita illius: *Si quando verò eum ex aliquo excellentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illum præpari præcipiens, ori & naribus apponebat, & solum captans odorem, dicebat: O gula, gula, quàm dulcis, quàm suauis modò tibi saperet iste cibus, sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis: & sic intactum ad cellarium remittebat.* Qui gulam ita non supplantat, supplantatur à gula, eius tyrannidi subiicitur, quod quàm noxium sit indicat Petrus Abbas Cellensis lib. 3. epist. 10. dum ait: *Tanquam prostibu-*

Qui Deum videre quærit gulæ affectus supplantat.
Gen 25. 25.
S.Isid. Pelus.
Singulare S. Ramualdi exemplum in ciborum abstinentia. S.Pet.Dam.
Gula mancipium vitiorū prostibulum. Pet.Cellēsis.

lum vitiorum reputatur, qui gulæ & ventris tyrannidi subiugatur. Ventrem tyrannidem exercere, qui ventri seruiunt, affirmat etiam sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 40. *Considerationis*, inquit, *ope*, atque auxilio *ipsius* (ventris) *tyrannidem amputemus.*

Gula tyrānis vitanda. S.Isid.Pelus.

Verè non est Israël, qui non supplantat Esau, Deum contemplari nequit, qui ventri obsequitur, quin nec se ipsum agnoscit; quod speculi similitudine in hunc modum explicat sanctus Augustinus lib. qq. ex vtroque mixtim quæst. 120. ait enim: *Cùm anima ab esu, & potu nimio fuerit liberata, tunc se meliùs recognoscit; sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit qualis est, ita & si esca, & crapula fuerit grauatus, alterum se sentit, quàm est; tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria:* contra verò ieiunio, & abstinentia idonea mens redditur cognitioni sui ipsius. Pergit idem sanctus Pater; *Quid si temperatum fuerit corpus interposito ieiunio, cognitione sui recepta anima intelligit, quæ deuotione obsequi debeat Redemptori.*

A nimio esu, & potu anima liberata se melius cognoscit. S.Aug.
Crapula grauatus alterū se sentit. Idem.

904. Non esse Christianorum ventris incantamentis efferri, ferculorúmque copia obtui, docebat sanctus Gregorius Nazianzenus; cuius hæc sunt verba ad Arianos: *Nos nec diuitias iactamus, quibus affluentibus cor apponendum non esse lex nostra præscribit, nec annuos, diurnósque prouentus numeramus, nec turgida cibísque conferta mensa stupidíque ventris incantamentis efferimur, neque enim quicquam eorum laudamus, quæ semel in fauces transmissa pari postea honore sunt, vel, si rectiùs loquendum est, pari ignominia, & contemptu.* Istuc idem sentire quilibet debet, qui verè Christus seruus audire cupit.

Non est Christiani ventris incantamētis efferri. S.Greg.Naz.

Premenda caro est, non fouenda delitiis, spiritui subiici debet, non carni spiritus. hoc, vt doceret Dominus, infirmam carnem dixit, spiritum verò promptum, sic enim dormientes discipulos alloquens, excitánsque aiebat: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Matth. 26. 41. non est par firmiorem spiritum infirmiori carni subiectum, subiici spiritui infirma caro debet, vt robur ab illo fortitudinémque mutuetur. Appositè Tertullianus lib. ad martyras, cap. 4. *Scimus ex Dominico præcepto, quòd caro infirma sit, spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit, carnem infirmam esse. Propterea enim prædixit spiritum promptum esse, vt ostenderet quid, cui debeat esse subiectum, scilicet vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat.*

Caro spiritui subiici debet, non spiritus carni.
Matth. 26. 41.
Tertull.

Infirma caro in bonis operibus est, potens & firma in malis, huc spectabat sanctus Augustinus lib. de salutaribus documentis, cap. 64 in hæc verba: *Caro est mistra bestia, quæ grauat animam, caro nostra in malitia semper vult potens esse; in abstinentia autem, id est, in ieiunio, & in vigiliis, & orationibus, ac bonis operibus infirmam se esse fingit.* Pergit carnis malè nutritæ mala recensere: *Caro nostra est, quæ nos mergit in foueam, caro data est nobis quasi animæ bellum, quæ si mortificetur, adducit vitam, si nutriatur, præparat se contra animam ad bellum; caro nostra quotidie contra animam pugnat, & nos quotidie contra carnem pugnare debemus. O caro bestia crudelis, quid grauas animam? Qui se nutrit ad malum faciendum te nutrit.* & nonnullis interiectis claudit: *Quid plura? Sicut* TINEA *lanam deuorat, & sicut ignis lignum, fœnum & stipulam conuincit, ita caro rebellis, & delicata animam cōsumit,*

Ad bonum infirma est caro, est firmā ad malum. S.Aug.
Qui nutrit carnem ad malum faciendum nutrit. Idem.
Caro animæ tinea S.Aug.

& concremat; perdit, & ad inferni flammas trabit. i.c. carnem foue, à qua tibi tot mala immineot, tanta damna.

905. Cauenda animæ remora est, cauenda caro quæ mentis nauem vehementius sistit, quàm faciat Echeneis; nauis cursum Echenida inhibet, & corpus velut iniectis compedibus, vinculísque animam premit, nec eam euolare in cœlum sinit. Audiendus hîc sanctus Gregorius Nazianzenus, qui in præceptis ad Virgines, ita monet:

Anima remora caro est.

S Greg. Naz.

Nec vita ipsa sua immitias ECHENEIDA *carnem,*
Quæ velut iniecta properantem compede puppim
Detinet, ac tantam cogit subsistere mollem.

Remoram carnem esse idem sanctus Pater censebat in carm. de luctu, dum ait,

Me miserum! caro quem REMORATVR *perfida, cœli*
Ad Dominum cursu dum properante feror.

A ventris ingluuie, & gulæ luxu quæ mala oriantur, scitè terræ metaphora explicat S. Nilus hanc pinguedioem orat. 1. de gula: *Quemadmodum quod in terra fœcunda conditum est erumpit, & nascitur, sic in pingui corpore cupiditas reuirescit.* Idem sanctus Pater terræ similitudinem paulò aliter versat: *Vt terra,* inquit, *vasta, atque inculta spinas producit, sic venter cibis onustus obscœnas cogitationes.* Paria sunt illa ab eodem fonte: *Ager incultus spinas gignit, & animus gulosi fœdas paris cogitationes. In cœno non licet aromata reperire, neque in guloso contemplationis suauitatem.*

A carne ferculis impugnata, quæ mala nascantur.
S. Nilus.

906. Nimia cibotum copia mentem, rationémque obrui asserit S. Augustinus ep. 86. explicans enim quid sit alogia, ita scribit: *Quid est alogia, quod verbum ex Græca lingua vsurpatum est, nisi cùm epulis indulgetur, vt a rationis tramite deuietur? vnde animalia ratione carentia dicuntur aloga, quibus similes sunt ventri dediti, propter quod immoderatum conuiuium, quo mens, in qua ratio dominatur, ingurgitatione vescendi, ac bibendi quodammodo obruitur, alogia nuncupatur.* Brutis, & ratione carentibus animantibus parem esse, qui ventri indulget, affirmat sanctus Ambrosius lib. 6. Exaëm. cap. 3. *Si sola animalia prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non strauit? Cur eo delectaris, in quo naturæ iniuria est? Cur noctes, & dies cibo intentus pecorum more terrena depasceris?* Petrus Blesensis epist. 85. *Quidam toti in gutture, meritò gurgulionibus comparandi, quorum cogitatio tota de ventre, in ventre, & sub ventre est, quibus satisfieri omnino non potest, donec ventre despumant in Venerem, delectatio gulæ lumborum excites voluptatem.*

Ciborum copia rationem obruit.
S. Aug.
Alogia quid sit.

Brutis par, qui totus in ventris cura est.
S. Chrys.

Petr Blesf.

907. Nutriendum ferculis corpus non esse, nec crassiotem reddendam parietem, rectè docuit Christus, cùm semel & iterum tantùm multiplicare diuinitus panes voluit, quibus sequentes eum turbæ alerentur; alia signa sæpiùs ediderit, boc semel tantùm repetiuisse legitur: quod ad nostram mentem sic explicabat sanctus Chrysostomus bom. 50. in Matthæum: *Non crebrò,* inquit, *id signum, sed vix semel, ac iterum operatus est, vt doctiores omnes redderet, non esse ventri seruiendum, sed ingiter, ac semper in spiritualibus commorandum.*

Ventri non esse seruiendum, vt docuerit Christus.

S. Chrysost.

Verba illa Dauidis ex Psalm. 80. *In medio autem Deos diiudicat,* in ventris mancipia torquet Vgo Carensis, magis acutè, quàm solidè; ait igitur: *In medio iudicabit Prælatos, id est,* PROPTER VENTREM, ET INGLVVIEM *multos condemnabit*; per medium, ventrem intelligit, qui in medio est. Sed valdè accommodatitius est bic explicatus.

Propter ventrem & crapulâ multos Deus iudicat.
Ps. 80.
Vgo Car.

Denique virtutum propugnaculum ne diruatur, ne virtutum monumenta tamquam ariete deiiciantur, à ciborum luxu abstinendom est, à ferculorum varietate, ac superfluâ paraturá temperandum; nam, vt ait S. Nilus in asceticis, *Ciborum varietas euertit, ac diruit virtutum propugnaculum, suauitas enim condimentorum, tamquam machina bellica prosternit munimenta, iam à virtute constructa & firmum, ac solidum robur ipsius affigit humi*, vt virtutum hostis sit qui ventris est amicus, amicus gulæ.

Ciborum varietas virtutum propugnaculum diruit.
S. Nilus.

Superæ quoque gratiæ malus est custos, qui gulæ seruit, carnem nutrit, & fouet; sanctus Antiocbus hom. 4. quæ est de edacitate: *Vt fumus,* inquit, *dirè angit apes, & persequitur; ita & exatianda gula studiosius gratiam à se repellit Spiritus sancti.* Apostolus quoque escarum cupiditatem, & gratiæ decus inter se non cohærere innoebat, cùm diceret ad Hebr. 13. v. 9. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ nihil profuerunt ambulantibus in eis;* ac si inter se sint opposita, cor gratia stabilire, & ventrem ferculis. 908.

Gratiæ hostis est, qui amicus est gulæ.
S. Antioch.

Hebr. 13. 9.

Spiritui sancto in corpore nostro bospitium exhibeamus, non terrenis, corporeisque deliciis; cœli mansione Spiritos sanctus nobis tribuer, si hîc illum nostri corporis bospitio recipiamus; hinc illud sancti Augustini lib. de salutaribus documentis, cap. 40. *Cum carnis abiecerimus sarcinam, Spiritus sanctus tribuet nobis in cœlestibus mansionem, cui nos paulò antè intra corporis nostri hospitium fecerimus mansionem.* Alioquio mansionem in inferno faciet, qui nimia carnis cura, nimio corporearum voluptatum amore, hospitium Satanæ in suo corpore paraoerit. Claudo, & obsigno illis eiusdem sancti Patris verbis eodem lib. cap. 48. *Cibaria ista deuitemus, voracitatem, vinolentum; escas autem cœlestes appetamus, quæ ad cœlum nos trabant, & deducant, sapientiam scilicet diuinam, fidem robustam, in Christo benignitatem, beneuolentiam, patientiam, humilitatem;* quærendi hi cibi, amanda hæc fercula, & in mentis stomachum traiicienda, euehunt in sublime, & in cœlum rapiunt comedentium meutem, animúmque.

Ei qui corporis delutus neglectus corporis hospitio Spiritum sanctum exceperit, cœli mansionem spiritus sanctus tribuit.
S Aug.

Spiritualis esca appetenda, quæ in cœlum comedentes efferunt.
S. Aug.

ADAG. DCCCCXIV.

Vxoris Loth imitator.

QVi ad ea redit, quæ defugit, ad eam vitæ rationem reoertitur, à qua cum laude discesserat, is vxoris Loth imitator audiet, quæ a Sodomæ igne abiecos, retrò spectauit, & in statuam salis conuersa est; Gen. 19. Beatus Ioannes Climacus in scala Paradisi, gradu 3. ita nos ab hoc exemplo auocabat: *Lothum, non* VXOREM LOTHI IMITARI *studeamus, nam quisquis ad ea, vnde abiit, reuertitur, tamquam sal infatuabitur, & deinceps, vt statua illa, immotus obdurescet*; vniuersè cautio ista illis conueniet, qui vix in religiosam familiam nomen dederunt, mundo relicto cum mente, & sæpè etiam corpore ad mundum, quem laudabilem deseruerat, turpiter reuertantur; Sedulius ad hanc mentem canebat, 909.

——— Dum respicit vxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit
Ad pœnam conuersa suam; quia nemo retrorsum
Noxia contempti vitans contagia mundi
Respiciens, saluandus erit.

Ad veterem vitam non esse redeundum hoc huius mulieris in salis statuam mutatæ, quod retrò respexerit, significabat; huc spectanit sanctos Augustinus lib. 16. de ciu. Dei, cap. 30. *Nam quò pertinet, quòd prohibiti sunt, qui liberabantur ab Angelis*

retrò

retrò respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, si vltimum exitium euadere cogitamus? Denique vxor Loth vbi respexit remansit, & in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam prastitit condimentum, quo sapiant aliquid vnde illud caueatur exemplum. Paulò aliter rem versat lib.10. de ciuit. cap.8. LOTH VXOR *in via retrò respiciens, atque in salem repentè conuersa magno admonuit Sacramento neminem in via liberationis sua praterita desiderare debet.*

910. In eos, qui in quendam stuporem conuersi sunt, rem torquet Clemens Alexandrinus in exhort. ad Gentes, dum ait: *Nónne quodam modo, vt Niobe, vel vt magis mysticè ad vos loquar,* INSTAR VXORIS VIRI HEBRÆI *(enim* LOTHVM *dixerunt veteres) in stuporem conuersi estis? hanc mulierem accepimus factam esse lapidem, propterea quòd amarat Sodoma; Sodomita autem sunt impij, dure corde, & stolidi.*

Lothi vxori illi quoque sunt pares, súntque illius imitatores, qui malo suo exemplo à malo exteros deterrent, fatui in se sunt, sed alios condiunt. Alcimus Auitus lib.11. ita canit:

———Incido mulier preuenta reatu
Plus salsum sine mente capit, qua pungere sensus,
Exemplique potest salibus condire videntes.

Rem luculentiùs versat sanctus Augustinus enarrat. in Psal.79. *Memento te vxoris* LOTH; *omnibus dixit. Quid enim fecit* VXOR LOTH? *liberata est à Sodomis, & in vita posita, retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retrò respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant, nam eo modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos fortè viderimus, veluti infirmari in proposito bono, & talis vis esse, quales illi. Obiicimus illis quosdam, qui retrò respexerunt, illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur, vt illorum exemplum timentes, isti retrò non respiciant.*

Lothi vxorem referunt præcipuè Religiosi, qui vbi seculum corpore deseruerint, seculum circumferunt moribus, & vita. Audiendus hîc Vmbertus lib.1. erud. Relig part.3. cap.2. *Respiciens* VXOR LOTH *post se, conuersa est in statuam salis. Statua est corpus sine spiritu: similitudinem habens hominis, non veritatem. Sic respiciens ad ea qua reliquit, similitudinem habet Religiosi, non veritatem. Corpus habet in claustro, cor in mundo. Sic fit quadam statua.*

ADAGIVM DCCCCXV.

Me aliquis Laban liberet ab Esau.

911. CVm quis ab alio recipitur, quærit vt ab alterius sæuitia eximatur, tunc vsurpari hæc formula poterit, vt enim in alium sæuiens Esau Iacob persequentem refert, ita & alterius persecutioni obnoxium recipiens, Laban refert, qui Iacob recepit, donec Esau ira mitigaretur; sanctus Basilius epist.141. huc respiciens, ait: *O si mihi detur* LABAN *quisquam,* QVI ME LIBERET AB ESAV *ducátque ad cælestis vita philosophiam.*

ADAGIVM DCCCCXVI.

Nouus Israëlita.

DIuinis obsequiis mancipatus, Dei addictus seruituti, quique mundi Ægyptum defugerat proficuis monitis erudiendus, is nouus Israëlita audiet; hoc sensu hanc formulam efferebat sanctus Ioannes Præses Cœnobij Raithuni epist. quam ad sanctum Ioannem Climacum scripsit in hunc modum: *Tuam summam virtutem supplices conuenimus, vt nobis rudibus per litteras aperias, qua ad veteris exemplum Mosis in eodem monte diuino spectaculo dignatus inspexisti, quásque diuina legis tabula ab eodem in tuo ad nos docendos, tamquam* NOVOS ISRAELITAS, *& modò ab intellectuali mundò Ægypto, vitaque tumultuata maris fluctibus egressos, libro destinato inscriptas accepisti.* Christus Nathanaelem efferens Ioan.147. ait: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*; hoc est, interprete Beato Dionysio Carthusiano, *non solùm nomine, sed & re, seu proprietate, & gratia filius Israelis, id est, Iacob Patriarcha.* Maldonatus sic exponit: *Christus cùm verum Israelitam vocat, indicat aliquos Israelitas esse falsos: vocat* VERVM ISRAELITAM, *verum imitatorem Iacob, qui Israël cognomento dictus est, hominem antiqua probitate, simplicitateque, qualis fuerat Iacob; quasi qui eiusmodi non essent moribus, verè filij non essent Israel. Non enim omnes qui ex Israël, ij sunt Israëlita, neque qui semen sunt Abraha, omnes filij, Rom.9.6.* candidis ergo moribus vir vetus Israëlita dicetur, & verus Dei cultor, nouus Israëlita.

ADAGIVM DCCCCXVII.

Melius est malum hominem perpeti, quàm per ignorantiam bonum excludi.

FOrmula vsurpari olim solita in recipiendis hospitibus, cùm ne bonus excluderetur, etiam non bonum recipiendum suadebant. S. Augustinus epist.149. prouerbialem hanc sententiam recenset, dum ait: *Multò melius, nec iustè cuiquam irascimur, quàm velut iustè irascendo in alicuius odium ira occulta facilitate delabimur; in recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere:* MVLTO ESSE MELIVS MALVM HOMINEM PERPETI, QVAM FORSITAN PER IGNORANTIAM EXCLVDI BONVM, *dum cauemus, ne recipiatur malum*; prouerbium autem hoc esse indicauit ille, qui epistolas edidit, nam in libri ora apposuit, τὸ *prouerbium.* 912.

Etiam in eleemosyna eroganda cauendum est, ne dum religiosior pauperum habetur, & indigni prætermittitur, dignis quisque abeat indonatus; hinc Christus Luc.6. *Omni*, inquit, *petenti tribue*; signatè *omni*, ne si electio aliquorum nobis committeretur indignorum exclusione excluderentur & digni; quod sic expendebat S. Valerianus hom.8. de misericordia: *Non est otiosum, quòd omnibus petentibus eleemosynam dum dare iubet, sciebat enim necessariò aliquotiens inter malos, & bonos latere, atque ideo bonos, malósque commiscuit, ne cùm indignos erogatio nimium cautè prateriret, & dignus misericordia indonatus abscederet.* Hospitalitatis sagenam omnibus expandendam alibi diximus, cùm de hospitalitate ageremus.

ADAG. DCCCCXVIII.

Intra fines tuos habitat Iebusæus.

913. QVod de populo dictum, ad Hebræorum populum, ad vitia, animíque passiones flectatur, & visa prouerbialis formula prodibit, in eum vsurpanda, qui alicui vitio subiacet, alicui affectioni obnoxius est, à qua eximere se vix potest, aut ne vix quidem. Iosue 15.63. *Iebusæum habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere, habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem vsque in præsentē diem*: vt res prouerbialem saliuam sapiat, ad animæ hostes traducatur, ad vitia, quæ mentem obsident, extendatur; festiuè in hunc sensum vsurpauit hanc formulam sanctus Bernardus serm. 58. in Cantic. *Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa, velis nolis* INTRA FINES TVOS HABITAT IEBVSÆVS; *subiugari potest, sed non exterminari.* Nemo dum hîc manet, se putet securum, & à vitiorum infestatione penitus immunem; timendus semper hostis, qui licèt aliquando lateat, semper tamen nobis infestus est. Vmbertus lib. 3. de erud. Relig. part. a. cap. 1. *Iebusæum Israel tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, dum minima non superat*; id quod priùs dixerat sanctus Gregorius Papa.

ADAGIVM DCCCCXIX.

Alter Iosue.

914. QVi in Dei causa contra Dei hostes strenuè pugnat, & imperterritus se exlegibus opponit, & tamquam Amalechitas sternit, & deiicit, audiet prouerbij quadam specie, alter Iosue; hoc sensu hanc formulam extulit sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 13. vbi ad Alexandrum II. Romanum Pontificem scribens ait: *His prædicatoribus Satanæ, & Apostolis Antichristi, tu venerabilis Pater cœlestis eloquij gladio præcinctus occurre, & tamquam* ALTER IOSVE *Amalechitas oppugnatores Israël euaginato vigoris mucrone, prosterne. Tollatur è medio quantociùs tartareæ amaritudinis aconitum, ne, quod absit, ferale venenum faucibus insinuet paruulorum.* Porrò vt variis fuit insignitus virtutibus Iosue, sic ad varios porrigi hoc idem prouerbium potest. Sanctus Ioannes Climacus in epistola ad Pastorem, cap. 15. Cœnobiarcham Rayt. efferens, cum Iosue componit, atque quicquid actum corporaliter à Iosue est populum Iudaicum dum regeret, actum & ab ipso Cœnobiarcha spiritualiter spirituales Israëlitas dum doceret, hæc illius verba: *Populo velut* ALTER IOSVE, *partiris verbo, & aquas quidem inferiores, mortis, inquam, & salsuginis, in mare salsum, siue mortuum decurrere iubes, superiores autem charitatis vndas, in conspectu tuorum sapientia florentium Israëlitarum in montem cumulas. Lapides præterea ex Iordane duodenos legi imperasti, ex quibus aut Apostolicum culmen ædificares, aut reportatam de octo populis, hoc est, vitiis victoriam, & virtutes quatuor principes iam partas significares; mari deinceps mortuo, & effœto, seu sterili à tergo relicto, (Hierichunta) ad hostilem vrbem accedis, & tubis precationum ad æternitatis orbitam declarandam septies clangis, vincisque & euertis.* Hæc ille, quæ pariter patribus accommodari possunt.

Iosue Moysi conferebat, quin & præferebat S. Ambrosius lib. 1. offic. c. 20. *Meritò*, inquit, *vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, diceret: Stet sol, & staret sol; quasi eius spectator victoriæ, noctem differret, diem produceret. Quod quidem Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram repromissionis: magnus vir fidei miraculis, magnus triumphis: vterque igitur diuina subnixus gratia vltra humanam processit conditionem, ille mari, hic cœlo imperauit.*

ADAGIVM DCCCCXX.

Nunc collyrium, nunc calcem oculis inspicere.

QVi medicinam spirituali alicui morbo admouet, & morbum contrario fouet, atque 915.
etiam excitat, & diruat, quod priùs ædificauerat, amittat, quod in virtutum cultu vitiorúmque eradicatione acquisierat, is prouerbiali hac formula percellitur. De prompta parentia loquens sanctus Ioannes Climacus in scala Paradisi gradu 4. hæc habet: *Qui religiosè Patri nunc paret, nunc non paret, perinde facit, atque is, qui* NVNC COLLYRIVM, NVNC CALCEM OCVLIS INIICIT, quod iaci in illos omnes potest, qui firmi in alicuius virtutis exercitio extare nesciunt, sed quod benè operando indepti erant, boni operis neglectu, & mali admissione amittunt.

ADAG. DCCCCXXI.

Ceadas Laconicus.

LOcus malus, & malis plenus, & vniuersè iis maximè noxios, quos tenet, Ceadas Laconicus poterit dici. S. Basilius ep. 379. ita loquitur, huc spectans: *Qua oratione satis exprimat nostra illa mala? In fugam se quidam coniecerunt, non postrema pars Senatus nostri; exiliúmque perpetuum Podando prætulerunt; cùm Podandum dixero, puta me* CEADAM LACONICVM *intelligere, aut sicubi terrarum barathrum sit aliquod naturale, cuiusmodi loca Charonia solent nonnulli appellare, pestilenam, & perniciosam auram exhalans, huiusmodi ergastulo quàm simillimum arbitrare Podandi illud malum.*

ADAG. DCCCCXXII.

Cœlum se calcare existimant.

QVi ad perfectionis, & sanctitatis culmen se peruenisse tumidè iactant, hi *cœlum calcare* prouerbiali quadam hyperbole dicentur. Sixtus in epist. de malis doctoribus, ita loquitur: *Moyses inquinatis tantùm calceamentis in Terra sancta arcetur, & quidam* CŒLVM CALCARE EXISTIMANT *corde polluto.*

ADAG. DCCCCXXIII.

Non pluit Deus.
Pluuia defecit.

HÆ formulæ olim à Christianæ religionis
hostibus prouerbialiter in Christianos iacta- 916.
bantur,

bantur, cùm quicquid mali accideret Christianis, impiè imputarent; sanctus Augustinus enarrat. in Psalm. 80. ita capiendus, cùm ait: *Quando audistis contumaciter garrire blasphemos, & dicere abundare pressuras temporibus Christianis, scitis enim, quia hoc amant dicere: & vetus quidem, sed à temporibus Christianis cœpit prouerbium;* NON PLVIT DEVS, *dicat Christianus, quamquam priores ista dixerunt. Isti autem modo dicunt, & quia pluit Deus, dicant Christiani:* NON PLVIT DEVS, *non seminamus, pluit Deus, non trituramus: & inde volunt superbire, vnde deberent ampliùs supplicare, eligentes blasphemare, quàm orare.* Eiusdem prouerbij meminit idem sanctus Pater lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 3. vbi & notam istam à nomine Christiano appositè abradit, blasphemósque Gentiles de sua paratura repercutit, hæc illius verba: *Mementote me ista commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare prouerbium,* PLVVIA DEFICIT, *causa Christiani. Sunt namque qui eorum studiis liberalibus instituti amant historiam, quæ facillimè ista nouerunt: sed vt nobis inerudiorum turbas infestissimas reddant, se nosse dissimulant, atque hoc apud vulgus affirmare nituntur, clades quibus per certa internalla locorum, & temporum genus humanum opponant affligi, causa accidere nominis Christiani, quod contra Deos suos ingenti fama, & præclarissima celebritate per cuncta diffunditur. Recolant ergo nobiscum, antequam Christus venisset in carne, antequam eius nomen ea cui frustrà inuident, gloria populis innotesceret: quibus calamitatibus res Romana multipliciter variéque contrita sunt, & in his defendant, si possint, Deos suos, si propterea coluntur, ne ista mala patiantur cultores eorum, quorum si quid nunc passi fuerint, nobis imputanda esse contendunt. Cur enim ea quæ dicturus sum permiserunt accidere cultoribus suis, antequam eos declaratum Christi nomen offenderet, eorúmque sacrificia prohiberet.*

Iniustè igitur aduersa quæ accidebant in Christianos regerebant Gentiles, cùm etiam ante Christi aduentum & paribus, & maioribus malis premerentur; scitè Tertullianus in Apolog. cap. 40. cùm huius calumniæ mentionem fecisset, his verbis: *Prætexitis ad alij defensionem illam quoque vanitatem quòd existiment omnem publica cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra maria, si fames, si lues statim Christianos ad leonem, tantos ad vnum?* statim eos redarguens, & reuincens addit: *Oro vos ante Tiberium, id est, ante Christi aduentum quanta clades orbem, & vrbem ceciderunt; legimus Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon insulas multis cum millibus hominum gressum abiisse. Memorat & Plato maiorem Asiæ, & Africæ terram Atlantico mari ereptam, sed & mare Corinthium terra motus ebibit, & vis vndarum Cucaniam Golelia abscissam in Sicilia nomen relegauit. Hæc vtique non sine iniuria incolentium accedere potuerunt. Vbi verò tunc non dicam Deorum vestrorum contemptores Christiani, sed ipsi Dij vestri, cùm totum orbem cataclysmus aboleuit? vel, vt Plato putauit, campestre solummodo? Posteriores enim illos clade diutius contestantur ipsæ vrbes, in quibus nati, mortuique sunt, etiam quas condiderunt. Neque enim aliàs in hodiernum manerent, nisi & ipsa posthuma clades illius. Nondum Iudæum ab Ægypto examen Palæstina susceperat, nec iam illic Christiana secta origo consederat, quum regiones, ac fines eius, Sodoma, & Gomorrha igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, & si qua illic arborum poma conantur, oculis tenus, cæterùm contracta cinerescunt. sed nec Tuscia, atque Campania de Christianis querebatur, cùm Volsinios de cœlo, Pompeios de suo monte perfudit ignis. Nemo adhuc Romæ Deum verum adorabat, cùm Annibal apud Cannas per Romanos annulos cædes suas medio metiebatur. Omnes Dij vestri ab omnibus colebantur, cùm ipsum Capitolium Senones occupauerunt. & bene; quòd si quid aduersi accidit vrbibus, eadem clades templorúmque & mœnium fuerunt; vt iam hoc reuincam, non à Deo euenire, quia & ipsi euenit.*

Addit, tantum abesse vt Christiani causa malorum sint, causa calamitatum, quibus orbis terrarum affligebatur, vt potiùs ex quo Christianam religionem mundus habuit, minoribus cladibus premi reperio. Audiamus Tertullianum: *Et tamen si pristinas clades comparemus, leuiora nunc accidunt, ex quo Christianos à Deo orbis accepit. Ex eo enim & innocentia sæculi iniquitates temperauit, & deprecatores Dei esse cœperunt. Denique cùm ab imbribus æstiua hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti, statimque pransuri, blaneis, & caupone, & lupanaribus operati, Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denunciatis, cœlū apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso & Deo, & cœlo. Nos verò ieiuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vita fruge dilati, in sacco, & cinere volutantes, inuidia cœlum tendimus, Deum tangimus, & cùm misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur. Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum, vos malorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur. Etenim credibilius haberi debet eum irasci qui negligatur, quam qui coluntur, aut ne illi iniquissimi, si propter Christianos, etiam cultores suos lædunt, quos separare debent à meritis Christianorum.* Hactenus Tertullianus.

917. Hoc idem argumentum elegantissimè versat sanctus Cyprianus tract. contra Demetrianum; *Cùm dicas,* inquit, *plurimos conqueri, quòd bella crebriùs surgant, quòd lues, quòd fames seruant, quódque imbres, & pluuias serena longa suspendant, nobis imputari, vltra tacere non oportet, ne iam non verecundia, sed diffidentia esse incipiat, quod tacemus. Dixisti per nos fieri, & quòd nobis debeant imputari omnia ista, quibus nunc mundus quatitur, & vrgetur, quòd Dij vestri à nobis non colantur;* reiicit hanc calumniam ex ipsius mundi senectute; *Qua in parte, quia ignarus diuinæ cognitionis, & veritatis alienus es, illud primo in loco scire debes, senuisse iam mundum, non illis viribus stare, quibus priùs steterat, nec vigore, & robore, quo antè præualebat. Hæc Christianis imputas, quod minuantur singula mundo senescente?* Quod de Diis non cultis à Christianis dixerat Demetrianus, ita redarguit sanctus Pater; *Non sicut tua falsa querimonia, & imperitia veritatis ignara iactat, & clamitat, ista accidunt, quòd Dij vestri à nobis non colantur, sed quòd à vobis non colatur Deus;* & nonnullis interiectis claudit: *Quereris cludi imbribus cœlum, cùm sic horrea claudantur in terris: quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt indigentibus tribuantur; pestem, & luem criminaris, cùm peste ipsa, & lue vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, & defunctis auaritia inhiat, ac rapina.* Denique adeò alienum est per Christianos mala, aduersa orbi accidisse, vt potiùs pro Christianis vlciscendis immissa à Deo videantur; licèt enim iisdem & Christiani malis obsiderentur, illis tamen mala non erant, non erant aduersa, cùm patienti, forti ea ferrent animo; diuinè idem sanctus Pater eodem loco: *Insontes pœnis, & cruciatibus acquiescunt, certi, & fidentes quòd inultum non remaneat quodcunque perpetimur, quantóque maior fuerit persecutionis iniuria, tanto & iustior fiat & grauior*

pro persecutione vindicta. Nec vnquam impiorum scelere in nostrum nomen exurgitur, vt non statim vindicta comitetur. Vt memorias non teneamus antiquas, & vltiones pro cultoribus Dei sæpe repetatis, nullo vocis præconio reuoluamus, documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quódque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis Regum, iacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. Hæc hoc casu accidisse aliquis existimet, aut fuisse fortuitum putet, cùm iam pridem Scriptura diuina posuerit, & dixerit: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Et iterum Spiritus sanctus præmoneat, & dicat: Ne dixeris, Vlciscar me de inimico meo, sed expecta Dominum, vt tibi auxilio sit. Vnde clarum est, atque manifestum, quia non per nos, sed pro nobis accidunt cuncta
918. *ista, quæ de Dei indignatione descendunt.* Quòd si quis obiiciat & Christianos ipsos illis incommodis vrgeri, illis aduersitatibus premi, quæ pro illis immittuntur, respondet sanctus Pater mala non esse illis mala, nec aduersa illis aduersa, qui æquo illa excipiunt animo, forti sustinent, perferunt patienti; qui in seculo extra seculum viuunt, qui vana mundi lætitia non capiuntur, qui cœlo, & cœlestibus hærent; *Nec ideo*, inquit, *quis putet Christianos iis quæ accidunt non vindicari, quòd & ipsi videantur incursione perstringi. Pœnam de aduersis mundi ille sentit, cui & lætitia, & gloria omnis in mundo est; ille mæret, & deflet, si sibi male sit in seculo, cui bene non potest esse post seculum, cuius viuendi fructus omnis hîc capitur, cuius hîc solatium omne finitur; cuius caduca, & breuis vita hîc aliquam dulcedinem computat voluptatum, cùm istinc recesserit, pœna iam sola superest ad dolorem. Cæterùm nullus hîc dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternimur aduersis, nec frangimur, nec dolemus, neque in nulla aut rerum clade, aut corporum valetudine mussitamus, spiritu magis, quàm carne viuentes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa, quæ cruciant, & fatigant, probari, & corroborari noscimus, & confidimus. Putatis nos aduersa vobiscum æqualiter perpeti, cùm eadem aduersa videatis à nobis, & vobis non æqualiter sustineri? Apud vos impatientia clamosa semper, & querula est, apud nos fortis, & religiosa patientia, quieta semper, & semper in Deum grata est, nec quicquam istinc lætum, aut prosperum sibi vendicat, sed mitis, & lenis, & contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis diuinæ pollicitationis tempus expectat. Quandiu enim corpus hîc permanet commune cum cæteris, sic necesse est & corporalis conditio communis, nec separari generi humano ab inuicem datur, nisi istinc de seculo recedatur. Intra vnam domum boni & mali interim continemur. Quicquid intra domum euenerit, pari sorte perpetimur, donec aui temporalis fine completo, ad æterna vel mortis, vel immortalitatis hospitia diuidamur. Non ergo idcirco compares vobis, & æquales sumus, quia in ista adhuc mundo, & carne constituti, mundi, & carnis incomoda vobiscum pariter incurrimus. Nam cùm in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem pœnæ tuæ, quem videas tecum æqualiter non dolere. Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens, & immobilis virtus, & nunquam nisi læta patientia, & de Deo suo semper anima secura.* Hucusque sanctus hic, quæ verba ita amoliendæ notæ à Gentilibus Christianis obiectæ ita sint opportuna, vt simul etiam nos ad mala quæcunque ferenda & prouocent, & animent.

919. In eos, qui falsò, & iniuria conquerebantur per Christiana tempora rerum, esse felicitatem diminutam, sic calamum acuit sanctus Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 33. *Quod de felicitatis rerum humanarum diminutione per Christiana tempora conqueruntur, si libros Philosophorum suorum legant, & reprehendentium, quæ nunc eis etiam recusantibus, & murmurantibus subtrahuntur, tam verò magnam laudem reperient temporum Christianorum. Quid etiam eis minuitur felicitatis, nisi quòd pessimè, luxorioséque abutebãtur in magnam creatoris iniuriam? Nisi forte hinc sint tempora mala, quia per omnes penè ciuitates cadunt theatra, causa turpitudinum, & publica possessiones flagitiosorum cadunt, & fora, vel mœnia in quibus Dæmonia colebantur. Vnde enim cadunt, nisi inopia rerum, quarum lasciuo, & sacrilego vsu constructa sunt.*

ADAGIVM DCCCCXXIV.

Mazices panes offerunt.

CVm ab omni humanitatis sensu exules, 920.
compassionis omnis expertes, sæui, crudeles, assuetique aliorum sanguinem fundere, aufcere vitam, contra naturam, morémque suum alienæ indigentiæ succurrunt, eaque adiumenta afferunt, quibus vita prædicatur, & propriæ crudelitatis obliti panes fame laborantibus offerũnt, gladios intentare soliti, tunc suus huic prouerbio locus erit, quod ex Ioannis Cassiani verbis exsculpsi, quæ ille habet collat. 2. cap. 6. *Cùm errantes duos fratres per deserta, & deficientes iam fame à longè Mazices conspexissent, (quæ gens cunctis penè nationibus feris immanior, atque crudelior est; non enim eos ad effusionem sanguinis, vt nonnullas gentes, desiderium prædæ, sed sola feritas mentis instigat) eisque contra naturam feritatis suæ cum panibus occurrissent, vnus ex eis subueniente discretione velut à Domino sibi porrectos, cum gaudio, & gratiarum actione suscepit, reputans escam sibi diuinitus ministrari, nec sine Deo factum, vt hi qui semper hominum cruore gauderent, deficientibus, ac iam tabescentibus, vitæ subsidia largirentur: alius verò recusans cibum, velut ab homine sibi oblatum, inediæ defectione consumptus est. Quorum licèt initia ex reprehensibili persuasione descenderint, vnus tamen subueniente discretione, id quod temere, incautéque conceperat, emendauit: alius autem in stulta præsumptione perdurans, ac penitus discretionis ignarus mortem, quam Dominus auerti voluit, sibi ipsi consciuit; nequaquam credens instinctu diuino factum, quod immites Barbari propriæ feritatis obliti panes eis pro gladiis obtulissent.* Mazicum tamquam ab omni humanitate alienorum meminit & Palladius in Arsacio, & Nestorius apud Euagrium lib. 1. Ecclesiast. hist. cap. 7. aliique si res ad alios flectatur immites alioquin, ac immisericordes prouerbialem faciem præseferet.

ADAGIVM DCCCCXXV.

Vulpes inter gallinas.

VSurpabitur cùm superbus, iracundus, & ho- 921.
stilem animum circumferens, mansuetudine omni viduus, omni pietate mites subditos regit, aut potiùs mactat, & occidit, cùm regere deberet; in hunc sensum vsurpauit hanc formulam sanctus Ioannes Climacus epist. ad Pastorem cap. 11. *Spectaculum*, inquit, *ingratum vulpes spectare inter gallinas; quid autem importunius pastore iracundo? Vulpes mactat gallinas, biliosus pastor plenas rationis animas perturbat, & occidit*; pascendæ oues pastori sunt,

sunt, non occidendæ, ab alienorum sæuitia, fraudibúsque custodiendæ, non perturbaodæ, nec hostili meute tractandæ.

ADAGIVM DCCCCXXVI.

Puluerem in ventum portare.

QVi rem quampiam euidenti exponit periculó, certóque discrimini subiicit, vt cùm custodiri debeat, peritura statim, & insuper possessori modestiam creatura, tunc prouerbiali figura produci hæc sententia poterit; quis nesciat puluerem vento flante dispergi, & frequenti etiam in fetentis oculos ferri? Sanctus Gregorius rem coërcuit ad humilitatem, dum in 3. Psalm. pœnit. ait: *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat*; eadem mente eandem sententiam protulit sanctus Bernardus homil. de duobus discipulis in Emmaus; *Qui virtutes cateras sine humilitate congregat, quasi* PVLVEREM IN VENTVM PORTAT; & serm. de donis Spiritus sancti cap. 2. *Qui virtutes sine humilitate congregat, est quasi qui* IN VENTVM PVLVEREM PORTAT; *sicut enim puluis venti validi flatu dispergitur; sic omne bonum sine humilitate inanis vento gloria rapitur*; sed nihil impedit, quin ad cætera omnia res porrigatur, & vniuersè in ventum puluerem portat, qui frustrà, & nihil profuturo labore in re aliqua operam suam locat, studium, ac diligentiam.

ADAG. DCCCCXXVII.

E niue ignis non emicat.

922. EO proprior prouerbiali sensui sententia hęc erit, quò longiùs metaphora ducetur; sanctus Ioannes Climacus in sua scala gradu 25. ad hæreticos flexit, in quibus vera humilitas coalescere non potest; hæc illius verba: NVNQVAM E NIVE IGNIS EMICARE *potest, multo minus in haretico, se alterius secta alumno habere humilitas.* Sic nec ab imperito doctrinæ radius elucet, nec à puritatis hoste puritatis lux; vt ignis niuem non producit, ita nec ignem nix, vt eodem sensu vniuersa sententia adhiberi possit; quod fecit idem auctor gradu 26. *Quemadmodum*, inquit, IGNIS NON GENERAT NIVEM; *ita qui hic honorem quarit, non perfruetur cæleste*; quod porrigi ad ea omnia potest, quæ inter se nequeunt cohærere.

ADAG. DCCCCXXVIII.

Nimietates æqualitates sunt.

IActata vulgò prouerbij vice sententia, qua à quolibet excessu quempiam reuocabimus, cùm ita ferè accidat, vt qui discretionis in re aliqua excedit terminos, cogatur ad quandam æqualitatem redire; meminit adagij huius Ioannes Cassianus collat. 2. cap. 16. *Omni*, inquit, *conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri, qua nos illæsos ab vtraque potest nimietate seruare. Vetus namque sententia est* ἀκρότητες ἰσότητες: *idest*, NIMIETATES ÆQVALITATES SVNT; *ad vnum enim finem nimietas ieiunij, & voracitas peruenit, eodémque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni grauissimi torpor inuoluit; nam per excessum continentia debilitatum quemque ad illum statum reuocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur; ita vt frequenter per gastrimargiam decipi non potuisse conspeximus, per immoderationem ieiuniorum viderimus fuisse deiectos, atque ad eandem, quam vicerant passionem, infirmitatis occasione collapsos.* Extrema in re omni noxia, & maxime nobis sunt euitanda, cùm eodem ferè recidant & nimius rigor, & remissio nimia.

ADAG. DCCCCXXIX.

Regio vestimento aranearum telam inducere.

QVi rem vilissimam, nullius pretij, nullius 923.
roboris, virtutis nullius loco pretiosissimæ, excellentissimæque substituit, quique alicuius rei perfectionem alterius imperfectione, ac vilitate commaculat, & inficit; is præcelli producto prouerbio poterit. Aduocanda huc sunt sancti Chrysostomi verba, qui orat. 34. in epist. 1. ad Corinth. ita scribit: *Nec* VESTIMENTO REGIO ARANEARVM TELAM INDVCAMVS. *nam si quis fuerit deprehensus in purpura deforme subtegmen contextus, vltimum dabit supplicium; multo magis in spiritualibus*; sic eos premit, qui sacrarum Scripturarum verbis sua impudenter intexebant.

ADAGIVM DCCCCXXX.

Mosè aliquo indigere.

PRouerbiali hac formula vtetur quicunque ductorem quærit, sub quo à periculo aliquo eripiatur, aut ab alicuius Pharaonis sæuitia, vt cõtigit Hebræorum populo ex Ægypto exiret, Pharaonem in omnes sæuientem defugeret; in hunc sensum S. Ioann. Climacus aiebat gradu 1. *Omninò quicunque ex Ægypto excedere, & Pharaonem effugere conamur,* MOSE ALIQVO DVCTORE, *qui nos inter, ac Deum, ac post Deum sequester sit, indigemus; qui medicus inter studia actionis, & contemplationis prastans, manus ad Deum expandat; cuius auspiciis qui ducuntur, infestum peccatorum mare traiiciant, & Amalech pessimarum cupiditatum Dominum terga dare cogant.* Vniuersè qui spiritualis vitæ iter instituere cogitat, aliquem sibi Mosem inueniat, cuius ductu tutò per iter illud incedat, quod tot discriminibus, tot hostibus est obnoxium. Claudit Climacus: *Quamobrem valde decepti sunt, qui sibi præsidentes nullo via duce sibi opus esse existimauerunt.* Scholiastes Græcus schol. 13. hanc rem ita confirmat: *Si difficile est in quacunque alia arte sine magistro proficere, & aliquid recte praestare, quanto magis opus erit ductore in hac omnium artium arte difficillima:* Gradu 26. rem eandem vrget Beatus Climacus in hæc verba: *Sicut qui duce caret via, facilè exerrat à via, quantumuis alioqnin prudens sit; ita qui suo arbitratu in monastico statu viuit, & progreditur, facilè perit, etiamsi omnem prophanam seculi sapientiam percalleat;* quæ cautio omnibus illis conuenit, qui perfectionis inita via ad culmen tendunt; omnibus dux necessarius est, duce omnes indigent, licèt ipsi aliorum sint duces; nemo idoneus sui rector est.

EXCVRSVS CLII.

Nemo idoneus sui ductor est, alterius quisque indiget magisterio.

Stulti discipulus est *qui est sui ipsius.*
Sui Dæmon *est, qui sui ductor.*
Magistri, & ductoris necessitas *in vita spirituali.*
Ducem spiritualem quilibet sequatur.
Spirituali duce carere *periculosam.*
Singulari Dei auxilio *indiget, qui magistro destituitur.*
Ad prælatorum arbitrium *omnia præstanda.*
Tamquam ferrum fabro *se quisque magistro præbeat instituendum.*
Alterius arbitrio duci *quàm vtile, quàm noxium non duci.*
Sine superiorum magisterio *ægrè sponsus inuenitur.*
Homines per homines *Deus regit.*
De humano templo *Deus responsa reddit.*

924. *Stulti discipulus est, qui est sui ipsius.*

HOc ipse magis ductore indiget, indiget magisterio, quò putat non egere; nemo se decipiat, nemo se fallat, vt velit siue viæ duce vitæ viam inire; ad præcipitia currit, qui alterius imperio excusso suo se committit arbitrio, se sequitur.

S. Bern.

Stultitiæ laborat morbo, & stulto se ductori committit, qui se sibi committit, se sui discipulum facit. Audiendus sanctus Bernardus epist. 87. quæ est ad Augerium; *Qui*, inquit, *se sibi magistrum constituit*, STVLTO *se discipulum subdit*; hac mente in sanctorum Patrũ apophthegmatis hoc quoque legitur lib. 10. num. 111. Dixerunt quidam senes; *Si videris iuuenem voluntate sua ascendentem in cælum, tene pedem eius, & proiice eum in terram, quia non expedit ei.* It ad præcipitium qui duce propria voluntate incedit, atque etiam euolat. Ioannes quoque Gerson. antiqui huius dicti meminit, *Qui sibi dux esse vult, spreto duce proprio non iam indiget Dæmone tentante, sed factus est sibi* DÆMON.

Sui Dæmon est qui sui ductor.
Vet. dict.

Magistri, & ductoris necessitas in vita spirituali.
Io. Cass.

Ductoris, & magistri necessitas apud Ioannem Cassianum collat. 2. cap. 11. probatur, illiúsque neglectus quàm sit noxius exponitur; dabo hîc verba, quæ ibi leguntur: *Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis consiliis seniorum suo iudicio persuaserit, definitionique confidere. Etenim cùm omnes artes ac disciplinæ humano repertæ, & quæ nihil amplius, quàm vitæ huius commodis prosunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi; quàm ineptum est, credere hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis, & occulta est, & quæ non nisi corde purissimo per cuius videtur error non temporale damnum, ne facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortémque perpetuam.*

925. *Ducem spiritualem quilibet sequatur.*
S. Vinc. Fer.

Quanti cuique referat ducem spiritualem sequi, & quàm noxium sit proprio se iudicio committere, sic expendit, explicátque sanctus Vincentius Ferterus opusc. de vita spirituali cap. 4. *Sciendum est*, inquit, *quòd homo faciliùs, & breuiori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem, cuius regimine duceretur, cuius obedientiam in omnibus actibus, paruis, & magnis sequeretur, quàm aliquis posset se ipsum perficere, quantumcumque vigeat acumine intellectus, & libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam: imò plus dico, quòd nunquam Christus suam gratiam ministrabit, si homo habet à quo posset instrui, & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere, & per se posse inuestigare, & inuenire, quæ sunt vtilia ad salutem.*

Spirituali duce carere periculosum.
B. Laur. Iust.

Sine spirituali duce in via spirituali incedere periculosum admodum est; iure inclamat sanctus Laurentius Iustinianus de casto connubio cap. 3. *Quis*, inquit, *in hac præsentis vitæ positus peregrinatione, & in huius spiritualis eremi constitutus vastitate, vbi errores innumeri, inimicorum sæua genera, & prædonum discurrens insidiatur exercitus, incedere securus absque directore audeat, quem vix euadere valeat, qui præceptorem habet, & qui spiritualis, expertique ducis munitur prudentia?* rectorem, ducémque virtutis, & perfectionis difficultas requirit, requirunt insidiæ, quas vafer hostis satanicus in Dei itinere abscondit, vt nos decipiat; clamant multorum lapsus, dum sibi nimium crediderunt in pœnitenda, in quibus aut vix, aut ne vix quidem se reuocarunt, conciderunt: sciè ille, & verè hîc quoque sanctus Hieronymus, qui epist. 22. ad Eustochium, *Bonum est obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas Scripturarum vitæ suæ tramitem ab aliis deiicere, nec præceptore vti pessimo, scilicet præsumptione sua.*

926. *Singulari Dei auxilio indiget qui magistro destituitur.*
4. Reg. 2.

Nemo sibi idoneus ductor, nemo aptus magister est; carni proximus est, qui sibi se ipsum credit, se Doctorem sequitur, sequitur se ductorem; singulari Dei auxilio indiget qui magistro destituitur; Elisæus ab Elia in cœlum abituro duplicem Eliæ spiritum postulauit; 4. Reg. 2. hæc leguntur: *Oro vt fiat duplex spiritus tuus in me*; sed cur necesse erat Eliæ spiritum in Elisæo duplicari? An quia Elia abeunte qui eius magister erat magistri absentiam duplex eius spiritus supplere debebat? Præclarè sanctus Bernardus serm. 6. de Ascensione Domini: *Oro Domine vt fiat duplex spiritus tuus in me; nimirum duplicari ei spiritum oportebat, vt magistri abeuntis absentiam gratia duplicata subleuet.* Quis deinceps audeat se sibi committere, sine ductore in Dei via ambulare, cùm nec sanctus sit vt Elisæus, & duplici Eliæ spiritu sit destitutus?

S. Bern.

Ad prælatorum arbitriũ omnia præstanda.
1. Reg. 2.

Prælatorum iudicio committere nostrum debemus, & arbitrium nostrum illorum quibus regimur arbitrio, de Heli hæc leguntur 1. Reg. 2. *Erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis*; cur dictum, ante faciem HELI? an vt quisque hinc discat, Dei seruorum ad illorum se arbitrium in Dei obsequio efformare, quos superiores habent? Huc spectabat sanctus Gregorius, qui lib. 2. Reg. cap. 3. ita scribit: *Ante faciem ergo Heli Samuel Domino ministrare dicitur, vt subiecti quique, eius exemplo doceantur, quatenus de ministerio suo sic placere conditori studeant, vt præter prælatorum suorum arbitriũm, agere aliquid non præsumant.*

S. Greg.

927. *Tamquam ferrum fabro se quisque magistro præbeat instituendum.*
S. Io. Clim.

Probè se superiori instituendum committit, qui se illi tradit tamquã ferrum sub disciplinæ incude formandum; ad Isidori illius mentem, quem ferunt suo ductori dixisse, vt refert sanctus Ioannes Climacus gradu 4. *Vt ferrum*, *inquit Isidorus*, FABRO FERRARIO; *sic ego me tibi Pater sanctissime, tractandum subieci; hoc illius responso magnus antistes firmatus statim Isidorum admouit incudi.* O animo isto se informandos omnes spiritualibus magistris traderent, meliores haberemus discipulos, sanctioréſque, & digni qui alios erudirent, & instruerent. Næ ille felix, veréque beatus, qui voluntatis suæ arbitrium totum magistro sui committit,

Alterius arbitrio duci quàm velle, quàm noxiũ non duci. Idem.

mittit, plenè, perfectéque voluntatis suæ habenas alteri tradit. Benè idem sanctus Climacus eodem loco: *Beatus ille, qui voluntatis sua arbitrium penitus mactauit, seseque totum cura religiosi magistri sui commisit, etenim ad dexteram Domini sui crucifixi olim statuetur.* Pergit quàm inanem mortem ipsam reddat perfecta in curã superiorem sui traditio, sic exponit; *Qui se ipsum sincera, & pura conscientia perfectissimè religiosi patris obedientia subiecit, mortem deinceps intrepidus velut somnum, seu potiùs vitam quotidie expectat, certus in excessu vita non à se, sed à praside suo rationem exactam iri.* Etiam à nostrorum hostium causa ducis, & magistri ope indigemus, ab eodem calamo res est; *Qui sine patris religiosi ope aduersùs infernos spiritus decertare audet, ab illis circumuentus occidetur.*

928. *Sine superiorum magisterio agrè sponsus inuenitur.* Cant. 3.

Nimis periculosum sine ductore per vitæ spiritualis viam incedere; ægrè sponsum inuenit, qui sine superioris magisterio sponsum quærit; fateatur hoc sponsa in amoris Cantico cap. 3. *Per noctes quæsiui quem diligit anima, quæsiui illum, & non inueni. Per vicos & plateas quaram quem diligit anima, quæsiui illum, & non inueni.* fors non inuenit, quia sola quærebat, quem amabat. Pergit, *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis?* aliorum magisterio regi quærit aliorum ducatum; quid sequitur? *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*; nimirum inuenire meruit, quæ humilis custodum, vigilúmque disciplinæ se erudiendam subiecit; rem appositissimè ad nostram mentem versat sanctus Bernardus serm. 77. in Cantica; ait enim: *Sponsa quem quærebat minimè reperit, & quos non quærebat reperta est ab ipsis. Audiant hoc qui sine duce, & praceptore vias vita ingredi non formidat: ipsi sunt in arte spirituali existentes, & discipuli pariter, & magistri. Non sufficit hoc, etiam coaceruant discipulos sibi, caci duces cacorum. Quàm multi & hoc à recto tramite periculosissimè aberrasse reperti sunt. Nimirum ignorantes astutias Satana, & cogitationes ipsius, factum est vt qui spiritu cœperant, carne consummarentur: adducti turpiter, lapsi damnabiliter: videant proinde qui cuiusmodi sunt, quomodo cautè ambulent: & de sponsa exemplum sumant, qua non priùs ad eum quem desiderabat, vllo modo valuit peruenire, quàm sibi occurrerent, quorum magisterio vteretur ad cognoscendum de delicto, certè ad discendum timorem Domini. Seductori dat manum qui dare dissimulat praceptori. & qui dimittit oues in pascua absque custode, pastor est non ouium, sed luporum.* Hæc illorum mentibus debent insidere qui se sibi facilè credunt, suíque duces facti, se ducunt in præcipitia.

S. Bern.

929. *Homines per homines Deus regit.* S. Aug.

Homines per homines doceri, & erudiri vult Deus hominémque vtique Deus per quem velut per templum responsa sua homini exhibeat, ita sanctus Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana in prol. *Cogitemus & ipsum Apostolum Paulum, licèt diuina, & cælesti voce prostratum, & instructum, ad hominem tamen missum esse vt Sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesia: & Centurionem Cornelium quamuis exauditas orationes eius eleemosynásque respectas ei Angelus nunciauerit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solùm Sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret. & poterant vtique omnia per Angelum fieri: sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset quod dictum est, Templum enim Dei sanctum est quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo atque per Angelos personaret.* Dei imperium excutere videtur, qui hominum excutit, quos nobis duces exhibuit, ductores, doctorésque.

De humano templo Deus responsa reddit. Idem.

ADAGIVM DCCCCXXXI.

Ambidexter.



QVod de corporis manibus dicitur, si ad res alias flectatur, prouerbialem faciem 930.
iste titulus induet, sic ambidexter audiet, qui sinistris rebus, aduersísque dexterè vtitur, vt sicut non extollitur secundis, sic nec prematur aduersis, cuius animus nec lætis efferatur, & intumescat, nec tristibus contrahatur. Præclarè Ioannes Cassianus collat. 6. cap. 10. *Isti sunt qui ἀμφοτεροδέξιοι, id est,* AMBIDEXTRI *nuncupantur, vt ille Aod in libro Iudicum fuisse describitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera; quam virtutem ita poterimus nos quoque spiritualiter possidere, si ea qua prospera sunt, dexteraque censentur, & ea qua aduersa sunt, ad sinistra dicuntur, bono, rectóque vsu ad partem dexteram fecerimus pertinere; vt quacunque fuerint illata, fiant nobis secundùm Apostolum, arma iustitia*; & nonnullis interiectis aliquos ex sacris litteris recenset, qui dignè hoc titulo gaudent, meritóque ambidextri dici possunt, & talem inter cæteros solùm fuisse asserit, & probat; addit: *Ambidextrum etiam meritò dixerim Ioseph, qui in prosperis gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo; in aduersis, domino fidelis, carceris mitissimus vinctis, iniuria immemor, beneficus inimicis, inuidis, & quantum in ipsis fuit interfectoribus fratribus non solùm pius, sed etiam munificus inuenitur.* Pergit: *Hi ergo eorúmque consimiles rectè ἀμφοτεροδέξιοι, idest,* AMBIDEXTRI *nuncupantur, vtraque enim manu vtuntur pro dextera.* Claudit: *Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præsentium copia, vel inopia non mutarit, & nec illa nos ad voluptatis noxia remissionem impulerit, ne ista ad desperationem attraxerit, & querelam, sed similiter Deo grates in vtroque referentes parem fructum de secundis, aduersisque capiemus, qualem se ille verus* AMBIDEXTER *Doctor Gentium fuisse testatur, dicens: Ego enim didici in quibus iam sufficiens esse scit, & humiliari, scit & abundare, vbique & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat.* ambidexter etiam dicetur, qui vitæ actiuæ pariter, & contemplatiuæ actus strenuè exercet; aut qui & studiis accuratè incumbit, & vniuersè quoties quis duo exercet, munit, quorum singulis vix alius esset idoneus, ambidexter dicetur.

ADAG. DCCCCXXXII.

Sperabamus quòd esses redempturus Israël.



QVod dictum de Christi à discipulis euntibus in Emmaus Luc 24. 21. si ad alios 931.
transferatur, prouerbialem saporem contrahet, sícque hæc formula adhibebitur, cùm ab aliquo rerum iacentium status erigendus expectatur, & res ferè iam conclamatæ in pristinum, melioremque statum conuertendæ creduntur; sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 3. Clementem II. Romanum Pontificem alloquens, ad eúmque verba hæc flectens, ait: NOS ENIM SPERABAMVS

BAMVS QVÒD TV ESSES REDEMPTVRVS ISRAEL; *quapropter beatissime Domine, sic conculcatam, & abiectam stude releuare iustitiam, sic Ecclesiastici vigoris exhibe disciplinam, vt & pars iniqua a statu superbiæ corruat, & mons humilium ad speranda bona fiducialius conualescat.* Quoties collapsa in cœnobio aliquo, aut integra Religione disciplina rursus erigenda speratur ab aliquo; quoties communis seu familiæ, seu vrbis, seu regni salus à quopiam ita expectabatur vt à spe ferè homines exciderint, vsurpati prouerbij forma sententia hæc poterit.

ADAG. DCCCCXXXIII.

Ritu perdicum obstrepere, & inuicem corrixari.

IN obstreperos rixarum, & contentionum amatores, prouerbialis hæc nota quadrat, nam tales premebat sanctus Ioannes Climacus in scala Paradisi gradu 8. ait quippe: *Cùm olim ad cellas quorundam anachoritarum ob negotia quædam expedienda foris sessitarem; audiui illos intus ex animi acerbitate, & furore* RITV PERDICVM APVD SE IPSOS PERSTREPENTES, *& corrixantes, & in faciem eius, à quo læsi erant, tamquam præsentes insilientes, quibus ego piè suasi, vt e solitudine ad monasteria migrarent, ne ex hominibus in dæmones verterentur.*

ADAG. DCCCCXXXIV.

Judaicum in morem orare.

932. IVdaicè orant qui externis labiis Deum comprecantur, corde longissimè à Deo absunt; hinc illa de hoc populo Dei querela: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*, Matth. 15. 8. Igitur qui corpore orantis habitum præsefert, spiritu alienus ab oratione est, is Iudaico populo par orare iudaicè non sine quadam prouerbij saliua dicetur. Sanctus Ioannes Climacus in scala Paradisi gradu 29. *Qui sine harum duarum virtutum vi, & efficacia (humilitatis, & exaltationis) ab oratione discedunt, corpore tantùm, non spiritu,* IVDAICVM *propè dixerim* IN MOREM ORARVNT. Absint vt in orationis fusu Iudæos imitentur Christi cultores, à corde effluere ritè orantis oratio debet, io corde nasci, & ad labia deinde ire, si & voce orandum est.

A corde, non ab ore duntaxat exire oratio debet: docuit istuc Iob, cùm diceret, *Desiderium meum audiat Omnipotens*, cap. 31. v. 35. Signatè, *desiderij* nomen posuit, non vocum preces; vt vel hinc disceremus è cordis sinu prodire orationem debere, non à labiis tantùm. Pulchrè S. Greg. lib. 22. moral. cap. 13. vbi expendens hæc verba, ait: *Notandum, quòd nequaquam dicitur, preces, sed desiderium meum audiat Omnipotens; vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis, æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus.* Non videtur verè apud Deum clamare, qui vocis fusu aërem verberat, nisi cordis vocem ad Deum transmittat, quæ propriè vox nostra est. Hac mente Dauid dicebat: *Voce meâ ad Dominum clamaui*, Psalm. 3. idest, interprete S. August. in huius Psalmi enarratione, *Non corporis voce, quæ cùm strepitu verberati aëris promitur, ad Deum clamaui, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem sicut clamor sonat.* Vt ergo orantis vox ad Dei aures perueniat, à Deo audiatur, & exaudiatur, à corde prodeat; alioquin *Iudaica oratio* audiet, & Iudaicæ orationis notâ orantes laborabunt.

ADAG. DCCCCXXXV.

Iudaicè viuere.

CVm omni sanctitate, religione, pietatéque vidui Iudæi sint, omnium criminum sentina effecta sit Synagoga, fraudibus, rapinis, sacrilegiísque addicta, dicetur ille iudaicè viuere, qui vitiorum omnium spurcitie fœdatur, & maximè auaritiæ, rapacitatis; sanctus Petrus Damianus lib. 2. epist. 1. *Ab eis in veritate* IVDAICE VIVETVR, *qui superficie tenus Christiano vocabulo palliatur. Enimuero vbi rapinæ desunt? vbi furta cauentur? Qui penuria, qui lenocinia, qui sacrilegia metuunt? quà denique perpetrare qualibet atrocissima crimina perhorrescunt.* Vniuersè qui virtutibus repudium dederit, vitiis & turpitudinibus nupserit, tamquam iudaicam vitam traducat, hac formula traducetur.

EXCVRSVS CLIII.

De Iudæis aliqua animaduersione digna notantur.

Iudæi quondam vinum *in* acetum *degenerarunt.*
Iudæi à Patriarcharum vino *degeneres.*
Iudæorum cor *tamquam* spongia *cauernosum.*
A Prophetarum cæde *ad Christi cædem strauerunt sibi Iudæi viam.*
Quanta arderent cupiditate Iudæi *Christi sanguinem effundendi.*
Sanguinis & fusi, & fundendi memoria Christum recreabat.
Iudæorum salutem quàm ardenter *Christus sitiret.*
Iudæorum pedes *ad sanguinem effundendum veloces vnda refugit.*
Iudæis pariati qui Dei verbo resistunt.
Quâ pœnâ *puniti Hebræi, quòd Barabbam Iesu prætulerint.*
Israëlis lateres *lauare.*
Iudæorum ingratitudo.
Infelicitas Iudæorum *dum Dei facie remouentur.*
Inter nos Iudæi dispersi nobis vtiles.
Lignea candelabra *Iudæi.*
Circũcisio *imminere Iudæis suppliciũ signat.*
Premuntur Iudæi Messiã *frustrà expectantes.*
Iudæorum cæcitatem *Solis obtenebratio significauit.*
Miseram Iudæorum *dispersionem via inter fluctus denunciabat.*
Ira Dei *in Iudæos desæuiens.*
Iudæi boues *macie confecta nudam paleam sectantes.*

Acui

933. A Cui non semel calamum in Iudæos, Iudæorum perfidiam punxi, cæcitatem damnaui, sed vt illi in malitia sua persistunt. nam Iudæi sunt Iudæi, viderentur non esse, si non duri, lapideique in sua nequitia essent. nos quoque eos non semel premere possumus, aut vt sæpiùs tacti semel errorem suum sentiant, aut non sentientes, ab omni sint parte inexcusabiles, nósque interim ab illis discamus illorum vitia dediscere, ne paribus suppliciis subiiciamur.

Iudæi quondam vinum in acetum degenerarũt. Sedul.

Et in primis Iudæorum improbitate docemur, nullum tam sanctum, & pium esse qui Deo permittente in optimi vini morem, quod in acetum acescit, vitiorum acrorem contrahere non possit; scitè de Iudæis Sedulius Paschal. carm. lib. 4.

—— Dulcia vina
Sicut IN *horrendum dum conuertuntur* ACETVM
A mensis proiecta iacent, sic tempore prisco
Gens accepta Deo nunc est odio propago.

Iudæi à Patriarcharum vino degeneres. Ioan. 19.

Ex vino optimo in acetum conuersi Iudæi sunt, vt non mirum si & Christo in cruce pendenti spongiam aceto plenam obtulerint, Ioan. 19. nimirum dederunt Christo, quòd erant à Sanctorum vino degeneres, in acetum mutati sunt, corde fraudolento, ac cauernoso spongiam illam referentes, qua oblatum Christi ori acetum fuit; hinc illud de illis Venerabilis Bedæ in cap. 19. Ioannis; nam, dum expenderet illa verba: *Illi autem spongiam plenam aceto obtulerunt ori eius*, sic ait: *Sitio, inquit, tamquam diceret, hoc minus fecistis, date quod estis, Iudæi quippe ipsi erant* DEGENERANTES A VINO PATRIARCHARVM, *& Prophetarum; & tamquam de pleno vase, iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut spongiam cauernosis quodammodo, atque tortuosis latibulis fraudolentum.*

B. Beda.

Iudæorum cor tamquã spongia cauernosum.

934. Adeò Prophetarum vino erant degeneres, vt in Prophetas ipsos sæuirent, sícque gradum sibi ad filij Dei occisionem fecerunt; in Christum manus iniecerunt, adiecerunt eum mori, ad quod scelus per seruorum Dei persequutionem peruenerunt. Ita S. Cyrillus Alex. lib. 4. in c. 1. Ioan. *Dicimus ergo*, inquit, *Iudaici furoris opus fuisse, vt omnino Christus crucifigeretur, & hoc omnino facturi erant exercitati ad cædem sanguine Prophetarum.* Ægrè scelera gradum figunt, ad maiora semper itur; & quidem ab eo, qui Dei seruos insequitur, qui eos maledictis lacerat, & præscindit, omne scelus quantumlibet magnum timeri potest.

A Prophetarum cæde ad Christi cædem strauerunt sibi Iudæi viam. S. Cyrill. Al.

Quòd chlamyde coccinea circundatus Christus fuerit, non in eius ludibrium tantùm factum, sed vt effundendi sanguinis sitis, qua Iudæi corripiebantur, significaretur; notauit istuc sanctus Chrysostomus homil. in sanctum Pascha tom. 6. *Non solùm*, inquit, *regnum chlamys præfigurabat, sed & qua æstuabant Iudæi, sanguinis sitim cædisque cupiditatem demonstrabat*; vt interim purpureæ illius veste aspectu detinerentur, donec totum sanguinem effunderet, spiritum exhalaret in cruce.

Quanta arderent cupiditate Iudæi Christi sanguinis effundendi. S. Chrys.

Respondit hæc res & Christi voto, sanguineo hoc, purpureóque colore recreabatur, effusio sanguinis refricabat, memoriam excitabat & fundendi, quod reliquum fuerat, innuerétque vestitu, sed adhuc tam copioso sanguinis fusu non esse, quem in flagellis fuderat, eius sitim non tam esse extinctam, quàm magis accensam.

Sanguinis & fusi, & fundendi memoria Christum recreabat.

Quanto zelo populi huius salutem Christus quæreret, ostendunt hæc illorum verba: *Descendat nunc de cruce, & credimus ei*, Matth. 27. Dixissent; *constituimus eum Regem*, aut *non ampliùs tormentis in eum sæuiemus*, sed, *descendat, & credimus*, tamquam innuerent fidem illi regno chariorem esse. Præstat hîc audire sanctum Bernardum, qui serm. 1. in die Paschæ ita loquitur: *Hæc planè serpentis astutia, hæc adinuentio nequitiæ spiritualis; nouerat quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur, propterea malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum suggerebat, vt dicerent, Descendat, & credimus, quasi iam nihil obstaret, quin descenderet qui eorum credulitatem tantopere desiderabat*; eorúmque salutem quæ illi regno ipso charior, gratiórque fuisset.

Iudæorum salutem quam ardẽter Christus sitiret. Matth. 27.

S. Bern.

Quòd mare sicco vestigio transierit, hoc tacitè innuebat, & vndam illius pedes refugere, qui veloces ad effundendum sanguinem esse debebant; quò spectabat sanctus Zeno serm. 4. de Exodo, vbi populum Iudæorum alloquens ait: *Per mare ambulas; veloces pedes tuos ad effundendum sanguinem dextra, læuáque in se refugiens vnda testatur.* 935.

Iudæorum pedes ad sanguinem effundendum veloces vnda refugit. S. Zeno.

Iudæis suppares eos facit sanctus Augustinus, qui Dei verbo resistunt; sic ille loquitur conc. 1. in Psalm. 48. *Iudæi quia viderunt, Christum crucifixerunt, tu quia non vides Christum, verbo ipsius resistis; numquid ergo, qui verbo resistis, carnem non crucifigeres si videres?* Addit: *contempsit Iudæus in ligno pendentem, contemnis tu in cœlo sedentem.*

Iudæis pariati, qui Dei verbo resistunt. S. Aug.

Ex eo quòd Barrabam Iesu prætulerunt Iudæi, hac pœna puniti sunt, vt Deus eorum sacrificia repudiauerit, ieiunia reiecerit, festos eorum dies odio habuerit. Opportunè Origenes ad cap. 17. Matth. *Ego*, inquit, *arbitror propter istum diem festum Iudæorum, in quo Barrabas ad vitam electus est, Christus autem neglectus, Dominum dicere per Prophetam ieiunia, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea; & quia magis solemnitatem agere voluerunt cum latrone dimisso, quàm cum Iesu. Si egissent solemnitatem rectè sicut Isaias, aut aliquis similis ei, & data eis fuisset quem vellent petendi licentia, sine dubio Iesum postulassent, Barabbam autem condemnassent.*

Qua pœnâ puniti Hebræi quòd Barabbam Iesu prætulerint. Orig.

Lateribus formandis destinatos legimus ab Ægyptiis Hebræos Exod. 1. Lateres conficiebant, lateres erant, atque adeò huc usque sunt, an lateris modum magis impurantur dum abluuntur. Festiuè sanctus Gaudentius serm. 9. *Israelita semper lauant, semper impuri sunt, &, vt dici solet, laterem lauare; illum laterem, quem parauerunt in Ægypto Pharaoni Diabolo.*

Laterem lauant Israelitæ. S. Gaud.

Iudæorum castra præibat Angelus, sed hic testis erat futurus ingratitudinis, qua populus ille erat infamis; sancti Zenonis hæc sunt verba serm. 2. de Exodo: *Angelus prauius sua castra promouit, vt etiam præsenti Deo probareris ingratus*; & nullam talis ingratitudo veniam mereretur, quam nec ipsius Angeli præsentia anteuertere potuit. 936.

Iudæorum ingratitudo. S. Zeno.

Præiuit Iudæis Angelus, cùm in terram promissionis se conferrent, cur non potiùs sequutus eos est? An vt vel Angeli situ signaretur, à Dei facie eos esse remouendos, & post Dei tergum futuros; quod in hunc modum innuebat idem sanctus Zeno serm. 6. de Exodo: *Iudæi vnde se beatos putant, infelices inde esse nesciuntur: etenim commodius puto misero in statu suo manenti, quàm beato in vltimas miserias deuoluto; nam prædicat patres suos Ægyptium populum fugiendo delesse: Deum suis præfuisse maioribus, eorúmque iter præcessisse, non intelligentes, quia exinde eos à facie sua remotos post suum dorsum cum post futuris abiecerat.*

Infœlicitas Iudæorum dum à Dei facie remouentur. S. Zeno.

Quòd Iudæi inter nos fuerint dispersi, in nostram quoque cedit vtilitatem, prophetias proferunt, quibus illuminemur, ipsi interim cæcitatis tenebris inuoluti, ligneis candelabris sunt pares, lucernam ferunt, vt alij illustrentur, ipsi omni luce vidui. festiuè eos premit sanctus Augustinus

Inter nos Iudæi dispersi nobis vtiles. S. Aug.

conc. contra Iudæos, & Paganos: *Dispersit vos per nos, per vniuersas terras, vt vbique prophetias, de eius natiuitate, passione, Resurrectione, Ascensione, quæcunque dicta sunt, vos perferatis, atque lucernam legis, tamquam lignea candelabra sensu carentia gentibus ministretis. Quod propterea factum esse cognoscite, ne gentes hæc omnia quæ aguntur, dum prædicantur à nobis, dicerent fuisse conficta. Hanc etiam ipsam vestram dispersionem fuisse prædictam, Dauid Propheta declarat, dicens, Ne occidetis eos, nequando obliuiscantur legem tuam, sed disperge eos in virtute tua.*

Lignea candelabra Iudæi.

937\. *Circumcisio imminere Iudæis supplicium signat. S. Zeno.*

Gloriantur de circumcisione Iudæi, cùm eius vulnus imminere illis supplicium potiùs significet; hinc illud sancti Zenonis serm. 9. de Exodo: *Circumcisio testimonium mentis impuræ, iam iámque illis imminere supplicium denotati vulneris inflictu ominatur;* si saperent, ex circumcisione humilitatis occasionem arriperent, non superbiæ, deberet eorum fastus detumescere dum concidi se vident, dum circumciduntur.

Premuntur Iudæi Messiam frustrà expectantes. S. August.

Iudæos Messiam expectantes ita premit sanctus Augustinus conc. contra ipsos, & Paganos. *Confundimini & vos Iudæi, qui lucernam legis in manibus habentes, aliis lumen præbetis, & vos in Sanctis intendere non curastis, sed expectatis quidem & vos vt veniat qui venturus est; & veniet, sed non sicut vultis, veniet: veniet excelsus. Ille qui à vobis interfectus est, nullius criminis reus: manifestus veniet Deus, & videbitis iudicantem, quem contempsistis, miracula facientem.* Sic ille de illis. Ne nos felices, qui infidelitatis veste exuta & venisse Dei filium, fatemur & venturum; tantùm nudæ fidei nemo fidat, animanda operibus fides est, vt simus, qui credimur verè fideles.

Iudæorum cæcitatem Solis obtenebratio significauit. B. Rup.

Iudæorum cæcitatem significare potuit Solis obtenebratio, quæ Christo in cruce pendente facta est. Pulchrè Rupertus lib. 4. de opere Spiritus sancti cap. 8. *Quid*, inquit, *significabat obtenebrati Solis prodigium, nisi illam quæ tunc facta est, & ex tunc permanet cæcitatem Iudæorum. nam quia solem iustitiæ sibimet extinguebant, rectè in obtenebratione Solis huius prodigium suæ cæcitatis aspiciebant.*

938\. *Miseram Iudæorum dispersionem inter fluctus denunciabat. S. Zeno.*

Quòd viam vel in mari Iudæorum populus inuenerit, hoc illius miseram per orbem dispersionem futuram significabat, vt inde miseriæ suæ omen accipiat, vnde se felicem, & cæteris populis prælatum intumescit. Præclarè sanctus Zeno serm. 6. de Exodo: *Prædicat Iudæus Erythræum in geminas ripas medium scissum mare, ductisque dextra, læuaque aggeribus, in aciem stipatis vndarum saluo liquore, arefactam profundi in semet contra se obnixam, stupidam pependisse naturam: viam inter fluctus miscuisse terrenam: quæ vtique non cœlestis populi meritum, sed terreni per orbem totum dispersionis futuræ denunciabat exitium.* Hebræorum per orbis dispersionem fusè alibi expendimus, & traduximus.

Ira Dei in Iudæos desæuiens. Isa. 6. 5. S Method. Psal. 17. 9.

Cùm vidisset Isaias Dei maiestatem in Throno, Seraphim quoque, addit tandem domum fumo esse repletam cap. 6. 5. Methodius homil. de purif. B. Mariæ: *Propterea impleta est domus exultationis eorum fumo; fumus autem iræ signum, atque argumentum, sicut scriptum est: ascendit fumus in ira eius;* nimirum indicare euangelicus Propheta voluit, Dei iram in Iudæorum perfidiam sæuituram. idque in templo, vbi iratum Deum victimis placari consueuerat.

Iudæi boues macie confectæ n...m paleam sectantes. Gen. 41. B Rup.

Boues macie confectas vidisse Pharao perhibemur. Gen. 41. has autem ad Iudæos pertinere, in diuinis litteris paleam sectantes asserit B. Rupertus Abb. in Gen. lib. 8. cap. 41. *Boues*, inquit, *verò fœda, confectaque macie, sine spica tenues & percussæ vredine, Iudæorum sunt, qui occidenti literæ incumbunt, & semper legentes, sempérque legendo solam Scripturæ paleam sectantes nullum saturitatis possunt dare vestigium.* Nos interim à Iudæis discamus paleas non sectari, dùmque miseros inter nos viuere Iudæos videmus, iudaicè non viuamus; à vera sanctitate exules, pietatis hostes, & fidei, inter nos esse Iudæos Deus voluit, vt Iudæorum exemplo Dei iram timeremus.

ADAG. DCCCCXXXVI.

Quis de furfure conficiat pollinem?
Quis de vena ferri argenti fabricet claritatem?

VErum illud sancti Gregorij Nazianzeni de natali Domini: *πονηρῶν σπερμάτων πονηρὰ γεώργια, malorum seminum malæ segetes*; à malis bona expectari vix possunt; ab imprudente scita consilia vix emanant; à superbiæ, & iactantiæ domicilio vera humilitas non prodit; ab impuro puritas non exit; hæc & similia significare si prouerbiali schemate voluerimus, præfixas sententias producemus; in hunc sensum illas adhibuit sanctus Petrus Damianus lib. 6. epist. 9. ait enim: *Quid nobis prodest in vestimento, vel verbo nos velut humiles deiici, intus vero de proauorum titulis, vel fastu sapientiæ singularis super cæteros arrogantes extolli? Nitimur humiliter loqui, humiles videri? Euellatur ex corde radix infixa superbia, & mox etiam si nostra desit industria, videbitur humilitas in sermone. Sed vbi liquor acescit in vegete, suaue vinum in poculo nullus valet haurire.* QVIS ENIM DE FVRFVRE CONFICIAT POLLINEM? QVIS DE VENA FERRI, ARGENTI FABRICET CLARITATEM? Simulare humilitates hostis humilitatem potest, sed vera illa humilitas non est, vniuersè in illarum virtutum simulatores, quibus penitus vidui sunt, iaci hæc prouerbia aptè poterunt.

ADAG. DCCCCXXXVII.

Probè aceto aliquem perfundere.

HAc phrasi olim vtebantur, cùm conuitiis, 939.
& contumeliis aliquem se onerasse significabant; hanc formulam adfert Beatus Ioannes Climacus in scala Paradisi gradu 8. vt suadet conuitia, & probra tamquam animæ lauacrum excipienda; *Inibi*, scilicet in monasterio, *contumeliis, ignominiis, & decumanis tentationum fluctibus expositus, adeóque conuitiis euerberatus, imò verò reuera quandoque pulsatus, & dedolatus, quin & omnino protritus, & calcibus proculcatus, sordes animæ sensibus inhærentes diluat, vt ipsa vox passim vsurpata te doceat probra, & contumelias esse vitiorum animæ lauacrum. Sic enim vulgò loquuntur, quando multis alios conuitiis coràm onerant, eáque de re apud alios gloriantur se hunc; illúmve* PROBE ACETO PERFVDISSE, *& abluisse. Quod & verissimum est.* Plerunque mentis maculas conuitia, contumeliæque abstergunt, quas obstergere vtilia monita non potuere & purior, mundiórque euasit, qui probris, & detractionibus est adspersus.

ADAG. DCCCCXXXVIII.

Ignem inter paleas occultare.

IGnem qui paleis ambit, & operit, paleas exurit, ignem minimè occultat; prouerbialiter dictum istuc vsurpabitur, cùm aliquid alicubi & inutiliter occultatur, & noxiè. Senex quidam, vt habetur in vitis sanctorum Patrum lib. 6. ita de peccati memoria sentiebat: *Qui in anima sua memoriam malitia ligat, similis est* IGNEM INTER PALEAS OCCVLTANTI; nihil refert & ad paria porrigi, in quibus rei alicuius occultatio & frustra sit, & damnum aliquod parturiat, & vniuersè ad ea, ad quæ conatus irritus est, & inanis labor.

ADAG. DCCCCXXXIX.

Nec folium arboris sine Dei nutu defluit.

VVlgò scitissima loquutio, cùm significare volumus nihil casu accidere, omnia Dei voluntate fieri, à qua nec quid leuissimum exire potest. Sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 4. formulæ huius meminit, dum ait: *Non ergo vos, sed ipsum rogo,* SINE CVIVS NVTV NEC FOLIVM ARBORIS CREDO DEFLVERE, *vt cor vestrum, quod in manu tenet, si mihi salus est, in meam dignetur beneuolentiam inclinare.* Huc facit & illud Tertulliani lib. 1. de vnis nuptiis cap. 7. *Super hac enim recogites moneo, neminem nisi ex Dei voluntate de seculo duci, si* NEC FOLIVM *quidem* EX ARBORE SINE DEI VOLVNTATE DILABITVR.

ADAGIVM DCCCCXL.

Iordanem in lachrymas versum per oculos defluere.

940. PRouerbialis hyperbole de copiosissimis lachrymis, quas ingens dolor excutiat, vehemens exprimat contritio. hoc sensu hanc sententiam adhibuit Beatus Ioannes Climaeus in scala Paradisi gradu 10. *Quicunque sua ipsius vitia sine amoris proprij velo accuratè perspexerit, nullius rei alterius humana curam suscipiet, vt qui intelligat nullum tempus ad sua sibi peccata deflenda sufficere, etiamsi centum annos viueret, videretque totum* IORDANEM IN LACHRYMAS VERSVM EX OCVLIS SVIS DEFLVERE.

ADAGIVM DCCCCXLI.

Babylonica turris.

OPus facientis fastum, superbiam, iactantiámque veluti digito commonstrantis *turris Babylonica* prouerbialiter dicetur; turrim Babylonicam in se erigit, qui ea superbè, tumidè, & temerè præstat, quibus nominis sui famam celebret, & ad posteros transmittat; sanctus Bernardus serm. 5. de Assumpt. B. Mariæ Virginis ita loquitur: *Cor humanum, priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muróque obstinationis clauditur, atque in interiori latitudine sua* BABYLONICA TVRRIS *erigitur*; tutior meliórque fabrica est, quam vsque ad cœlum humilitas erigit; sanctus Augustinus lib. 16. de Ciu. Dei cap. 4. de Turris fabricatoribus loquens, ait: *Quid futura erat humana, & vana præsumptio? cuiuslibet, & quantumlibet in cœlum aduersus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes transcenderet vniuersos, quando spatium nebulosi aeris huius euaderet? Quid denique noceret Deo quantumcunque vel spiritualis, vel corporalis elatio? tutámque verámque in cœlum viam molitur humilitas sursum leuans cor ad Dominum, non contra Dominum.*

ADAGIVM DCCCCXLII.

Iunco hostem suum ligare.

QVi infirmo admodum vinculo aduersarium suum tenere se putat, is iunco eum ligare dicetur; res eò festiuior euadet, quò longiùs trahetur; sanctus Ioannes Climacus in sua scala gradu 15. ita loquitur: *Qui hunc aduersarium suum suis laboribus, & sudoribus vincere conatur, perinde facit atque is, qui* HOSTEM SVVM IVNCO LIGAT.

ADAG. DCCCCXLIII.

Adhuc in scammate constitutus.

SEnsus est, adhuc dubia victoria est certami- 941.
nis, anceps est alea, pugnę tempus est, non est præmij, non est laudis. Hoc prouerbiali dicto à torpore, ab vmbra, & otio aliquem auocabimus, ad laborem vrgebimus, ad pugnam, tutámque adhuc laudem non esse significabimus; Ioannis Cassiani hæc sunt verba collat. 6. c. 16. *Quicquid per diligentiam vel acquiritur, vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire; ideóque dicitur: Ne beatificet hominem ante exitum suum; quòd videlicet adhuc in colluctatione quis, &, vt ita dixerim,* SCAMMATE CONSTITVTVS, *quamuis vincere soleat, ac frequentes palmas victoria consequatur, non potest tamen à metu, ac suspicione incerti prouentus esse securus.* Huc facit & illud sancti Ambrosij lib. 1. offic. cap. 16. ADHVC *populus spectat, adhuc athleta* IN SCAMMATE SVNT, *& tu iam otium quæris?* Laboris, & pugnæ tempus est, nondum est coronatum, nondum præmij, ante victoriam merces non est quærenda. *Quid praproperè*, eiusdem sancti Patris sunt verba eodem loco, *coronam exigis, antequam vincas? Quid detergere puluerem, quid requiescere cupis, quid epulari gestis antequam stadium soluatur?* Sancto Hieronymo de scammate egredi est locum certaminis deserere, & difficultatis nodum, quæ præcipuè agebatur, in aliena excurrere; hæc illius verba epist. 61. quæ est ad Pammachium aduersùs errores Ioannis Ierosolymitani: *Cùm ergo ista quærantur, cur tu omissis super quibus pugna est* DE SCAMMATE *& loco certaminis egrediens, in peregrinis & longè alienis disputationibus immoraris?* Posteriora verba priorum sunt exegetica, vt de scammate egredi, sit à loco certaminis abire, & prouerbiali figura ab eius rei tractatione discedere, quæ cardo quodammodo est, & propter quam præcipuè instituta pugna fuerat, instituta disputatio.

ADAG. DCCCCXLIV.

Creuit caput.

DE homine, qui oblata laude intumescebat, 942.
& in arrogantiam adulatione inflatus, pro-

uerbialiter hoc ollm dicebatur; ita sanctus Augustinus epist. 147. *Collatorem, & disputatorem, non assentatorem, & adulatorem se esse cupiebat; nam hoc est oleum peccatoris, quo Propheta non vult impinguari caput. Ita enim dicit: Emendabit me iustus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Mauult enim seuera misericordia iusti emendari, quàm leni adulationis vnctione laudari. Vnde etiam illud propheticum est: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. Ideóque de homine, quem falsa blanditiæ faciunt arrogantem, rectè etiam vulgo dicitur:* CREVIT CAPVT, *impinguatum est enim oleo peccatoris, hoc est, non aspera veritatem corrigentis, sed leni falsitate laudantis.* In libri ora editor posuit παροιμία, vt prouerbium esse hoc dictum, vel eius calculo probaretur.

Væ illi, cui ab hoc adulationis oleo caput intumescit, & inflatur; magnus ille est, cui integrum stetit caput, licèt hoc oleo perfusum. Audiendus hîc idem sanctus Pater enarrat. in Psalm. 140. *Et si ille attulit oleum adulationis, sed caput tuum integrum mansit, non inflatum est, non tumuit; si enim inflatum fuerit, & tumuerit, facit pondus, & præcipitabit se;* quis tanta mala à tanta olei huius lenitate timuisset? qui sapit, hoc oleum quocunque veneno nocentius vitabit, aut saltem non sinet caput eo adspersum intumescere.

ADAGIVM DCCCCXLV.

Vnxi illi caput.

943. SVperiori affine hoc prouerbium est, & in falsæ laudis obiecta alios decipientes appositissimè quadrat; sanctus Augustinus huius formulæ meminit in Psalm. 140. ad illud: *Oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum*, sic enim ille legit, & addit ad explicatum: *Quid vt oleum peccatoris non impinguabit caput meum? non crescet caput meum de adulatione. Falsa laus adulatoris, hoc est, oleum peccatoris; propterea & homines, cùm falsa laude aliquem irriserint, hoc etiam de illo dicunt:* VNXI ILLI CAPVT. Pergit statim: *Amicè ergo argui à iusto in misericordia, nolite amare laudari à peccatore cum irrisione;* huc vocat quod de oleo quoque virginum prudentum dicitur Matth. 5. *Habetote oleum vobiscum, & non quæratis oleum peccatoris; sapientes enim virgines secum portabant oleum; id est, conscientia illarum illis testimonium perhibebat;* laudabilis quisque sit, ac non quærat laudari.

Valde noxium hoc oleum est, ex quo spinæ, tribulique pullulant; de hoc oleo ita sentit sanctus Bernardus serm. 2. in die Apostolorum Petri, & Pauli: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea siquidem pinguedine, quam generat oleum peccatoris, abundantiùs pullulant spinæ, & tribuli, & omnis radix amaritudinis generat copiosiùs.*

De exhibitæ laudis oleo rectè philosophatur sanctus Petrus Damianus lib. 4. epist. 9. dum ait; hoc ipso quòd quis laudibus quempiam onerat laude indignum censere, vt oblata laus accusatio quædam sit; rem his verbis ille exponit: *Confiteor in Domino meo, quod sæpè versatur in animo meo, quoniam quisquis me in os meum laudat, cupidum me proculdubio attentatoria laudis accusat. Remordente scilicet conscientia protinus aio; cùm ritè mihi loqui venit ad votum, méque conetur beneuolum reddere, nunquam me oleo delinifica suauitatis aspergeret, si me delectari laudum fauoribus non sperneret; in mea igitur laude confundor, & dum magnificari videor, erubesco; ipse quippè me fauor obiurgat, qui laudis auidum, & is, qui mihi videtur laudatus, existimat;* verè laude indignus est, cui putatur oblata laus grata futura; maior omni laude est, qui omni laude se putat indignum, & laudantibus se dedignatur.

Fornax aliena lingua est, quæ siue laudum, siue vituperationum flammis nos amburit; in hunc sensum aiebat sanctus Augustinus lib. 10. confess. cap. 37. *Quotidiana fornax nostra est humana lingua.*

Aurum, argentúmque reprobum est, quod aliena lingua obiectis laudibus absumit; huc spectabat sanctus Gregorius lib. 22. moral. cap. 5. *Qualis sit*, inquit, *in eo quòd laudatur, ostendit. si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud, quàm aurum, vel argentum reprobum fuit, quem videlicet fornax lingua consumpsit?* Legitimum, optimæque vitæ aurum, & argentum est, quem alienæ linguæ fornax laudum fusu perficit, & depurat.

Fugiendos assentatores docebat sanctus Petrus Damianus lib. 2. epist. 12. *Noli te in assentantium blandimenta proiicere, ne dum te lenium hominum vana verba delectant, ad instar Tobiæ mentis oculos hirundinum stercus abducat.* Sic ille. De adulationis oleo hîc plura non adiicio, cùm alibi multus in hac re fuerim.

ADAGIVM DCCCCXLVI.

Alterius festucæ eruendæ trabe pro scalpello vti.


QVi asperius quàm deceat, durius quàm oporteat medicam alterius morbo manum admouebat, & acerbius errantem arguit, quàm ferre eius imbecillitas possit, nec leui eum reprehensione tangit, is prouerbiali formula trabe dicetur vti in alterius festuca eruenda scalpelli vice; in hunc sensum hanc sententiam adhibuit Beatus Ioannes Climacus gradu 8. suæ scalæ; SI FESTVCAM, inquit, ALTERIVS SANARE VIS, *aut velle te potiùs arbitraris, caue ne* PRO SCALPRO, TRABE HANC DERADAS, *aut potiùs deases, & retundas. Trabs est aspera compellatio, & indecentes gestus. Scalpellum verò benigna institutio, & lenta lenisque reprehensio, seu obiurgatio. Argue, inquit, increpa, obsecra, sed ne verbera:* nimis asper non sit qui reprehendat; vt damnanda nimia mollities, sic & improbanda seueritas nimia; sed & ille, qui corripitur, fortiter ferre correptionem debet vt non statim frangatur. Scitè rem versat sanctus Petrus Damianus lib. 6. epist. 9. *Caue*, inquit, *frater, ne quæ dicimus, mens tua grauiter ferat, ne sub correptionis malleo puluefacta dissiliat, & hoc esse quod reprehenditur, per hoc etiam clariùs innotescat. Humanam quippe mentem superbia vitream reddit, vt correptionis ictum per impatientiam ferre non possit. Vitrum nempe dicitur, quia visu penetratur, atque ideo si robur haberet soliditatis, cæteris poterat eminere metallis: sed quia citiùs rumpitur, vili pretio taxatur. Ita quis ad correptionis ictus per impatientiam frangitur, etiamsi cæteris virtutibus polleat, soliditatem virium se non habere demonstrat.* 944.

Vt igitur qui corrigit, correctionis modum seruare debet, vt nimia seueritate delinquentem non lædat; sic & delinquens dum corrigitur, tali fortitudine præditus esse debet, vt ictus correptionis non ferens per impatientiam in ramenta, & puluerem non dissiliat.

ADAG. DCCCCXLVII.

More perdicis foues, quem non peperisti.

945. PErdicis hanc esse naturam prodcunt, vt alterius perdicis oua furetur, eis incuber, & foueat, cúmque fœtus eruperit, & adoleuerir, ab ea auolare, falsáque parente relicta veræ adhærere. Prouerbium in auaros quadrabit, qui alienis opibus incumbant. Áduocari huc possunt sancti Ambrosij verba, qui epist. 48. *In prouerbio est de diuite auaro: quia perdix iste congregat diuitias non cum iudicio.* Vniuersè qui aliena inuadit, & furatur, perdicis more aliena oua dicetur fouere: sanctus Petrus Damianus Abbatem quendam, qui monachum transfugam in suo monasterio detinebat, eíque persuadens, vt reuerti ad suos fineret, suóque monasterio restitui, sic alloquitur lib. 6. epist. 15. *Cur lactas, quem non gemuisti? vel* MORE PERDICIS, CVR FOVES, QVEM NON PEPERISTI? *hoc est enim naturale perdicis, vt aliena furtim oua surripiat, eaque tamquam propria eousque confoueat, donec fœtus erumpat; sed cùm pulli vocem matris audiunt, eam natura docente indicio recognoscunt; & falsa matre contempta protinus ad veram perniciter reuertuntur*; & nonnullis interiectis, addit; *Quisquis ergo alienum tollit violata fide dissipatum, Antichristi proculdubio imitatur exemplum, & sicut ille quod alienum est, more perdicis amittit, sic iste, quod vsurpatum est, æquitatis interueniente iudicio non tenebit.* Sanctus Ambrosius epist. 47. *Derelictus est in dimidio dierum suorum* PERDIX, *qui clamauit, vt congregaret, quæ non peperit, & oppressus est voce Domini Iesu; denique adornat fugam.* Perdix Diabolus est, qui eos congregat, quos non peperit; idem sanctus Ambrosius epist. 48. *Clamauit* PARDIX, *qui a perdendo nomen accepit, satanas ille, qui Latinè contrarius dicitur; clamauit in Eua primùm, clamauit in Cain, clamauit in Pharaone, Dathan, Abiron, Chore; clamauit in omni vano perfido. His vocibus congregauit sibi populos, quos non creauerat; Deus enim hominem ad imaginem suam fecit, & Diabolus sibi hominem vocis suæ fraude sociauerat; at verò meus Iesus deprædatus est perdicem illum Diabolum, abstulit ei malè congregatas diuitias multitudinis, reuocauit ab errore animas gentium mentésque nationum deuiantium; & quia Diaboli voce deceptas sciebat, & ipse vt vincula, nexúsque veteris erroris solueret; clamauit primum in Abel, cuius clamauit vox sanguinis; clamauit in Moyse, cui dixit; quid clamas ad me? clamauit in Iesu Naue, clamauit in Dauid; clamauit in manibus Prophetis; clamauit etiam in corpore suo, sicut scarabeus in ligno; clamauit vt insidiatorem falleret, & circumueniret, dicens: Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* clamauit, vt dispoliaret respondens latroni: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Itaque vbi clamauit Iesus, continuò perdix ille à congregatis in dimidio dierum suorum derelictus est*; sic ille, quod verè traditur de perdice alienis ouis eam incubare; fœtúsque cùm prodierint, & excreuerint, audita veræ matris voce à falsæ parentis consortio abire in hunc modum Christo accommodat; qui verus est parens animarum, & dæmoni qui parens falsus, & verus perdix; ait igitur sanctus Ambrosius: *Vnde & quidam natura perdicis etiam istud aptandum putarunt, eo quòd aliena diripiat oua, & foueat suo corpore, atque hac sua fraude partus alienos studeat acquirere; sed (quod aiunt cornicis oculum, habent enim, & volatilia suas artes) vbi istud aduerterit, cuius aut singula oua direpta, aut cubile fuerit inuasum, sollicitata soboles errore similitudinis, speciei simulatione decepta, & si infirmior viribus, induit se atque armat versutia, & cùm labor omnis impensus nutrimentorum educantem exhauserit, atque adolescere pulli cœperint, tunc vocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem aduocat; quæ naturali quodam auditu excitata agnoscit parentem, & simulantem deserit. Ita cùm vult congregare, quæ non peperit, amittit quos nutriendos putauit. Non superfluo igitur & Iesus clamauit; vt quia totius mundi populus voce perdicis, blanditiis, arte, specie deceptus ab authore proprio deuiauerat lubricas artes secutus, veri parentis voce reuocatus fallacem relinqueret, atque in dimidio dierum eius fraudolentum desereret, idest, ante huius finem sæculi, cui nos eripuit Dominus Iesus, & ad vitam æternam vocauit. Itaque nunc mortui mundo, viuimus Deo. Cùm igitur perdix iste penitus à falsis filiis derelictus fuerit, tunc erit stultus ille, quem elegit Deus, eripientem confudit, saluus: quoniam quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. Ideo si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Succurrit & sanctus Petrus Damianus loco superiùs producto, cùm quod vniuersè de iis, qui alienos alumnos suffurati fuerunt, dixerat ad Satanam, in hunc modum coërcet: *Hiemias ait; Perdix fouet quæ non peperit; fecit diuitias, & non iudicio; in dimidio dierum suorum relinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens; nempè saluo eo, vt de his, qui alienos furantur alumnos, hoc possit intelligi; videtur tamen de totius auctore nequitiæ principaliter dici. Diabolus enim tamquam Doctor in Cathedra pestilentiæ super homines, sibi magisterium vsurpauit, quos ipse non condidit, & errorem nos docendo quasi fouit, quos creando non peperit. Fecit itaque diuitias, & non in iudicio, quia dum rebus alieni iuris ditescere voluit, æquitatis iudicium temerauit, sed in dimidio dierum suorum relinquet eos; Diabolus enim quasi adhuc viuit, dum eum vltimi iudicij gladius necdum transfodit; nondum itaque mortuus suas diuitias relinquit, quoniam ad creatorem suum genus humanum ex maxima parte iam rediit; homo igitur magistrum deserit abusiuum, hæreditat proprium, cùm nouum damnat errorem, & ad sua reuertitur conditionis originem.* Hactenus ille. Perdix igitur dicetur qui res alienas inuadit, aut etiam personas, iustè tandem amissurus, quod iniustè surripuerat.

ADAG. DCCCCXLVIII.

Aspidis surdæ ritu.



QVi vtilia monentis verba audire non 946.
vult, aurésque salutaribus monitis occludit, is hac prouerbiali comparatione percellctur. Sanctus Gregorius Nazianzenus apolog. 1. ita loquitur: *Vel etiam obstructis* ASPIDIS SVRDÆ RITV *auribus nostris obstinato studio in hoc incumbimus, vt ne incantantium vocem audiamus, sapientiaque fascino, quo animæ morbus curari ac discuti solet, fascinemur.* Sanctus quoque Bachiarius epist. de recip. lapſ. ad Danutium huic formulæ inhærens, aiebat: *Tu habebis in die iudicij duplicem pœnam, si,* VELVT ASPIDES SVRDÆ, *incantationis nostra verba respueris: aut aspernandum credideris, aut rogantis verbum, aut monentis consilium, aut dolentis affectum.*

ADAGIVM DCCCCXLIX.

Proteum induere.

Adagialiter ille Proteũ induit, qui varias formas induit, varios mores; S. Petri Damiani lib. 1. ep. 15. hæc sunt verba: *Labyrintheas argumentorum scenas struũt,* PROTEVM INDVVNT, *& in diuersa se formarum monstra conuertunt, cuncta languorum genera simulant, vt quod potissimum metuunt, languorem ieiunij non incurrant*; sic ille, eos vellicat, & premit, qui à ieiunij onere se excusationibus eximebant. Sanctus Hieronymus lib. 2. in Iouinianum, Proteum eum vocat à varietate opinionum, atque formarum; *Miror,* inquit, *quomodo serpens lubricus, &* PROTAVS NOSTER *in variarum se mutet portenta formarum; & qui in saturitate Epicureus est, subitò in retributione meritorum stoicus efficitur; Hierosolymam Lithio, Iudæam Cypro, Christum Zenone commutat*. Philo libro de temulentia ait, eum qui vulgaribus opinionibus ducitur, & facilè mutatur, species varias sibi inducere αἰγυπτίου πρωτέως τὸν τρόπον, *in morem Ægyptij Protei.* Nicetas quoque Choriates huc spectauit in Alexio, dum scribit: *Perspecto in eius litteris* MVLTIFORMI PROTEO, *tyrannico Andronici ingenio, velut in claro speculo relucente.* Versatilis vir ingenij fraudibus, artibúsque variis consutus, vt alius semper appareat, Proteus audiet.

ADAGIVM DCCCCL.

Probus amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur.

VErorum amicorum penuriæ explicandæ hoc dictum olim prouerbij vice iactabatur; illius meminit Beatus Alcuinus epist. 86. *Sicut gemmarum fulgor inter arenosam splendescit gloriam, ita* AMICVS PROBATVS *inter multitudinis circumstrepentem turbam gratissimè eruitur, amplexatur, tenetur. Qui, iuxta antiquitatis prouerbium,* DIV QVÆRITVR, VIX INVENITVR, DIFFICILE SERVATVR; atque adeò cùm inuentus est, diligenter custodiendus est, cautè seruandus.

EXCVRSVS CLIV.

Fidus amicus inuentu difficilis, amici inuenti vtilitas, characteres.

Amicus *in* hostem *facilè mutatur.*
Plerique amici argento viuo *pares.*
Fidelis amici notæ.
Fidelis amici vtilitas.
Soli *amici comparati.*
Amicitia sal *in tribulationis fluctibus plerunque perit.*
Amicus harundineus *haud amicus.*
Fidi amici consilia *vnguento comparata.*
Amicus ab animi custodia.
Amicus amici custos.
Amicitia murus.
Amicus animam *pascit.*
Amicis abutitur qui illis tamquam recentibus floribus *vtitur.*
Amici animo suum adiungere, *&* admiscere *amicus debet.*
Amicitia vectigalis *non sit.*
Cauendum ne sub amicitia nomine negotiatio, *&* mercatura *exerceatur.*
Amici memoria *in amico minimè deleatur.*

AMicum verè fidum rarò inuenire, ægréque 947.
veram in pectoribus amicitiam coalescere ex nomine ipso colligi potest, quod cum voce ἔτος cognationem habet, amorem autem illoc significat, istuc litem. Pulchre nuperus Poëta,

Nondum alter Pylades, nondum alter natus Orestes. *Amicus in hostem facilè mutatur.*
Rara est in terris fidus amicus auis.
Cuilibet ergo caue, nudes ne pectus amico.
Hic Damon poterit crastinus esse Theon.
Tam CITÒ *nunc certe* MVTATVR AMICVS IN HOSTEM,
Quàm citò mutatur nomen ἜΡΩΣ *in* ἜΡΙΣ.

Argentum viuum, quod auro adeò amicum, se ab illo subdocit, statim euanescit, cùm aurum in igne est; vera hæc falsorum amicorum consignatio, vera adulantium nota, amico hærent dum extra tribulationis ignem est, vbi flamma ista sæuire inceperit, statim abeunt, & fugiunt. *Infamis quæstus est,* inquit Hildebertus epist. 2. *proximum colere, dum succedit, dum malè est ignorare.* *Plerique amici argento viuo pares.* Hildeb.

Fidelem amicum in hunc modum efferebat 948.
sanctus Gregorius Nazianzenus ad Greg. Nyssenum: *Amicus fidelis protectio fortis, & munitum palatium. Amicus fidelis cuius thesaurus est. Amicus fidelis, hortus clausus, fons obsignatus, qui opportunè aperiuntur, & communicantur; amicus fidelis refrigerij portus.* *Fidelis amici nota.* S. Greg. Naz.

De fidelis amici consortio egregium apud Hebræos dictum circumfertur, quod tale est: *Homo sine socio fideli est sicut dextera absque sinistra.* & Bensyra: *Potior est amicus bonus quam aurum in vita.* Anonymus in anthol. lib. 1: *Fidelis amici vtilitas.* Hebr. Anonym.

Θησαυρὸς μέγας ἐσθ' ἀγαθὸς φίλος.
Thesaurus magnus est bonus amicus.

Publius Mimus; *Tanti homo est absque amico, quanti corpus absque spiritu est.* Pub. Mim.

Soli pariabat amicos, quin & præferebat, sanctus Chrysostomus homil. 2. in epist. 1. ad Tessal. ait enim. *Melius est vt* SOL *nobis extinguatur, quàm vt priuemur amicis. Melius est degere in tenebris, quàm amicis priuari. Et quomodo? Ego dico. Multi solem videntes sunt in tenebris. Abundantes autem amicis, ne fueris quidem in afflictione. De amicis loquor spiritualibus, qui nihil præferunt amicitiæ. Talis erat Paulus.* Huc facit & illud sancti Ambrosij lib. 1. offic. cap. 32. *Tolle ex vsu nostro beneuolentiam, tamquam* SOLEM *è mundo tuleris; ita erit, quia sine ea vsus hominum esse non potest.* 949. *Soli amici comparati.* S. Chrys. S. Ambr.

Sali amicitiam comparatam obseruo, qua scilicet amicorum animi veluti sale condiuntur: scitum illud in sententiis Ethico-politicis,

Amicitia SAL *est vita mortalium.*

Sal in aquam coniectum liquescit, & perit, & amicitia sæpe aduersitatum fluctibus, quibus amicus iactatur, absumitur, nisi firmissima sit. Infirma arundineaque amicitia à veræ amicitiæ nota multum abest, amicus verus non est, qui vel leui aduersitatis aura ab amicitię cinctu se sinit diuelli. Audiendus hîc Petrus Abbas Cellensis, qui lib. 5. epist. 21. ita sentit, ita scribit: *Nescit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur* ARVNDINEM *Amicitia sal in tribulationis fluctibus plerunque perit. Amicus arundineus haud amicus.* Pet. Cell.

vento

vento agitatam. Sine profunda radice amicitia, accidens est, non substantia, species, non virtus, fœnum de tecto, quod antequam euellatur arescit.

Fidi amici consilia vnguento comparata. B Laur. Iust.

Fidelis amici consilia, quam dulcia amico sunt, vnguenti similitudine explicat B. Laurentius Iustinianus de charit. cap. 15. *Sicut* VNGVENTO, *& varijs odoribus delectatur caro, ita boni amici consilijs, & fraterna dilectione anima dulcoratur.*

950. *Amicus ab animi custodia.* S Isid. Hisp. *Amicus amici custos.* S. Chrysost. *Amicitia murus.*

Amici nomen ab animi custodia deducit S. Isidorus Hispalensis lib. 10. Orig. lit. A. *Amicus*, inquit, *per deriuationem quasi animi custos.* Ambiant Reges hastati, & lancearij, tutius munimen amico ab amicis est; scitè S. Chrysostomus hom. 40. in Act. Apost. *Qui multos amicos habet, a nullo capi potest. Hic omninò tyranno fortior est, non sic Regem lancearij custodiunt, vt hunc amici, & est hic illo multum clarior. nam ille quidem à seruis custoditur, hic autem ab his, qui in pari honore sunt.* Iure amicitiam muro componit, quem nec Diabolus rumpere potest, nec possunt homines capere, nec diruere; sic enim eodem loco idem auctor scribit: *Verè amicitia* MVRVS *est, & nec à Diabolo capitur, nedum ab hominibus.* Amicus amicum munit, imò & amici animam pascit; sancti Nili hæc sunt verba in cap. paræn. Ἡδὺς ἐκεῖνος ὁ φίλος, ὁ ψυχὴν διατρέφων. id est, *Dulcis ille amicus est, qui animam pascit.*

Idem.

Amicus animam pascit. S. Nilus.

Amicis abutitur qui illis tamquam recentibus floribus vtitur. Sid. Apoll.

Malè amicis vtitur, qui illis vtitur tamquam floribus, qui grati sunt dum sunt recentes, reiiciuntur dum non sunt; non paucis illud conuenit, quòd in quemdam iactabat Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 14. *Porrò videbere sic amicis vti quasi floribus tamdiu gratus, donec recentibus.* Flaccescit citò amicitia, quæ amicos tamquam flores spectat, tamquam flores amat.

951. *Amici animo suum adiungere, & admiscere amicus debet.* S Ambr. *Amicitia vectigalis non fit.* Idem.

Porrò amici animo amicus miscere quodammodo suum debet, vt vnum quid ex ambobus fiat. Præclarè S. Ambrosius lib. 3. offic. cap. 16. *Quid est*, inquit, *amicus nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas, atque applices, & ita misceas, vt vnum velis fieri ex duobus, cui te tamquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas.* Addit statim: *Nihil ipse commodi tui causa inhonestum petas.* NON *enim* VECTIGALIS AMICITIA *est, sed plena decoris, plena gratia.* Incommoda illa amicitia est, quæ commoda tantùm quærit, detrahit amicitiæ dignitatem suam, qui illam parat ad suam vtilitatem; alioquin non amicitia, sed negotiatio, ac mercatura. Benè Basilius Imperator ad Leonem filium, cap. 26. *Eos amicos veros indica, qui te non lucri causa diligunt, sed propter ipsam amicitiæ virtutem; alia enim amicitia, quæ tempori inseruiens, non tam amicitia, quàm negotiatio, & mercatura quadam esse deprehenditur.* Eadem ferè mente Seneca epist. 9. *Ista quam tu describis negotiatio est, non amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ quid consequutura sit spectat*; & Cicero 1. de nat. Deorum, cap. vlt. *Amicitia si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quadam vtilitatum suarum.*

Cauendum ne sub amicitia nomine negotiatio, & mercatura exerceatur. Basil. Imp. Seneca.

Cicero.

Amici memoria in amico minimè deleatur. Liban.

Amici memoria in amico oblitterari nunquam debet, vt quilibet amico suo dicat, quod suo Leontio dixit Libanius: *Tantùm abest, vt possim obliuisci tui, vt potius membra corporis mei sine spiritu moueantur, quam sine tui memoria viuere possim*; quò fortior, firmiórque amor est, eò altiùs amici memoriæ amicum scribit.

ADAGIVM DCCCCLI.

Habens pugillum aureum, frangit murum ferreum.

ITa est, nihil auro resistit, nihil auro imperuium est, auri vi, pecuniæque potentiæ explicandæ hoc dictum olim non sine prouerbij sale vulgò iactabatur; hinc sancti Petri Damiani lib. 1. epist. 21. impium Cadaloum seuerè arguentia verba: *Phalangas planè, quæ te sequuntur, ad tua signa militiæ, non tam litui, buccinæ, vel tubæ clangor excitat, quam vena metalli vibrantis inuitat.* HABENS *enim, vt aiunt rustici,* PVGILLVM AVREVM, FRANGIS MVRVM FERREVM; vsurpabitur quoties quis ad negata, & lege inhibita sternit sibi auro viam, aditum sibi pecunia facit, impedimenta omnia amouet, omnia vincit auri vi, pecuniæ telis. 952.

Hoc dictum tanquam prouerbium profertur quoque à Glabro satis antiquo scriptore, qui lib. 4. cap. 1. sic loquitur de pecuniæ vi, & argenti aurique cupiditate. *Quid non pertentat sæuus amor habendi? Estque prouerbium:* AVREO PVGILLO MVRVM FRANGERE FERREVM, *vt philargyria queat appellari regina mundi.* Porrò, quia hîc sumus, temperare mihi nequeo, quin de hac auri vi, ac diuitiarum fortitudine complura huc adueham, non illustrando tantùm huic adagio, sed etiam luci multis sacrarum litterarum locis aliàs cæcis, & subobscuris immittendæ, imò & prophanarum, & vna eadémque operâ, & sacris facem per prophana præferamus, & prophanis per sacra. Ideo sit

EXCVRSVS CLV.

Auri, argenti, & pecuniarum vis, ac fortitudo.

Auri *nexus, &* fortitudinis.
Omnia aurum arietat, omnia deuastat.
Auri vis *omnia expugnantis.*
Auri eloquentia *omni alia maior.*
Aurum Senatoribus præsidet, *Imperatoris, & Regis auctoritate potitur.*
Fortissimos *aurum obcæcat.*
Forte *auri epithetum.*
Fortitudinis *nomine aurum significatur.*
בצר *quid. aurum hominum* munimen.
Thesauri vrbis munitæ *loco.*
Fortitudo *vt cum argento cohæreat.*
Argenti vis quanta.
Pecuniæ, *&* fortitudinis *nexus.*
Omnes ferè expugnat *pecunia.*
Nummus iniustitiæ auctor, *sæculi dominator.*
Mamona à fortitudine, *& firmitate.*
Pecunia in amatores suos fortitudinem *ostendit, dum eos conficit labore, & delassat.*
Fora pecuniæ defatigat.
Pecunia aries *omnia sibi sternit, & submittit.*
Homine maior homo, qui aurum contemnit, *& pecunias.*

953. *Auri nexus, & fortitudinis.* Tzet.

AVri vis magna, magna pecuniarum fortitudo; imbecillis omnis alia est huic comparata; nihil est adeò firmum quod aurum non arietet, & deiiciat, cum auro fortitudinem cohærere affirmat his verbis Tzetzes chil. 7. hist. *Aurum, fortitudo, prudentia, intellectus, pulchritudo omnibus hominibus.* Quàm acriter in homines aurum sæuiat, probè explicat flammæ omnia depascentis similitudine sanctus Petrus Chrysologus serm. 29. *Auri furor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendiis, & acrius homines dissoluit in terra, quam soluitur in calore flammarum;* quis ab his flammis non sibi timeat, ab hoc furore? Pergit, & auri omnia deuastantis damna recenset; *Crudelitatis Dominus, sanus hostis, amando lædit, nudat vitando, ipsum captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, imperat latrocinium;* vires suas in omnes exserit, & neminem timet, nisi contemptorem; solus auro tutus occurrit, qui aurum calcat, & negligit.

Omnia aurũ arietat, omnia deuastat. S.Pet.Chrys.

954. *Auri vis omnia expugnantis.* Ant. in Mel. Lucian. Eurip.

Antonius in Melissa serm. 34. de auri vi: *Quæ nequeunt armis capi, facilè expugnantur auro, nihil non subiicitur argento;* Lucian. in Gall. ex Eurip. *Aurum est quod omnibus imperat mortalibus.* Auri vim quacumque eloquentia superiorem esse exempla plurima euincunt; Euripides hanc vulgò sententiam inhæsisse ostendit in Medea, dum ait,

——— πειθεῖν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος,
Χρυσὸς δὲ κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς. id est,
Donis vel ipsos dictitant flecti deos.
Certè inter homines, mille dictis luteum
Præpollet aurum prorsus ac præponderat.

Auri eloquentia omnis alia maior. S.Greg.Naz.

Muta omnis eloquentia est si auri eloquentiæ comparetur. hinc illud sancti Gregorij Nazianzeni in sententiis: AVRO LOQVENTE, *iners est omnis oratio, persuadet enim illud, etiamsi vocem nullam edat.*

Aurum Senatoribus præsidet, Imperatoris, & Regis auctoritate potitur. S.Pet.Dam.

Rex, & Imperator auctoritates in eos, qui infra ipsos sunt, exerceat; exercet non minus in omnes aurum; & licèt in arca, sacculóque seruetur, vim tamen suam foras emittit. Audiendus hîc S. Petrus Damianus, qui opusc. 12. cap. 29. ita loquitur: *Aurum nunc ipsis* SENATORIBVS *præsidens in tribunalibus iudicat, & velut* IMPERATOR *quidam pragmatica sanctionis edicta promulgat. Sicut enim* REX *in secretalibus aditis de regni statu, de rerum summa deliberat quodammodo; sic aurum & latet in occulto, & sententiam depromit in publico. In sudario angusto concluditur, & decisis negotiis, calculos iudiciales apponit.*

955. *Fortissimos aurum obcæcat.* Vetus dict.

Fortissimos quosque ad auri fulgorem excæcari videmus quotidie, & viderunt illi, qui ante nos fuerunt; vt vetus illud dictum in sententiis in Ethico-politicis ab antiquis ad nos transmissum refertur.

Excæcat auri fulgor vel FORTISSIMOS.

Forte auri epithetum. Isa. 13. 12. Oleast.

Hebræis *forte* auri epithetum est; Isaiæ 13. 12. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Oleaster, *Et hominem magis, quàm aurum ophir;* addit ad explicatum: *Sonat Hebræus* פז *paz obryzum, robustum, seu* FORTE, *quia aurum optimum,* FORTE *dicitur: cùm tamen ad oculum appareat; aurum quanto flexibilius, tanto melius,* sed licèt flexibile sit, fortitudinem suam tamen ostendit, dum vires in humana corda exerit; auri flexibilitas flexibiles hominum mentes reddit.

Fortitudinis nomine aurũ significatur. Isa. 8. 4.

Hinc factum vt fortitudinis nomine aurum significetur; Isaiæ 8. v. 4. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ;* per Damasci fortitudinem aurum illud intelligere possumus, eósque thesauros qui infanti Christo dum adhuc in præsepio lateret, à Magis illi fuerunt oblati, huc flexit sanctus Augustinus serm. 4. in Epiph. Domini, qui est 32. de tempore, ait enim: *Tunc puer priusquam sciret vocare patrem, aut matrem, sicut de illo erat prophetatum, accepit virtutem Damasci, & spolia Samariæ, id est, antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci, illius scilicet, vnde Damascus præsumebat; in diuitiis quippe ciuitas illa secundum sæculum florens aliquando præsumpserat, in diuitiis autem principatus auro defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt.* Conuicta Damasci fortitudo est, dum aurum oblatum est Christo; quid? quod & Chaldæus pro fortitudine substantias vertit; *Capientur substantiæ Damasci.* quia hominum opinione sita in operibus, substantiisque vrbium, & regnorum fortitudo, & robur est. S. Aug. Chald.

Apud Hebræos, vt hoc quoque adiiciam, בצר 956.
bezer auri nomen est, à verbo בצר *bazar*, quod est munire, vnde & מבצר munitio, quia scilicet auro muniuntur homines, hominúmque munimen aurum est; Iob 22. 24. *Et pone super terram aurum,* sic enim ex Hebræo legit Pagninus in Lexico, quod noster in hunc modum: *Dabit pro terra silicem;* in fonte est vox בצר, quæ ex R. Mosis mente apud eundem Pagninum significat MVNITIONEM, *ac turrim fortem;* vnde aliqui legunt, *fortitudinem,* vt harum lectionum nexu suis fortitudinem afferre munimen esse aurum constaret; & vniuersè vrbium munimen thesauri sunt; Exod. 1. 11. *Ædificauerunt vrbes tabernaculorum;* LXX. πόλεις ὀχυράς, *ciuitates munitas;* Chald. *Vrbes thesaurorum;* ac si reconditi thesauri vrbes munitæ loco essent; certè de diuite scriptum legimus Prou. 18. *Substantia diuitis vrbs roboris eius.* Sed ad argentum calamum flectamus.

בצר quid; aurum hominum munimen. Pagn. R. Moses. *Thesauri vrbis munitæ loco.* Exod. 1. 11. LXX. Chald.

Argentum quoque cum fortitudine cohæret; *chereph tohaphat,* argentum fortitudo Hebræis dicitur; & Iob 22. 25. quod nos habemus, *Argentum conseruabitur tibi;* Caietanus ex Hebræo vertit, *& argenti fortitudines tibi;* Complutensis, *argentum in fortitudine tibi.*

Fortitudo et cum argento cohæret. Iob 22. Caiet.

De argenti vi ita sentit Philemon apud Stobæum serm. 89.

Argenti vis quanta. Philem.

Argentum erat, quod possidere si queas,
Mox cuncta præstò nutum fuerint ad tuum
Testes, amici socij, itémque prædia.

Sophocles quoque in Antig. de hac vi ita sentit, Sophocl.
Nulla enim hominibus velut argentum
Tam mala res nata est. Hoc vrbes
Expugnat, & viros facit extorres domo;
Hoc docet, & mutat mentes
Bonas, ad turpia negotia accedere.

Vniuersè pecunia omnis in mortalia corda se armat, contra homines pugnat, fortitudinis suæ telis omnes arietat; adeò cum pecunia fortitudo cohæret, vt & nomine quoque altera in alteram migret. Mich. 4. 13. *Interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ;* Chaldæus ad nostram mentem postrema hæc verba sic effert: *Et pretiosam eorum pecuniam coram dominatore vniuersæ terræ,* vt ab hac versione disceremus fortitudinem in pecunia delitescere.

Pecuniæ, & fortitudinis nexus. Mich. 4. 13. Chald.

Fortis pecunia est, quia omnia vincit, omnia expugnat; huc aduocari potest, quod narrat Cœlius Rhodiginus lib. 10. cap. 2. lect. antiq. *Obseruauimus,* inquit, *apud eruditissimos, sagittarium dici numisma Persicum: à nota genere ita nuncupatum: hi autem non alij erant, quam Darici, authore in apophthegmatis Plutarcho. Ex quo celebre manauit in posteros Agesilai dictum, se ex Asia pulsum triginta millibus* 957.

Omnes ferè expugnat pecunia. Cœl Rhod.

bus sagittariorum , quum Persarum rex ea nummorum summa corruptis per Timocratem Atheniensibus , effecisset, vt is de prouincia decederet , quod & in prouerbium venit de iis, qui pecunia de gradu deiiciuntur, qua nil non expugnatur.

Nummus iniustitiæ auctor, sæculi dominator. Tertull.

Non defuere qui sæculi dominatorem nummũ pecuniámque dixere; Tertull. lib.4. aduersùs Marcionem cap.33. INIVSTITIÆ AVCTOREM, *& dominatorem totius sæculi* NVMMVM *scimus omnes*; addit, *Cui formulatam videns Pharisæorum cupiditatem, amentauit hanc sententiam : Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.*

Mammona à fortitudine, & firmitate.

Porrò, vt hoc adiiciam, Mammona, quæ vox de diuitiis dicitur, ab אמן *aman* aliqui deducunt firmitudinis argumento, & fortitudinis, vnde & אמן particula sermonis fortitudini, & firmitati significandæ adhibetur; vt cùm sit mirum, si Mammam ad pecunias translatum sit, quæ fortitudinem, & firmitatem suis addunt.

Pecunia in amatores suos fortitudinem ostendit, dum eos conficit labore, & delassat. Gen.48.22.

Fortis prætetea pecunia dicitur, quia magno labore, fortitudinéque solet acquiri. Gen.48.22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*; non legimus vnquam Iacobum gladium exercuisse, nec arcum tetendisse, emisisse sagittas agro acquirendo; quid hîc igitur gladij, & arcus nomine significatur? an robur, fortitudo, qua pecunia paratur? huc flexit

B.Rup.

B.Rupertus lib.9. commento in Genesim cap.24. *Vel certè*, inquit, *in gladio, & in arcu meo tuli, id est, in fortitudine mea emi, scilicet in pecunia, quam in multo labore, & sudore acquisiui.* hinc & *cheseph thahaphan*, quod interpretari diximus, *argentum fortitudinum*, alij verterunt, *argentum lassitudinum*, quòd in pecuniæ, argentique acquisitione defatigari homines solent, ac delassari, vt contra ipsos suos amatores, cultorésque pecunia fortitudinem suam ostendit, dum labore eos ita opprimit, vt vires prius amittant, quàm pecuniam augeant. Fora

Fora pecunia defatigat. Seneca.

ipsa defatigare pecuniam dixit Seneca lib.3. de ira cap.32. ait enim: *Circa pecuniam plurimum vociferationis est, hæc fora defatigat, patres, liberósque committit; propter hanc vxorum, maritorúmque noctes strepunt litibus, & tribunalia magistratuum premit turba.* Exercet omnes pecunia, omnes delassat, vires suas ostendit dum suarum amatorum minuit vires.

958. *Pecunia ariet omnia sibi sternit. & submittit.* Matth. Boss.

Fortis pecunia est, quia fortitudinem suam in eos armat, à quibus possidetur, virtutes eorum, si quas habent, arietat, arietat bonorum operum vota. Benè Matthæus Bossus disp.1. de veris animi gaudiis : *Quæ virtus tam præcipua, tàmque diuina, in quam auaritia non frequenter incurset? quod denique propositum tam firmum, támque continentissimum, quòd non aries ille pecuniæ de gradu dimoueat, incurrat, sibique submittat?* Tantum in amatores suos pecunia potest, quæ eò maiores vires exerit, quò ardentiùs amatur, diligentiùs quæritur.

Homine maior homo, qui aurum contemnit, & pecunias. S.Ambr.

Vera illa fortitudo est, quæ ab hac auri, & pecuniarum fortitudine non sinit se vinci; maior homine quodammodo homo ille est, qui pecuniarum fortitudinem & sternit, & ridet. Audiendus hic sanctus Ambrosius, qui lib.2. offic. cap.14. auri contemptorem sic efferebat: *Quid præcelsius illo viro, qui auro moueri nesciat, contemptum habeat pecuniarum? Quòd qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur. Quis est hic, inquit, & laudabimus eum*; contemni ab hominibus debet, qui homine maior aurum contemnit.

EXCVRSVS CLVI.

Fortitudo de diuitiis, de diuite, fortis, robur, vis, potentia ad diuitias circumscribendas.

Fortitudo *de diuitiis.*
היל *de* fortitudine, & substantia.
און *de* idolo, & fortitudine, & diuitiis.
Superbiæ, *diuitiarum*, & fortitudinis *nexus.*
Terrenarum diuitiarum vis *ex Satana mente.*
Fortis *de diuite.*
Diuitum in parandis opibus violentia.
Diuites pro viris fortibus.
Leones *diuites dicti ob fortitudinem, ob rapacitatem.*
Fortiter agere *pro diuitias augere.*
Fortis familia *pro diuite, & opulenta.*
חסן *quid* thesauri & fortitudinis *cohærentia.*
Robur *de diuitiis.*
Aurum à robore.
Robur *diuitias significat.*
Cornu roboris *signum ad diuitias translatum.*
Roborare *Sacerdotes pro reditibus munire.*
Largitate solidari.
Stipendiis fulciri.
Potestas *de opibus.*
Potentia *ad diuitias significandas.*
Potentes *pro diuitibus.*
Potens *qui vti potentia debeat.*
Robur, & vis *de terra, quæ fructus producit.*
Fortitudo *de terræ frugibus.*
Arborum fructus, arborum robur *dicti.*
September cur, mensis fortitudinum *dictus.*
Horrea in quibus fruges reconduntur fortitudinis *nomine circumscripta.*
Vires *de diuitiis.*
Ex tota fortitudine *Deum diligere quid sit.*

QVod de auro, & argento diximus, de diuitiis, opibus vniuersè dicendum est; alligata opibus fortitudo est, adnexa vis diuitiis, vt non semel fortitudinis nomine opes ipsæ significentur. Iob 5.5. *Et bibent sitientes diuitias eius*; LXX. *Absorbeatur eorum* FORTITVDO, est enim Græca vox ἰσχύς Chald. *deripient prædones substantiam eius*; & cap.6.v.2. *Numquid dixi, & de substantia vestra donate mihi*; LXX. *Quid enim? numquid aliud vos postulaui, aut à vobis* FORTITVDINE *egeo*, Græcè ἰσχύος, Sophon. 1.13. *Et erit fortitudo eorum in direptionem.* Chald. *Erunt itaque diuitiæ eorum in spolium.* Isaiæ 59.6. FORTITVDINEM *gentium comedetis.* Oleaster ex Hebr. *Opes gentium comedetis.* Et apud eundem Euangelicum Prophetam, cap.60. vers.5. quod nos legimus : *Fortitudo gentium venerit tibi*, Chald. vertebat: *Substantia populorum*

959. *Fortitudo de diuitiis.* Iob 5.5. LXX. Iob 6.2. LXX. Sophon.1.13. Chald. Isa.59.6. Oleast. Isa.60.5. Chald.

Prou.12.4. Sym. Theod.

rum offerentur ad te. Prou.12.4. *Mulier diligens*; Sym. γυνὴ ἀνδρεία, *mulier opulentia,* Theodor. ἰσχύος *fortitudinis*, quod non ad nudam fortitudinem vocandum est, sed ad eam, quæ ex opulentia, & diuitiis nascitur. Psal. 47. *Qui confidunt in virtute sua.* Sanctus Hieronymus ex Hebr. Qui fiduciam habent in FORTITVDINE sua. Chald. *Qui confidunt in diuitiis suis.* Rursus Isaiæ 10.14. *Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum.* Olcast hoc postremum vertit, *substantiam populorum.* Eodem modo legit & Chaldæus, Forerius, *strenuitatem populorum*; sed addit statim חיל *interdum & pro substantia sumitur, seu facultatibus.* Hier. 17.3. FORTITVDINEM *tuam, & omnes thesauros tuos in direptionem dabo.* Vatabl. *Opes tuas, & thesauros tuos omnes prædæ exponam.* Psalm.61.10. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Arias Montanus: *Facultas cùm pullulauerit.* Marinus Brixianus, *Diuitiæ si fructificabunt*; in Hebræo est vox חיל *chail*, quæ de fortitudine, & robore dicitur, vt ad exercitum etiam, in quo fortitudo vexillum effert, extendatur.

Psal. 47. S. Hier. Chald. Isa 10.14. Olcast. Chald. חיל *de fortitudine & substantia.* Foret. Hier.17.3. Vatabl. Psal. 61.10. Arias Mont. Marin. Brix.

960. Diuitiarum robori, ac fortitudini fidebat ille miserrimus diues apud Oseam cap.12. v.8. qui de partis opibus sibi gratulabatur, dicens: *Veruntamen diues effectus sum, inueni* IDOLVM *mihi*; ac si existimaret diuitiis numen inesse diuinum, & in illis tutò posse spem locari. Pollicebatur etiam sibi robur, & vim ad pericula omnia auertenda, & vitæ difficultates facile facultatum ope superandas; hoc quippe etiam significat vox originalis און *on*, quæ non de idolo tantùm dicitur, sed etiam de virtute, ac fortitudine, & diuitiis; hinc Arias Montanus transfert, *Inueni* ROBVR *mihi*, Pagn. *Inueni diuitias mihi*; tamquam hæc omnia in vnum coalescerent, & in vna re alia lateret, in alterá altera reperiretur, alterius altera domicilium esset, vel potiùs vna in aliam migraret.

און *de idolo, & fortitudine, & diuitiis.* Ose.12.8. Arias Mont. Pagn.

Huc flecti & illud potest, quod habet regius Propheta Psal.89.10. *Et ampliùs eorum labor, & dolor*, pro *ampliat*, aliqui habent, *abundantia diuitiarum excussus.* Vatabl. *superbia.* Montanus, *fastus.* Pagninus, *fortitudo eorum.* Muys, *robur*, cohærent inter se hæ versiones, quia diuitiis, & superbia hæret, & fastum generant, illísque suam fortitudinem ostendunt diuites.

Superbia diuitiarum & fortitudinis nexus. Vatabl. Mont. Pagn. Muys.

Diuitiarum fortitudinem nouit & Satan, qui pugnam cum Christo iniens, regnorum mundialium, opúmque oblatione se illi opposuit, dicens: *Hæc omnia tibi dabo*; sed hoc solum tamquam cæteris fortius vltimo loco iecit; quod in hunc modum expendebat sanctus Chrysostomus hom.13. in Matth. *Quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem postremo loco posuit, ante iam quidem, & prorsus ab initio certaminis idipsum meditatione parturiens, extremum verò illud reseruans, quasi quod omnibus valentius esse iudicaret.* Periti Ducis more, qui fortiora subsidia in vltimum locum seruat, tamquam ad sacram anchoram ad ea currens.

Terrenarum diuitiarum vis ex Satanæ mente. Matth 4.

961. Porrò cùm fortitudo de diuitiis dicatur, vt apparet ex sacræ Scripturæ locis, quæ produximus, fit vt eadem ratione diuites ipsi *fortes* nominentur, quod nec in sacra, nec in externa schola insolens, aut nouum est. Gen.49.14. *Issachar asinus fortis*, Chald. *Diues in substantia*; & Isaiæ 5.22. *Et viri* FORTES. Chald. *Et viri* DIVITIARVM. Psal.58.4. *Irruerunt in me* FORTES, id est, diuites. Euthymius hîc, *Fortes*, inquit, *appellat eos ob diuitiarum abundantiam*: ita capiendus est & Salomon Prou.10.4. cùm ait: *Manus autem fortium diuitias parat*; scitè noster Agellius in Psalm.9. *Salomon vicinum esse & nomina & rem fortium, & diuitum sciens dixit: egestatem operum est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat, & alibi manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tributis seruiet.* Fortes autem diuites dicuntur, qui in parandis, augendísque diuitiis, robore, violentiáque vtuntur; vnde ad illa verba Prophetæ Regij Ps.9. *Sedet in insidiis, cum diuitibus in occultis*, ait idem doctissimus enarrator: *Puto diuitum nomine intellexisse latrones, & prædones, & plerunque ita fit, vt diuitiæ ex alienis bonis, raptóque & spoliis parentur*; nimirum tanta est diuitum, & prædonum cohærentia, vt vnius nomen alterius vice ponatur; sicut enim hæc vox *fortis* diuites significat, sic & è conuerso *diuites* pro viris fortibus vsurpatur; addit idem auctor, *In insidiis igitur sedet, cum diuitibus, id est*, CVM FORTIBVS, *expeditísque viris, vt prætereuntes innocentes, ac simplices, nihilque mali cogitantes interficiat.*

Fortis de diuite. Gen.49.14. Chald. Isa.5.22. Chald. Psal.58.4. Euthym. Prou.10.4. Agelli.

Diuites in parandis opibus violentia vtuntur. Psal.9. *Diuites pro viris fortibus.*

962. Diuites fortes dicuntur, & fortes diuites, ab hac causa leones in sacris litteris pro diuitibus sumuntur, nempè & propter fortitudinem, & propter rapacitatem. Psal.33. *Diuites eguerunt, & esurierunt*; in Hebr. LEONES eguerunt, *& exurierunt.* Muys LEVNCVLI. Genebr. LEONES, additque statim ad explicatum: *Per metaphoram quòd diuites leonum more facultates aliorum diripiunt, & oris rictu tamquam prædæ inhiens*; hac eadem mente noster Agellius hîc: *Diuites*, inquit, *hoc loco non quicunque intelligendi sunt, sed qui ex præda, & rapinis pauperum diuites fiunt, ideo in Hebræo est*, LEONES *eguerunt, & esurierunt.* Muys quoque LEVNCVLI, *hoc est, iuxta Ezram, homines leunculorum instar prædam agentes.* Franciscus Titelmanus, LEONES *esurierunt, id est, diuites huius seculi, qui per fas, & nefas congregant, & fraudant, Deum non habentes præ oculis, rectè ob suam rapacitatem* LEONES, *siue* LEONVM CATVLI *appellantur.* Sanctus Chrysostomus hom. in Terræmotum: *Vbi diuitiæ, & feritas*, LEONEM *videt, non hominem.* etiam sanctus Gregorius Nazianzenus in Iambicis 22. diuitem eum leone confert in hunc modum: *Voráxque post hunc* VT LEO, *qui à bestia feras cruentas submouet, non ducitur benignitate, sed parat prædam sibi.*

Leones diuites dicti ob fortitudinem, ob rapacitatem. Psal.33. Hebr. Genebrard. Agell. Muys. Titel. S.Chrysost. S.Greg.Naz.

963. In hoc fortitudinem suam, suum robur diuites ostendunt, in eripiendis scilicet alienis opibus, & vniuersè in diuitiis ingenti labore parandis; hinc fortiter facere in sacris litteris ponitur pro diuitias augere; certè illud Numerorum 24.18. *Israël verò fortiter aget.* Pagninus ex Hebræo, *faciet diuitias*, cùm non leuis laboris, fortitudinísque res sit parare diuitias, opes vndecunque corradere, multiplicare. Chaldæus paraphrastes legit, *Et Israël prosperabitur in diuitiis*: huc vocari potest & illud 4.Reg.5.1. *Erat vir fortis, & diues*, diceres posterius esse prioris exegeticum, vnde LXX. verterunt: *Et erat potens fortitudine.* Pagninus ex Hebræo, *vir potens robore*, noster addidit τὸ *diues*, vt indicaret de qua fortitudine, de quo robore esset hîc sententia capienda.

Fortiter agere pro diuitias augere. Num. 24.18. Pagn. 4.Reg.5.1. LXX. Pagn.

In externa quoque schola sub fortis nomine diuitem delitescere, delitescere diuitias, euincunt præcipuè hæc Plauti verba in Trinum. act.5. scen.2.

Fortis familia pro diuite, & opulenta. Plaut.

Sed hæc ego hoc nequeo mirari satis,
Eum sororem despondisse suam in tam fortē familiā.

In diuitem, opulentam, subsignat Nonius, per *fortem* diuitem, copiosámque interpretans; sed rursus ad sacra.

Salomon Prou.15.6. iustum impio componens, aiebat: Prou.15.6.

חסן quid thesauri, & fortitudinis inhærentia.

aiebat: *Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impy conturbatia*; nudam hic fortitudinem alij viderint, non videtur tamen nobis alienum, si ad diuitias, opes, substantiámque hoc nomen flectamus; hinc & Vatabl. transfert: *In domo iusti thesauri multi sunt.* In Hebræo est vox חסן, quæ & fortitudinem significat, & diuitias, opésque; Ezech. 22.25. *Opes, & pretium acceperunt.* in Hebræo hæc vox חסן adhibetur.

964.
Robur de diuitiis.
Ose 7.9.
Chald.
Psal.75.
Isa.40.29.
Chald.
Oleast.

Robur quoque diuitiis explicandis in sacris litteris non semel legitur, Oseæ 7.v.9. *Comederunt alieni robur eius.* Chald. *Deripuerunt populi substantias eorum.* Psal.75. *Viri* DIVITIARVM, alij vertunt: *Viri* ROBORIS. Isaiæ 40.29. *& robur multiplicat.* Chald. *diuitias multiplicat.* Robur autem diuitiæ dicuntur, quia homini robur addunt, hominis robur sunt. Oleaster in cap.34. *Et omnem substantiam eorum; Dictio,* inquit, *chel, propriè significat robur, & exinde substantiam, quòd sit quasi robur hominis.* Isaiæ 60.v.11. *Vt afferatur ad te fortitudo Gentium.* Idem Oleaster in huius capitis commentario vertit, *robur gentium,* & addit, *Aliqui pro robore gentium vertunt opes gentium.*

Isa.60.11.
Oleast.

Aurum à robore.
Gorop.

Aurum quoque in quo præcipuè diuitiæ sitæ, à *rem*, quod validum signat, deducebat Goropius lib.5. Hermathenæ: AVRVM *Latini ab hac voce retinuerunt, quasi antiquum* ROBVR *diceretur*; sed rursus ad sacra, rursus ad diuitias.

Robur diuitias significat.
Ezech. 28.5.
Vatabl.
Pro.31.3.
Vatabl.

Robur pro diuitiis sumitur etiam cap. 28. Ezech.v.5. *Multiplicasti tibi fortitudinem, & eleuatum est cor tuum in* ROBORE *tuo.* Vatabl. vertebat: *& eleuatum est cor tuum* IN DIVITIIS *tuis.* Prou. 31.3. quod vulgatus habet, *Ne dederis mulieribus* SVBSTANTIAM *tuam*, Vatablus ex Hebræo vertebat, *Ne dederis mulieribus* ROBVR *tuum.*

Cornu roboris signum ad diuitias trāslatum.
Amos 6.13.
Chald.

Et cùm cornua roboris indicia sint, & illis fortitudinem suam efferant animantia, hinc factum vt cornua ad diuitias significandas translata legamus. Amos 6.13. *Assumpsimus nobis* CORNVA. Chald. *Assumpsimus nobis* DIVITIAS; cornibus feritatem suam tauri præseferunt, diuites suis opibus.

965.
Roborare Sacerdotes pro reditibus munire.
Vop.

Ex his facem Vopisco feremus, qui de Aureliano loquens ait: *Et Pontifices roborauit*; obscurum doctis viris visum, quid hæc Pontificum roboratio, adeò vt aliqui hanc lectionem obtrusetint; *& porticibus roborauit*, quæ tamen tamquam aliena, & à communi veterum codicum consensu dissentiens reiicitur. Placet, roborasse Sacerdotes, quia eos reditibus opimis, salariisque muniuit, locupletauit. Solidandi verbo vtitur Cassiodorus lib.3.var.ep.51. *Menstrua eum duximus largitate solidandum*; *fulciendi* cod. Theod. de filiis militarium, leg.11. *Nullis stipendiis fulciuntur*; sic & Ammianus Marcellinus lib.23. *Nec stipendiis aliquando fulta, nec donis.*

Largitate solidare.
Cassiod.
Stipendiis fulcire.
Amm.

Potestas de opibus.
Prou.27.24.

Potestas, potentiaque ad significandas opes transfertur. Prou.17.24. *Non habebis iugiter potestatem*; in Hebraico sorte est vox חסן, quæ & fortitudinem signat, & diuitias; vnde Pagninus legit: *Quia non in seculū diuitia sunt duratura.* LXX. *Quoniam non in seculum viro robur, & fortitudo.* Marinus Brixianus, *Thesaurus*; sic & Vatabl. *Neque erit perpetuus thesaurus.* in schol.num.22. *Quia non duratura sunt in perpetuum diuitiæ.* Potentiæ etiam nomen ad diuitias significandum adhibitum obseruo, Prou. 31. *Multæ filiæ congregauerunt sibi* DIVITIAS; sanctus Augustinus serm. 45. de diuersis legit: *Multæ filiæ fecerunt* POTENTIAM. Philippus Presbyter lib.1.in Iob in præfat. vtramque lectionem nectit, dum ait: *Et iterum multæ filiæ acquisierunt diuitias, multæ fecerunt* POTENTIAM. Hæret diuitiis vis, hæret potentia, cùm diuites diuitiis sibi ad omnia aditum aperiant, sternant sibi opum copia ad omnia difficilia viam.

Pagn.
LXX.
Marin.
Vatabl.

Potentia ad diuitias significandas.
Prou.31.
S.Aug.
Philipp.

Hinc & *potentes* diuites aliquandu significant; Exod.18.21. *Prouide de omni plebe viros* POTENTES. Isidorus Clarius hìc: *Quidam Hebræi interpretantur viros* DIVITES. Abutuntur diuites potentia, si aliena diripiant, vim pauperibus inferant. Audiant potentes illud apud sanctum Ambrosium lib.1.offic.cap.16. *Ideo te feci* POTENTEM, *vt non inferres violentiam, sed vt repelleres. Nónne tibi scriptum est, Eripe iniuriam patientem? nónne tibi scriptum est: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Redeo ad robur.

Potentes pro diuitibus.
Exod 18.21.
Isid Clar.
Potens qui vti potentia debeat.
S.Ambr.

966.
Robur, & vis de terra, quæ fructus producit.
Deut.33.
Isid.Clar.

Robur, vis, & virtus ad terram quoque porrigitur, quæ in frugum productione vim suam ostendit. Isidorus Clarius ad illud Deut.33. *Benedic Domine primitiis eius,* ait: *Vox Hebræa significat robur, & vim illam terræ, quam in fructuum procreatione exerit.*

Fortitudo de terra frugibus.
Iob 6.22.
Gen 4.12.
S.Chrysost.

Hinc natum, vt fortitudo, & robur pro terræ fructibus, prouentibúsque sumatur, quia nempè terræ robore, viique producuntur. Iob 6.22. *Numquid dixi, Afferte mihi de fructibus.* Hebr. pro *de fructibus* legitur de fortitudine; & Gen.4.12. *Terra non dabit tibi fructus suos*; in fonte, FORTITVDINEM *suam*, vnde sanctus Chrysostomus hom.19. in Genesim legit, *Quando operatus fueris terram, non adiiciet, vt det tibi* ROBVR *suum.*

Arborū fructus, arborum robur dicti.
Ioel.2.22.
LXX.
Hebr.
Chald.

Arborum quoque fructus arborum robur, virtúsque appellantur. Ioel.2.22. *Ficus & vinea dederunt virtutem suam* LXX. *τὴν ἰσχὺν αὐτῶν*, *vim suam*, Hebraïce חילם ROBVR *suum*, id est, fructus, in quorum productione vim suam, ac fortitudinem suam arbores exerunt; rem firmo ex Paraphraste Chaldæo, qui producta verba ita vertit: *Ficus & vites attulerunt fructus suos.* vt virtutem, ac vim de fructibus diei in dubium verti non possit, hæc versio doceat.

967.
September cur mensis fortitudinum dictus.

Ex his, quæ diximus, facilè aperire possumus cur apud Hebræos September mensis האיתנים *ethanim* dicatur, id est, FORTITVDINVM, seu *virium.* Pagninus quidem ita censet hunc mensem appellatum ex Hebræorum mente, *quòd in eo nati fuerint fortes mundi*; vel potiùs iuxta *Harac & Chimhi fortissima mundi, id est, fundamenta terræ*; fors ad eam fortitudinem hæc appellatio referenda, quam terra, arborésque fructuum productione ostendit, vnde Latinis ab hac causa dicitur mensis *plenitudinis*, ob fructuum nempè copiam.

Horrea in quibus fruges reconduntur fortitudinis nomine circumscripta.
Prou.15.6.
A.Aben Ezra.

Quid? quòd horrea, in quibus fruges reconduntur, fortitudinis nomine circumscripta reperimus. Prou.15.6. *Domus iusti plurima fortitudo.* Abraham Aben Ezra hìc: *Iusti domus est instar* munitionis sedes, id est, horrei annona referti, nam paraphrastes Ionathan pro מגורות *mangoroth*, *habet horrea* חסניא *chasnia, hæc igitur ita explicabis: In domo iusti ampla horrea frugibus referta sunt.*

Vires de diuitiis.
R.Dauid.

Vires quoque vniuerse de substantia, possessionibúsque dicuntur; R.Dauid de Pomis חיל *virtus, vis, & substantia possessionis.* Hebræi virtutis, & virium nomine diuitias, & facultates intelligunt in illa sententia, quibus nobis Dei amor iniungitur, cùm dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota fortitudine tua,* seu, vt alij habent, *ex totis viribus tuis,* Deut 6.v.5. R.Eliezer magnus, ait per vires hìc & potentiam intelligi opes atque diuitias, quæ ob Dei amorem spernendæ sunt; ait enim idcirco, & animæ & virium

Ex tota fortitudine Deū diligere quid sit.
Deut 6.5.
R Eliez.

vitium mentionem factam, vt nec vita, nec opes Deo præferantur: *Si*, inquit, *aliquis sit, cui carior vita, quam opes sint, ob illum dicitur* בכל נפשך *in tota anima, si verò alius sit, qui maiorem diuitiarum suarum, quam sui curã habeat, idcirco dictũ est* בכל מאדך, *in totis viribus suis*; hinc sensum firmat Chaldaica paraphrasis, quæ illud, quod nos habemus, *ex tota fortitudine tua*, vertit in hunc modum, *& in tota substantia tua*; non est fortis amor, qui hoc ab amante consequi non potest, vt dilecti amore omnes opes spernas, terrenis, periturísque diuitiis Dei sui amore det repudium. Amemus in fortitudine eum, qui nos fecit, amemus caducarum rerum contempta.

EXCVRSVS CLVII.

Bellicus in diuitiis latet apparatus, fortis latet exercitus.

Opes de militatibus copiis.
חיל *de* exercitu, *& de* diuitiis.
Bellicus *pecunia apparatus.*
Fortitudo *de exercitu, & opibus.*
Auri vis *exercitibus potior.*
Ludicrus, *&* puerilis *exercitus diuitiarum.*
Diuitia ad bellum *vrgent.*
Aurum, *&* argentum *ad* bellum *vocant.*
Pecunia gladio *comparata.*
Diuitiarum gladius *quàm noxius.*
Aurum in terra conditur, vt gladius *in vagina.*
Pecunia scutum.
Arma *ex talentis.*
Tela *in auro vt delitescant.*
Auaritia tamquam gladius *hominem vulnerat.*
Auaritia sagittis clypeus *opponendus.*
Opes Diaboli arma.
Diuitiarum machinis *Satan vincitur dum diuitia contemnuntur.*
Fortior *Iob cùm omnia amisit.*
Exercitum fortem *refert, qui diuitias contemnit, & calcat.*
In paupere exercitus *diuina virtutis latet.*
Fortis *apud Deum qui diuitias contemnit, & dispergit.*
Ludicra diuitum fortitudo.
Diuitis fortitudo *vanitas.*
Fortes *diuites, quia diuitiarum amore qualibet perpetiuntur.*

968. AVri, & fortitudinis cohærentia, opum, diuitiarum, & roboris nexũ hucusqoe explicuimus; vt firmior vtrinsque probatio euadat, luculentiúsque & festiuiùs res vtraque explicetur, bellicum apparatum in opibus latere ostendemus, exercitúmque militum copiis refertum in diuitiarum castris esse demonstrabimus, vt ad diuitiarum neglectum quisque velocior currat, quò fortiorem hunc exercitum in hisce paginis viderit; sed ad rem.

Opes de militaribus copiis. Virg.

Opes de bellicis copiis, militibúsque dici probi latinitatis scriptores aunotauerunt, hinc illud Virgilij 8. Æneidum, *Opibúsque iuuabo.* aliqui de militibus intelligunt; sed è conuerso etiam exercitus, bellicúsqoe apparatus ad diuitias significãdas adhibitus non semel est. certè apud Hebræos illud idem nomen, quod diuitias significat, etiam exercitum sonat, vtraque notio sub vno hoc nomine חיל *chail* lucet, vt statim intelligeremus in diuitiis exerciti vim ac fortitudinem esse. Ps. 75. 6. *Omnes viri* DIVITIARVM; alij *viri* BELLICOSI. Sanctus Hieronymus, *omnes viri* EXERCITVS; & Oleaster in cap. 10. 14. de hac voce, vocísque duplici significatu, ita scribit, חיל significat EXERCITVM, *& exinde* OPES, *vel substantiam. Aut quia sunt in multitudine velut* EXERCITVS, *aut quia ad nodum acierum diuitem protegunt, vt de pecunia dicit Telomas in Ecclesiaste.*

חיל de exercitu, & de diuitiis. Oleast.

In pecunia bellicum apparatum vidit S. Petrus Damianus lib. 1. epist. 21. *Phalangas planè, quæ te sequuntur ad tua signa militiæ, non tam litui, buccina, vel tuba clangor excitat, quàm vena metalli vibratus inuitat.*

Bellicus pecunia apparatus. S. Pet. Dam.

Huc vocare possumus, quod habet Ezechiel c. 28. 4. *In sapiẽtia, & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, & acquisiuisti aurum, & argentum in thesauris tuis.* posteriora verba videntur explicare priora, vt fortitudinem sibi facere, sit aurum sibi, argentúmque coaceruare, iuxta ea, quæ superiùs diximus; non desunt qui ad exercitum, bellicúmque apparatum hæc referant, hinc Lyranus; *Fecisti tibi fortitudinem, aggregando tibi bellatorum multitudinem;* Hector Pinus, *Fecisti tibi fortitudinem, hoc est, parasti milites fortitudine præstantes; vel construxisti mœnia, & arces munitissimas, & fortissimas*; versiones quædam in fortitudine opes, & facultates videntur; nam pro *fecisti* FORTITVDINEM, Regia vertit, *Fecisti tibi* FACVLTATEM. Vatabl. *Parasti tibi* DIVITIAS, Pagn. *congregasti tibi* OPES; possemus leui brachio hos tam diuersos explicatus inter se vertere, si dicamus opes sua vi, suóque robore exercitum referre.

Fortitudo de exercitu, & opibus. Ezech. 28. Lyran. Pine. Reg. Vatabl. Pagn.

Aurum exercitibus fortios esse, euincunt exempla plura, quibus probatur exercitus ab auro victos; hinc illud Constãt. Manass. in annal. *Violentissima* VIS AVRI *est, & sexcentis* EXERCITIBVS POTIOR; *aurum enim potest vrbem turribus egregiè munitam de fundamentis euertere; aurum in bellis nationes integras delere potest.* 969.

Auri vis exercitibus potior. Const. Man.

Olim ludentes pueri acies struebant, ordinabant milites, præcones, lictores, & puer incedebat in medio loco Imperatoris; acies hæc puerilis, non verò risui causam dabat, tales sunt diuitiæ, id agunt qui eas opere futili, inanique labore congregant. huius puerilis motis mentio fit à sancto Chrysostomo hom. 1. in cap. 1. epist. 1. ad Corinth. *Non videtis*, inquit, PVEROS, *quando* LVDENTES *struxerint aciem, & ordinarint milites, & eos præcedunt præcones, & lictores, & puer incedit in medio, loco Imperatoris, quàm sine ea; quæ sunt puerilia?* huic aciei similes, qui res terrenas, opésque perituras magno studio congregant; subdit sanctus Pater: *Tales sunt res humanæ, iique viliores, & abiectiores, vt quæ sint hodie, & cras non sint*; puerilis acies ludricus exercitus, cassæ vites, vmbratica rerum humanarum, diuitiarúmque fortitudo.

Ludicra, & puerilis exercitus diuitiarum. S. Chrys.

Cohærent in hoc quoque cum exercitu diuitiæ, quia possessores suos ad bellum vrgent. hoc egregiè probabat, ex Mose, ex Euangelico Propheta Oleaster in cap. 2. Isaiæ dum ait: *Aduerte etiam quod postquam dixit terram argento, & auro, abundasse, addidit, eam fuisse equis, & quadrigis repletam, vt insinuaret raro diuitem Regem a bellis quiescere. Sic enim in Deut. postquam prohibuerat Regi, equos multiplicare, statim etiam prohibuit, augere aurum, & argentum:*

Diuitia ad bellum vrgent. Isa. 2. Oleast.

quoniam

Aurum, & argentum ad bellū vocant. Oleast.

quoniam optimè nouerat prudens legislator, diuitias neruos esse bellorum. Idem auctor eodem capite ad eandem mentem, *ostendit quod simul cum abundantia rerum, accessit bellicus apparatus: est enim pecunia neruus belli. Vix enim diuites Reges possunt se domi continere, quin statim vicinis, & aliis* BELLA MOVEANT. *Quod Dominus prauidens, prohibuit Regibus Israel in Deuteronomio ne aurum, & argentum multiplicarent, & exinde equorum, & curruum multitudinem.*

970. *Pecunia gladio cōparata.* S.Petr.Dam.

Habemus in auro, in argento, & in pecunia bellica arma, gladio comparati pecunia possit, altiùs quocunque gladio ferit; hinc illud sancti Petri Damiani lib.1. epist.21. *Ducis post te castra, auro potius armata, quàm ferro, & sic nummi proferuntur è loculis tamquam* GLADII *vibrentur è thecis.*

Diuitiarum gladius, quā noxius. Plut.

Plutarchos libello cui tit. ὅτι καὶ γυναῖκας παιδευτέον, citante Stobæo: nam is liber nondum emersit in lucem: μὴ παιδὶ μάχαιραν, ὁ παροιμία φησίν. ἐγὼ δὲ φαίην ἄν, μὴ παιδὶ πλοῦτον, μὴ δὲ ἀνδρὶ ἀπαιδευσίαν. id est, *ne puero gladium, ait prouerbium. Ego verò dixerim, ne puero diuitias, néve viro imperitiam.* Plautus in Trinum. *Dedistine ei hoc pacto gladium qui se occiderent*; de illo qui pecuniam dederat amanti adolescenti: Aurum in terra Deum reclosisse velut in vagina gladius recluditur, fuit qui affirmaret, hæc illis verba: *Deus numquam in terra aditus, & altis visceribus reclusisset aurum & argentum, cui indicasset perniciosas & cauendas. Quorsum tam sedulò reconduntur venena? Quorsum enses recluduntur vaginis?*

Aurum in terra reconditur, vt gladius in vagina.

Pecunia scutum. Oleast. *Arma ex talentis.* Cassiod.

Scuti munimen in pecunia notauit Oleaster in cap.26. Leuitic. *Pecunia protegit vt* SCVTVM; arma à pecunia auaritia accipit; Cassiod. lib.12. var.1. *Agmen habet blandissimum, arma suscipit ex talentis.*

Tela in auro, vt delitescant.

Tela in auro, in argento delitescere indicat vetus illud dictum: Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις. id est, *argenteis pugna telis, atque omnia vinces.*

Quod ortum dicunt ab oraculo quodam Apollinis Pythij, qui Philippo Regi consulenti, quo pacto posset victoria potiri, responderit eum argenteis telis Græciam superaturam. ita Suidas cent.3.prou.45.& Diogen.cent.1.prou.81.

Suid. Diogen.

Auaritia cēquā gladius hominem vulnerat. Forer.

Gladius, telum pecunia est, sed priùs illius cor ferit, & vulnerat, à quo amatur. Isa.13.15. *Qui proiicit auaritiam ex calumnia*; Forerius, Hebr. בבצע *in auaritia, seu quastu, aut lucro, à verbo quod significat vulnerare, & exercere auaritiam, qua tamquam* GLADIVS *hominem* VVLNERAT.

971. *Auaritia sagittis clypeus opponendus.* S.Petr.Dam.

Iacit in mortalium corda sagittas pecunia per auaritiam, cui clypeus opponendus est, ne mortem inferat, dum ferit. Sanctus Petrus Damianus epist. 25. in aciei, & iaculorum metaphora sistens, ita loqnitur; *Inter omnes circumferentium acies, inter densissimas iaculorum ingruentium more grandinum tempestates, aduersùs auaritiam vobis est attentiùs vigilandum, eiúsque* SAGITTIS *semper* OPPONENDVS EST CLYPEVS, *qui nimirum ad hoc præcipitanter anhelat, vt lethale miseris vulnus infligat.*

Opes Diaboli arma. B.Laur.Iust.

Arma diuitiæ sunt, sed arma etiam Diabolo præbent, quibus contra mortales pugnat. Beati Laurentij Iustiniani hæc sunt verba de casto connubio, cap.6. *Numquam tentationibus carebit, qui terrena dilexerit. Sunt quippe opes* ARMA DIABOLI, *tentationum fomentum, rubigo mentis, exterminium quietis.*

Diuitiarum machinis Satan vincitur dum diuitia contemnūtur. S.Pet.Chrys.

Euadent opes contra Diabolum arma, si à nobis calcentur, contemptis diuitiis veluti quibusdam machinis pugnamus contra Satanam, Satanam expugnamus; de Iob ita scribit sanctus Petrus Chrysologus serm.28. *Iob in ipsis* DIVITIARVM MACHINIS *& ipse* VICIT, *& nobis vincendi eum reliquit exemplum*; non vicisset si nimio diuitiarum amore ligatum Iobum deprehendisset Satan.

Fortior Iob cum omnia amisit. S.Chrys.

Vicit Diabolum Iob cùm omnes amisit, tunc enim fortior effectus est, quia imbecilli diuitiarum fortitudine fuit exutus; *Iob*, inquit sanctus Chrysostomus hom.2. ad populum, *& ante hoc cum fortis esset*, POSTQVAM OMNIA AMISIT, *tunc factus est* FORTIOR, *& egregiam contra Diabolum victoriam reportauit*, ademptæ Iobo diuitiæ robur non ademerunt, sed addiderunt.

972. *Exercitum fortem refert, qui diuitias contemnit, & calcat.*

Et vniuersè eum, qui vniuersa repudiat, terrena omnia calcat, ei posse pariari, qui pleno exercitu, pleno occurrit exercitui, & occurrentem profligat, sternit, & vincit, vt nouum insolénsque alicui videatur, verè non est, & verum prorsus est; veritas ipsa Christus calculum suum adiicit, vt eius insistentes vestigiis aberrare non possimus; apud illum qui medicam peritiam Euangelicæ copulauit, vt terrenarum rerum contemptum nobis suaderet; ita loquitur: *Quis Rex committere bellum aduersùs alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cùm decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Exercitos hìc inter se pugnaturos habemus apparatum. Pergit statim, *Sic ergo omnes ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Proh mirum, quænam verborum cohærentia, quísnam sententiarum nexus? quid paratura bellica, ad opum, diuitiarúmque neglectum? Quid argenti, aurique contemptus ad ferrea arma chalybeaque cogo me, vt suaderetur terrenorum contemptus, exercitus in medium producendi erant? erant, nam qui opes calcat, eum refert qui hostium acies sternit, integrum exercitum strenuè deiicit, nec minoris est gloriæ diuitias fugere, quàm hostilia agmina in fugam conuertere, non minoris triumphi deiectorum hostium colla calcare, quàm colla ab opum iugo eximere, opes negligere.

Luc.

In paupere exercitum diuina virtutis latet.

Quid? in diuitiis lodicrus exercitos latet, in paupere verus, verè fortis exercitus; apud Hebræos eadem vox & de paupere dicitur, & de exercitu. Ps.9.34. *Cùm dominatus fuerit pauperē*, Hebr. חלכאים *chelcaim*; Genebr. *Pauperes, vel exercitus, pauperum congregationem, aciémque significant, vel quia*, vt alij quoque notauerunt, IN PAVPERE *integer* EXERCITVS *diuina virtutis latet*, latent cœlestes copiæ, latent acies.

Genebr. Fern.cap.29. lect.1.

973. *Fortis apud Deum, qui diuitias contemnit, & dispergit.* Prou.10.4. Clem.Alex.

Apud Deum fortis est non qui diuitias amat, sed qui contemnit, non qui congregat, sed qui dispergit. Prou.10.4. *Manus fortium diuitias parat.* Clem. Alexandr.2. pædag.cap.12. sic illustrat hæc verba: FORTES *vocat eos*, QVI PECVNIAS CONTEMNVNT, *& qui sunt ad communicandum, & largiendum faciles.*

Ludicra diuitum fortitudo. S.Chrys.

Ludicram diuitum, diuitiásque congregantium fortitudinem esse, funambulorum similitudine in hunc modum explicabat S.Chrysostomus hom.21. in Matthæum: *Qui supra funem in sublime tensum cum securitate gradientes tantam fortitudinem mentis ostendunt, cum aliqua necessaria certè causa audaciam, & fortitudinem flagitant, nihil prorsus virile non modò facere possunt, verùm etiam cogitare; sic sunt profectò etiam isti locupletes, qui cùm omnia pro diuitiis audeant, pro philosophia non grande aliquid non exiguum se sustinere patiuntur*; fortes in parandis diuitiis diuites sunt, infirmi, & imbecilles in Dei obsequio, & cultu, vt proinde inanis, & ludicra eorum fortitudo sit, inutilis, & noxia eorum audacia.

Diuitū fortitudo vanitas. Psal 51. S Hier. Chald.

Inanis, futilis hæc fortitudo est, quin vanitas, inanitas ipsa, Psalm.51. *Præualuit in vanitate sua.* S.Hier. *Confortatus est in insidiis suis*, Chald. *Fortis factus est in opulentia sua.* ac si opulentia, & vanitas in idem reciderent, & vana etiam fortitudo esset, quam opes administrant.

Fortes diuites, quia diuitiarum amore quælibet perpetiuntur. Psal.58. S.Greg.

Fortes diuites sunt, quia quælibet patiuntur, dummodo opes augeant, nec curant contumeliis onerari, labores non timent, quibus diuitias sibi parent, hinc illa apud Dauidem verba, *Irruerunt in me fortes*, Psal.58. quæ sic explicat sanctus Gregorius lib.7. moral.cap.8. *An non etiam reprobi fortes sunt, qui ad præsentis vitæ concupiscentiam tot laboribus currunt, periculis se audentes obiiciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, mala mundi tolerant pro mundo.* Vera fortitudo est pecuniarum fortitudine non vinci.

ADAGIVM DCCCCLII.

In pace leones, in prælio cerui.

974. Neos quadrat, qui præposterè se gerunt, quique vbi opus fortitudine, & animis est, ibi timidi, & imbelles sunt, animóque sternuntur, vbi fortitudinis ostensione non est opus, fortitudinem præferunt, aut saltem iaccant. Formula ista prouerbiali vtitur Tertullianus lib.de corona militis, cap.1. *Noui & pastores eorum* IN PACE LEONES, IN PRÆLIO CERVOS; timidum, & formidolosum animal ceruus est, fugæ potius natum, quàm pugnæ; hinc vetus illud dictum, Formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum ceruo duce.

ADAG. DCCCCLIII.

Ad contemplandum in meridie solem lucernæ lumen efflagitare.

Qui in re apertissima quærit argumenta, vt probetur quod dubium non est; hic ad videndum solem lucernam dicetur flagitare. Sanctus Petrus Damianus opusc.2.cap.4. *Ecce*, inquit, *qui post tam perspicuam exemplorum lucem adhuc testimoniis indiget, restat vt* AD CONTEMPLANDVM IN MERIDIE SOLEM LVCERNÆ LVMEN EFFLAGITET; qua formula percelli omnes illi possunt, qui in re euidentissima, de probatione minimè indiga probationem [illegible] quærunt.

ADAGIVM DCCCCLIV.

Altera Thecla.

Sic Melaniam laudat sanctus Hieronymus, sic Mauinam sanctus Gregorius Nyssenus, & extendi laus in quamlibet summa laude dignam mulierem potest, quæ sanctitatis vbique odorem spiret, fortitudinis, virtutúmque omnium, & cæterarum exemplar sit. Insignis sanctitatis Thecla summis à sanctis Patribus fuit laudibus insignita, vt singularis laudis cuilibet fœminæ sit illa compoοi, ac pariari.

ADAGIVM DCCCCLV.

Nec vnguem, aut capillum alterius lædere posse.

Prouerbialis hyperboles, qua vtemur significaturi alterum ab altero nec leuissimè quidem lædi posse. S.Augustinus hanc formulam adhibet enarrat.in Ps.33. probans Dæmonem nobis nocere non valere, nisi à Deo accipiat pietate, ait enim: *Diabolus inuidere potuit sancto Iob; numquid nocere potuit? Accusare potuit; damnare numquid potuit? Numquid valuit aliquid tollere?* NVMQVID VEL VNGVEM, NVMQVID VEL CAPILLVM LÆDERE, *nisi Deo diceret, Mitte manum tuam? quid est, mitte manum tuam? Da potestatem.* quod porrigi etiam ad Diaboli membra, hoc est, homines in homines iniustè sæuientes potest: qui nec leuiter tangere illos queunt, nisi Deus hoc illis permittat. 975.

ADAGIVM DCCCCLVI.

Scirpi nodum absoluere.

Vi ibi difficultatem facit, vbi non est, & aliquid in dubium vocat, quod omni dubio caret, & tamquam dubium soluit, quod solutione non indiget, quin nec dubium, hic nodum scirpi dicetur absoluere; hinc illud S.Petri Damiani lib.6.ep.9. *Memento frater, quia dū in Capitulo nuper fratribus consideres, in hanc vocem velut confidenter erupisti: Est ne, Pater, retributio, si solatiamur monasterio cōstructo? & hoc non* VT SCIRPI NODVM, *quo liber erat*, ABSOLVERES, *sed vt viam verbis sequentibus aperires*; etiam apud prophanos *nodum in scirpo quærere* dicitur nimis scrupulosus, & diligens, quique ibi scrupulum mouet, vbi nihil est ad dubitandum.

ADAG. DCCCCLVII.

Vinum in acetum conuertitur.

976. Similare hoc nostris, quod non sine quadam prouerbij facie fertur, cùm mutationē ex optimo in pessimum significamus, cùmque ostēdere volumus nihil adeò perfectum esse, q uodio prauitatis acrorem degenerare noo possit, nibil adeò candidis moribus esse, qui atris infici non possit, & ferè plerunque accidit, vt qui singularis sanctitatis fuerat, dum à sanctitatis suggestu deiectus nondum est, vbi deiicitur damnanda mutatione iniquissimus euadat. Huc spectauit Petrus Blesensis ep.27. *Conuertuntur*, inquit, *hodie claustra in castra. Pastores in lupos, lilium in spinam, aurum in scoriam, frumentum in lolium*, VINVM IN ACETVM; *oleum in amurcam.* Sedulius lib.4. operis Paschalis de Iudæis loquens, ait:

—Dulcia VINA
Sicut IN *horrendū dum* CONVERTVNTVR ACETVM
A mensis proiecta iacent; sic tempore prisco
Gens accepta Deo, nunc est odiosa propago.

De vino in acetū degenerante egregiè quidā poëta:

Vt bona vina bonum faciunt, vt fertur, acetum.
Ingeniosior es quo, Line, peior eò es.

ADAG. DCCCCLVIII.

Lactis & fellis poculum miscere.

977. Qui valde inter se disparia miscet, inæquales coæquat, confértque inter se tamquam pares,

res, qui dissimillimi, dispaŕésque sunt, vt si quis indoctum, & imperitum doctis, & peritis anumeraret, perfectis, & innocentibus imperfectum, nocentémque in hunc prouerbialis hæc formula quadrabit. Sanctus Paulinus ad Seuerum scribens, cuius opera depictus simul cum sancto Martino fuerat, sic de se humiliter sentiens, aiebat: *Quæ societas lumini, & tenebris? Lupis, & agnis, serpentibus, & columbis? Hoc est nobis & Martino; nonne tu* LACTIS, ET FELLIS POCVLVM MISCVISTI? quod dictum de personis, potest & rebus aptari.

ADAGIVM DCCCCLIX.

De toto corpore linguam facere.

NOn sine aliqua adagij saliua linguam de toto corpore dicitur facere, qui vita, moribus, operibúsque suis altè omnibus inclamat, cùm scilicet vitæ sanctitate spectatores ad paria vocat; & exertè clamat, qui tacendo re ipsa exhibet, ad quod alios in silentio inhortatur, cùm & grandior, & efficacior operis vox sit, quàm oris; hoc sensu hanc formulam extulit sanctus Petrus Damianus opusc. 15. cap. 28. dum ait: *Optimè vigilias prædicat, qui post longum psalmodiæ decursum signum excitandis fratribus pulsat: eloquentissimè, dum tacemus, silentium commendamus: fructuosè de extremitate vestium disputat, qui se pannorum conscissione deformat. Indumentorum verò iuxta diuitem nitore conspicuus, frustrà cum Ioanne pilos prædicat camelorum. Vltor iniuriæ patientiam non suadet. Qui cumulandis peculiarium quæstibus inardescit, ignem auaritiæ in alieno pectore non extinguit. Qui crebra vagatione raptatur, de remorandi censura friuolus disputator habetur. Qui autem cellulam perpetuus incolit, ad stabilitatis præconium* DE TOTO CORPORE LINGVAM FACIT, *& cùm os taceat, muta membra melius, quia & simpliciùs clamant.* Ioannes etiam dum quis esset quæreretur, respondit: *Ego vox clamantis in deserto*: ac si totus vox esset, omnibúsque membris inclamaret, omnibus vitæ suæ actibus ad pœnitentiam, vitæque sanctitatem omnes inuitaret. Scitè Cardinalis Toletus in cap. 1. Ioann. adnot. 61. *Possumus adiungere dici Ioannem vocem, quia totum, quod erat in Ioanne, vox erat, inducens Iudæos ad pœnitentiam, ad obseruationem, & fidem, si spectare velis eius natiuitatem, conuersationem, vitam, vestitum, & prædicationem, inuenies Ioannem non solùm loqui, sed omnibus iis, & eorum singulis clamare, & ideo meritò vocem clamantem appellari.* Hæc vera Euangelici Doctoris nota, & consignatio est, vt totus quantus est, vox quædam sit, suis omnibus membris clamet, suis operibus prædicet.

ADAGIVM DCCCCLX.

Habeto cor formicæ. Formica Dei.

978. SI cuipiam suadeamus, vt tempore opportuno indigentiæ suæ consulat, & ea prouideat, quæ illi necessaria deinde erunt, hanc sententiam, quæ prouerbialem saliuam sapit, efferemus; nota cuilibet industria formicæ est, quæ in æstate parat, quod in hyeme comedat. Sancti Augustini ser. 245. de tempore, hoc monitum offert: *Expergiscere, euigila*, HABETO COR FORMICÆ. *Æstatis tempus est, collige quod tibi ad hyemem prosit. Noli esse piger, collige grana de area, de area Dominica, id est, verba Dei de Ecclesia Dei, & reconde intus in corde.* Paulò aliter rem versat concione 2. in Psalm. 36. ait quippe: *Cùm res sunt tranquillæ, tunc homo sibi colligere debet verbum Dei, & recondere in intimis cordis sui, quemadmodum formica abscondit in cauernosis penetralibus labores æstatis. Per æstatem enim vacat hoc agere, venit autem hyems, id est, superuenit tribulatio, & nisi intus inuenerit, quod edat, necesse est vt fame dispereat.*

Formicas nos imitari volebat idem sanctus Augustinus in Psalm. 36. dum ait: *Cùm res sunt tranquillæ, tunc homo sibi colligere debet verbum Dei, & recondere in intimis cordis sui, quemadmodum abscondit in cauernosis penetralibus labores æstatis. Per æstatem enim vacat hoc agere; venit autem hyems, id est, superuenit tribulatio, & nisi intus inuenerit quod edat, necesse est vt fame dispereat. Iste enim sibi non collegerat verbum Dei, superuenit hyems, non hic inuenit quod quærebat, consolari nisi inde non poterat, de verbo autem Dei nullo modo. Intus apud se nihil habebat, foris quod quærebat non inueniebat.* Rem eandem idem sanctus Pater in hunc modum versat enarrat. in Psal. 41. *Admonemur imitari formicam. Sicut enim prosperitas seculi significatur die, aduersitas seculi significatur nocte: ita alio modo prosperitas seculi significatur æstate, aduersitas seculi significatur hyeme, & quid facit formica? Per æstatem colligit, quod ei per hyemem prosit. Ergo cùm est æstas, cùm bene est vobis, cùm tranquilli estis, audite verbum Domini. Vnde enim fieri potest, vt in hac tempestate seculi huius sine tribulatione totum hoc mare transeatis? Vnde enim fieri potest? cui hoc hominum contingit? Si contingit alicui, plus metuenda est ipsa tranquillitas*; eadem mente licèt aliis verbis enarrat in Psal. 48. *Esto prudens, & prospice tibi in posterum in cœlo. Esto ergo prudens, imitare formicam, sicut dicit Scriptura, reconde æstate, ne esurias in hyeme. Hyems est dies nouissimus, dies tribulationis; hyems est dies scandalorum, & amaritudinis. Collige quod ibi tibi sit in posterum, si autem non facis, simul imprudens, & insipiens peribis.*

Qui tempore prosperitatis, ac felicitatis sibi ea 979.
colligit, quibus in aduersitate, ac tribulatione nutriatur, ac foueantur, is Dei formica non sine aliqua prouerbij saliua audiet, formicæ par, quæ frumēta sibi in æstate congregat, quibus in hyeme pascatur, S. Augustinus enarrat. in Psal. 66. *Cùm esset vita tranquillitas, cùm esset seculi huius erga illum prosperitas, quando ei vacabat, quando felix vocabatur ab omnibus, æstas ipsius erat; imitaretur formicam si audiret verba Dei, colligeret grana, & intus reconderet. Venerat tentatio tribulationis, superuenerat hyems temporis, tempestas timoris, frigus tristitiæ, siue damnum esset, siue salutis periculum, siue aliqua orbitas suorum, siue aliqua exhonoratio, siue humiliatio, hyems erat. Redit formica ad id quod æstate collegit, & intus in secreto suo vbi nemo videt, æstiuis laboribus recreatur. Quando sibi ista colligebat æstate, videbant omnes, cùm his pascitur in hyeme, nullus videt. Quid est hoc? Vide* FORMICAM DEI, *surgit, quotidie currit ad Ecclesiam Dei, orat, audit lectionem, hymnum cantat, ruminat, quod audit apud se cogitat, recondit intus grana electa de area. Hæc ipsa, quæ modò dicuntur qui prudenter audiunt, hoc agunt, & ab omnibus videntur procedere ad Ecclesiam, redire de Ecclesia, audire sermonem, audire lectionem, inuenire librum, aperire, & legere, omnia ista videntur cùm fiunt. Formica illa est conterens iter, portans*

& recondens in conspectu cernentium. Venit hyems aliquando;cui enim non venit? Accidit damnum, accidit orbitas; cæteri miserentur fortè vt miserum,qui non norunt quid intus habeat formica quod comedat:& dicunt, Miser ille cui hoc accidit, aut ille cui hoc accidit: quid illi credis animi esse? quomodo confectus est? Metitur ex se, comparatur ex viribus suis,& ideo fallitur, quia mensuram qua se metitur, vult afferre ad eum quem non nouis. Vides illum passum damnum,aut humiliatum,aut orbitate percussum. Quid credis? Iste ergo aliquid malefecit,vt hoc illi contingeret. Tale cor habeant,aut talem animum inimici mei.Ignorans, ô homo,verè tu tibi inimicus, qui per æstatem tibi non colligis, quod iste collegit. Modò intus formica comedit labores æstatis, sed eam colligentem videre poteras,manducantem videre non potes. Dei formica est, qui ita sibi prouidet, non qui terrenis tantùm inhiat;terrenorum amore tactus, non Dei formica est,sed potiùs Diaboli, sed mundi.

ADAG. DCCCCLXI.

Vnius pecudis scabies totum commaculat gregem.

980. PRouerbij huius vsus docet statim malis occurrendum, cauendum ne vnius improbi nequitia cæteros inter quos degit,inficiat,ab vnóque in omnes morbus, cui medica manus non admoueatur, omnium damno eat. S. Hieronymus lib.3.comment. ad Galatas initio, de mala doctrina,quæ ab vno ad alios facilè migrat,hoc prouerbium accipit: *Doctrina peruersa ab vno incipiens vix duos, aut tres primùm in exordio reperit auditores, sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium*: VNIVS PECVDIS SCABIES TOTVM COMMACVLAT GREGEM; vt proinde à cæterorum consortio sit amouendus ille,qui malus,illis malitiam afficiat,inter quos viuit,& noxiæ doctrinæ seminator, ne cæteros inficiat,auferendus.Pergit sanctus Pater:*Igitur & scintilla statim,vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicinia semouendum, secanda putrida carnes, & scabiorum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus massa,corpus, & pecora ardeat, corrumpatur,putrescat,inhæreat*; nimirum ne malus qui viuat,cum malis non viuat.

EXCVRSVS CLVIII.

Cauendum bonis ne malorum consortio ipsorum puritas inficiatur.

Malis hominibus immisceri,*quàm noxium.*
Euadit bonus,*qui* malos *fugit.*
Liberari *à malorum consortio petunt Iudæi.*
Mali tamquam membrum putrefactum *abscindendi à bonis.*
Mali auferendi *ne malos generent.*
Malè affectæ mentis *pruritus malorum consuetudine, vt quadam confricatione accenditur.*
Vel sua cadauera *ab ipsis submoueri Sancti student.*
Væ impio,*& væ eius* vicino.
Vnius delictum *noxium vrbi.*
Ab impiorum consortio *Christus filium auocat.*
Noxiū innocentibus *inter peccatores viuere.*
Impius vel mortuus *terram inficit.*
Feris *nocentior improbus.*
Nihil ita hominem præuertit, *quàm alter homo.*
Malorum amaritudo *ad Deum vrgere bonos debet.*
Nemo se sinat malorum exemplo *ad malum trahi.*
Bonus bonos reddere *malos debet inter quos viuit.*

EXplicari non potest, quàm noxium bonis malorum consortium sit, quàm vtilis à malis fuga bonis sit; ab hominibus aberat Moses, cùm in monte ieiunauit, & à Deo legem accepit, cum hominibus, iisque malis Aaron erat, vt non mirum si illis se conformans, Idolum fabricauerit; rem in hunc sensum vrget sanctus Petrus Damianus opusc.12. cap.27. Moyses qui ab humana conuersatione remotus, bis quadragenario dierum numero ieiunauit, bis etiam legem Domini digito scriptam suscipere meruit, Aaron autem, qui ad custodiam populi derelictus est, cognoscitur idola fabricatus. 981. *Malis hominibus immisceri, quàm noxium.* S. Pet.Dam.

Noxium hominibus est inter malos homines viuere, à malorum consortio vbi se exemerint, alij fiunt, fiunt meliores; Chananæa primò dicta est canis, Matth.15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; canis erat, quia in illo populo vixerat; vix exierat sequuta Christum, cùm tandem audit: *O mulier, magna est fides tua*; mulier dicitur quæ antea canibus pariabatur, tantum illi profuit suos deserere, Christos adhærere, Christum sequi; aduocanda huc sunt sancti Augustini verba, qui enarrat. in Psalm.44. ita scribit: *Euangelium sic loquitur, secessit in partes Tyri, & Sidonis, & esse mulier Chananæa de finibus illis egressa clamabat, & cætera quæ ibi narrantur. Quæ primò canis erat apud patrem suum, & in populo suo, clamando, & veniendo ad istum Regem, decora facta credendo in illum quid meruit audire?* O mulier,magna est fides tua;concupiuit Rex speciem tuam. *Euadit bonus qui malos fugit.* Matth.15. S.Aug.

Inter alia, à quibus liberari quotidie Hebræi postulant, sunt mala, quæ à prauorum hominum consuetudine, præsertim eorum, qui verecundiam, & Dei timorem exuerunt, inferri possunt; hinc illa illorum formula, singulis diebus recitari solita, quæ exstat in סדר תפילות. sic autem se habet: *Placet tibi Domine Deus patrum meorum liberare me hodie, & quotidie à viris effranis, neque me inuerecundum esse permitte, ab homine malo, & à tentatione mala, ab improbo socio, à proximo prauo, à malo occursu. ab oculo malo, à lingua mala, à delatore, à falso teste, à personarum maleuolentia, à falsis querelis; à morte inusitata, à malis malis, à dura sententia, & ab homine qui litigia foueat, siue ille Hebræus sit, siue alius, & à iustitia gehenna.* *Liberari à malorum consortio petunt Iudæi.*

A cæteris membris membrum incurabile abscecatur, ne malum ab isto in illa serpat; idem in malis hominibus fieri à nobis debet; scitè Synesius epist.58. ὥσπερ μέλος ἀνίατον ἔχει ἀποκοπτόμενος ἡμῶν ἵνα μὴ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τὸ ὑγιαῖνον συμφθείρηται. ὁ γὰρ μολυσμὸς διαδόσιμος γίνεται, καὶ ὁ θίγων ἐναγὴς ἀπολαύει τῆς προσοχῆς: id est, *Tamquam membrum incurabile* 982. *Mali tamquam membrum putrefactum abscindendi à bonis.* Synesius.

Mali auferendi ne malos generent. *1 Cor.5.13.* *S.Bern.*

rabile rescindendus à nobis, vt ne societate etiam quod sanum est,corrumpatur: nam labes propagatur, & serpit, & qui tangit sceleratum, etiam contagionem sentit. Huc spectabat sancti Bernardi monitum epist. 101. Apostoli verba ad hunc sensum flectentis; sic enim ille scribit: *Hæc omnia fecisti,nec profecisti; ad Apostoli consilium confugiendum est,dicentis: Auferte malum ex vobis. Auferatur ergo malus, ne malos generet. Neque enim potest arbor mala fructus, nisi malos facere.*

Malè affectæ mentis prurius malorum cõsuetudine, vt quadam confricatione accendatur. *S.August.* *S.Nilus.*

Malorum consortium, vt blandiri nobis videatur, verè in nos sæuit;nimirum malæ affectæ mentis pruritus malorum consuetudine velut quadam confricatione accenditur, vt deinde dolorem, plagásque gignat; S.Augustinus lib.2. confess.c.8. ita loquitur: *Nec confricatione consciorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ*; vt benè monnerit S.Nilus in cap.patænet. μὴ ἀπαιτήσῃς τὴν ὄν τῷ ἀγαθῷ ... : id est, *ne conuerseris illi,quem à bonis vides culpari.*

Vel sua cadauera ab impiis submoueri Sancti student. *Gen.50.* *Oleaster.*

Vel mortui ab impiorum consortio eximere sua cadauera Sancti curabant. hoc expendens Oleaster in cap.13.Exod.aiebat: *Tulit Moses ossa Ioseph; non æquo animo ferebant Sancti inter impios requiescere,neque corpora, neque cadauera sua permittebant inter impios haberi*;& in c.50. Genes. *Abscondere facies ossa mea; Hinc audis*,inquit Oleaster, *quàm mala sit coniunctio malorum, vt non solum viui, sed etiam defuncti nolint iusti cum eis commorari.*

983. *Va impio, & va eius vicino.* *Hebr.*

Malorum consortium noxium omnibus est, vt hîc maximè locum habeat illud Hebræorum, אוי לרשע ואוי לשכנו, hoc est, *Væ impio,& væ eius vicino*, plerunque enim ob vnius impij delictum patiuntur & alij.

Vnius delictũ noxium vrbi. *1.Cor.5.2.*

Hinc Paulus,cùm de vnius delicto ageretur,toti vrbi fletum indicat, tanquam vno impio tota ciuitas periclitaretur,exitiúmque omnibus immineret ab vnius scelere, & impietate; Apostoli hæc sunt verba 1.Cor.5.2. *Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit*; non nudam illis curam iniunxit,sed fletum ab illis postulauit, quia in vnius peccatoris culpa cũctorum periculum delitescere videbat Apostolus. Acutè S.Chrysostomus hom.10. de pœnitentia ad produ-

S.Chrysost.

cta verba, mentémque spectans: *Non dixit, & non magis studuistis,sed non magis fleuistis, quasi morbo communi,& peste ciuitatem comprehendente: quasi diceret,orationem exigit, & confessionem, & preces, quò morbus tota ciuitate tollatur.*

Ab impiorum cõsortio Christus filium auocat. *S.Paschas.*

Noluit patris sepulturæ filium adesse Christus, cui alij plurimi erant adfuturi, sed mortui,& vera fidei vita functi, ne igitur fieret eorum similis,ire ad mortuos non permittit Christus adolescenti, *non vt ab officio patris filium reuocet, sed vt à consortio impiorum eum secernat*; inquit S.Paschasius lib.5.in Matthæum; tanti est Christi discipulum malorum consuetudinem vitare, facilè malus futurus, si cum malis esse assuescat.

984. *Noxiũ innocentibus inter peccatores viuere.* *S.Hier.*

Noxium bonis inter malos viuere docuit exemplo suo Euangelicus Propheta, qui polluta labia se habere confessus est,cap.6. eo quòd inter populum habitaret,qui polluta labia circumferebat;rem sic expendebat sanctus Hieronymus lib.3. in Isaiam, *Felix conscientia,quæ tantùm in sermone peccauit:non suo vitio, sed societate populi habentis polluta labia,cum quo loqui sæpissimè cogebatur.* Ex quo ostenditur noxium esse viuere cum peccatoribus.

Impius, vel mortuus terram inficit. *Deut.21.23.*

Impius, vel mortuus terram inficit, vt proinde noluerit Deus eius cadauer in ligno nocte pendere. Deut.21.23. *Non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, & nequaquam contamina-*

bis terram,quid viuus faciet impius ,si tam nexius mortuus est? Olcaster hic legit: *Nõ pernoctabit cadauer in ligno, aut non permanebit*; additque ad explicatum: *Terret me re vera locus iste, asserens impium etiam mortuum contaminare terram. Quid enim viuus faciet, qui mortuus non permittitur super terram esse, etiam in suspendio? Similiter terram impius mirum in modum grauari,qua eorum suspendio alleuiari perhibetur.* *Oleast.*

Vitantur feræ, quia virus ad mortem eommunt, cur non vitentur & mali, qui nocentiores? hoc monitum à probo calamo est. Sanctus Asterius hom.2.de OEconomo, inquit: *At si quis vitiorum assecla pestilensque, & perniciosus homo propius accedit, vt peccati cœnum per aures infundat, vitandus ille & fugiendus, non aliter quàm genus illud ferarum,quæ toxicum eiaculantur.*

Hac mente aiebat Propheta regius Psalm.139. *Eripe me, Domine,ab homine malo*;cur non petit à feris liberari? quia malorum consortium feris ipsis nocentius est; opportunè sanctus Chrysostomus: *Vbi nunc sunt qui dicunt, Quare sunt feræ,quare scorpij? quare vipera? Ecce enim inuentum est animal, quod maiorem ostendit improbitatem; non ex natura, sed sponte, & ex libera animi voluntate. Quocirca Propheta quoque illis omnibus prætermissis, rogat vt ab eo liberetur.* *Psal.139.* *S.Chrysost.*

Nihil homini nocentius homine est;atque adeò nihil ita vitandum quàm praui hominis consortium; hinc aperiemus, quò spectarit Deus illis verbis Num.33.52. *Intrantes terram Chanæam disperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram.* A malorum expulsione incipit, quia nihil ita homini nocet ac noceat alter humo. Opportunè Olcaster hîc: *Prius præcipit habitatores expellere. Secundò perdere titulos. Tertiò imagines. Quartò delubra. Prius homines, quoniam nihil citius* HOMINEM PERVERTIT, *quam* ALTER HOMO. 985. *Nihil ita hominem peruertit, quàm alter homo.* *Num 33 52.* *Oleaster.*

A malis hauriri bonum potest, fiet, si illorum amaritudine ad Deum eamos,infantium exemplo, qui ab vberibus, quibus amarum quidpiam impositum,ad mensam curruut;rem in hunc modum enarrat sanctus Augustinus in Psal.30. ad illa verba: *Ego autem in te speraui Domine*; ait enim: *Nihil salubrius, nihil securius. Volebas imitari nescio quem, inuenisti illum non bonum. Tolle imitationem hanc; alium quæsisti, aescio anid displicuit tibi. Tertium quæsisti, & ipse non placuit. Numquid quia & ille, & ille displicuit, & tu peribus? Tolle ab homine spem, quia male dictus omnis, qui spem suam ponit in homine. Si attendis adhuc hominem, & eum quaris imitari, & ex illo peadere, adhuc lacte vis nutriri, & fies mammothreptus, quales dicuntur pueri, qui diu sugunt, quod non decet. Etenim lacte vti tamquam per carnem velle sibi cibum traiici, hoc idem est per hominem viuere. Idoneus esto ad mensam,inde cape, vnde ille cœpit,aut fortasse non cœpit.* *Malorum amaritudo ad Deum vegeto bonos debet.* *S.August.*

Nemo adeò cereus sit, vt malorum exemplo flectatur ad malum; ab Apostolis id disce, quos Iudæ proditio non infecit, *neque vndecim Apostoli*, inquit sanctus Hieronymus epist.22. *Iuda proditione sunt fracti, ne Phileto & Alexandro facientibus naufragium, cæteri à cursu fidei substiterunt.* 986. *Nemo se sinat malorum exemplo ad malum trahere.* *S.Hier.*

Inter malos qoi viuit, malus ipse non fiat, sed bonus bonos reddat qui mali sunt, deglutiat eos, eos absorbeat, & in se quodammodo morum conuersione conuertat; nam & Petro dictum est, *macta & manduca*, Act.10. traiiciendi à bonis impij sunt, ne sint,ne impij de iusto dicant: *Deuorauimus* *Bonus bonos reddere malos debet inter quos viuit.*

Psal. 34. S. Aug. *eum*, Psal. 34. seu, vt legit sanctus Augustinus, *absorbuimus eum*; rectè de hac re philosophatur Aduocatus sanctus Pater enarrat. in citatum Psalmum, qui huc quoque flectit, quod factum à Moyse fuit, cùm scilicet populum absorbendum exhibuit puluerem, qui ex imminuti vituli contusione paratus est: *Non dicant, absorbuimus eum. Vnde illi Martyres dicunt, nisi quia Dominus erat in nobis, fortasse viuos absorbuissent eos. Quid est, absorbuissent nos? In corpus suum traiecissent nos. Hoc enim absorbes, quod in corpus tuum traiicis. Vult te mundus absorbere, tu absorbe mundum, & traiice illum in corpus tuum, macta, & manduca. Quod Petro dictum est, Macta, & manduca; occide in eis quod sunt, fac eos quod tu es. Illi autem contrà, si tibi persuaserint impietatem, absorberis ab eis, non quando persequuntur te, ab his absorberis, sed quando tibi persuadent quod sunt. Nec dicant, absorbuimus eum. Tu absorbe corpus Paganorum. Quare corpus Paganorum? Vult te absorbere, fac illi, quod vult tibi facere. Ideo fortasse vitulus ille comminutus in aquam missus, & populo datus est, vt absorberetur ab Israël corpus impiorum, impiique esse desinerent, in pios quodammodo migrantes.*

ADAG. DCCCCLXII.

Aquam manu cœlum palmo metiris, & terram vniuersam pugno.

987. IN eum iactari prouerbij forma poterit, qui ea moliatur, quæ perficere nequeat, & viribus maiora aggrediatur, ac denique in illa mentis aciem dirigit, quæ eius captum maximè superant. Huc faciunt S. Gregorij Nazianzeni verba, qui orat. 7. de composita differ. rat. ita loquitur: *Quid turrim ædificas, cùm ad extructionem necessaria non habeas? cur & ipse metiris*, AQVAM MANV, COELVM PALMO, TERRAM VNIVERSAM PVGNO, *elementa sanè ingentia, solique creatori metienda? Nosce primò te ipsum, quæ in manibus sunt considera.*

ADAG. DCCCCLXIII.

Mare exiguo humore locupletare.

TOrquebitur in eum, qui frustrà laborat, & in aliqua re operam suam locat, quæ minimè illa indiget, vt se omni laude studiosè laudet, & ex se commendabilem superfluis commendet verbis. Ennodij hæc sunt verba lib. 9. epist. 3. *Quasi solem facibus adiuuet, &* MARE EXIGVO HVMORE LOCVPLETET, *ita superfluis laborat impendiis, qui per se placitura commendat.*

ADAG. DCCCCLXIV.

Giezi successor. Nouus Giezi. Giezita.

988. SImoniæ vitio infectus, & qui munerũ oblatione flecti se sinit, & corrumpi, prouerbiali schemate Giezi, aut Giezi successor appellabitur, qui hoc vitio, vt ex sacris litteris apparet, laborauit. Petrus Blesensis ep. 119. ita quendam arguebat: *Quis te fecit* GIEZI SVCCESSOREM, *quis te constituit emptorem lepræ, & spiritualis olei venditorẽ?* & epist. 126. *Propter hoc à diebus antiquis se ad nundinas illius electionis accinxerant, & per quosdam* GIEZI SVCCESSORES *titulum de contrahenda emptione frequentiùs intrabant.* Huc aduocari potest & illud eiusd. epist. 15. vbi ita loquitur: *Dum Gieziticam negotiationem exercent, thesaurum iræ, & mortis sibi accumulant, cùm thesauro pecuniæ Christum habituri vindicem, quem non timent iudicem*; huc facit & illud sancti Bernardi serm. 48. de modo bene viuendi, ad sororem, vbi ita scribit: *In monasterio sunt sancti Apostoli Iesu Christi, est etiam ibi* GIEZI *discipulus Elisæi, qui de sæculo ad monasterium venit, & quod in domo sua habere non potuit, si illud in monasterio habere voluerit, vel requisierit, sine dubitatione lepram Giezi sustinuit in corpore, iste sustinebit in anima.* Sanctus Theodorus Studites serm. 9. *Virginitatis*, inquit, *deposito voto, & Gezita agris, vineis, bobus, ouibus coemptis.* Sanctus Bernardus GIEZITAM vocat eum, qui Summo Pontifici inseruiens, & non contentus, quod ab illo accepit, ab aduersante aliquid petit, lucris inhiat, opibusque augendis; sic ille scribit lib. 4. de considerat. ad Eugenium: *Capellani, & qui tecum iugiter diuinis intersunt officiis, non sint sine honore. Tuum est tales tibi prouidere, qui digni sint; seruiatur eis ab omnibus, tanquam tibi necessaria de manu tua accipiant, his intenti sint, quæ tu prouideris illis, tu vide, ne egeant, super hoc quem fortè ab aduentantibus petere deprehendes, iudica* GIEZITAM. Iuoni Carnotensi Episcopo *Giezitæ* habere dicuntur, qui opibus colligendis ministros habent, & corrodendis vndecumque muneribus, sic ille loquitur epist. 207. GIEZITAS *mox aut secum habent, aut post se mittunt, qui collectionem accipiant.*

Nouus Giezi dicetur quoque, qui hoc eodem laborat vitio. Beatus Gregorius Turonensis lib. 11. de gloria Martyrum, cap. 59. ita loquitur: *Ablatum à cacabo vitrum aduenientibus negotiatoribus venundedit, vt scilicet accepta pecunia nouus Giezi lepram perpetuam compararet. nam adueniente die post anni curriculum, quod hoc furtum fecerat, caput eius tumori datur, oculi quoque inflantur, vt erui a suis locis aestimentur: hæc autem ei singulis annis eueniunt, in die illa qua furtum admisit.*

Giezi lepra corripitur, qui pecuniæ rerùmque terrenarum tenetur cupiditate. Benè Ioannes Cassianus lib. 6. de spirito philargyriæ, cap. 26. *Qui secundùm similitudinem Giezi spiritu, ac mente leprosi esse noscuntur, qui mundi huius caducas pecunias concupiscens, immunda lepræ contagione respersus est. Per quam nobis euidens reliquit exemplum, omnem animam cupiditatis labe pollutam spiritali vitiorum lepra respergi, immundamque apud Dominum perenni maledictione reputari*, & cap. 30. *Giezi quoque pertimescamus exemplum, qui ob Philargyriæ culpam æterna supplicio lepræ multatur, & aliquid ex his, quæ nec antè possedimus, caueamus acquirere.* Sanctus Petrus Damianus lib. 3. epist. 1. *Giezi meretur lepram, qui suam mutat pro pecuniæ cupiditate sententiam.*

Lepra percussus Giezi, quia pecuniam accepit non alienæ inopiæ subleuandæ, sed propriæ cupiditati nutriendæ; ita de hac re scribit sanctus Petrus Damianus lib. 6. epist. 32. *Giezi sanè puer Elisei, si Prophetarum filiis, vt meminimus est, argenti talenta suscipiendo, consuluisset, nequaquam subeundæ lepræ sententiam protulisset. Nam iccirco plaga percussus est, quam dator amiserat, quia non ad hoc aliena suscepit, vt in opus pietatis expenderet, sed vt sua concupiscentiæ satisfaciens, proprij iuris possideret peculium.*

Quinam

Quinam verò Giezi sint pares, explicat idem sanctus Pater eodem loco in hæc verba: *Giezi semen sunt qui ea, quæ in opus pietatis impendenda susceperant, sibimet imposterum noxiè profutura conseruant; ignobili namque atque degeneri responsura posteritas, dum sumptus supernos in sua transferre lucra conatur, alieni proculdubio sceleris de lepra perfunditur.* O plures haberemus Elisæos, pauciores, aut etiam nullos Giezi, nullos Giezi successores, imitatores?

ADAGIVM DCCCCLXV.

Simonis Magi discipulus.
Simonis hæres.

989. PRouerbialiter hoc dicterio simoniæ vitio iofamis traducetur; Simon quippè huic vitio nomine dedit nomen. Petri Blesensis verba huc respiciunt, qui epist. 129. ita scribit: *Quis te constituit* DISCIPVLVM SIMONIS; & epist. 126. *Erant*, inquit, *quidam filij, &* HÆREDES SIMONIS MAGI, *qui licet religionis professores, multorúmque inueterati dierum, cum pecuniis tamen quos congregauerant.*

Huc facit & illud sancti Petri Damiani lib. 1. epist. 1. vbi ita loquitur: *Conteratur iam milleforme caput venenati serpentis; cesset negotium peruersæ negotiationis; nullam iam monetam falsarius* SIMON *in Ecclesia fabricet, nulla Giezi præsente prouidi doctoris absentia furtiua dona reportet.*

ADAGIVM DCCCCLXVI.

Intrare ad Simonem Petrum per Simonem Magum.

QVi aditum sibi ad eum, qui Petri locum tenet, sacrásque infusas pecuniarum susu facit, hic intrare ad Simonem Petrum prouerbialiter dicetur per Simonem Magum. Theobaldus Episcopus in vita sancti VVilhelmi Ducis, & Comitis Innocentium III. adeuntis ita loquitur: INTRAVIT *vir obediens* AD SIMONEM PETRVM, *sed* NON PER SIMONEM MAGVM; *nihil pauper Christi ostiariis dedit, qui in terris ex omnibus nihil possedit, nec fuit, qui ab intraturo pecuniam exegerat, testante Scriptura, quia qualis recta ciuitatis, talis & populus eius.*

EXCVRSVS CLIX.

Simoniæ labes cauenda, excutiendæ à muneribus manus, ne oculi excæcentur.

Simoniæ labes *ab Ecclesia exulet.*
Vitanda simoniæ exemplum *singulare.*
Qui profligata *simonia.*
A simonia lue, *vt se exemerit quidam Præsul.*
Ministeria Ecclesiastica simoniæ fordc *libera sint.*
Munera non amanda.
Quàm periculosum *munera accipere.*
Singulare munera repudiantis *exemplum.*
Deargentata pœnitentia *quanam diceretur.*
Rectè iudicaturus *munera non excipiat.*
שחד *quid.*
Munera prudentes *excæcant, & multo magis* imprudentes.
Munera non excæcant *tantùm, sed* eruunt *etiam* oculos.
Munerum sectator non suis, *sed* munerum oculis *videt.*
Amatores munerum specillis *mali affectus causam intuentur.*
Qui muneribus inhiat muri *par.*

SImoniæ labem ab Ecclesia eliminari cupiebat sæuus eius hostis sanctus Petrus Damianus epist. 1. vbi ita loquitur: *Conteratur iam milleforme caput venenati serpentis; cesset commercium peruersæ negotiationis; nullam iam monetam falsarius Simon in Ecclesia fabricet, nulla Giezi præsente prouidi Doctoris absentia furtiua reportet dona.* 990.

Simonia labes ab Ecclesia exulet. S. Petr Dam.

Ab hac Simonis labe, quam longe abesse debeamus, docuit exemplo suo sanctus Erminoldus Abbas, de quo eius vitæ auctor hæc refert in hanc rem, digna prorsus quæ in omnium notitiam veniant: *Fratrem carnalem vir Dei habebat præter titulum sanguinis generosi satis, supérque, & in diuitiis abundantem. Quodam verò die cùm venissent viri Imperatoris, vt assisterent coram illo, affuit inter eos & ille viri sancti Germanus, cui surridens augustus animo fortè iocandi: Causa, inquit, tuæ dilectionis fratrem tuum regali præfecimus Abbatiæ, facientes sibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui celebrantur in terra, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat inter illos; in quo igitur maiestatis nostræ munificentiæ respondetis?* At ille; *Vera, inquit, esse omnia recognosco, quæ proponit vestra Serenitas, arbitrórque dignissimum, vt vestræ non ingratus inueniar pietati. Dictum duxit in actum, nec multo pòst decentibus satis Imperatorem muneribus honorauit, famulo Erminoldo tam dicta Imperatoris, quàm facta germani penitus ignorante. Caterùm mox vbi ad eum res gesta deuenit, licèt horum omnium nec conscius extitisset, Lorsatensem resignauit Abbatiam, protinus tam curæ se subtrahens pastorali, quàm vel nota leuissima simoniacæ prauitatis. Aduertendum est igitur, quam execrabile dixisset hic sanctus per tale se vitium maculasse, vt & prælaturam retinere detestaretur, pro qua nihil vnquam datum licèt præbitum esset adipiscenda, sed pro iam adepta, & de pòst facto frater suus Imperatori grates per munera retulisset.*

Vitanda simonia exemplum singulare.

Vt simoniam profligarit sanctus Tarasius, narrat in eius vita his verbis Simeon Metaphrastes; *& primum quidem simoniacæ erumena scindens vinculum quo sanctus Spiritus donum venale proponitur, statuit, vt sacerdotum gratis fierent creationes, & ordinationes: ex atrio Ecclesiastico omnem pecuniarum expellens consuetudinem.* 991.

Quinam profligata simonia. B. Sim. Metaphr.

Ab hac lue immunis quoque fuit sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus; de quo ita scribit Vincentius Mainardus: *Quoties initiandi ad eum conuenissent, quoties sacerdotia contulisset, aut collata ab aliis probaturus esset ne obolum quidem; quid obolum? ne flosculos quidem, vt ita dicam, in domum intulit, aut quòd caperentur à suorum copiam permisit, quam quoque abstinentiam ita in cæteris rebus præstitit, vt nullis posset machinis ac pollicitis aduersus integritatem, ac iustitiam expugnari.*

A simonia lue vt se exemerit quidam Præsul. Vinc. Main.

Ministeria Ecclesiastica venalia minimè esse voluit Christus, vt indicauit cùm suis discipulis

Ministeria Ecclesiastica simonia sorde

libera fint. Matth. 10. 9. S. Hilarius.

inhiboit ne pecuniam in zonis, Matth. 10. v. 9. quod in hunc modum expendebat sanctus Hilarius in Matth. canone 6. *Et quid*, inquit, *sibi vult auri, argenti, atque aris in zona inhibita possessio? zona est ministerij apparatus, & ad efficaciam operis pracinctio. Ergo ne quidem ministerio nostro venale sit admonemur, neque hoc Apostolatus nostri opus fiat auri, argenti, arisque possessio.* Hactenus ille.

Munera non amanda.

Munera non amanda, non quærenda, nec illorum violentia aliquid præstandum, docuit Elisæus cùm Naaman Syro ad eum cum muneribus venienti nec ipse obuiam iuit, nec seuum ei occurrere voluit, ne scilicet videretur cum munerum causa curasse, id quod his verbis expendebat sanctus Nilus in Asceticis: *Venit quondam ad Elisaum dux Naaman Syrus, multaque munera secum attulit. Quid igitur? Propheta non illi processit obuiam? statim ne illi occurrit? An per puerum causam, propter quam venerat, aperuit, ne ad prasentiam quidem suam illum admittens, ne muneribus, qua attuleras, eum curasse videretur.*

S. Nilus.

992. *Quàm periculosum munera accipere.* S. Edmund.

Malè cum eo agi, qui muneribus excipiendis promptus est, eleganter, festiuéque explicabat sanctus Edmundus Episcopus Cantuariensis, in cuius vita hæc auctor habet: *Ab omni munere excutiebat manus suas, & eos, qui munera acciperent, detestabatur, prasertim potestatem gerentes, quos ad faciendam iustitiam gratuitos esse debere aiebat, non muneribus inuitari & illici: iisque crebrò dicebat: Prendere, & pendere, non nisi litera vna inter se discrepant: significare volens admodum propinquum eum esse suspendio, qui prater fas munera libenter accipiat.*

Singulare munera repudiatis exemplum. Guid.

Hac laude insignis fuit sanctus Hugo Episcopus Gratianopolitanus, vt in ferendis sententiis ab omni munerum cupiditate fuerit alienus, vt scribit Guido Abbas in eius vita: *Illud sanè quo pacto praterire possumus, quin vel breuiter attingamus, quòd cum frequentissimè suorum, & alienorum causas mundanas, & Ecclesiasticas audiret, ventilaret, terminaret, eúmque in subditis sibi clericis per tam prolixum vita spatium toties consecrationes, degradationes, reconciliationes pro personarum, & Ecclesiarum competentibus causis, & necessitatibus celebraret manus suas, tamen ab omni secundum propheticum praconium, excussit munere? eo iudice, nulli vnquam persona dignitas, nulli pecunia profuit quantitas, nullum paupertas, nullum quorumcumque officiorum, siue natalium reum fecit extremitas. non mitiorem amicus, non duriorem expertus est inimicus; non deargentatam conuictus, vel confitentibus imposuit pœnitentiam, non lucrosam in placitis defendit edidítve sententiam; non considerabat personam pauperis, non honorabat vultum potentis.*

Deargentata pœnitentia quanam dicetur.

993. *Rectè iudicaturus munera non excipiat.*

Munera non recipiat, qui rectè iudicaturus est, nam munera oculos iudici obuclant, vt non videat, quid iustum sit; nam munus hoc præstat, vt iudicem in eum quodammodo vertet, à quo munera accipit; quod notant & Hebræi in libro præceptorum negatiuorum num. 208. colligúntque ex nomine ipso muneris, quod שחד *sochod*, ac si idem esset ac שהו חד *sehu chad*, *ipse vnus est*, scilicet cum illo qui munus affert; vnde additur statim כלומר הרי הוא כגפו ואין אדם רואה חובה לעצמו. *chelomar hare hu chaghuphi vehem Adam robè chouah lengazmo. id est, scilicet, ecce iam ipse vt corpus eius, nec homo sententiam fert contra se ipsum.*

שחד *quid.*

Munera prudentes excacant & multo magis imprudentes. S. Isid. Pelus.

In diuinis litteris munera sapientum, & prudentum oculos excæcare dicuntur; Exod. 23. 8. *Nec accipies munera, qua etiam excacant prudentes*; quid in imprudentes facient? rem optimè expendit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 182. *Rectum illi iudicium apparet, qui auaritiam non expugnatur, sui lucri studium anima oculos non extinguat. Si enim munera sapientum excacant lumina, insipientum quid non facient? Quemadmodum si alteri bilanci aurum imponas, lanx deprimitur, & inaquale ostendit iugum. Sic & iudex cùm auro corrumpitur, nihil rectum, aut salutare indicat.* Oleaster aliud hinc exsculpsit, nimirum munera non obcæcare tantùm oculos, sed & eruere, sic ille scribit in cap. 23. Exodi legens: *Quoniam munus excacauit videntes; Verbum*, inquit, *Hebraicum propriè significat suscitare, & eruere. nam qui aliquid eruit, videtur illud eleuare, & suscitare à loco à quo ipsum eruit, vnde non tam propriè excacare, quàm eruere significat, & hic significatiùs vertas, quoniam munus eruerit, vel eruit, scilicet oculos videntis, ac si apertiùs dicat, ne dum excacat videntes, sed etiam oculos illis eruit.*

Munera non excacant tantùm, sed eruunt etiam oculos. Exod. 23. Oleast.

994. *Munerum spectator non suis, sed munerum oculis videt.* Gen. 32. Oleast.

Verè ille non videt, qui munera accipit, aut certè munerum videt oculis, non videt suis; idem Oleaster in cap. 32. Gen. ad illud, *Placebo faciem eius muneribus*, ita scribit; *ac si dicat, videat ipse prius munus, quàm ego faciem eius, vt munus faciem leniat ad aspectum meum, ne in me malum, quod sibi intuli, videat, seu videat oculis muneris mei, non suis, qui enim munera accipiunt, vident per munera non oculis suis.* eodem spectabat idem auctor in cap. 23. Exod. dum ait, *Munus non accipies, quia munus excacat videntes, solent qui munera accipiunt, non suis, sed munerum oculis respicere, & prius munera afferenti videre, quàm causa, & muneris affectu excacati ad iudicandum pergunt, vnde non possunt rectè merita causa speculari, cum specillis mali affectus causam intueantur.*

Amatores munerum specillis mali affectus causam intuentur. Oleast.

Qui muneribus inhiat murs par. S. Petr. Dam.

Denique qui munera quærit, & munerum oblatione corrumpitur, is murem refert, qui dum escæ inhiat, parata capitur tendicula. Festiuè sanctus Petrus Damianus opusc. 31. cap. 5. *Qui*, inquit, *muneribus inhiat, tamquam mus dum escam corrodere nititur, tendicula suffocatur; magni muneris loco si sapis cense munerum affectu non teneri, nec teneberis.*

ADAG. DCCCCLXVII.

Angelus.

995. SI alicuius sit puritas, innocentia, sanctitas efferenda, Angelis statim producitur nomen, Angelos vocatur, qoi laudandus, vt nihil ferè tritius vulgo sit. Dabo hîc Patres aliquot, qui hoc sensu hoc nomen extulere; sanctus Petrus Damianus opusc. 13. cap. 23. de Leone ita loquitur: *Crucifixus huic mundo iam penè, qua sunt humana non sentio, sed totus azymus, totúsque sincerus, vt ita fatear,* ANGELVS *viuit.* sanctus Bernardus serm. 3. in Psalm. Qui habitat; *Si quis quartam partem eorum, qua facit (in Religione) in seculo actitaret, reputaretur* VT ANGELVS, *nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur, & increpatur.*

Hinc eodem sensu, *Angelica conuersatio*; ab eodem calamo serm. 2. de altitudine cordis; *Angelica in corpore conuersatio, & Apostolica perfectio inuenitur*; & ad eandem mentem, *Angelica vita* eidem hom. 3. super Missus est; *scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse viuere angelicè inter homines, & in terris more cœlestium conuersare, & in carne calibem agere vitam.*

Angelica Respublica dicta est Beato Chrysostomo primi æui fidelium congregatio, & viuendi ratio; de sancto Adhelardo Abbate Corbeiensi ita scribit sanctus Paschasius in vita quam de illo scripsit; *Tantam promeruit laudem, vt à quibusdam, ita vt fertur, non homo, sed pro virtutis amore* ANGELVS *pradicaretur.*

ADAG. DCCCCLXVIII.

Industria violentia potior.

996. NOn semper vis vi repellenda, præsertim si maior arte, & industria, sæpe obtinetur, quod viribus non potuissemus. sic de mala consuetudine, quàm perniciosa catena est; consulit sanctus Bernardus serm. de septem donis Spiritus sancti: *Soluenda, ait, vtique facilius quàm rumpenda, vt hic maximè vulgare illud prouerbium videatur vsurpari,* INDVSTRIAM VIOLENTIA POTIOREM. *Alioquin si fortè violentiam quæras, & castigationem corporis speres, consuetudini præualere timendum omnino est, ne sit perniciosus labor, & prius ipsa substantia deficiat, quàm inclita concupiscentia.* Transferetur & ad alia huius prouerbij vsus, in quibus magis industria, quamuis & violentia requiratur.

ADAGIVM DCCCCLXIX.

Lynceos in aliquem oculos intendere.

Lynceus intellectus.

997. LYncei perspicacitas abiit in prouerbium, conuenitque in eos qui acutissimè omnia vident; lynceos igitur in aliquem oculos intendere dicetur, qui etiam ea in eo videt, quæ ab aliorum oculis sunt exempta; huc spectabat sanctus Bernardus epist. 285. dum ait: *Nunquid isti* LYNCEOS IN EVM OCVLOS INTENDERANT, *videntes, quæ nemo adhuc videre alius potuit?* ferm. 2. de Epiphania, Lynceos oculos fidei tribuit; quæ occulta quæque penetrauit, & Deum videt, maximè vbi maximè latet; hinc & latro fidei auxilio in cruce Deum nouit. Dabo hic sancti Patris verba, acumen fidei expendentis in latrone, ac Centurione: *Clamabat, inquit, latro de cruce, Domine memento mei dum veneris in regnum tuum: ergóne per supplicium ille vadit ad regnum? Quis indicauit sibi, quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Tu quoque Centurio, cum vnde nosti? Videns quòd sic clamans expirasset. Verè inquit, hic homo filius Dei erat. Mira res, & omni admiratione digna. Propterea rogo vos, intuemini, & videte quàm acuta sit fides, quam* LYNCEOS OCVLOS *habeat diligentiùs considerate; siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt, ille clauis infixum, isti pannis inuolutum. Centurio verò vitam agnouit in morte.* Lynceos oculos habuisse visus est & Ioannes, dum materni vteri parietibus clausus clausum itidem Christus vidit. Scitè Beatus Thomas à Villanoua conc. de Visit. Virginis: *Mira res, inquit, genua flectit vtero, & quem verbis salutare non potuit, prophetico gaudio recognouit. Odorat velut alter Ionas, in vteri templo factorem suum; & quia suo non finitur, parentis euangelizat eloquio. O mirabilem præcursorem! ò visum acutum! ò* PLVSQVAM LYNCEOS OCVLOS, *Dei maiestatem intra virginis viscera penetrare.* Ad omnes iustos, & rerum temporalium contemptores porrexit Vgo Charensis in Psalm. 91. *Spiritualis homo, inquit, habens* OCVLOS LYNCEOS, *videt intus latentia, & ideo despicit ea, quæ exterius prætenduntur.*

De Lynceo ita scribit sanctus Hieronymus epist. 61. *Lynceus, vt fabula ferunt, videbat transparietem*; & ex prophanis Lucianus in Tim. *Omittat,* inquit, *vestigatam rem vsque adeò repertu difficilem, & iam olim è vita sublatam, quam nec Lynceus quidem facilè inueniret, quæ nimirum adeò obscura sit, ac minuta.* Huc facit, quod de Lynce refert sanctus Petrus Damianus opusc. 52. cap. 21. vbi rem ad diuini visus acumen transfert in hæc verba: *Lynx quoque tam incomparabile visus acumen habet, vt non modò quodlibet corpus solidum, sed & lapidem penates penetret. Quod nimirum hoc modo probatur: quia si Lynx ex vna parietis parte consistit, caro verò altrinsecus ponitur tanquam nihil intersit, ad eam protinus inhiat: atque vt sibi præbeatur anhelat. Si ergo mutum pecus tam viuax intuitus acumen habet humana mentis, intima Deus omnipotens quanto profundiùs videt?*

Ab eadem causa, & eodem sensu lynceus intellectus dicetur valde perspicax, & acutus, cui ferè nihil imperuium videatur; epist. 19. *Benè rei veritatem* INTELLECTV LYNCEO *peruidisti.* 998.

Inter alia quæ lynceis oculis spectanda nobis sunt, sunt Dei munera, Dei beneficia. Præclarè Oleaster ad illud Isaiæ cap. 60. v. 4. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide*; subdit ipse ad explicatum: *Non sunt dissimulanda, aut sine maxima intentione prætereunda dona, & beneficia Dei, sed lynceis, vt aiunt, oculis penetranda.*

Homanæ vitæ felicitatisque breuitatem, & vanitatem lynceis debemus oculis intueri, intuebatur Apostolus ex B. Thomæ mente, cuius hæc sunt verba conc. 2. de S. Illephonso: *Quantus vbique terrarum apud mundanos, & leues homines, de tua breuitate luctus? quanta querela? laborantibus autem, & afflictis die, ac nocte gementibus, futuraque beatitudinis præmia desiderantibus, longissimam te mentiris, & grandem veluti qua concauo, non claro, perspicuoque speculo videaris, sed qui te claro videt intuitu, huiusmodi præstigiis nusquam fallitur. Talis erat Apostolus ille, qui te lynceis oculis penetrans dicebat, Momentaneum, hoc est, breue tribulationis nostræ.*

Vt acutissimi sint visu lynces, quicquid tamen acutè viderint, statim vt viderint obliuione sepeliunt; quod in eos quadrat qui præsentes amicos colunt, absentium obliuiscuntur; rem ita versabat sanctus Petrus Damianus opusc. 20. initio: *Ferunt, inquit, qui in rimandis rerum desudauere naturis, hoc lyncibus naturaliter insitum, quia cùm post terga respiciunt, protinus illum, qui præcesserit, obliuiscuntur. Continuò videlicet & mens simul perdit, quæ oculus videre desierit. Et cùm hæc bellua tanto visus acumine ferarum genus omne præcellat, vt & lapideos penetrare parietes valeat, hoc laborat vitio, quia quodcunque illud est, à quo semel oculos auerit, ad memoriam postmodum non reducit. Quorum videlicet animalium quandam vobis inesse similitudinem dicerem, nisi me magnitudinis vestræ reuerentia prohiberet. Mirum est enim, quia tam acuta prudentia, immo, quod longè gloriosius est, tam sincera, & feruentissima charitas, quæ me suscipit affectuosè præsentem, nunquam scitè per stylum, siue per verbum visitare digneris absentem.* Vera amicitiæ veræ consignatio est, si corpore amicus absens, præsens animo sit, præsens memoriæ.

ADAGIVM DCCCCLXX.

Gabaonita.

QVi præteritæ vitæ vetustatem nunquam exuunt, licèt in iustorum, & nouam vitam agentium familiam nomen dent simulatoria quadam 999.

dam arte, súbque quodam hypocrisis velamine, ij non sine prouerbiali sale *Gabaonita* dicentur; quod desumptum ab historia, quæ de Gabaonitis Hebræis se immiscentibus habetur Ios. 9. Ille igitur in Dei cultu Gabaonitas refert, qui non amore Dei correptus eius obsequio se mancipat, sed timore, & ad religiosæ vitæ castra ita transit, vt veteres exuuias non dimittat; rem in hunc modum versat sanctus Petrus Damianus opusc. 13. cap. 4. *Nonnulli sic ad noua religionis transeunt ordinem, vt tamen præterita vitæ nunquam deserant vetustatem: hi nimirum* GABAONITÆ *sunt, non Israelitæ. Notum quippe est quòd* GABAONITÆ *mortis timore perterriti ad Israeliticum populum cum fraude, & calliditate venerunt, ita vt se veteribus vestimentis induerent: panes etiam siccos, vtres, saccos, calceamenta, atque omnia simul inueterata portarent: quibus scilicet, postquam impetrato fœdere vita donatur, consequenter etiam fraus patefacta cognoscitur: quos Iosue comperto dolo sub maledictione damnauit, & aquæ gestatores, lignorúmque cæsores perpetuo iure constituit. Qui sunt autem* GABAONITÆ, *qui Israelitas mortis formidine transeunt, nisi ij, qui ad seruitutis diuinæ militiam non perfectionis amore, sed tremefacti scelerum suorum immanitate confugiunt? sed eorum nonnulli veste, non mente mutati, siccos panes ad esum portant, qui azyma adhuc sinceritatis, & veritatis ignorant. Venustis vestibus conteguntur, quia in veteri adhuc homine constituti, nouum induere nesciunt, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

Deceptus à Gabaonitis fuit Iosue, fuere filij Israel, quia nimirum Deum, vt par erat, minimum contulerunt; sani est in rebus dubiis ad diuinam opem non accurrere; non debent hîc desiderari Thomæ à Kempis verba, qui de imit. Christi lib. 3. cap. 38. ait: *Semper Moyses recursum habuit ad tabernaculum, pro dubiis, & quæstionibus soluendis, fugitque ad orationis adiutorium, pro periculis, & improbitatibus hominum subleuandis; sic & tu confugere debes in cordis tui secretarium, diuinum intentiùs implorando suffragium. Propterea namque Iosue & filij Israel à Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini priùs non interrogauerunt, sed nimium creduli dulcibus sermonibus, falsa pietate delusi sunt.* Rariùs homines fallerentur, rariùs errarent, si frequentiùs in rebus dubiis cæcisque diuinum auxilium, luménque poscerent, nec suæ prudentiæ fiderent, quæ valde imprudens si sola.

ADAG. DCCCCLXXI.

Aureus Babylonis calix.

1000. PRouerbialem saliuam sub his verbis delitescere adductis sancti Hieronymi, & sancti Ambrosij verbis asserebat & Cælius Rhodiginus lib. 8. lect. antiq. cap. 11. CALIX, inquit, BABYLONIS AVREVS *vice adagij vsurpatur à Hieronymo: Multa, inquit, de perfectione dicuntur, vt qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibat* DE AVREO CALICE BABYLONIS. *Meminit elegantissimè item Ambrosius quodam loco: Ille, inquit, apud me primus, qui omnium perditissimus: ille meus est, qui suus non est: ille mihi gratior, qui sibi nequior. Calix autem Babylonis in manu mea, inebrians omnem terram.*

Ex aureo Babylonis calice bibit, qui mundi huius illecebris, deliciísque delinitur, & inebriatur. Sisti hîc possunt sancti Ambrosij verba lib. de Elia & ieiunio cap. 15. CALIX AVREVS BABYLON *in manu Domini inebrians omnem terram, à vino eius biberunt omnes gentes, ideo commota sunt, & subitò cecidit Babylon, & contrita est. Calix ergo aureus contritus est, quia Babylon contrita est, quæ est* CALIX AVREVS. *Sed quamuis auro se iactet & pretio, in Domini & ipsa est potestate. Denique diuina indignatione conteritur. Qua ratione* CALIX AVREVS? *Quoniam qui à veritate deficit, quærit illecebram, vt specie saltem pretiosa ad bibendum aliquos possit illudere. Constitue ante oculos tuos pompam huius sæculi, vide speciosam illecebram, sed inanem gratiam, non seducant te aurea vasa, & argentea. Habemus & nos thesaurum in vasis fictilibus. Vas Apostolorum fictile est, sed in eo thesaurus est Christi. Væ sæcularibus mare fictantibus: aureum est hoc vas, poculum est, & in eo poculo venenum mortis, venenum libidinis, venenum ebrietatis. Hoc qui biberit, commouetur & cadit. Commouetur non solùm corpore, sed etiam corde turbatur; commoueri enim peccati est.*

Aureo Babylonis calice ille quoque inebriatur, qui eloquentiæ secularis fraudolenter suauitate deceptus errores noxios bibit, & à veritatis, fideique gustu auocatur. Audiri hîc debet sanctus Hieronymus alia verba ac Cælius retulerit proferens, in cap. 3. comment. in Ionam ita loquitur sanctus Doctor: *De Babylone in Ieremia dicitur: Calix aureus Babylon inebrians omnem terram. Quem non inebriauit eloquentia sæcularis? Cuius non animos compositione verborum, & disertitudinis suæ fulgore perstrinxit? difficile homines potentes, & nobiles, & diuites, & multo his difficiliùs, eloquentes credunt Deo; obcæcatur enim mens eorum diuitiis, & opibus, atque luxuria, & circumdati vitiis, non possunt videre virtutes: simplicitatémque Scripturæ sanctæ, non ex maiestate sensuum, sed ex verborum iudicant vilitate.* Vniuersè calicem Babylonis offert, qui extima superficie pretiosum aliquod, & vtile exhibet, cùm illud quod latet noxium maximè sit, atque lethale.

ADAG. DCCCCLXXII.

In arca aperta etiam iustus peccat.

VVlgare prouerbium tunc produci solitum 1001.
cùm significamus vitandam mali occasionem esse cùm procliue sit etiam iustum labi, si ad lapsum data occasione alliciatur, arca aperta ad furtum etiam à furto alienos inuitat, & prouocat; prouerbij huius ex nostris meminit Oleaster in cap. 19. Exod. *Optimum est, si quid præcepto prohibes sepem, aut murum addere, quoniam, vt apud prouerbium est,* IN ARCA APERTA ETIAM VIRTVS PECCAT; cantio quæ eos tangit, qui suorum saluti consulere debent, lapsum omnem singulari prouidentia anteuertentes. Rem Oleaster firmat Dei ipsius exemplo, qui populum vt arceret à montis ascensu, in quo legem dederat, prohibuit ne montem contingerent; Exod. 19. 12. *Ne tangatis fines illius, qui tetigerit montem, morte morietur*; & cùm satis erat ascensum inhibere, cur inhibet & montis contactum? ne populus montis radices, & basim tangens montem deinde ascenderet. Pulchrè productus Oleaster loco producto: *Etiam hic pulchram (inquit) habent admonitionem Prælati, vt, cùm velint præcepta sua à subditis seruari, prohibeant initia transgressionum: ob hanc causam fortè Dominus Euæ prohibuit (ea teste) arboris interdictæ contactum ne contingeret, eam venire ad esum: quare & hîc Dominus non solùm prohibet montis ascensum, sed contactum: ideo enim prohibet tangi, ne contingeret ascendere.* Prouidi ergo superioris est suorum

lapsum

lapsum omni studio anteuertere, & subditi cuiuslibet omni cautione lapsus occasionem vitare; Sapientis monitum est, *Quasi a facie colubri fuge peccata*; Eccl. 21. 2. *A facie* dixit, non à *morsu* dumtaxat; vt statim ac peccati occasio apparuerit demus nos fugæ, ne mordeamur. In allegor. Galfridi ad hæc verba hæc habentur verba: *Quasi a facie colubri fuge peccata. Noli ergo sustinere donec mordearis, mox vt videris fuge, fuge a facie eius, ne expectaueris morsum eius*; morsum sentiet, cui colubri huius facies placet.

ADAG. DCCCCLXXIII.

Anicularia verba.

VEtularum hoc vitium est, vt nugas effutiãt, inania verba proferant; vt anicularia verba ridicula, & nullius ponderis, & sola leuitate grauida dicantur; sanctus Augustinus in Psal. 38. *Delirare tibi videor auare, cùm hæc loquor*, ANICVRIA *tibi videntur hæc* VERBA, *etiam* apud prophanos prouerbium illud circumfertur; γραῶν ὕθλος, ANICVLARVM DELIRAMENTA; hinc illud Platonis in Theætero, ταῦτα μὲν γάρ ἐστιν ὁ λεγόμενος, γραῶν ὕθλος. idest, *hæc quidem sunt quod dici solet*, ANICVLARVM NVGÆ; malè ferè audiunt ob liberam quidlibet effutiendi licentiam mulieres, sed procliuiores in hoc vitium vetulæ sunt, adeò vt ætate grauiores, sermone leuiores sint.

ADAG. DCCCCLXXIV.

Panis offam tamquam Cerberus incantari.

1002. ADagium eos tangit, qui munerum oblatione, aut lucri spe vitia non reprehendunt, vtque se pascant in malè agentes non oblatrant, non mordent peccatores; quod de Cerbero poëtæ referunt notissimum apud poëtarum principem est; & nostris Alphonsus Salmeron tom. 5. tract. 60. *Prælati qui Dominico gregi custodiendo deputati sunt*, OFFAM TAMQVAM CERBERVS INCANTANTVR, *ne in Dæmones & peccata tamquam fures, & lupos allatrent*; non respondet suo muneri qui sunt huiusmodi, superiorum simulachrum circumferant, indigni tanta dignitate sunt.

ADAG. DCCCCLXXV.

Si quemquam offenderis, pauesce semper huiusmodi.

ÆGrè offensæ memoria obliteratur, illatæ ioiuriæ memores esse homines solent, facilius alta obliuione beneficia sepeliuntur, quàm offensæ etiam leues, hinc fit, vt si quis quempiam offenderit, paria, aut etiam maiora ab illo timere solent; vt prouerbij nomine hæc sententia circumferatur, vt ait Beatus Dionysius Carthusianus in cap. 1. Prouerb. vbi ex Cyrillo hanc formulam refert: *Cyrillus in libro suorum fatetur prouerbiorum*, SI QVEMPIAM OFFENDERIS, PAVESCE SEMPER HVIVSMODI, subdit. nam vbi offensæ memoria, ibi ira; ira autem cupit *vindictam*; adeò difficile est, vt iniuria lacessitus, iniuriæ memoriam ponat, & vindictæ affectum. Alia mente atque adeò meliori sanctiorique Propheta Regius Psalm. 7. *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*; quæ verba sic expendebat sanctus Augustinus in huius Psalmi enarrat. *Et bene*, inquit, *non ait: si reddidi tribuentibus mihi mala, sed retribuentibus. Qui enim retribuit, iam aliquid acceperat. Maioris autem patientiæ est, nec el mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quàm si nullo ante accepto beneficio nocere voluisset. Si reddidi ergo, inquit, retribuentibus mihi mala, idest, si te non imitatus sum in illo silentio, hoc est, patientia tua quam pro me operatus es, decidam ab inimicis meis inanis. Inaniter enim se iactat qui cùm & ipse homo sit, cupit se de homine vindicare. Et cùm superare hominem palam quærit, occultè a Diabolo superatur, inanis effectus; vana, & superba lætitia, quòd quasi vinci non possit. Intelligit ergo iste vbi maior fiat victoria, & vbi pater reddat, quæ vidit in occulto. Ne reddat itaque retribuentibus mihi mala, iram potius quam hominem vincit, illis etiam litteris eruditus, in quibus scriptum est, Melior est qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem.* Hactenus ille; digna verba, quæ altè illorum memoriæ insideant, qui in eos grauissimè sæuiunt, à quibus & leuiter læsi sunt, illatasque ab aliis iniurias nulla possunt obliuione sepelire.

ADAG. DCCCCLXXVI.

Vbi Rex adest, ibi regia curia est. Vbi Papa, ibi Roma.

SEquuntur Regem Regis obsequio mancipati, vt vile diuersorium Rex inhabitet, ibi tamen cum suis stipatus, regius apparet apparatus, vt vulgo iactata prouerbij vice producta sententia sit huic rei significandæ. Osorius serm. in natiu. Dom. *Tritum est sermone prouerbium*: VBI REX ADEST, IBI REGIA CVRIA EST; curiam non inuenit Rex, sed vbi Rex inuenitur, facit quod ad cœli Regem flectens, subdit: *cum ergo Rex cœli in stabulo Bethleem sit, sine dubio ibi est vniuersa curia cœlestis*; quod porrigi ad alios potest, & ad alia. Eiusdem ferè sensus est & illud; VBI EST PAPA, IBI EST ROMA; quod tamquam prouerbium refert Bernard. de Bust. serm. 2. part. 2. de concept. Mariæ. 1003.

ADAG. DCCCCLXXVII.

Angulum in circulo quærunt.

IN alienorum operum calumniatores, qui omnia suggillant, omnia carpunt, omnia damnant, & vitium etiam in re irreprehensibili inuestigant, torqueri hoc prouerbium potest; hoc ferè sensu extulit sanctus Augustinus in Psalm. 25. dum ait: *Nodosas calumnias mihi proponentes, nodum in scirpo, fissuram in plano*, ANGVLVM IN CIRCVLO QVÆRENTES.

Non esse temerè aliena facta exploranda, & vindicanda, pulchrè colligebat Gillebertus Abbas in serm. 14. in Cant. expendens hæc Dei verba: *cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, Psalm. 74. *Ipse*, inquit, *iustus iudex tempus expectare se dicit, vt iustitias iudicet, & tu tibi ante tempus assumis iudicium? Pater omne iudicium dedit filio,*

filio, & tu tibi, quod non accepisti, iudicium assumis? curiosè aliena facta discutis, & maiori temeritate damnas, etiam ea quæ probari deberent, & commendari.

ADAG. DCCCCLXXVIII.

Somnus lethæus.
Lethæus sopor.

1004. PRofundus, diuturnus somnus lethæus prouerbiali figura dicetur. Vmbertus lib. 4. erudit. Relig. 3. part. cap. 5. *Carnalis*, inquit, SOMNVS, *&, sicut dicitur,* LETHÆVS, *abominandus est seruo Dei.* Luitprandus lib. 1. historiarum, lethæi soporis meminit, rémque narrat hîc non incommodè, importunéque inserendam; ex cuius recensione appatet, quam proficuus vigilanti vigilantia cuidam extiterit, reliquis lethæo sopore correptis; hæc auctoris ipsissima verba: *Constantinopolitanum palatium ob Imperatoris salutem præsidiis militum custoditur. Contingit itaque duodecim post corporis refectionem in ipso feruore diei vnâ in domo quiescere. mos quippe Imperatoris erat cunctis quiescentibus totum præstare palatium. Qui cùm die quadam eodem quo duodecim memorati lethæo sese dederant sopori peruenisset: ligno modico vt non incallidus ostij pessulo proiecto ingrediendi sibi aditum fecit. Vndecim verò dormientibus vt ars artem falleret, duodecimus peruigil stertere ceu dormiens cœperat, contractisque in faciem brachiis totum quod Imperator faceret diligentissimè considerabat. Imperator igitur ingressus dum obdormiret cunctos perspiceret, aureorum numismatum libram pectori vniuscuiusque apposuit: moxque clam egressus ostium vt priùs fuerat clausit. Eo autem hoc agitur quatenus excitati, & de lucro gratularentur, ac qualiter hoc acciderit admiraretur; denique discedente Imperatore qui vigil solus extiterat surrexit: dormientiumque nummos aureos sibi assumpsit atque reposuit, postea verò quieti sese reddidit. Imperator igitur de hoc ludo sollicitus post nonam duodecim hos quos nominauimus ad se venire præcepit: eósque ita conuenit. Si fortè vestrûm quempiam somnij inuisio deterruit, aut hilarem reddidit, vt in medium proferat mea iubet auctoritas. Nec minus & si quid nouitatis expergefactus quisque vidit vt detegat imperat. Hi itaque quemadmodum mihi videbant nihil se vidisse responderunt. Magis autem super hoc admirati conticuere, intentique ora tenebant. Existimans Imperator eos non rei veritate, sed calliditate aliqua reticere, succensus est atque magis cœpit nonnulla terribilia reticentibus comminari. Quod qui omnium conscius erat vt audiuit, huiusmodi humillima, & supplici voce Imperatorem conuenit. Humanissime Imperator, hi quid viderint, nescio: ego tamen delectabile, atque vtinam quod persæpè contingeret, vidi somnium. Vndecim hîc conseruis meis, & hodie verè, sed omnino mihi opportunè dormientibus, visus sum quasi non dormiens vigilare.* deinde totum aurum vigilanti donauit, stertentibus confusis.

EXCVRSVS CLX.

De somno aliqua traduntur mente percurrenda haud somno correpta.

Quî mereri ex somno possimus.
Dormiens Christus *somnum benedixit.*
Humi cubans Iacob *mirum visum vidit.*
Non dormientibus, *sed* vigilantibus *gratia datur.*
Prudentes Virgines leui somno *corripiuntur, fatuæ graui.*
Prudentiæ *vera consignatio est sibi consulere, & aliis, nec bonum aliis inuidere.*
Qui sponsum amat, & exspectat, graui somno *non facilè corripitur.*
Somnus temporis fur.
Somnus quidam publicanus.
ישן *quid, quid* ישם; dormitionis, & exactionis *nexus.*
Quid sit שחר*, quid* נשח.
Somnus est quædam desolatio.
Grauissima ærumna *somnus, & morte ipsa grauior.*
Meritum *valde auget, molestissimè somnum ferrè.*
Somnus multiplex mors; *& annihilatio quædam.*
Vt nostra anima cum dormiente còrpore *sepelitur, sic corpus interdiu mortuum huic mundo esse debet.*
Dormientes laudes *offerre possumus.*
Vigilias *amet Dei templum qui quærit esse.*
Quid præstandum ei, qui somno corporis vires *nequit reficere.*

SOmni iniecta mentio scribentis mentem excitat, vt aliqua de somno vigili lectori tradamus, quæ ei vtiliora erunt, quò magis ipsam praxim spectant, nec in nuda rerum notitia sistunt. 1005.

Quî mereri ex somno ipso possimus, egregiè quidam auctor docebat in hunc modum: *Fæneratores dormiendo etiam augent pecunias: facies idem, si conformis diuinæ dispositioni, cum obedientia, cum resignatione magna, te offeras ardenter, & feras patienter hanc miseriam, & necessitatem humanæ vitæ. Qui mortem necessariam, siue morbo, siue malè ab homine illatam, patienter tolerat, meretur: etiam mereberis, si quiescere, & dormire acerbum, & molestum sit tibi, vt est feruenter seruientibus, & diligentibus Deum, si patienter te habeat erga somnum necessarium, sapienter ita dispositum à Deo. fortasse, si res in se consideres, & quam ægrè amatori vero Dei sit ferendus somnus supra mortem, mereri poteris dormiendo patienter pro Deo, sicut moriendo pro patientia. Ibi meritum, vbi magna patientia, ibi maior patientia, vbi maior molestia magis patienter sustineatur.* *Quî mereri ex somno possimus.* S. Eus. lib. 3. cap. 3.

Dormire Christus voluit, vt somnum sanctificaret. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 36. dormientem Christum considerans, in naui fluctuanti; *hac ratione fortasse somnum capit, vt somnum* BENEDICTIONE *afficiat*; vigilias sanctificauit, & dormiens somnum. O possemus nos dormientes Christo placere, vt placuit Christus Patri. *Dormiens Christus somnum benedixit.* S. Greg. Naz.

Bonus ille somnus fuit, in quo Iacob scalam vidit cuius culmen ad cœlum pertingebat, Angelósque Dei descendentes, & ascendentes, & Dominum innixum scalæ; sed quid mirum talia in somno vidisse, qui humi cubabat, caput lapidi imposuerat? Genes. 28. Clementis Alexandrini hæc sunt verba 2. pædag. cap. 9. *Iacob humi dormiebat, & lapis erat ei puluinus, atque visum videre dignus* *Humi cubans Iacob mirum visum vidit.* Gen. 28. Clem. Alex.

dignus est habitus, quod captum hominus superabat. Cùm domi molliùs, commodiúsque dormiret, non vidit hunc visum, vidit non durè, incommodéque, subque dio humi cubaret, vt vel hinc hanc incommoditatem lecti Deo ipsi placuisse colligeremus.

Non dormientibus, sed vigilantibus gratia datur. 4. Reg. 2.

1006. Vigilantibus, non profundè dormientibus gratia exhibetur. Duplicem Eliæ spiritum ab Elia postulauit Elisæus 4. Reg. 2. quid illi à magistro responsum? *Si videris me quando tollar à te, erit tibi sicut petisti*; quid visum ad spiritus donum? an tectè ad vigilantiam, discipulum inhortabatur; videntem eum volebat Elias; vigilantémque non alto sopore correptum; præclarè sanctus Chrysostomus hom. 1. in Acta Apost. *Si videris me, si vigilaueris, non enim datur gratia dormientibus, sed vigilantibus; qui supera Dei dona quærit, alto sopore se nō sinat corripi.*

S. Chrys.

Prudentes Virgines leni somno corripiuntur, fatua graui. Matth. 25. Abul.

Prudentis, sponsúmque amantis, & expectantis esse non videtur profondo se somno sepelire, lethæo sopori se dare; Matth. 25. prudentes virgines in medium producuntur, producuntur & quinque fatuæ, & additur; *Dormitauerunt omnes, & dormierunt*; scilicet, vt aliquorum mens est, prudentes dormitauerunt tantùm, fatuæ dormierunt, quia illæ venturi sponsi amore, desiderióque correptæ corripi profundo somno non potuerunt, potuerunt istæ vt non mirum si etiam ab hac causa fatuitatis titulum sint indeptæ, quod sponsum exspectantes alto se somno sepelierunt. Benè Abulensis in c. 25. Matth. quæst. 16. *Verisimilius est, quòd prudentes dormitabant, fatuæ autem dormiebant, hoc enim pertinet ad prudentes. nam cùm tenerentur cura expectationis sponsi venturi, non possent dormire profundè, quia cura eas excitabat, sed dormitabant, idest, paululum, & leuiter rapiebantur sopore, & statim euigilabant; fatuæ verò licèt essent in expectatione sponsi venturi, quasi non esset eis aliqua cura, sine solicitudine dormiebant, & ideo dormire, & non dormitare dicebantur*; fatuarum numerum auget, quæ lethæo se somno corripi sinit.

Prudentia vera consignatio est sibi consulere, & aliis, nec bonum aliis inuidere. Abul.

Porrò quòd prudentes Virgines dormitare referuntur, suo pondere non caret, primò id factum, quia media nocte probabile erat somnium omnes corripuisse, deinde prudentes ab ea nota eximerentur, qua notatæ fuissent, si vigilantes fatuas dormientes non excitassent ante sponsi aduētum. Acutè idem Abulensis in idem caput quæst. 15. *Si fatuæ dormirent, prudentes autem vigilarent, idem esset ac si omnes vigilarent, scilicet quia prudentes scirent aduentum sponsi, aliquantulum antequam veniret, & tunc excitarent socias suas, vt ornarent lampades, & cùm illæ non inuenirent oleum in vasis suis, haberent spatium eundi ad vendentes, & redirent antequam sponsus intraret in domum*; nimirum prudentiæ vera consignatio est, non sibi tantùm consulere, sed & aliis, omnes ad bona opera & exemplo, & verbo prouocare, excitare omnes, omnes monere, vt parati aduenienti sponso occurrant; non essent prudentes istæ virgines, essent & ipsæ fatuæ, si fatuis sponsum inuiderent, fatuas ire ad sponsum, à sponso admitti non curarent, cùm possent.

Qui sponsum amat, & exspectat, graui somno non facilè corripitur. S. Hier.

1007. Media nocte aduenit sponsus, túncque prudentes surrexerunt; cur in tempus illud aduentum suum reiecit sponsus? cur ante mediam noctem non venit, cur non pōst? *Media nocte*, inquit sanctus Hieronymus, *quando sopor grauissimus est*, vt vel hinc prudentum amor in sponsum, & quærendi, exspectandique sponsi studium appareret, quia scilicet graui somno corripi non potuerunt, etiam illo tēpore, quo solent alij profundo somno sepeliri.

Somnus temporis fur. Scal. 3. Epid.

Non facilè lethæo se somno sepeliet, nec productius quàm necessitas exigat, dormiet, qui somnum temporis furem cogitabit; verus ille

Est somnus adulator, & atra assecla mortis,
Fur temporis, atque osor iners negotiorum.

Silius in Annib. de soporis furto, — Sil.

——Vigil ille, nec vllam
Ad requiem facilis, credéntque abscedere vita
Quod sopor eripiat tempus.

Somnus quidam publicanus. Clem. Alex.

Somnum publicanum, dirúmque exactorem aliqui vocauere. Clemens Alexandrinus 2. pædag. c. 9. *Somnus non secus ac publicanus dimidium vitæ tempus nobiscum diuidit*; sensim à nostris annis aliquid vitæ abradit.

שנה quid, quid נשה dormitionis, & exactionis nexum.

Et vt ab Hebraicis promptuariis huc aliquid aducham, obseruo magnam esse somni, & exactionis cohærentiam; nam שנה *senah* somnum, & dormitionem significat, & נשה *nasah* transpositis litteris creditum exigere, exactorem agere; vt somnum exactorem, & publicanum, tempus rem pretiosissimam nobis auferentem, apud eosdem foures ישן *iasan* dormire significat, שמם *iasam* desolari, vt desolationem timeat, qui productius quàm debeat, dormit, certè ea omnia opera bona dormiens quodammodo amittit, quæ vigilans posset exercere.

Quid sit ישן quid שמם somnus est quadam desolatio.

1008. Longo grauíque non facilè se corripi sinet, non facilè à diuturno sopore possidebimus qui somnū grauissimam ærumnam, cæterísque maiorem cogitabit. Verus ille in hac re, qui morte ipsa, omnibúsque ærumnis somnum molestiorem, nocentioremque esse ita firmabat: *Inter omnia grauia humanæ vitæ, & innumeras ærumnas, nulla maior quàm somnus miseria, & dignè deploranda præter peccatum videtur. Cæteræ calamitates affligunt tantùm vitam, somnus interim penitus vitam aufert: aliæ calamitates tantùm opponuntur calamitati vitæ, somnus eius substantiæ ad tempus: cæteræ calamitates ita molestæ sunt vitæ corporali, vt iuuent ad æternam, meritorum materiam suppeditantes, & afflictione sua excitantes mentem, & trahentes ad Deum; somnus in se, & corporali vitæ, & æternæ interim aduertatur, quatenus tempus merendi, & memoriam cœlestium intermittit: cæteræ calamitates amanti Deum desideratissimæ sunt, quia in iis meretur, probatur amor, glorificatur Deus; somnus nihil desiderabile habet, cùm interim cesset amor, & animus glorificandi Deum: quare & somnus molestior, & dupliciter grauior, immo multipliciter quàm somnus in corpus, & animam: tanto peior videtur ex hac parte somnus, quàm mors, quanto melior anima, & corpus; imò plus, quanto scilicet melior totus homo, anima, & corpus, quàm solum corpus: nam mors te solùm priuat corpore, somnus anima æquè, & corpore: mors solùm priuat vita carnem, rem mortalem, & caducam; somnus animam, rem immortalem, & æternam, quæ tribuit vitam corpori, non sentienti, nisi per ipsam: mors corrumpit hominem, somnus tantidem est, ac si annihilet per spatium, liberam, scilicet animam, qua homo est, quæ amat Deum, eiúsque misericordias, & bonitatem intelligit; quod est decus hominis, & summum votum, & gaudium debet esse: imò & puriorem animam relinquit sine impedimento, vt expeditius amet Deum, & noscat: somnus hanc partem nobilissimam hominis obruit, & sepelit, exanimem ipsam animam faciens.*

Gratissima ærumna somnus, & morte ipsa grauior. S. Eus. l. 3. cap. 3.

Meritum valde auget, molestissimè somnum ferre.

Pergit, & rem magis adhuc exaggerat, & vehementiùs vrget: *Dic quæso*, inquit, *quid ægrius ferres, mori, an annihilari? si dares gloriam Deo merendo, quia eius est voluntas; nónne gloriam dabis, si pro eius beneplacito velis annihilari? ergo si mereberis cum patientia mortis, mereberis cum patientia somni, si molestus tibi sit; si mereris ferendo patienter quiduis molestum vitæ, quomodo non mereberis ferendo si tibi sit omnium molestissimus somnus? imò quem solum debes censere molestum in vita, & in morte: nam nec in vita, nec post mortem erit, post peccatum aliud amanti Deum magis molestum. In vita quid graue dices, nisi labores, & ærumnas*

illius? at minimè debet putari graue, pati pro Deo, sed optandum maximè: nec post Deum debemus aliud nobis magis desiderare, quàm pati pro Deo, ob amorem eius; nam vnirus magis dilecto tuo, glorificas illum, & mereris gloriam. Nemo satis cognoscit quam grauis sit nobis somnus, nisi qui æstimat in veritate, quam immensa sit gloria Dei, quam inæstimabilis eius amor, & minimus gradus gratiæ, & gloriæ, ad quam interim suspenduntur noua actiones meritorum. Post mortem vero quid graue iusto nisi purgatorium? sed si tunc etiam poteris, non putandum graue dum purificaris, & te comit, & adornat sponsus, vt introducat in thalamum suum. Si integrum tibi relinquit amare Deum, quid refugiendum est, dum tibi reliaquit iademne quod optas, vt voles? Vbi potes pati, & amare, non est de quo conqueri possis. Si daretur optio vtrum malles mori, an per dimidiam horam dormire, anima æstuans vero charitatis incendio, ex se mortem eligeret, ne cessaret amare Deum; imò non plus desideraret, resurrectionem corporis, quàm somni excessum, vltra necessitatem, & debitum, per quadrantem adhuc horæ omnino vitare, & quantum absque incōmodo vigoris posset.

1009. Et nonnullis interiectis addit: *Si tibi annuntiaretur annihilandum te fore, contremisceres id audiens; cur gaudebis somno, cùm perinde sit, ac si interea annihilatus esses? cognosce incommoda soporis, qui pessima, & multiplex mors est, quæ duplici vita maximè iniquus: somnus enim adimit vitam præcipuam corporis, in quo æquatur morti; somnus adimit vitam animæ, quæ perinde tunc est, ac si non esset; in quo excedit, mortis somnus quoque iniurius, quodammodo est vita grata, & æterna, intermittens merendi studium; quid igitur iniquius nobis? Quare qui æstuat vero Dei amore, & desiderium laudandi tantum bonum, nimis auarus est temporis, & minimum dispendium eius maximam iacturam censet: ita ad somnum cum dolore accedit; hanc necessitatem vitæ à Deo ordinatam patienter fert, & offert, sustinens benignè, vt eius sanctissima voluntas fiat, interim priuari eo, quo magis desiderat, amore, & laude Dei, ac sedulitate in seruitio eius, & quantum in se est, vult non dormire, sed amare, & laudare Deum, cupiens quamprimum redire ad salutandum, seruiendum, & amandum illum. Tu quoque hanc voluntatem habens, offer illa Deo, & velut moriturus cuba, dicens cum Christo, In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Sic mereberis quodammodo cum morte, & otio somni ingrati tibi, & molesti.*

Somnus multiplex mors, & annihilatio quædam.

Porrò vt noctu anima in corporis vtilitatem, ac quietem veluti intermoritur, sic & interdiu corpus in obsequium animæ mori quodammodo debet. Scitè idem auctor, & opportunè: *Quemadmodum anima pro quiete corporis velut moritur nocte, & sepelitur; ita ipsum corpus pro salute animæ moriatur interdiu; dum vigilat, corpus sit mortuum huic mundo; sicut anima dum dormit, moritur interim cœlo, hoc est, meritoriis operibus, & cogitationibus diuinis.*

Vt nostra anima cum dormiente corpore sepelitur, sic corpus interdiu mortuum huic mundo esse debet.

Quî & dormientes laudes Deo libare possimus, docuit sponsus cœlestis sponsam suam Mechtildem, & nos per ipsam. Ludouicus Blosius in monili spirituali cap. 9. ita scribit: *Dominus dixit ad Virginem Mechtildem, quando quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur, ita enim licèt corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me; etiam dormiturus quisque desideret, vt singulas respirationes, quas nocte illa faciet, tamquam eximiā mei laudem suscipiam, & ego, qui sanctis votis piæ, amantisque animæ deesse non possum, in veritate desiderium eius adimplebo;* felix sponsa, quę & dormiens in sponsi obsequium vigilat; nec ipso sōno à sponsi cultu auocari potest.

Dormientes laudes offerre possumus.
Lud. Blos.

1010. Dei templum, Dei locum esse qui quærit, amare vigilias debet, & profundiorem somnum vitare; Dauidis verba sunt Psal. 131. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob*; quæ verba rangēs S. Hieronymus tom. 9. epist. 36. ait: *Quæ res nos debet firmiter admonere, vt si ipsi locus Domino esse volumus, & tabernaculum eius, ac templum cupimus habere, in quantum possumus exemplo Sanctorum vigilias diligamus.*

Vigilias amet. Dei templum qui quærit esse.
Psal. 131.
S. Hier.

Quid ei præstandum qui corporis vires reficere somno non potest, Dominus Virginem suam Gertrudem docuit, vt monitum ipsi dictum, ad nos quoque venerit; Ludouicus Blosius in monili spirituali c. 9. ita scribit: *Quum virgo Gertrudis noctem quandam penè duxisset insomnem, ipsa inde plurimum debilitata, viribúsque destituta obtulit huiusmodi defectum virium suarum Domino in laudem æternam, ad salutem omnium. Cui dixit Dominus: Quando quis ex vigilia lassatus, ac viribus destitutus rogat me, vt ego ipsi ad laudem meam, & ad virium reparationem aliquam somni requiem concedam, si tunc eum non exaudiero, & ipse patientiam amplectendo, defectum suum humilem supportauerit, hoc benignitas mea gratissimum habet, & in infinitum acceptius mihi est, dum quis in infirmitate sua post consumptas per vigiliam vires, defectum illum humiliter sustinendo mihi offert, quàm dum aliquis corpore sanus qui bene vigilare potest, tota nocte in oratione peruigilat.* Vtile monitum, & dignum, quod ab omnibus illis excipiatur, & exerceatur, qui ægrè necessaria somno reficere deperditas corporis vires possunt.

Quid præstandum ei, qui somno corporis vires nequis reficere.
Lud. Blos.

EXCVRSVS CLXI.

Dormiendi verbo quæ notio præter vsitatam subsit.

Dormire pro iacere, cubare.
Dormire pro commorari.
Dormire pro manere.
Dormiendi verbo honestè concubitus *significatus.*
Qui dormiens Tobias *excæcatus hirundinum stercore.*
Dormitio pro cubatione.
Dormire pro cadere.
Singularis lectus, *singularis* quiescēdi *modus.*
Pharisæorum lecti *quales.*
Bonus lectus *boni libri.*
Lectulus *sacra Scriptura lectio.*
Lectus argenteus *sacra Scriptura.*
Molles lecti *herculei dicti.*
Animi quies *lecto aureo præferenda.*

SOmni iniecta mentio nos excitat, & vrget vt explicemus, quid præter vsitatam notionem 1011.
dormire in sacris litteris significet, quod eò libentius præsto, quò vna opera lux pluribus diuinæ Scripturæ locis immittetur.

Dormire igitur minus plerunque significat, quàm prima fronte sonet, cùm extra somnium de nuda cubatione dicatur, vt dormire sit iacere, cubare. Psal. 3. 5. *Ego dormiui, & soporatus sum*; idest, cūbui, iacui. Accinit Agellius in hæc verba: *Dormiui pro eo positum est, ac si dixisset, cubui, sic est in Hebræo* שכבתי *sachabthi; sic Didymus intellexit, dormiuit reclinationem significat*; Isaiæ 14. v. 8. *Ex quo dormisti.* Forerius ita exponit: *Verbum propriè non dormire, sed cubare significat.* Exod. 22. 27. *Nec habet aliud in quo dormiat*, Oleaster; *in quo iacent.* Iob 7. 4. *si dormire*, Chald. *si cubai*; Psal. 67. *si dormiatis inter medios Cleros*; Agellius hîc, *Dormire hoc loco non esse somnum capere, sed cubare, iacere. Solent enim sæpè L X X. dormiendi verbo vti, pro eo quod est cubare, iacere,*

Dormire pro iacere, cubare.
Psal. 3. 5.
Agell.
Isa. 14.
For.
Exod 22. 27
Iob 7. 4.
Chal.
Agell.

cere, vt 1. Reg. 13. nuntio accepto, necis Amnon filij scissis vestibus, ἐκοιμήθη ἐπὶ τῆς γῆς, dormiuit in terram, & iacuit. neque enim in tantu dolore tanquam repentino, & sanè acerbo nuntio adeò securum, ac remissum fuisse credendum est, vt etiam somno vacauerit.

Thren. 2. 21. Chald. LXX. Ruth 3. 4. LXX. Gen. 49. S. Aug.

Thren. 2. 21. quod noster habet, *Iacuerunt in terra;* Chald. *Dormierunt humi;* LXX. ἐκοιμήθησαν, *dormierunt.* Ruth 3.4. *& ibi iacebis;* LXX. *& dormies.* Gen. 49. *Aquiescet, accubuisti vt leo.* Sanctus Augustinus serm. 45. de diuersis legit, *dormisti vt leo;* addit, *non fugisti sicut vulpes; quid est, dormisti sicut leo?* & sanctus Paschasius in c. 1. Matth. *Accubans dormisti;*

S. Isid. Pelus.

sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 267. ita explicat hæc verba: *Audi quid de Saluatore Patriarcha dicat: Recumbens dormiuit vt leo. Num igitur & omnia, quæ leoni insunt, ad Christum accommodabimus? minime sanè. Verùm inuictum robur, ac terrorem, regiámque authoritatem assumentes, feritatem, atque immanitatem, & si quid aliud leoni inest, si rectè facere volumus, transiliemus.*

Ezech. 32. Isid. Clar.

Ezech. 32. *Non dormient cum fortibus;* Isidorus Clarius, *Hebræi hunc locum sic exponunt: Non iacebunt cum iis potentibus.* Iob 3. 13. *Nunc dormiens silerem;* Chald. *Iam enim cubarem.*

1012.

Dormire pro commorari. Iob 8. 17. Cat. Græc. Isa. 21. 13. S. Hier.

Præterea dormire ponitur quandoque pro commorari, & remouere. Iob 8. 17. quod noster habet, *Inter lapides commorabitur,* Catena Græca, & Olymp. *Et inter lapides cōmorabitur.* Isa. 21. 13. *In salta ad vesperam dormientes.* S. Hieronymus lib. 5. super Isaiam in cap. 21. ita scribit: *Pro eo quod nos iuxta LXX transtulimus, dormietis, potest interpretari, morabimini, siue habitabitis, hoc est, αὐλισθήσεσθε, quod Hebraicè dicitur* תָּלִינוּ,

Exod. 34. 25. S. Aug.

& Exod. 34. 25. *Neque residebit manè de victima solemnitatis phase;* S. August. legit, *dormiet,* sic enim habet lib. 2. loc. in Exod. *Et nō dormiet vsque in manè immolatio solemnitatis Paschæ;* addit ad explicatum:

Dormire pro manere.

Dormiet, dixit manebit, nam caro pecudis occisa, & cocta quomodo dormiet; quod ergo dicitur, Quare obdormis Domine? hoc genere locutionis dicitur, & intelligitur, quare cessas, idest, non vindicas? & q. 163. super Exodum: *Locutio fecit obscuritatem; dormiet enim dixit, pro, manebit.* Eodem modo Deut. 16. v. 4. *Non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere in die primo vsque manè;* idem sanctus Pater lib. 5.

Deut. 16. 4. S. Aug.

locut. in Deut. legit: *Et non dormiet de carnibus, de quibus immolaueritis vespere die primo vsque in mane; pro eo quod est, non remanebit ea nocte, non dormiet, dictum est.*

Dormiendi verbo honestè concubitus significatus. Gen. 19. 33.

Solent præterea diuinæ litteræ dormiendi verbo honestè eam rem significare, quæ honestè nequit explicari, si nudè; viri scilicet cum muliere concubitum; Gen. 19. 33. *Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre.* Chald. *concubuitque cum patre suo;* firmat hanc notionem, quod sequitur; *at ille non sensit nec quando concubuit filia, nec quando surrexit.*

Pagn. S. Aug.

Pagn. *Quando dormiuit ipsa, & quando surrexit;* Gen. 39. *Dormi mecum;* idest, iace, concumbe; sanctus Augustinus lib. 1. locut. in Genesim: *Et ait, dormi mecum; & ista vsitata locutio pro eo quod est, concumbe mecum.* Possem huc alia loca conuehere, sed hæc satis instituto nostro, reique formandę eruot.

Qui dormiens Tobias excæcatus hirundinum stercore. Tob. 2. 11.

Ex his quæ hucusque dixi, possumus lucem aliquam Tobiæ verbis immittere, qui lucem amisit. Tob. 2. 11. hæc leguntur; *Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fierétque cæcus.* hærent hîc aliqui, & quærunt quî fieri potuerit, vt dormiens, & clausos habens oculos tam facilè in oculis læderetur à stercore, quod

Serar. Plin.

cecidit? Serarius respondet, Tobiam apertis oculis dormiuisse, quod aliquibus fuit in vsu. Probat ex Plinio lib. 11. cap. 37. *Patentibus oculis dormiant lepores, multique hominum;* non alienum istuc, quid si dormientem accipiamus pro iacente? facilis tunc sensus, miniméque coactus euadet, nec erit necesse nos ad insolitum dormiendi modum confugere, qui oculis patentibus fit. Rem docti lectoris iudicio committo, coniecturam tantùm offero, quam extra coniecturæ limites abire volo, nisi certiores calculos secum ferat.

1013.

Dormitio pro cubatione. Dan. 6.

Dormiendi verbo cubationem videtur etiam notare Dan. 6. *Abiit Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibíque non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* nam si somnus recessit ab eo, quo modo dormiuit, nisi dormitionem pro cubatione, reclinationéque accipiamus?

Dormire pro cadere. Psal. 40. Agell. Symm.

Dormire cadere est Psal. 40. *Nunquid qui dormit non adiiciat, vt resurgat?* quæ verba sic illustrat ex Symmacho noster Agellius hic: *Putásne ita eueniet, vt qui dormit, & in lectulo decumbit, non ampliùs inde surrecturus sit. Hoc autem dicebant quod ita euenire optarent, ac si dicerent, Vtinam qui iacet nunquam consurgat. Sic namque clariùs vertit Symmachus, καὶ μετὰ τὸ ἐπικαθεύδειν, & cùm ceciderit, non ampliùs resurget.* Plura alia loca rei firmandæ adduci possent, sed hæc satis esse possunt; de lectis, & quiescendi modo præter ea, quæ alibi adduco, hæc subiicio.

Singularis lectus singularis quiescendi modus. Acta.

Et lectus, & in eo quiescendi modus insolens, & singularis fuit, quo vsus, quem seruauit S. Zoërardus, rem his verbis narrat B. Maurus in eius vita: *Post laborem diurnum corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti, & afflictionis, quàm requiei nomen mereatur. Planatum equidem truncum quercinum sepe circundedit, & per ipsum sepem arundineas acutas ex omni parte infixit. Ipse verò in trunco sedens tali sessorio vsus est artium reiteratione, vt si fortè corpus sopore prauatum, qualemcunque in partem se flecteret arundinum acie sauciatum grauiter euigilaret, insuper & ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides suspendebat vt si caput sopitū quocunque inclinaret, lapide percuteretur.*

1014.

Pharisæorum lecti quales. Nicet.

Quales lectos, in quibus dormirent, eligerent sibi Pharisæi, recenset Nicetas Thesaur. Orth. lib. 1. c. 40. his verbis, *Pharisæi culta religionis exteriore scribas longè superabant; quorum alij tabulas sibi latitudine bipalmares subiiciebant, vt si quādo sub noctē somno victi in pauimentum procumberēt, confestim expergefacti Numen precarētur. Alij calculos, aut spinas sibi substernebāt.*

Bonus l. sunt boni libri. S. Ephræm.

Bonus lectus probi libri sunt, in quibus animus conquiescit; S. Ephræm in cantico Syriaco ita scribit: *Libri sint mensa tua, atque delitiæ, quibus dulciter reficiaris, ac satieris; illique tuum sint stratum, vt somnum tranquillum dormias;*

Lectulus sacræ Scripturæ lectio. S. Chrys.

mollis lectulus est sacræ Scripturæ lectio; sancti Chrysostomi hæc sunt verba hom. 33. in Matth. *Hic (in Ecclesia) est lectulus, valde tuo præstantior, diuinarum enim Scripturarum omni magnifico lecto suauior est;* huc flectitur illud Salomonis Prou. 25.

Lectus argenteus sacra Scriptura. Prou. 25. Vgo Car. B. Rab.

Mala aurea in lectis argenteis, Vgo Carensis, *Comparatur sacra Scriptura lecto argenteo, quia sicut in lecto sani quiescunt, ægri laborant, ita in sacra Scriptura iusti quiescunt, impij cruciantur.* Rem luculentiùs habet Rabanus Maurus hîc lib. 3. in cap. 25. Prouerb. *Sacra eloquia,* inquit, *rectissimè lectis comparantur argenteis; lectis videlicet, quia requiem præstant audientium; argenteis autem, quia splendida fulgent virtutibus Patrum. Vnde scriptum est, eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Quorum ornatui lectorum mala superaddit aurea, quisquis eadem diuina eloquia etiam spiritualibus plena sensibus, & mysteriis exponendo demonstrant. Qui nimirum sensus aptè mala vocantur, quia de arbore vitæ, idest, Dei sapientia sunt, orti aptè aurea mala, quia notitiam, amorémque perpetuæ claritatis, mentibus infundunt. Mala ergo aurea in lectis argenteis qui loquitur*

verbum in tempore suo, quia qui verbum Dei opportunè nouit iuxta audientium capacitatem prædicare, modò exempla ac dicta Patrum, per quorum custodiam ad requiem peruenitur æternam, iuxta literam replicat, modò suauiores in his sensuum spiritualium fructus, quibus pia audientium desideria pascat, remoto literæ velamine pandit.

Molles lecti Herculei dicti
Athen.

Molles lecti Herculei olim dicti, Athenæus lib. 13. *Cur lectos molles solem Herculeos nominare, si eos, qui delicatius viuunt, contempsisset?*

Animi quies lecto aureo præferenda.
Stob.

Animi quietem aureo lecto præferenda rectè censebat Pythagoras apud Stobæum de temper. serm. 5. dum ait: *Satius est humi cubantem viuere, & bono animo esse, quàm perturbatum in aureo lecto.* Hanc eandem sententiam ex nostris profert S. Nilus in Parænesi, eisdem verbis; Vbi, inquies, animus est, nihil ad requiem refert in argenteo, aureóque lecto quempiam iacere.

S. Nil.

ADAG. DCCCCLXXIX.

Nemo cum Diabolo iocatur impunè.

1015. DÆmon cùm blanditur, fraudes nectit, cùm ludit, illudit, cùm iocatur, sæuit; si quis igitur Diaboli insidias fugiendas doceat, vt nec blandienti fides habeatur, is prouerbij quadã facie hac formula vtetur. S. Petri Chrysologi hæc sunt verba serm. 155. *Nemo cum serpente securus ludit,* NEMO CVM DIABOLO IOCATVR IMPVNE; iocus iste perniciem parit, Dæmonis arte plerunque damna pariunt, nulla postea arte reparanda. Iocari cum Dæmone videtur qui eius illecebris decipi se sinit, eius se finit blanditiis capi.

EXCVRSVS CLXII.

Nemo se Diaboli credat illecebris. Diabolus virtutũ exercitio vincendus.

Necat *Diabolus cùm blanditur.*
In vno hoste *Satanico victo vincuntur cæteri qui in eo latent.*
A blanditiis Diaboli *plures vincuntur, quàm ab eius machinis.*
Cum Satanico hoste confligens *nemo suis viribus fidat.*
Nouaculæ *similis Satanas, quia aciem suam tegit.*
Torquetur Dæmon *hominem videns eò ascendere, vnde ipse est lapsus.*
Innocentia *nocentis Dæmonis iram prouocat.*
Dæmon vni *non nocet cùm potest* multis.
Virtutum omnium satellitio *cum Diabolo pugnandum.*
Quibus artibus *prematur Diabolus.*
Culpa *in Satanam non facilè reiicienda.*

1016. DEcipit, quibus blanditur Diabolus. Ioabum referre diceres, Amasam sub osculi specie occidentis, sic enim habes 2. Reg. 2. *Ioab dixit Amasa, Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum eius, quasi deosculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, & mortuus est;* non aliter & Satan osculantis specie occidit, vt verus fuerit Vgo Carensis in Psalm. 7. qui huc flectens ait: *Ioab interpretatur inimicus, & significat Diabolum, qui sub specie osculi interficit animam.* Inimicus κατ' ἐξοχὴν Diabolus est, quia nocentior, sæuiórque cæteris est, vt hoc calcato vincantur facilè cæteri, quin despiciantur. Sanctus Petrus Chrysologus serm. 14. expendens illud Psalm. 40. v. 2. *Et non tradat eum in manu inimici eius;* sic enim ille legit, quod nos habemus, *in animam inimicorum eius,* ac si in vno inimico omnes alij delitescerent; ait igitur; *Cuius inimici, nempe Diaboli, ipse est inimicitiarum princeps; despicit inimicos, qui ipsum inimicitiarum calcarit authorem.*

Necat Diabolus cùm blanditur.
2. Reg. 2.
Vgo Car.
In vno hoste Satanico victo vincuntur cæteri, qui in eo latent.
Psal. 40.
S. Petr. Chry.

Idem Dauid inimici nomine Dæmonem notauit, illis verbis Psalm. 60. *Turris fortitudinis à facie inimici;* signatè autem à facie dixit, potius quàm *à viribus, à machinis,* quia tunc maximè cauendus est Dæmon, cùm blandientis facie accedit. Pulchrè productus Vgo ad hæc verba: *Non dicit à* MACHINIS, *sed a facie, quia Diabolus* PLVRES DECIPIT BLANDITIIS, QVAM TERRORIBVS.

A blanditiis Diaboli plures vincuntur, quàm ab eius machinis.
Vgo Car.

Opportunè verò cùm de Satanæ astu agitur, ad 1017.
diuini auxilij turrim nos vocat, vt suis viribus aliquis fidat; nam victi sumus in primis parentibus cùm integræ adhuc vires essent, quis victurum se speret, cùm iam sint fractæ? quod premebat sanctus Ambrosius lib. 1. de vocat. Gen. cap. 3. in hæc verba: *Contra hostem non expedit sine protectore confligere. Cum illo enim habet certamen, à quo aliquando superatus est.* NON ERGO FIDAT DE VIRIBVS SVIS, *quæ etiam cùm essent integra, non steterunt.* Eò vicinior lapsui est, quò se quis minus auxilio indigere putat in hoc conflictu.

Cum Satanico hoste confligens nemo suis viribus fidat.
S. Ambr.

Minus noxius esset Diabolus, si apertè noxius esset; eò nocentior est, quò cautiùs iram suam occultat; nouaculæ eum pariat aduocatus Vgo, quia vt hæc aciem suam abscondit, sic & Diabolus suas artes; sic ille ad illud Psal. 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum,* scribit, de nouaculæ proprietatibus agens; NOVACVLA *coit in se occultando aciem suã, & Diabolus occultè tentat;* sed in hoc aliter ac nouacula, quia hac superflua abraduntur, Diabolus in potiora fraudes suas dirigit, animæ mortẽ spectat, virtutúmque quibus illa exornatur spoliationem.

Nouaculæ similis Satanas, quia aciem suam tegit.
Psal. 51.
Vgo Car.

Adeò in hominem Dæmun sæuit, salutémque eius tam inuido animo fertur, vt Deus voluerit etiam in aëre Dæmones degere, aëreas potestates in sacris litteris habemus, vt hac videns homines in cœlum ire, à quo ille excidit, acriter torquetur inuidiæ ictibus confossus, quæ acerbissima illi pœna exstitit; notauit istuc bis verbis S. Bernardus serm. 54. in Cant. *A Gelboe autem transeat. Diabolo nempè (qui per Gelboe designatur) hincinde sunt montes quos visitat Dominus, suprà Angeli, infrà homines. In pœnam siquidem suum locum in aere isto medium inter cœlum & terram de cœlo cadens sortitus est, vt videat, & inuideat, ipsaque inuidia torqueatur, Scriptura dicente: Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet.*

Torquetur Dæmon hominem videns eò ascendere, vnde ipse est lapsus.
S. Bern.

Cùm deuicta omnia vitia sunt, tunc Diabolus 1018.
vincẽdus superest, qui animæ à vitiis liberæ valde infensus est, Diaboli quippè rabiem accendit, qui vitiis repudium mittit; mentis innocentia nocentis Dæmonis iram prouocat; vix dixerat Dauid Psalm. 7. *Saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me,* cùm addit; *nequando rapiat vt leo animam meam;* à pluribus persequentibus ad vnum transit; in pluribus vitiorum vniuersitatem intellige, in vno vnios Diaboli infestationem, qui tunc in nos sæuior, cùm ab illis pluribus nos liberos viderit. Egregiè rem tetigit sanctus Augustinus hîc,

Innocentia nocentis Dæmonis iram prouocat.
Psal. 7.
S. August.

hîc, dum ait: *Domine Deus meus, in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & erue me. Tamquam cui non restat iam perfecto nisi inuidus Diabolus, superato omni bello, atque aduersitate vitiorum, dicit, Saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & erue me. Ne quando rapiat vt leo animam meam. Dicit Apostolus, Aduersarius vester tamquam leo rugiens circumuit quærens quem deuoret. Itaque cùm diceret per pluralem numerum, saluum me fac ex omnibus persequentibus me; singularem postea intulit, dicens, ne quando rapiat vt leo animam meam. Non enim ait, ne quando rapiant, sciens quis restiterit inimicus, tam perfectæ animæ vehementer aduersus.*

Dæmon vni non nocet cũ potest multis.

Dæmonis hæc perfidia est, vt multis nocere cùm possit, non noceat vni, per vnius lapsum labi plures curat; Euam alloquens solam, ita alloquitur ac si & cum viro, qui aberat, sermonem fereret, dixit quippè, *Cur præcepit vobis Deus*; &, *eritis sicut Dy scientes bonum, & malum, ambos alloquitur*, vt vna opera ambos decipiat, & ad lapsum trahat. Acutè Caietanus hîc: *Aduertendum est*, inquit, *quoque in hac serpentina suggestione quòd in numero plurali semper alloquitur, dicendo, non moriemini, in die comedere vestri, & eiusmodi, tendit enim ad hoc, vt mulier non sola comedat, sed vt inducat etiam virum ad concedendum fructum vetitum.*

Gen. 3.
Caiet.

1019. Virtutum omnium satellitio cum Diabolo pugnandum, vitia vitanda, sed omnia vincendus Dæmon, sed in omnibus; voluit istuc Deus, cùm dixit Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*; signatè *inimicitias*, dixit, non *inimicitiam*, vt in omnibus Satanæ aduersaremus, in nulla cum ipso re consentiremus; accinit Caietanus hîc, dum ait, *Non satis est inimicum esse Diabolo quoad ea, quæ sunt fidei, aut spei, sed oportet* SECUNDUM OMNES PARTES *inimicum esse, videlicet seruandum ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, misericordiæ, & cæterarum virtutum.*

Virtutũ omnium satellitio cũ Diabolo pugnandum.
Gen. 3. 15.
Caiet.

Quibus artibus prematur Diabolus.
Thom.

Quibus artibus prematur, calcetur, & torqueatur Diabolus, peritè explicat Thomas à Kempis part. 1. serm. pij viri. *Diabolum affligunt cùm ieiunant, verberant cùm disciplinam recipiunt; calcant, cùm veniam petunt, premunt, cùm se humiliant; terrent cùm Iesum inuocant; torquent, cùm Mariam nominant; vrunt cùm crucifixum adorant; vinciunt cùm obediunt; ligant cùm strictè silentium seruant.*

Culpa in Satanam non facilè reiicienda.
S. Greg. Naz.

Porrò cùm quis peccat, non ita in Satanam peccati occasio reiicienda est, vt quis se à culpa immunem putet; quod eleganter explicat sanctus Gregorius Nazianzenus in tetrastichis, dum canit.

Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus
Cum nostra præstent robur ipsi crimina?
Te criminare prorsus, aut certò magis
IGNIS TUUS, *nam flamma veri Dæmonis.*

ADAG. DCCCCLXXX.

De sarculo ad trabem peruenire. Trabem facere de festuca.

1020. CVm à minimis, exiguisque initiis ad magna itur, siue bona illa sint, siue etiam mala, vsurpari hæc sententia quadam prouerbij saliua poterit; solet ad iram odiúmque coërceri; hoc sensu extulit S. Augustinus epist. 149. *Inueterascens ira fit odium dum quasi iusti doloris, admixta dulcedo diutius eum vase detinet donec totum acescat, vásque corrumpat. Pergit, Incomparabiliter salubrius est etiam ire, iustè pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, &* PERVENTURAM DE SECULO AD TRABEM. *Audet quippè imprudenter etiam crescere, citius quàm putatur. Non enim erubescit in tenebris, cùm super eam sol occiderit.* Eodem spectant hæc verba sancti Patris verba serm. 117. de tempore; sic enim ille scribit: *Ira festuca est, odium trabes est; sed nutri festucam, & fit trabes: ira inueterata fit odium, festuca nutrita fit trabes. Vt ergo* FESTUCA NON FIAT TRABES, *non occidat sol super iracundiam vestram.* Ferè enim accidit, vt leuis ira nisi cohibeatur, in grande odium transeat, sicque festuca vertatur in trabem; extulit hoc sensu Adam Præmonstratensis serm. 11. vbi ait, *Ecce ad quam grande homo malum pertingit dum celebrem litibus finem non imponit, quia ira crescit in odium, commotio vero animi ira efficitur inueterata, & in quendam iam est congelata furoris valde durabilis motum.* ET TRABEM, inquit, FACIET DE FESTUCA. *Quantum intus trabem, & festucam, tantum intus odium, & iram. Et cùm transit in odium ira, quasi in trabem vertitur festuca.* Ioan. Nid. 4. form. cap. 3. *Ira crescit in odium, facta est trabes de festuca.* Iterum sanctus Augustinus in Psal. 30. *In illo est odium, & in alio culpat iram. Ipse habet trabem in oculo suo, & reprehendit festucam in oculo fratris sui. Sed* FESTUCA *ista, &* SURCULUS *nisi citò euellatur*, TRABES *futura est.*

In ira, quæ in odium conuersa est, trabale pondus agnouit B. Rupertus, cuius hæc sunt verba lib. 4. comment. in Genesim cap. 3. *Vehementer, inquit, iratus est, quod ab effectu claruit protinus, quia concidit vultus eius, videlicet ira in odium versa trabali pondere declinauit in terram vultum, & oculos eius. Terram namque aspiciunt, qui crudelia meditantur. Vnde est illud in Psalmo: Proiicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.* Multos habet Cain imitatores, quibus premi his eisdem verbis possunt, & timere easdem pœnas debent, dum ab ira, & odio se non auocant.

EXCVRSVS CLXIII.

Calamus in iræ feram acuitur.

Ira plumbea, *& grauis.*
Ira tamquam nebula *res grandiores videtur.*
Ira fulmen.
Fumo *ira comparata.*
Ira cum oratione *non rectè cohæret.*
Ira fera *vt incantanda.*
Odium vt scorpionis virus *vitandum.*
Iram vincere *quàm eximium.*
Locum Diabolo *dat, qui dat locum iræ.*
Ira domus Dæmonis.
Ira in cor *quod corripit* Diabolũ *introducit.*
Iracundus homo homini à spiritu nequam *correpto par.*
Notati qui insidias *proximo struunt.*
Qui Quadragesimæ tempore inimicitias *non probant, vix Christiani titulo digni censebantur.*
Iracundiæ reliquiæ *remanère in nobis non debent.*

CAlamo premenda iracundia est, ne alicuius mentem iracundia premat, eo acriùs sæuiendum in ira est, quò acriùs illa in nos sæuit, nisi coërceatur; graue pondus est ira, vt non ab re *plumbeam* eam dixerit Plautus, sic enim ille loquitur in Pœnulo: *Si quid peccatum est* PLUMBEAS 1021.

Ira plumbea, & grauis.
Plaut.

S. Basil.

IRAS *gerunt*; & ex nostris sanctus Basilius homil. de ira; *Animus ira occupatus trutina est ad pondus regulæ momentum deferens.* Facile iræ passio homini imponit, vt rebus diiudicandis decipiatur, & grandia putet quæ exigua sunt, sicut nebulæ obiectu res maiores apparent ac sint. Plutarchi hæc sunt verba lib. de non irascendo. *Quandoquidem, vt* PER NEBVLAM *corpora, ita res per iram apparent* GRANDIORES. Sanctus Augustinus ab iracundo corde exulare gaudium dixit; serm. 255. de Temp. *Quale*, inquit, *gaudium potest habere anima, quæ iracundia furore accenditur; superbia amarissima felle repletur, inuidia veneno percutitur, luxuriæ sordibus inquinatur.* Sancto Chrysostomo ira fulmen est, quod in anima pretiosa quæque absumere tentat, tom. 5. serm. de mansuetudine; *Ira quasi* FVLMEN *in anima*; sanctus Nilus orat. de ira: *In corde iracundo, & perturbato feræ nidos efficiunt.* Fumo præterea comparat; *Vt* FVMVS *oculos turbat, sic ira precantis animum*; alioquin, vt idem ait eodem loco; IRACVNDI PRECATIO *thus fætidum, ac detestabile, & Psalmorum decantatio ab iracundo proueniens* INVISA, *atque* EXECRABILIS. Philo lib. quòd Deus sit immortalis, iram peccatorum fontem dixit: *Ira est peccatorum fons, sicut oratio origo bonorum operum.* Sanctus Chrysost. hom. 47. in Ioan. feram sub ira vidit.: *Ira* FERA EST *vehemens, & furibunda*; addit: *Incantemus eam diuina Scriptura carminibus*, dicentes; *Terra & puluis es, & quid superbit terra, & puluis?* Vis hominem agnoscimus, quem videmus iracundum, ferinum vultum circumfert, feris par.

Ira tanquam nebula res grandiores videntur. Plut.

Ira fulmen. S. Chrys.

Fumo ira comparata. S. Nilus.

Ira cum oratione non rectè cohæret. Idem.

Ira fera vt incantanda. S. Chrys.

Odium vt scorpionis virus vitandum. B. Isa.

Odium non secus ac scorpionis virus mentem peruadere, Beatus Isaias Abbas orat. 6. sic monebat: *Quemadmodum virus in totum illius corpus diffunditur,* QVI MORSVS EST A SCORPIONE, *& ad cor vsque pertransit; sic quem odium occupat, veneno perfunditur, & animus eius ab eo vulneratur.*

1022. Iram, furorémque vincere quàm eximiæ virtutis res sit explicari vix potest. Libanius *propè diuinæ* esse dixit; nam ad Hesiodum scribens, ait: *Se ipsum, hoc est, iustum* FVROREM *præsertim* VINCERE *propè* DIVINITATIS EST.

Iram vincere quàm eximium. Liban.

Locum Diabolo dat, qui dat locum iræ. Ephes 4.

A corde ira excludenda est, vt excludatur & Diabolus, qui cum ira intrat, si ira retineatur, & conuertatur in odium; hinc Ephes. 4. vix dixerat Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, cùm addit: *nolite locum dare Diabolo*; ac si innueret iram aditum aperire Satanæ; ad hunc sensum respiciens Primasius hîc, ait: LOCVM DAMVS DIABOLO IRACVNDIAM RETINENDO, *vel si indignatio in odium conuertatur*; hinc ab te iram, furorémque *Diaboli domum* dixit sanctus Gregorius Nazianzenus iamb. 21.

Ira domus dæmonis. S. Greg. Naz.

O ira, feruor, DÆMONIS DOMVS *horridi.*

Ira in cor quod corripit Diabolum introducit. 1. Reg. 18. 8.

Vbi mentem ira subierit, subit & mentem Dæmon, mentis inquilinus factus, Diabolo nimirum locum ira parat, aditum Satanæ facit iracundia, 1. Reg. 18. 8. *Iratus est Saul nimis*; iram vides, iracundia correptum animum audis; quid deinde? *Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul*; diceres viam statuisse malo spiritui iram, quæ illum prior inuaserat. Præclarè sanctus Petrus Damianus lib. 4. epist. 17. *In Saulis cor ira præcessit, &*
1023. *mox nequitiæ spiritum introduxit, qui abreptitium suum in zelum vesani furoris accendit; fremebat enim in vasculo suo iracundiæ spiritus.*

Iracundus homo homini à spiritu nequam correpto par. S. Chrysost.

Adeò vt à vero non aberrarit, qui iracundum hominem homini à spiritu malo possessum pariet, quin & præferat. Sanctus Chrysostomus huc euaserat cùm homil. 47. in Ioan. dixit: *Inter iram, & insaniam nihil differt, sed* TEMPORARIVS *quidam* DÆMON EST, *imò quam qui dæmonio vexatur, grauior; ille enim venia dignus est, iratus nulla, sed suppliciis innumeris.*

Notati qui insidias proximo struunt.

Ait, *sol non occidat super iracundiam vestram*; quàm longè ab Apostoli monitu abit, quia adeò iram non ponit ante Solis occasum, vt per multos dies iram nutriat, & in proximum suum sæuiat, paret ei insidias; quod manifestæ insaniæ consignatio est sancto Chrysostomo, sic enim ille scribit lib. 1. de compunctione cordis; *Sol non occidat super iracundiam. Nos contrà, ne hoc quidem contenti sumus, vt iracundiam vltra Solis terminum producamus, sed quod est deterius, & insidias inuicem struimus, siue verbis, siue rebus supplantare proximos cupientes, mordentes inuicem, & comedentes: quod vtique aperta insania est.*

S. Chrys.

Qui Quadragesima tempore inimicitias non ponebant vix Christiano titulo digni censebantur. S. Aug.

Iracundiæ reliquiæ remanere in nobis non debent. S. Greg. Naz.

Vix Christiani titulum mereri, qui saltem Quadragesimę diebus iram non ponit, inimicitias non delet, his verbis asserit sanctus Augustinus serm. 74. de diuersis: *Cum scriptum sit, sol non occidat super iracundiam vestram: considerate, charissimi, vtrùm Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicitias non vult finire, quas nunquam debuit exercere.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in funere Patris ita loquitur, *Ros solem potius matutinos radios diffundentem sustinnisset, quàm vt vllæ iracundiæ reliquiæ in ipsius animo remanerent.*

Placet ita: benè irascitur, qui irascitur malo; irascamur peccato vt non peccemus, salutaris hic affectus euadit, si vires in malum exerat, in peccatum se armet, peccatum sternat.

ADAG. DCCCCLXXXI.

Honores mutant mores.

ITa ferè fit, vt alios mores induant, qui eue- 1024.
huntur. benè res accideret, si in meliores mutarentur. Meminit huius prouerbij S. Petrus Venerabilis lib. 5. epist. 1. *Vidi litteras vestras. Aduerti, quod facilè fuit, falsum in parte esse vulgare prouerbium, quo dicitur* HONORIBVS MORES MVTARI; *neque enim honor assumptus ab amore nostro semel olim concepto vos in aliquo permutauit.* Hoc idem prouerbium affert Stephanus Tornacensis epist. 61. ait enim: *Viuat in aliis illud vulgare prouerbium;* HONORES MVTANT MORES. *In vobis id tantùm precor obtineat, vt si mutent, aut moueant, eam motus speciem quæ augmentum dicitur, non excludant.* Vtiliores nobis dignitates essent, essent honores si dum ad illas, ad illos euehimur, ad sanctiorem etiam vitam eueheremur.

ADAG. DCCCCLXXXII.

Nouus Constantinus.

CHristiana pietate insignis Princeps hoc titulo poterit insigniri; Constantini Imperatoris pietas illustrissima fuit, vt consequentibus Regibus in exemplum sit constituta. Si quis etiam Princeps à gentilismo transeat ad Christianismum, & baptismalibus aquis præteritæ vitæ damnatis erroribus ablui velit, is *alter Constantinus* poterit dici. Hincmarus in vita sancti Remigij de Clodoueo Rege loquens, qui ad Baptismum deuotus pergebat, inquit; *Abnegatis Diaboli*

pompis,

pompis, & operibus eius, procedit NOVVS CONSTANTINVS *ad lauacrum salutiferum.* Meliora, feliciora secula haberemus, si plures haberemus Constantinos primo illi pares, supparésve.

ADAG. DCCCCLXXXIII.

Tot oculos habere, quot animalia Ezechielis.

1025. OCularissimus quisque qui sua acutè videat, opportunè prouideat suis, is prouerbialiter animalibus Ezechielis, quæ plena ante, & retro oculis erant, solet comparari. Guilhelmus Mariæ prouidentiam efferens in cap. 7. Canticorum ait, PLENA ERAT OCVLIS, ET VBIQVE MVLTO PLENIOR, QVAM QVODLIBET ILLORVM QVATVOR ANIMALIVM, *de quibus scriptum est, quòd in circuitu, & intus plena sunt oculis. Plena, inquam, erat oculis prouidentia sine intermissione, prouidendo bona, non tantùm coram Deo, sed etiam hominibus omnibus.*

Prælatorum ista consignatio est, vt & oculos habeant tamquam animalia Ezechielis, sed & pennati sint, vt quid agendum sint non tantùm videant, sed & agant, sublimia suos doceant, sed & euolent in sublime; scite Vgo Carensis io cap. 1. Prouerb. *Oculati, & pennati debent esse prælati, talia enim fuerunt animalia, de quibus Ezech. 1. Sunt autem* MVLTI OCVLATI, *sed non pennati, scientes bonum, sed non facientes, alij sunt pennati, sed non oculati, vt simplices idiotæ; alij nec sunt oculati, nec pennati.* Solo superiorum nomine gaudentes, & dignitate indigni, qua sunt insigniti.

Argus quidem esse debet, qui alios regit, vt sit totus oculus; hinc vetus illud in sententiis Ethico-politicis,

Rex quinus Briareus, Rex quinus ARGVS *est.*

De animalibus Ezechielis loquens glossa ait: *Totum corpus plenum oculis, qualem* ARGVM *describunt fabulæ poëtarum.*

Deus ipse, quia omnia videt, operatur omnia, totus oculus, totus manus est; sanctus Augustinus epist. 111. ad Fortunatum: *Ego,* inquit, *dico quòd Deus* TOTVS OCVLVS *est, totus manus, quia omnia videt, omnia operatur;* imitari Deum debet, qui alios regens Dei vices gerit.

ADAG. DCCCCLXXXIV.

Simia in tecto Rex fatuus in solio sedens.

1026. QVi sceptrum tenet, imperantis veris notis destitutus, & qui aliis præsidet ineptus muneri, Regis, aut superioris quandam laruam præseferens, is demum qui in culmine positus deformior apparet, & ineptior, hic hoc prouerbio premetur. Vtitur in hunc sensum sanctus Bernardus lib. 2. de considerat. dum ait: *Erubescens,* inquit, *in summo positum apice videri hominem nudum, festinauit induere insignibus suis; absque his nempè eò deformior, quò illustrior pares; numquid potest abscondi ciuitatis supra montem posita desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum.* SIMIA IN TECTO REX FATVVS IN SOLIO SEDENS. Prouerbium hoc esse indicauit etiam qui opera sancti Patris vulgauit, cùm in margine prouerbij nomen apposuit.

ADAG. DCCCCLXXXV.

Asinus coronatus.

PRouerbiali hoc schemate percelletur, qui regium diadema gestat, regia circumfert insignia, scientia, qua regius ornatus est destitutus, à litteris exul, rerum peritia viduus. Beati Dionysij Carthusiani in cap. 1. Prouerb. hæc sunt verba: *Rector illiteratus ritè vocatur* ASINVS CORONATVS; vt omnibus imperitia, & ignorantia noxia sit, maximè illis est, qui cæteros regunt, imperium in alios exercent Principis insigne doctrina esse debet, vt Principis, & Doctoris nomina in idem recidant in Principe; hinc Iud. 5. 9. quod noster habet, *Cor meum diligit Principes Israël.* ex Hebr. aliqui legunt, *Cor meum diligit Doctores Israel.* certè Chaldæus legit: *Missa sum ad laudandum scribas Israel,* ac si idem Princeps esset, ac Doctor, ob doctrinæ, & regiæ dignitatis nexum, & cohærentiam. Petitè Blesensis epist. 67. de hoc nexu: *Rex sine litteris,* NAVIS EST SINE REMIGE, *&* VOLVCRIS SINE PENNIS. Digna sunt quæ hîc sistantur, quæ de Alphonso Rege refert Panormit. in eius gestis; Alphonsus, inquit, Aragonum, & Siciliæ Rex potentissimus, dicere solebat, se malle priuatum viuere, quàm eruditione carere. Cæsaris commentarios in omnibus expeditionibus secum babebat. Capoæ, dum ægrotus decumberet, lectione Q. Curtij sese curatum fuisse asseruit. Febricitans cum Aurispa viro doctissimo, multa de litterarum studiis, & erroribus Hieronymi hæretici contulit. In vrbium direptionibus, libri ex præda omnes ad eum magni muneris instar deferebantur. Librum apertum pro suo insigni gerebat. Ioannes deoique Esernitanos, acerrimi iudicij vir, de Alphonso dicere solebat: Nisi Rex fuisset, Philosophum eximium futurum fuisse. Feliciora imperia haberemus, si plures huius mentis Reges, Principésque videremus. Adagia quæ proximè dedi, aurum mihi peruellunt, vt de Regum, & superiorum charactere aliqua afferam, quæ ita Reges tangant, vt res etiam in subditos resiliat.

EXCVRSVS CLXIV.

Rex, ac superior quilibet subditorum Pastor.

Regis, *&* Pastoris *nexus.*
ποιμαίνω pro curam gerere.
Pascendi, *&* regendi *cohærentia.*
Apud Ægyptios Reges pastores dicti.
רעה pascere, *&* regere.
רעה *ingentem* affectum *claudit.*
Affectus pastoralis *in Regibus.*
Ars pastoralis *præludium ad magistratum.*
Pastoralis vita *præfecturæ praexercitamentum.*
Pastorum, *&* Regum *est sua negligere, vt suis prouideant.*
Regum *est suorum necessitates anteuertere, & illis occurrere.*

- Pascat *subditos qui subditis præest.*
- Pascere *gregem non* mulgere *subetur Præsul.*
- Pastoribus, *&* nautis, *ob labores subeundos à præsulibus præsules pariati.*

1027. VT verè quis Rex audiat, audiat Princeps, pastores se suis exhibeat, suorum pastor sit; cohæret Regum dignitas cum arte pastorali, vt in diuinis litteris idem sit pascere, ac regere; idem sonet pastor, ac Rex, Ier. 6. 3. *Ad eam venient pastores, & greges eorum*, Chaldæus vertit; *Ad eam venient Reges, & exercitus eorum*, & Mich. 5. 4. *Et pascet in fortitudine*, idem interpres, *stabit, & pascet in fortitudine.* ποιμαίνω, pro curam gerere à Græcis sumi Sophoclis Scholiastes tradit; ποιμάντωρ, pro populi duce, aut Rege Æschines sumpsit. Homerus lib. 11. Iliad. ποιμένα λαῶν, pastorem populorum, populorum ducem dixit; Matth. 2. pro eo quod Græcè est, ὅς τις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου Ἰσραήλ. id est, *qui pascat populum meum Israel*; Interpres vertit, *Qui regat populum meum Israel.*

Regis, & Pastoris nexus. Ier. 6. 3. Chald. Mich. 5. 4. *ποιμαίνω pro curam gerere.* Soph. Schol. Æsch. Hom. *Pascendi & regendi cohærentia.* Matth. 2.

Id apud Ægyptios in vsu, quod notauit Cœlius Rhodiginus lib. 16. cap. 3. lectionum antiquarum, vt Reges pastoris nomine circumscribantur: *Inuenio*, inquit, *Ægyptiorum Reges quandoque Pastores fuisse nuncupatos, propterea quòd in sacra historia lectum obseruauimus Ioseph, & fratres eius in Ægyptum descendisse in principio Pastorum, quandoque verò quòd Manetho Ægyptiorum Sacerdos prodidit Pharaones.* In sacro sermone Psal. 27. v 9. vbi noster habet, *& rege eos*, in Hebr. est ורעם à verbo רעה, quòd significat pascere, vnde & Pagninus legit, & pasce eos; abeunt L X X. qui habent, καὶ ποίμανον αὐτούς, *& pasce eos*, tamquam pastor. Quod eleganter obseruauit Agellius noster in hæc verba. *Et rege*, inquit, *eos, siue, vt in Græco, & Hebræo est, & pasce eos. Sic namque debent Reges, & Principes populum regere, vt pascant potiùs, atque conseruent. Vnde etiam translatione de sacris litteris sumpta vsurparunt Gentiles, vt Regem ποιμένα λαῶν dicerent pastorem populorum rationalium, scilicet ouium.* Subditorum oues pascere debent, non perdere, non mactare, & occidere, tamquam lupi, & fures. Sed premenda adhuc est Hebraïci verbi notio, nam verbum רעה, non nudè pascere significat, sed ingentem affectum claudit, & amorem, vnde de amore dicitur, & amicitia, vt cum suos pascere Regem audimus, ingens in subditos cura innuatur, & affectus pastoris.

Apud Ægyptios Reges pastores dicti. Cœl. Rhod. רעה *pascere, & regere.* Psal. 27. 9. Pagn. Agell. רעה *ingentem affectum claudit.*

1028. Et verò in Regibus, & Principibus affectum hunc pastoralem notauit etiam Beatus Hilarius in Psalm. 2. ex Græco fonte, dum illa Regis Prophetæ verba expendit, *reges eos in virga ferrea*; sic enim scribit. *Meliorem adhuc repentus affectum proprietas Græca significat, quòd enim vobiscum est, reges eos, cum illis est ποιμανεῖς αὐτούς*, id est, *pastoraliter reges, regendi scilicet eos curam* AFFECTV PASTORIS *habiturus.* Hæc Beatus Hilarius.

Affectus pastoralis in Regibus. Psal. 2. S. Hilar.

Hinc factum, vt pastoralis ars præludium quoddam censeretur apud Hebræos ad principatum, & regnum. Quod probè indicauit Philo lib. de Ioseph ad hunc modum. *Quemadmodum futuro Imperatori necessaria sunt exercitia necessaria, sic admonendis ad curam Reipublicæ propriè pastoralis ars congruit*, VELVT PRÆLVDIVM QVODDAM MAGISTRATVVM, vt nempè ab ouium irrationabilium cura disceret rationales oues pascere, ac regere; & lib. de vita Mosis: *Pastoralis ars ad regnum est præludium, hoc est, ad regimen hominum regis mansuetissimi, quemadmodum bellicosa ingenia præexercent se in venationibus.*

Ars pastoralis præludium ad magistratum. Philo.

Ab hac mente nec nostri abiere, nam Beatus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum in Genesim de Cain, & Abel, PRÆFECTVRÆ præexercitamentum munus pastorale vocat, eius verba subiicio: *Optimo verò iure pastoralem vitam sapiens admodum Abel probauit, veluti* PRÆEXERCITAMENTVM QVODDAM PRÆFECTVRÆ *apud homines, id sibi statuens, atque ita se rem habere censens. Porrò sacra etiam, ac diuinitus inspirata Scriptura, & Græcia sapientum consuetudo est, pastores populorum vocare eos, qui Gentibus, aut vrbibus, aut populis sunt præfecti.* Hæc Cyrillus.

Pastoralis vita præfectura præexercitamentum. S. Cyr. Alex.

Optimè Regiæ maiestatis munus sustinet, qui se potius populorum pastorem esse nouit, quam Regem. Verus Princeps, ac Imperator, qui sub purpura, ac diademate pastoralem animum, pastoralem curam tegit, vt sua etiam negligat, vt eorum quos regit sedulam curam habeat; sic enim definit Beatus Chrysostomus principatum in Psal. 113. dum ait, *Hoc est principatus, hoc est pascendi scientia*, SVA NEGLIGERE, ET EORVM QVOS REGIT CVRAM AGERE.

Pastorum, & Regis est sua negligere, vt suis prouideant. S. Chrysost.

1029. Istuc significatum est Gen. 41. vbi Deus somnium immisit Pharaoni, quò futuram sterilitatem præuideret; vt sciret Regis esse communi populorum indigentiæ prouidere, Rex sterilitatem in somniu videt, non alius priuatus, Principum enim est subditorum populorum necessitates nosse, & iis opportunè consulere. Rem satis acutè pressit doctus Oleaster in cap. 41. Genesis in hæc verba, *Pharao somniauit, mirandum est valde, quòd tanto tempore antequam veniret fames, Deus Regi eam reuelauit, & quod solus ipse de ea somniauerit, ac prouiderit, ostendit enim Dominus futuram famem Regi, potius quàm aliis, quoniam eorum est prouidere suis, quæ necessaria sunt, vt etiam doceat* PRINCIPES PRÆVIDERE NECESSITATES ANTEQVAM SINT, ET PROVIDERE, ET SVCCVRRERE. Hæc Oleaster. Nisi vigilem hanc de suis curam habeat Princeps, ac Rex, Regis, Principisque nomen habeat, potest rem, iure non potest, tam oberit à vero Regis charactere, quàm à pastorali in suos cura, ac sollicitudine.

Regum est suorum necessitates aduertere, & illis occurrere. Gen. 41. Oleast.

Illud Psalm. 27. 9. *rege eos*, legit sanctus Hieronymus ex Hebræo, *pasce eos*, & Chald. *ciba eos*; nimirum qui præesse, prodesse suis debet, suis prouidere. Periè sanctus Bernardus lib. 3. de consid. ad Eugenium: *Præsis*, inquit, *vt prosis; præsis vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. ad quid? vt des illis escam in tempore, hoc est*, VT DISPENSES, NON IMPERES; cibum præbere debet, vtiliúmque monitorum epulis suos alere superior debet, quin & victui necessaria exhibere.

Pascat subditos, qui subditis præest. Psal. 27. 9. Chald. S. Bern.

Pascere gregem Præsul debet, non tondere, audiendus hîc iterum idem mellifluus Doctor, cuius hæc sunt verba in declam. super illud, Ecce nos reliquimus omnia: *Petro dictum est, Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas; idémque tertio repetitum, tertiò dictum*, PASCE, NEC MVLGE, *seu tonde, vel semel additum est; speret ergo discipuli locum gradum ministri, qui dominicum pascere gregem satagit, quam tondere, pascere verò tripliciter, exemplo conuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis;* vera hæc veri pastoris consignatio est, qua qui caret, nudum pastoris simulachrum circumfert.

Pascere gregem, nō mulgere subetur Præsul. Ioan. 21. S. Bern.

Torpere non debet Præsul, nec desidiæ indormire Rex, qui se pastores vocari audiunt; quod in hunc modum expendebat Oleaster in cap. 32. Isaiæ

Pastoribus & nautis ob labores subeundos à præsulibus præsules pariati. Oleast.

Isaiæ: *Cogitaui aliquando cur Dominus in lege veteri Regem designaturus, pastorem potius quàm cuiuscunque alterius opificij artificem delegerit. Et Christum suæ Ecclesiæ, nautam potius quàm alium præficere voluisset. Non erant Domine in mundo sartores, fabri, lanifices, calcifices, & id genus alij quos ad hoc munus præficere posses? Cur potiùs elegisti* PASTOREM, ET NAVTAM? *non immeritò: expende artifices, munia considera, reuolue omne artificum genus, & non inuenies munus aliquod maioris tædij, laboris, sollicitudinis, quàm sint pastores, & nautæ.* Hoc si superiorum mentibus insideret, otio se corripi non finerent, & accuratiùs munus suum exercerent.

EXCVRSVS CLXV.

Princeps, Rex, ac superior solem vt referat.

Sol *rex quidam magnus.*
Rex solem *refert.*
Sol *Regis symbolum.*
Patera *Imperatoribus data, in qua* sol *sculptus.*
Corona regia cur radiis *duodecim constarent.*
Imperatori lampadem *præferebant.*
Stellæ, & signa Zodiaci *in veste regia.*
Radiato capite in Solis *figura Reges Persarum residebant.*
Imperatorius sol *omnes adiens.*
Reges vt Soli *pares.*
Rex sol, *& frater Solis dictus.*
Imperij sol, *qui imperat.*
Sol iustitiæ *pro rege iusto.*
Sol iustitiæ *Christus, quia omnes lustrat, & illustrat.*
Solis, *& vmbræ nexu vtilitatem à Regum, & magnorum consuetudine colligendam explicatur.*
Præsulis sol *vitiorum nubibus tectus suos non illustrat.*
Rex, & superior, tamquam sol *vitiorum tenebras ab vrbibus, & regnis dispellere debet.*
Puros habere oculos debet Regis solem *spectaturus.*
Sol, *& luna præfecturas agere cur dicantur.*
Regius sol *si eclipsim ob aliquem defectum patiatur suorum oculos ad se trahit.*
Mali consiliarij regij Solis *lumen plerunque tegunt.*
Ciues stellæ *dum ad dignitates vocantur.*
Solis *nomen Rex sustinet maximè ob munificentiam, & liberalitatem.*
Rex liberalis sole *clarior.*
Rex tamquam sol *in munificentia operibus non fatigatur.*
Soli similis, *qui multis benefacit.*
Principis tamquam Solis *motum sequitur populus, vt Heliotropium.*
Superior virtutum splendore, *cæteros debet obscurare.*
Soli *vicinus Mercurius, & Regi eloquentia, atque doctrina.*
Regij Solis *influxu virtutes in subditis fouentur.*
Solis, *&* lunæ *in morem Rex, & superior sua non quærat, sed suorum vtilitatem.*
Sol *vt referret Paulus.*
Nobis Paulus *laborabat* oblitus sui.
Subditorum causa subire pericula *superior non timent.*
Iustitia aliis *nata, non sibi.*
Sua commoda *non quærat superior, sed suorum.*
Verus Rex *non quærit quæ* sua *sunt*, suorum *saluti intentus.*

SOl iste, quem in cœlo spectamus, rex quidam est; Philonis verba sunt de mundi opificio; *Diei præfecis Pater ille* SOLEM, TAMQVAM MAGNVM REGEM; sol regem referat, refert & Rex ipse solem; euincunt ea, quæ subiicio; Nicetas Choniates lib. 3. de Isaacio Angel. *Vt sponsus è thalamo, aut vt sol ab Oriente, ita ipse è palatio quotidie prodibat.* Pacatus in Panegyrico de Theodosio: *Nec magis communem diem, atque* SOLEM *videre licet, quàm* NOSTRVM IMPERATOREM. Fulgentius lib. 1. Mythologi. *Tandem Domini regis felicitas aduentantis velut* SOLIS *crepusculum mundo tenebris dehiscentibus pauores extersit*; in sententiis Ethico-politicis extat hoc dictum, 1030.

Sol rex quidam magnus. Philo. *Rex solem refert.* Nicet. Pacatus. Fulg.

Rex alter vt sol oritur totus omnibus.

Sol Regis symbolum, & imperij apud Persas erat, vt tradit Pierius lib. 44. Hieroglyph. Præterea à Rege Persarum pateram Imperatoribus exhiberi solitam lego, in qua sculptus sol videbatur. Vopiscus Syracusius in Diuo Aureliano, *Data est ei præterea, quum legatus ad Persas isset,* PATERA *qualis solet Imperatoribus dari à Rege Persarum,* IN QVA SCVLPTVS ERAT SOL *eo habitu quo colebatur in eo templo, in quo mater eius fuerat Sacerdos.*

Sol Regis symbolum. Patera Imperatoribus data, in qua sol sculptus. Vopisc.

Pierius notabat ex nummis & monumentis antiquorum coronas Regias radiis duodecim pretiosis lapidibus constitisse. De corona Iunonis Martianus lib. 1. *Erat illi in circulum ducta fulgens corona, quæ duodecim flammis ignitorum lapidum fulgurabat.*

Corona regia cur radiis duodecim constarent. Pier.

Imperatori prælatam lampadem lego; Codinus Curapalata de offic. & officialib. cap. 6. num. 37. LAMPADEM, inquit, PRÆFERVNT *Imperatori propter illud Christi: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

Imperatori lampadem præferebant. Codinus.

Legimus Reges aliquos in vestibus stellas, & cœli signa intextas circumtulisse; testatur id Appianus in Libycis, dum purpuram exhibet, cui aurea sydera intertexta. De Zodiaci signis testis est Athenæus lib. 12. vbi ait: *Demetrio Regi chlamydem fuisse, cui intextus erat polus in quo erant* STELLÆ *ex auro,* AC DVODECIM SIGNA ZODIACI. Quin radiato capite in Solis polo figura præsidebat Rex; de Persarum Regibus sanctus Petrus Chrysologus serm. 120. ita scribit: *Hunc radiato capite* SOLIS *resident in figura.* 1031.

Stellæ, & signa Zodiaci in veste regia. Appian. Athen. *Radiato capite in Solis figura Reges Persarum residebant.* S. Pet. Chrys.

Debet scilicet, tanquam splendidus sol omnia sua luce illustrare. Hinc Pacatus in Panegyrica oratione Theodosij Imperatoris, scribit: *In ipsis statim Imperij auspiciis priuatorum domus adibat, & vrbis*

Imperatorius sol omnes adiens. Pacat.

urbis angulos, quia nunquam IMPERATORIUM SOLEM *vidisset, pro lumine complebat*; imò & vilia loca sol non effugit, cullustrat suis radiis omnia; sic & Imperator, & Rex, omnes adit, ad omnes sese dimittit.

Reges ut Soli pares. Plut.

Regem soli parem facit illa sententia, quam refert Plutarchus in Politicis; *plures esse, qui solem oricatem, quàm qui occidentem adorent*; quod Pompeium quoque dixisse testatur idem auctor in problem. & illud in apophtheg. huc etiam spectat Dario, respondit Alexander, neque terram duos soles, neque Asiam duos reges tolerare.

Solis habitu plerunque simulachra Imperatores, & Reges eripi præcipiebant. Pollion in Galien. *Statuam sibi maiorem colosso fieri precepit Solis habitu.*

Rex sol, & frater Solis di tus. Plut. Amm.

Prisco Cyro Solis nomen fuisse scribit Plutarchus in Artoxerxe, & addit rationem, nam Persæ solem vocant Cyrum: Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον. Sapor apud Ammianum lib. 17. de se ipso: *Rex Regum Sapor, particeps syderum,* FRATER SOLIS, ET LUNÆ. Horat. qui de Bruto Præt. Asiæ sat. 7. lib. 1.

Horat.

SOLEM *Asia Brutum appellat*, STELLASQUE *salubres*
Appellat comites.

1032. *Imperij sol, qui imperat.* Liban.

Imperij solem Regem esse censuit etiam Libanius, cuius hæc sunt ad Iulianum in eius panegyrico non sine adulationis fuco verba: SOLEM *nihil latet eorum quæ in terra, sic neque te quicquam eorum quæ aguntur*, SOLE *ipso dante.* Nicephorus quoque Gregoras lib. 10. Nænia in obitum Imperatoris, ita loquitur: *O tu, ô terra* SOL, *in qua terra occidisti, ut relictis nobis, ut glacie calamitatum examinemur.*

Sol iustitiæ pro Rege iusto. Malach. 4.

Apud nostros quoque sol Regem signat; huc aliqui vocant illud Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*; id est, æquissimus, & iustissimus Rex, qui populos optimè regat; hinc quod Prou. 16. noster vertit: *In hilaritate vultus Regis vita.*

Sol iustitiæ Christus, quia omnes lustrat, & illustrat. S. Chrysost.

Sol Christus fuit, qui supero suo lumine omnes illustrauit; de illo ita scribit sanctus Chrysostomus cap. 21. catenæ Græcæ in Ieremiam: *Sicut sol hic non magnis tantùm, sed & paruulis splendet; sic &* IUSTITIÆ SOL *paruorum, grandium, seruorum, liberorum, Principum, subditorum, Regum, priuatorum, infantium, senum omnium animos lumine cognitionis illustrauit.*

1033. *Solis, & umbræ nexu utilitatem, à Regū, & magnorum consuetudine colligendam explicatur.* S. Basil.

Ad solem quis ambulare non potest, nisi & umbram producat, non aliter & qui cum viris magnis, Principibus, magistratibus, Regibus consuetudinem habet, utilitatem aliquam sentire debet, rem his verbis habet sanctus Basilius epist. 389. *Quemadmodum illos, qui per solem incedunt, sectatur umbra, velint ipsi, nolint, parum refert, ita usum, & consuetudinem nostram cum magistratibus sequitur illa utilitas & emolumentum, ut possimus laborantibus succurrere.*

Præsulis sol vitiorum nubibus tectus suos non illustrat. Philippus.

Quod aëri sol est, hoc subditis est Prælatus; ille si nubium velamine careat, aërem illustrat, nubibus tectus non illustrat, & Præsul in sanctitatis lumine irradiet, & criminum nubilo haud obtegatur, suos lumine perfundit, quod præstare non potest, si criminum nube obsideatur. Præclarè Philippus Abbas Bonæ-spei epist. 13. *Sol*, inquit, *si defæcato radio sui luminis illucescat, ab eo lumen aer accipit, ut diescat; si verò nubiloso velamine illius facies obtegatur, aër proculdubio nocturna caligine tenebratur. Sic & Prælati tam vita, quàm doctrina si digno radiauerit lumine sanctitatis, subiectus populus opportuno perfunditur nitore claritatis*, SI AUTEM ILLE FUMO TURPITUDINIS DENIGRESCIT, ET ISTE CONSEQUENTER *interpolatione vel ingrata, vel forte placita* TENEBRESCIT.

1034. *Rex, & superior tamquā sol vitiorum tenebras ab urbibus, & regnis dispellere debet.* Liban.

Sol suis radiis tenebras expellit, & Princeps, ac superior vitia, quæ urbes obsident, & regna. Libanius Lynocho Bithyniæ præsidi scribens hæc habet: *Damnari Bithyniam cùm in ea plurima reprehensione digna inuenerer, laudo nunc, & dignam laude inuenio. Quemadmodum enim nubes phœbeum lumen occultantes tenebras mortalibus exhibent, quas phœbi præsentia fugat; ita & Bithynia* VITIA OMNIA, *quibus laborat*, IN VIRTUTES TE PRÆSIDE COMMUTAVIT.

Puros habere oculos debet Reges solem spectaturus. Cassiod.

Non est cuiuslibet solem spectare, puros habere oculos debet, ità & ille Principis aspectum amat qui puris, candidisque est moribus, impurus præsentiam Principis tamquam iudicis auersatur, Cassiodorus lib. 7. variarum 35. ita loquitur: *Manifestatio est conscientiæ bonæ præsentiam iusti Principis expetisse: quam solus ille desiderare potest, qui de magna mentis puritate confidit. Aspectum Solis nisi clara lumina non requirunt: quia illi tantùm possunt rutilantes pati radios, quos constat oculos habere purissimos. Sic præsentiam Principis ambiunt, qui de cordis synceritate præsumunt.*

1035. *Sol, & luna præfecturas agere cur dicantur.* Gen. 1. S. Chrysost.

Sol & luna præfecturas agere dicuntur, quia ille diem suo lumine facit, hæc noctis tenebras quantum potest discutit; sic Genes. sol præesse diei dicitur, luna nocti. Sanctus Chrysostomus hom. 6. in Gen. 1. huc spectans, ait: *Quid est in* PRÆFECTURAS DIEI, ET IN PRÆFECTURAS NOCTIS, *hoc est, ut* SOL DIEM *suis radiis clariorem reddat*, LUNA *autem* DISPELLAT TENEBRAS; in hoc dominium suum hæc duo luminaria ostendunt, quòd lumen suum cæteris impertiunt; ut hinc Reges, & uniuersè uniuersi superiores muneantur, sui muneris esse, cæteros sibi subditos virtutis, & qualitatis luce perfundere.

Regius sol si eclipsim ob aliquem defectum patiatur, suorum oculos ad se trahit.

Alioquin si lumen non emittant, statim in se aliorum oculos rapuisset, quin & linguas, quòd à munere suo abeant; ita sol cùm eclipsim patitur, oculos mortalium prouocat, prouocat & luna; non aliter & Princeps, ac superior. Peccauit qui aliis præest? suorum oculos in se coniiciendos statim credat.

Mali consiliarij regij Solis lumen plerunque tegunt. Nicet.

Plerunque & mali consiliarij regij Solis lumen suis tenebris abscondunt; huc flecti potest, quod habet Nicetas Choniates lib. 1. in Andronico, ubi de malis consiliariis loquens, ait: *Per quos ut à nube sol abscondebatur, ministro quam Imperatori similior, cùm ea faceret, ac iuberet, quæ præcepteres videbant*; sic plerunque accidit, ut Regum consiliarij regiam obscurent virtutem, regiam mentem.

1036. *Cives stellæ dum ad dignitates vocantur.* Cassiod.

Sol princeps sit, cæteri stellas referant, stellæ quædam sint; certè ciues omnes qui ad dignitatem euehuntur, stellas indigitat. Cassiodorus lib. 6. variarum 11. in hæc verba: *Constat felicem esse rempublicam, quæ multis ciuibus resplendet ornata. Nam sicut cælum stellis redditur clarum, sic* RELUCENT URBES LUMINE DIGNITATUM. *Non quia fiat homo alter honoribus, sed quia modestior efficitur, à quo conuersationis ordo melior postulatur.*

Solis nomen Rex sustinet maximè ob munificentiā, & liberalitatem. Cassiodorus.

Porrò Solis nomen tunc maximè rex sustinet, cùm liberalitatis radios, & beneficentiæ lumen in omnes cumulatè spargit. Peritè Cassiodorus lib. 8. var. 23. *Licèt munificentiam regiam quotidie deceat cum sole relucere, & iugiter aliquid facere quò possit largitas Principis apparere*; non negat suos radios sol, non negat qui verè Princeps, & Rex beneficentiæ,

Agapetus.

centiæ, & largitatis suæ lumen. Audiendus Agapetus Diaconos, qui in capitibus parænetics ad Iustinianum Imperatorem, ita scribit: Ἡλίου μὲν ἔργον ἐστὶ, τὸ καταλάμπειν ταῖς ἀκτῖσι τὴν κτίσιν. ἄνακτος δὲ ἀρετὴ τὸ ἐλεεῖν τοὺς δεομένους· κρείττων δὲ φανότερος, ὁ εὐσεβὴς βασιλεύς. ὁ μὲν γὰρ ὑποχωρεῖ τῇ διαδοχῇ τῆς νυκτός. ὁ δὲ οὐ παραχωρεῖ τῇ συναρπαγῇ τῶν κακῶν, ἀλλὰ τῷ φωτὶ τῆς ἀληθείας ἐξελέγχει τὰ κρυπτὰ τῆς ἀδικίας. id est, SOLIS *profectò partes sunt illustrare radiis orbem. Principis verò virtus est egenorum misereri. Porrò* ILLO CLARIOR EST IMPERATOR, *qui pius est. Ille namque cedit succedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non cecedit, indulgétve quicquam, sed lumine veritatus, iniquitatis occulta coarguit.*

Rex liberalis sole clarior.

Plato.

1037. Vides solem, Regem, ac Principem esse, dum pius & liberalis est, imò & sole illustriorem, quippe qui noctem, aut tenebras auaritiæ nesciat, nunquam occultetur, semper beneficentiæ radios emittat. Vnde malus auctor non malè ex Platone dixit, Deus, vt pulcherrimum sui simulachrum in cœlo constituit solem: ita etiam inter homines euidentem, ac viuam sui collocauit imaginem Regem. At sole nihil communius, & cæteris item corporibus cœlestibus lucem sui impartitur. Ita etiam Princeps publicis vsibus maximè debet esse expositus, & natiuæ sapientiæ lumen habere domi, vt etiam si qui sæuitiant cæteri, nunquam tamen ipse hallucinetur.

Rex tanquam sol in munificentiæ operibus non fatigatur.

Non lassatur sol, cùm radios suos in terram spargit, terrã fouet; nec Rex à largitatis exercitio defatigari debet. Præclarè Synesius lib. de Rep. *Princeps cùm in bonis conferendis liberalitate sit præditus, tum* NIHILO MAGIS EA RE DEFATIGANDVS EST, QVAM SOL *suos in stirpes, atque animantia radios effundens: neque enim lucere laboriosum est ei, vtpote cuius in natura splendor, & fons ipse luminis continetur.*

Soli similis qui multis benefacit.

S. Greg. Naz.

1038. Vniuersè ille Soli similis, qui vt multis benefaciat, Solis instar voluitur, & circumit; hoc aduocari potest illud sancti Gregorij Nazianzeni epist. 92. *Et prima res est multis benefacere, etiamsi non sis loco firmiter affixus. Nisi etiam* SOLEM *accuset, quod radium spargens circumcurrit, & omnia viuificat, quæ accendit. Aut stellas non errantes laudet, planetas verò vituperet, quorum etiam error concinnus est.*

Principis tanquam Solis motum sequitur populus, vt Heliotropium.

Alph.

Sol princeps est, cuius mores sequitur populus, vt Heliotropium ad Solis cursum flectitur; hæc regia Alphonsi Regis mens; SICVT, inquit, HELIOTROPIVM AD MOTVM SOLIS VERTITVR, *sic populus in Principum mores vertitur, illisque conformatur*; addit non nemo: SICVT PRIMVM MOBILE OMNES COELOS RAPIT; ITA PRINCIPES CONVERTVNT INFERIORES AD SE, *& sicut si columna recta est, est etiam vmbra, sic qualis rector est, talis est & populus.*

Superior virtutum splendore cæteros debet obscurare.

S. Chrysost.

Tanto nitere virtutum splendore Rex, & superior quilibet debet, vt lumine suos cæteros obscuret, vt sol stellas; eximiè sanctus Chrysostomus hom. 10. in epist. 1. ad Timoth. ad illa verba: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*; ait enim: *Eum, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt* INSTAR SOLIS CÆTEROS VELVTI STELLARVM IGNICVLOS, IN SVO FVLGORE OBSCVRET. *Debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam, veluti in exemplar aliquod excellens intueantur.*

1039. Ægrè Solis munus obeat Princeps ignorantiæ tenebris obsusus, & insipientiæ nubibus tectus, non poterit tanquam lux aliis affulgere chimæris ipse tenebris inuolutus, hinc sol, ac Mercurius præ cæteris planetis propinqui in cœlesti circuitu comites inuicem sunt, vt videlicet quicunque solem syderum Dominum viderint, absque sapiente Mercurio in cœlo nunquam incedere, planè intelligant, & in terris potentiam, atque dominationem, nunquam absque sapientia vel concedi debere, vel concessam diu posse regnare.

Poli vicinus Mercurius, & Regi eloquentia, atque doctrina.

Illud addo, quòd sicuti Solis influxu, ac lumine terra fit fœcunda, floret, parturit fructus, bonis omnibus abundat; istuc idem potest in Reipublicæ humo Principis, & Regis sol, eius enim clementia tanquam radiis omnia fouentur, & tempestiui virtutum fructus exoriuntur; digna sunt quæ huc vocentur Senecæ verba in lib. de clementia, vbi ita scribit: *Sub clementi Principe iustitia, pax, pudicitia, seueritas, dignitas* FLORENT. opulenta ciuitas copia bonorum omnium abundat, & agri in mores felicioris vberes prouentus reddit, nimirum quia ciuitas clementia Principis, *seu sole quodam* propitio confouetur; sic enim doctus quidam hæc Senecæ verba accepit, & illustrauit.

Regij Solis influxu virtutes in subditis foueantur.

Seneca.

Solis, & lunæ in morem Rex, & superior sua non quærat, sed suorum vtilitatem.

Gen. 1.

Oleast.

A sole verò discere etiam illud Princeps, & superior debet, vt non sua quærat, nec suam vtilitatem spectet, sed subiecti populi, sic cœlestia luminaria terræ deseruiunt. Audiamus quàm id vtiliter monuerit Oleaster in cap. 1. Gen. sic enim scribit: *Diuidant*, inquit, *diem a nocte, & sint in signa, tempora, dies, & annos, & illuminent terram. Vbi vides quot, & quanta terræ luminaria præstent ministeria nihil lucri ex ea sperantes, neque dedignatur, cùm tam sublimia corpora sint, tam lucida, tam pulchra infimo elemento, terræ scilicet tot præstare ministeria. Quo exemplo* DOCENTVR PRINCIPES, *nobiles, & sublimes inferioribus cùm opus est* MINISTRARE ABSQVE VLLA LVCRI, ABSQVE VLLA VTILITATIS SPE. Sordidi istuc esset animi, non regij.

Sol vt refert Paulus.

S. Chrysost.

Huiusmodi sol erat Gentium ille magnus Apostolus Paulus, de ipso enim ita loquitur Beatus Chrysostomus serm. in epist. ad Philippenses: 1040.
Pulchrior hic Solis lumine splendidiores emisit fulgores, latos effudit radios. Quantum hic nobis peperit fructum non spicas pinguefaciens, aut arbores nutriens, sed ipsum pietatis fructum & procreans, & ad vigorem adducens, & eos qui considebant assiduè recreans. Nam hic quidem sol quod semel in arborum fructibus computruerit restituere nequaquam potest. Paulus autem eos etiam, qui sexcenta vlcera ex peccatis habebant, ad vitam reuocauit. Hic de sublimi loco dum fertur radios deorsum emittit. PAVLVS VERO DE INFERO LOCO EXORIENS NON COELI, AC TERRÆ DIMIDIVM LVMINE COMPLEVIT, SED SIMVLATQVE OS APERVIT, ANGELOS ETIAM IPSOS MAGNA RESPERSIT VOLVPTATE. Hæc de Paulo Pauli cultor, & eximius laudator Chrysostomus, Solis munere fungebatur Apostolus, sua tamen non quærebat, sed aliorum vtilitatem. *Siue mente*, inquit, *excedimus Deo, siue sobrij sumus*, VOBIS; obliuiscitur sui, dum se quodammodo partitur, mente Deo excedit, sobrius fratribus est, sed nihil sibi; sic superiores Soli erunt similes, si in aliorum vtilitatem, commodúmque versantur, non suum. 1041.

Nobis Paulus laborat, oblitus sui.

2. Cor. 5. 13.

Subditorum causa subire pericula superior non timeat.

S. Ambr.

Lucem refert Rex, & iustitiæ splendore fulget, si aliis potius natus, quàm sibi alienæ salutis causa vitam prodigit suam, nec subire timet pericula, vt subditorum litet commodis; hac laude insignis Moses fuit, de quo ita scribit sanctus Ambrosius lib. 1.

lib. 1. offic. cap. 18. *Sanctus Moyses pro populo patria bella suscipere grauia non reformidauit, nec Regis potentissimi trepidauit arma, nec barbaricæ immanitatis, expauit feraciam, sed abiecit salutem suam, vt plebi libertatem redderet.* Addit de iustitiæ splendore; *Magnus itaque iustitiæ splendor, quæ* ALIIS *potius* NATA, QVAM SIBI, *communitatem, & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, vt suo iudicio omnia subiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat,* PERICVLA SVSCIPIAT ALIENA. Hanc mentem si superiot circumferat, veri superioris munus exercebit.

Iustitia aliis nata, nō sibi.

Suum hoc superiot putet sua non quærere, sed suorum commodis labotare, docuit istue exemplo suo Iosue Mosis discipulus, & imitaror, nam cùm terras aliis distribuisset, nihil sibi ipsi retinuit, Ios. 19. *Docens eos*, inquit Theodoretus quæst. 17. in Iosue, *qui in aliquo magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed* VTILITATI SVBDITORVM INSERVIRE DEBERE; ab hoc charactere, vt multi abeunt, sic & veri superioris nota destituuntur.

Sua commoda non quærat superior, sed suorum.

Ios. 19.
Theod.

Chtisti aduentum promittens Deus, ita loquitur pet Zachatiam, cap. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi*; signatè, *tuus*, dixit, & *tibi*, vt innuetet verè regiam mentem allaturum, cùm Rex sua quærere non debeat, sed quæ ad suorum commodum, vtilitatémque pertineat. Adpositè Oleaster in cap. 5. Isaiæ: *Cùm Dominus Messiam suum esset in orbem missurus, ciuitati suæ per Zachariam nunciauit, dicens, Ecce rex tuus venit tibi: dicit* TVVS: *quoniam nouerat esse Reges qui non sunt populi, sed sui, qui scilicet in omnibus quærunt quæ sua sunt, non quæ ciuium.*

Verus Rex non squærit, quæ sua sunt, suorum saluti intentus.

Zach. 9. 9.
Oleast.

Proba hæc probi Regis consignatio, cui se Reges omnes, omnes superiores deberent conformare.

EXCVRSVS CLXVI.

Totus oculus in suos esse Rex, esse superior debet.

Totus oculus *esse debet, qui præfecturam exercet.*
Princeps, & Rex oculi *nomine circumscribitur.*
Innumeros oculos *habeat, qui aliis præsidet.*
Oculi *munus qui exercet, lippitudine non laboret.*
Sexcentis oculis *sit præditus superior.*
Regis oculus *satrapæ dicebantur.*
A Rege fugiat, *qui longè à Rege.*
Oculata virga *Regis symbolum.*
Oculatissimus *gubernantis oculus.*
Subditorum peccata *timere tanquam sua qui regit debet.*
Lex *Regis Hieroglyphicum ob vigilantiam.*
Leonis, *&* Regis *nexus.*
Leo apertis oculis *dormire perhibetur, idem præstet qui aliis præest.*
Persarum Reges, vt excitarentur.
More Endymionis *stertere Reges non debent.*
Iacobi *in gregem vigilantia in exemplum præsulibus oblata.*
Regum in suos prouidentia, *&* vigilantia.
Grues *referre ob vigilantiam superiores debent.*
Spiritualia curare *superior debet, non terrenorum cura moueri.*

ITa est, totus oculus esse debet, qui aliis præest, 1042.
Argus superior est, vt omnia lustret; præclarè Theophylactus epist. 7. *Ergo quia hominū præfecturam nuper adeptus es, etiam animum tuum, bene affectum quidem oportere, vbique ad omnia aptè constari, & colligi, &* PLVRIBVS OCVLIS TE OMNIA INTVERI, *quàm oculatus ille Argus bouem, eius fidei, & custodiæ commissam. In his autem hæc fabula id præcipuè innuit, scilicet, ne latenter vllum flagitium, facinúsque vllum, suum ipsius typum in tuam ingenuam animam obsignet.*

Totus oculus esse debet, qui præfecturam exercet.
Theoph.

Princeps esse non viderur, qui totus oculus non est, vt non ab re oculotum nomine superiores in sacris litteris significentur. Isa. 29. 10. *Claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes vestros*; posteriora verba priorum sunt exegetica; scitè Oleaster hîc: *Clausit oculos vestros ne scilicet videretis, quæ vobis dicebantur expedientia ad salutem, & quasi panno operuit Prophetas vestros, & Principes vestros, ne viderint quæ vobis conueniunt.* in morali annotatione rem luculentiùs versat, dum ait: *Habes hîc, quomodo Dominus cùm communitatem aliquam punire vult, operiat* OCVLOS EORVM, *qui illi videre possunt, scilicet* OCVLOS PROPHETARVM, ET PRINCIPVM. *duplici oculo eget communitas, vt benè gubernetur, scilicet Propheta, qui sibi videat ea, quæ ad Deum pertinent: & Principis, qui videat quæ ad bonum reipublicæ regimen expediat.*

Princeps, & Rex oculi nomine circumscribitur.
Isa. 29. 10.
Oleast.

Oculos ex omni parte habere debet, qui alio- 1043.
rum custos, & rector est, vt Argum teferat. Apostolus *sobrium* Episcopum reqoitebat 1. Tim. cap. 3. Græcè habemus νηφάλιον, quæ vox & sobrium, & vigilantem significar, quod ad nostram menrem sic expendebat sanctus Chrysostomus ad illum locum: *Sobrium atque vigilantem dixit, hoc est, clarissima mentis acie præditum,* INNVMEROSQVE HABENTEM OMNI EX PARTE OCVLOS, *quibus acutissimè cuncta prospiciat, sunt quippe plura, quæ incidant, & mentis hebetent aciem, portæ concupiscentiæ, quotidiana cura, rerúmque perturbatio, & plurima id genus vndique imminent; vigilantem igitur esse necesse est illum, qui non tantùm sui curam habet, verùm etiam reliquorum.* O hæc illorum mentibus insiderent, qui alios regunt!

Innumeros oculos habeat qui aliis præsidet.
1. Tim. 3.

Oculotum munus in Ecclesiæ corpore Præsules, & Ptincipes exetcent, vt per ipsos membra cætera ducerentur; non etgo se sinant terta vitiorum caligine obsideri. Prææclatè sanctus Ambrosius de sacerdotali dignitate, cap. 6. aduersùm quendam Principem inuehens, ait enim: *Oculorum in corpore officium voluntarius appetisti, vt reliquum per te corpus ducatum lucis haberet, & nunc quoddam lippitudine, & caligine vitiorum obtenebratus, nec te ipsum luci idoneum præbes, & aliis adimis lumen*; & in Episcopum calamum dirigens; *Si Episcopus*, inquit, *qui videbatur subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra?* & sanctus Chrysostomus lib. de Sacerd. *Multa pastoris opus est diligentia, sexcentis etiam*, vt ita dicam, *oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumspicere possit.* Incertus Poëta apud Interp. Eurip. Argum vocat [illegible], hic contrà Episcopus Argus esse deber.

Oculi munus qui exercet lippitudine non laboret.
S. Ambr.

Sexcentis oculis sit præditus superior.
S. Chrysost.

Ad prouidentiam, & sollicitudinem, quam probus 1044.

Regis oculus Satrapa dicebantur. bus Princeps, ac Rex in suos habere deher, adeò oculi vsus necessarius putabatur apud antiquos, vt non solùm ipsum Regem totum oculeum requirerent, & magis quàm Argus oculatum, sed insuper aliquos viros ei tribuerent, qui oculi munus obirent, Regisque oculi dicerentur; sic appellabantur Satrapæ, per quos omnia Rex ipse spe-
Suid. ctaret. Suid. cent. 11. Prou. 52. ὀφθαλμὸς βασιλέως. οὕτως ἐκάλουν τοὺς σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ, ὡς βασιλέως ὦτα τοὺς ὠτακουστὰς, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστου πανταχοῦ. id est, *Oculus Regis. Ita vocarunt Satrapas, per quos omnia Rex spectaret: sicut Regis aures, delatores, per quos audiret omnia, quæ ab vnoquoque agerentur. Talis apud Aristophanem ἐν ἀχαρν. Pseudartaba, ipsum enim Regis oculum appellat, quòd per eum Rex cognosceret quicquid ageretur*; sic
Aristoph. autem habet Aristophanus, καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν. Eadem ratione
Ioan. Tzetz. Ioannes Tzetzes in epistolis Nicephorum Seruilium, ὀφθαλμὸν γερουσίας σύνδουλον τῆς ἀρχῆς vocat.

Philostr. Hinc colligimus, quò respexerit Philostratus de vita Apollonij lib. 1. cap. 15. dum ait: *Satrapa autem huic custodiæ præfectus erat, ex iis vnus, qui* REGIS OCVLI *solent appellari.*

Hoc etiam nomine indigitati, qui ad Principatum regendum à summo Principe, ac Rege aliquo
Apostolius. mittebantur, sic explicat Apostolius cent. 5. Prou. 46. sic enim haber: βασιλέως ὀφθαλμός. τὸν ἐπὶ τινα ἀρχὴν πεμπόμενον οὕτως ἐκάλουν. id est, *Regius oculus. Ita vocabant qui ad Principatum quempiam regendum mittebatur.*

1045. *A Rege fugiat, qui longe à Rege.* 1. Reg. 21. 10. Ex his nodus ille solui non ineptè potest, qui in illis verbis existit, quæ 1. Reg. 21. v. 10. habentur. *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul.* In dubium enim aliqui vocant, cur cùm iam ante se Dauid à Saulis facie subduxisset, nunc ab eius facie dicatur fugere. Non displicet quod aliis placuit, id dictum, quia Regum multi sunt oculi, qui oculi censentur esse Regis, ibi Rex præsens quodammodo est. Vnde Dauid à Saule egressus adhuc à Saulis facie fugere dicitur, quia vbicunque foret, in Israëlis Regno Saulis occurrerent oculi, occurrerent aures, illi scilicet viri, qui omnia Regi quæ vidissent, aut inaudissent, deferrent.

Oculata virga Regis symbolum. Igitur, nec ipse Rex tamquam oculus, nec illi, qui apud Regem oculorum funguntur munere altè socordiæ indormire debent, vigiles isti oculi esse debent: vnde apud Ægyptios hieroglyphicè oculata virga, seu sceptro Rex significabatur, quippe vigilare deberet, & prouidus, ac oculatus in suos esse, quò aliqui vocant id quod habet Iere-
Ier. 1. 11. mias cap. 1. v. 11. *Virgam vigilantem ego video.*

Oculatissimus gubernatis oculus. Et multorum oculorum, & vigilantem Imperatorem facit Agapetus in paræneticis capitibus n. 2. ad modum gubernatoris, qui ne nauis aut fluctibus absorheatur, aut illidatur scopulis vigil esse
Agapetus. debet, non somno corripi; ait Agapetus: ὡς κυβερνήτης ἀγρυπνεῖ διὰ παντὸς ὁ τοῦ βασιλέως πολυόμματος νοῦς διακατέχων ἀσφαλῶς τοὺς τῆς εὐνομίας οἴακας, καὶ ἀπωθούμενος ἰσχυρῶς τοὺς τῆς ἀνομίας ῥύακας, ἵνα τὸ σκάφος τῆς παγκοσμίου πολιτείας μὴ περιπίπτῃ κύμασιν ἀδικίας. id est, *Ceu gubernator vigilat perpetuò Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tutò æquitatis clauos, atque expellens fortiter impetuosos iniquitatis fluctus, nec cymba mundana Reipublicæ illidatur, fluctibus iniquitatis.* πολυόμματος verò dicitur superior, & Imperator, id est, multorum oculorum, quia ad modum Argi, vt superiùs diximus, omnia ab omni parte intueri debet, omnia anteuertere discrimina ne ipse cum suis pereat. Cogitet Rex, ac Præsul subiectorum crimina con-

iunctis superiori, aut negligenti tribui, nec lu- *Subditorum peccata timere tanquam sua qui regit, debet.*
hebit altè socordiæ indormire. Ita cogitabat sapientissimus ille Rex Dauid, ideo sic Deum alloquebatur, *& ab alienis parce seruo tuo*, Psal. 18. Psal. 18.
Nouerat, inquit hîc Euthymius, Reges, *ac dominos obnoxios esse subditorum, & seruorum peccatis.* Euthym.

Leo Regis, ac Principis symbolum apud antiquos fuit; hoc autem leoni peculiare, quòd apertis oculis dormiat, vt videre, ac vigilare, etiam dormiens videatur, & ob id vigilantiæ hieroglyphicum habitus est. 1046. *Leo regis hieroglyphicum, ob vigilantiam.*

Hinc est, vt ædium sacratum vestilibus leones tanquam vigiles diuinorum custodes statuerentur, vt obseruant Pierius lib. 1. hieroglyphicon. Pierius.
Et in Templo Salomonis leones fuisse legimus 3. 3. Reg. 7.
Reg. cap. 7. Debet igitur Rex, ac Princeps perui-gil suorum custos esse, apertos oculos habere, non alto somno sepeliri; quid? quòd leonis nomine non semel Rex significatur in sacris litteris? Ieremias 2. 15. *Super eum rugient leones*, Chald. *Aduersus eum clamant Reges*; Isaiæ 35. 9. *Non erit ibi leo*. Chald. *Non erit ibi rex.* Ier. 4. 7. *Ascendit leo de cubili suo.* Chald. *Migrauit rex de arce sua.* Rex leonem referet, si suorum vtilitatem quærat, vt segnitiei nullus indormitet. *Leonis, & regis nexus.* Ier. 2. 15.

Et quidem vniuersim respiciens ad traditum leonis morem rectè monuit B. Petrus Damianus ep. 39. vt peruigiles semper oculos in domino haberemus, hæc eius verba: *Leo apertis oculis dormit, & tu sic quiesce sepositus à mundo, vt peruigiles semper oculos habere perseueres in Domino; sic dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hæc ille. *Leo apertis oculis dormire perhibetur; idem præstet, qui aliis præest.* B. Pet. Dam.

Proba in hanc rem, Persarum Regum cõsuetudo, qui vnum habere solebat cubicularium, cuius hæ partes essent vt manè Regem adiens, eum admoneret, vt surgeret, nec alto somno diutiùs sepeliretur. Rem habet Plutarchus ad Principem indoctum, sub his verbis. *Rex Persarum vnum habebat cubicularium, cuius hæ partes erant, vt manè ingrediens ad eum diceret, Surge Rex, ac cura ea quorum tibi Mesoromasdes imposuit curam.* Laudabile institutum, & dignum quod Reges omnes imitentur, paululum excitantis, & monentis cubicularij verbis immutatis ad hunc modum. Surge Rex, ac cura ea, quorum tibi Rex Regum curam imposuit. Vtinam quotidie hæc sibi dici quotidie Principes cogitarent, magis in suorum curam vigiles essent, non tam alto sopore stertetent, non tam supinè suorum subditorum res negligerent. Nec percelli ea nota possent, qua huiusmodi Reges premit Nicetas Choniates lib. de rebus Constantinopolis: *Cùm Imperatores*, inquit, *nostri ab ineunte ætate in vmbra, & otio educati, more Endymionis stertetent.* 1047. *Persarũ Reges, vt excitarentur.* Plut. *More Endymionis stertere Reges non debent.* Nicet. Chon.

Iacobi exemplo super ouium greges vigilantis ad vigilantias præsules inhortatur vigil præsul, & totus oculus. S. Chrysostomus hom. 2. ad populum his verbis: *Si Patriarcha Iacob pecudibus præpositus, & oues irrationales pascens, & homini rationes redditurus, & noctes ducebat insomnes, & æstu, & gelu, & omnem aëris intemperiem ferebat, vt nulla illarum pecudum periret: multò magis nos non irrationabilibus, sed spiritualibus ouibus præpositos, & non homini, sed Deo præsidentia huius rationes reddituros, ad* NIHIL TORPERE, *& tergiuersari oportet, quæ gregem iuuare possint.* *Iacobi in gregem vigilantia in exemplum Præsulibus.* S. Chrys.

Principis, & Præsulis in suos vigilantiã, & prouidentiam in hunc modum colligebat Oleaster in cap. 1. Isaiæ: *Voluit etiam Esaiam conterraneum, & conciuem eorum mala videre, & eos ipse etiam quasi futurorum malorum particeps, vehementiùs admoneret. Admoneatur hîc Reges & Principes, suarum vrbium* 1048. *Regum in suos prouidentia, & vigilãtia.* Oleast.

& regnorum mala VIDERE *antequam veniant. Sic prævidit Pharao venturam septem annorum famem.*

Grues referre ob vigilantiã superiores debent. Vgo Vict. Ad superiorum vigilantiam probandam flectebat Vgo Victorinus illud, quod de gruibus traditur, rem illius verbis dabo, sic enim ille scribit lib. 1. de bestiis, cap. 39. *Grues, quæ ad hoc eliguntur, vt pro aliis vigilent, in pede à terra suspenso lapillum tenent, timentes ne si qua earum dormiat, lapsus à pede lapillus cadat: si autem cadat, euigilans clamat. Lapis est Christus, pes mentis affectus. Sicut enim aliquis pedibus incedit, sic mens suis affectibus quasi pedibus ad optata tendit. Si quis igitur ad custodiam sui, vel fratrum vigilat, lapillum in pede, id est, Christum in mente portet. Illud autem summopere caueat, ne si in peccato dormiens, lapillus è pede decidat, id est, Christus à mente recedat.*

1049. *Spiritualia curare superior debet, nõ terrenarum cura moueri.* Possid. Præsules, & Episcopi omnem terrenarum rerum curam negligant, vt spiritualibus suorum profectibus vacent: in exemplum iuit S. Augustinus, qui nec claues quidem quibus res obserabantur, aut annulum, quo obsignabantur, tangebat. Ita de illo Possidonius cap. 24. in eius vita: *Nunquam,* inquit, *claues Augustinus, nunquam annulum in manum habebat, sed à domus præpositus cuncta & accepta, & erogata notabantur, magis illorum fidem sequens, quàm probatum, manifestatúmque cognoscens.* Audiant istuc, qui domesticas res nimium curant, rebus augendis student, suorum salutis penè obliti. Nihil turpius Episcopo est, quàm incumbere supellectili, ac substantiolæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, quotidianas expensas, *quotidiano*, vt loquitur S. Bernardus lib. 4. de consid. cap. 6. *reciprocare scrutinio, de pretio escarum, & numero panum, quotidianam cum ministris habere discussionem, continua verò Dominici gregis detrimenta nescire.* Sic ille. Digna verba quæ omnium Præsulum mentibus insideant. S. Bern.

EXCVRSVS CLXVII

Rex, & superior suorum Pater esse debet.

Princeps bonus à patre bono *non differt.*
Publici ciuitatum parentes *Principes sunt.*
אב *de* principe, *&* de patre.
Reges Patres *esse debent.*
Pater *de Principe.*
Publicus parens *Princeps.*
Velle bona *suis superior debet.*

1050. *Princeps bonus à patre bono non differt.* Chrysant. VT verè personam Regis, monúsque quis sustineat, ac imperantis, patris induere viscera debet, patris amorem adfectionémque Reipublicæ, & vniuersè ciuium pater sit, qui imperat, ita censuit etiam Chrysantas apud Xenophontem lib. 3. παιδ. initio, dum ait. ἀλλὰ πολλάκις μὲν δὴ ὦ ἄνδρες, καὶ ἄλλοτε κατενόησα ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ. οἵ τε γὰρ πατέρες προνοοῦσι τῶν παίδων ὅπως μήποτε αὐτοὺς τ' ἀγαθὰ ἐπιλείψῃ, Κῦρός τε μοι δοκεῖ νῦν συμβουλεύειν ἡμῖν ἀφ' ὧν μάλιστ' ἂν εὐδαιμονοῦντες διατελοῖμεν. id est, *Etiam aliàs sæpenumero animaduerti, Principem bonum à patre bono nihil differre. Nam &* PATRES *liberos prospiciunt, vt ne vnquam eos bona deficiant. Et Cyrus iam mihi videtur ea nobis consulere, de quibus felicitatem perpetuam maximè consequuturi simus.* Patres dicuntur, vt suorum saluti consulant.

Publici ciuitatũ parentes Principes sũt. Philo. Hic idem fuit eruditissimi Philonis sensus, qui lib. de creatione Principis, ita loquitur. *Sunt,* inquit, *Principes (vt verum fatear)* PVBLICI PARENTES CIVITATVM, *& gentium quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium;* contrà qui in subditorum detrimentum abutuntur potentia, nequaquam Principes, sed hostes appellandi sunt, cùm agant hostilia. Et qui pietate parentes esse deberent, sæuitia hostis nomen merentur.

Reges esse debent Patres, vt verè sint Reges. Iustin. lib. 15. *Lysimachus magno animo Regis* VELVTI PARENTIS *contumeliam tulit.* Xenophon Simocatta de Tiberio Principe illo, qui Iustino in Imp. Constantinop. successit, lib. 3. cap. 16. πατὴρ ἰδίων ἢ δεσπότης ὑπὸ τῶν ὑπηκόων ἀναγορεύεσθαι. id est, *Pater potiùs à suis subditis dici maluit, quam Dominus,* Chrysostom. orat. 12. βασιλεὺς μὲν κατὰ τὴν ἀρχὴν καὶ δύναμιν ὀνομαζόμενος. πατὴρ δὲ οἶμαι διά τε κηδεμονίαν, καὶ τὸ πρᾶον. id est, *Rex dicitur propter principatum, & potentiam: pater autem, vt puto, propter curam, & mansuetudinem.* Agasides hac mente aiebat, securum esse Regem, *si sic imperet suis quemadmodum pater imperat filiis.* 1051. *Reges Patres esse debent.* Iustin. Simocat. Chrysost.

Capitolinus in M. Antonium Philos. *In munere autem publico tam magnanimus fuit, vt centum leones vna missione simul exhiberet sagittis interfectos. Quum igitur in amore omnium imperasset, atque ab aliis, modò* PATER, *modò* FILIVS, *vt cuiusque ætas sinebat, & diceretur & amaretur, octauo decimo anno imperij sui, sexagesimo & primo vitæ diem vltimum clausit.* Capitol.

Ausonius Theodosium compellat, Auson.

Tu modò te iussisse PATER *Romane memento.*

Pollion in Diuo Claudio: *Claudi Auguste, te Resp. requirebat: (dictũ quadragies) Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu verò Princeps.* Pollion.

In sententiis Ethico-politicis,

A bono PARENTE *Princeps nil differt quàm nomine.* Vetus dictũ.

Pater Rex est, suósque regere debet, non secus ac paternam domum; scitè in eisdem sententiis Ethico-politicis,

Tanquam DOMVM PATERNAM *Rex suos regat.*

1052. *Pater de principe.* Isa 22. Chald. Oleast. Venio & ad nostros; quibus facem præfero per hæc quæ dixi Isaiæ 22. v. 21. hæc habentur: *Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem*; Chald. *Et erit in patrem,* id est, Princeps, ac Rex. Eruditè, & opportunè Oleaster hîc, *Erit,* inquit, *in patrem habitatori Ierusalem, & domi Iehudah ostendit nobis dominus hic, quales se debent Sacerdotes, & Principes patriæ exhibere, nempe patres, non tyrannos: vt scilicet quærant potius vtilitatem vrbis, & patriæ, quàm suam.*

אב *de principe, & de patre.* Quàm parentis nomen, ac pietas Principis propria sit, indicat etiam linguæ sanctæ consuetudo, quæ vno eodémque vocabulo Patrem, Principémque appellat, nam apud Hebræos אב, ita de Patre dicitur, vt etiam aliquando in sacris litteris ad Reges, & ad Principes extendatur; sic illustrantur ea verba, quæ 1. Reg. 12. habentur: *Si timueritis Dominũ, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & exacerbaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum: si autem non audieritis vocem Domini, sed exacerbaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.* Primo loco, Regis nomine vtitur, secundo, patris, quia patrum nomine, vt rectè obseruauit hic Caietanus, Reges appellat, qui quasi patres suorum prosperitatem, & vtilitatem prospicere debent. Hinc quod in Hebræo est, *& in patribus vestris*; vertit Marinus Brixianus, *in Principibus vestris*, & LXX. ad hanc mentem, ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν, *in Regem vestrum.* R. Dauid, *in Rege & magnatibus vestris.* Patres enim verè sunt qui alios regunt; & qui respublicas paternè curant. Hinc etiam 4. Reg. 5. v. 13. serui Naaman Dominum suum Patrem appellant. 1. Reg. 12. Marinus.

Pater,

Pater, inquiunt, *& si rem grandem dixisset tibi Propheta.*

1053. Elegans est in hanc rem Theodorici Regis dictum apud Cassiod 4.var. *Bene*, inquit, *principalis clementia suscipit, quos pietas paterna destituit, quia sub parente publico genitoris minimè sentiri debet amissio. Ad nos siquidem iure recurrit infantia destituta;* nouerat enim Principes publicos esse parentes, & eorum maximè, qui proprio genitore carerent.

Publicus parens Princeps. Theodor.

Premenda verò adhuc est Hebraici verbi vis; nam אב quod de parte, & Principe dicitur, deducitur à verbo אבה, quod desiderare, & velle significat, quia Pater, & Princeps velle, & cupere omnia debet, quæ liberis, aut subditis prosint, nihilque quod illis vtile, & proficuum esse possit, non desiderare, & perficere, si sit facultas, & toto desiderio ferri ad explenda, cumulandaque subditorum iusta desideria.

Velle bona suis superior debet.

Et quod ad Principem, & Imperatorem attinet, huc spectauit Agapetus Diaconus, in piis illis, & eruditis capitibus parænetics ad Iustinianum Imperatorem; sic enim scribit: Οὐδὲν οὕτως εὐδόκιμον ἐργάζεται ἄνθρωπον, ὡς δύνασθαι μὲν ἃ βούλεται πράττειν, ἀεὶ δὲ φιλάνθρωπα καὶ βούλεσθαι, καὶ πράττειν. ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ Θεοῦ κεχάρισταί σοι δύναμις ἧς ἐδεῖτο δι' ἡμᾶς ἡ ἀγαθή σου βούλησις, πάντα, καὶ θέλε, καὶ πράττε, ὡς ἀρέσκει τῷ ταύτην σοι δεδωκότι. id est, *Nulla res adeò commendabilem reddit hominem, vt posse quidem quæ velit efficere: semper autem humana & velle, & agere. Quoniam igitur à Deo tibi donata est facultas, qua indigebat propter nos bona tua voluntas, omnia & velis & agas, prout ei placet, qui eam tibi dedit.*

Agapetus.

EXCVRSVS CLXVIII.

Rex, ac Princeps vrbis murus, ciuium scutum, ac ciuitatis anima.

Rex firmus Reipublicæ murus.
Muri *Ecclesiæ Prælati.*
Dux amabilis patriæ murus.
Regia liberalitate veluti muro *regnum cingitur.*
Preces vrbium turres.
Principes suis scuti loco *deseruire debent.*
Turris *superiorum tuitio.*
Rex ciuitatis anima.
Vita spiritum *superior suis inhalare debet.*
Principis imperium in subditos, vt animæ *imperium in corpus esse debet.*
Regium est sui ipsius Regem esse.

1054. NOn ita firmis muris vrbs munitur, vt iusto, probóque Principe ciuitas. Huc eleganter aut vocauit, aut flexit Origenes Ieremiæ verba Thren. 2. v. 18. *Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion*; L X X. sic legunt, & partiuntur: ἐβόησε καρδία αὐτῶν πρὸς κύριον τείχη Σιὼν καταγάγετε ὡς χειμάρρους δάκρυα. *Clamauit cor meum ad Dominum; muri Sion deducite quasi torrentes lacrymas;* quæ verba sic explicat Origenes nouissimè editus: MVRVS *itaque hic est Rex, & Princeps, & quicunque potentes ciuitatum murorum instar muniebant: quos hortatur, vt inges pœnitentiæ lacbrymas fundant.* Hæc ille in catena Græca illius capitis.

Rex firmus Reipublicæ murus. Orig.

Muri præcipuè Ecclesiæ Præsules sunt; Isaiæ 60. *Et occupabit salus muros suos.* Oleaster, *Et vocabis sa-*

Muri Ecclesiæ Prælati. Isa. 60. Oleast.

Nonarini Adagia SS. Patr.

lutem muros tuos; addit ad explicatum; *id est,* PRÆLATOS, *quoniam te ab hoste defendent.*

Et verò clementia potius, ac beneficentia, quàm nimia seueritate muri munus sustinet Rex, & quilibet superior: *Dux enim*, inquit Ferandus reg. 7. *amabilis murus est Patriæ, qui verò continuato rigore metuendus apparet, omnes subditos facit infideles.* Liberalitate regnum, tamquam firmissimo muro cingitur, & munitur. Opportune nobis occurrit sæpè citatus Agapetus, qui num. 58. ita scribit in hanc rem. ἀκρόπολις μὲν ἀπορθήτοις τείχεσιν ἠσφαλισμένη καταφρονεῖ τῶν πολιορκούντων αὐτὴν πολεμίων, ἡ δ' ὁσία δὲ βασιλεία ὑμῶν, ἐλεημοσύναις τετειχισμένη, καὶ προσευχαῖς πεπυργωμένη, ἄτρωτος γίνεται τοῖς τῶν ἐχθρῶν βέλεσιν, ἀοίδιμα κατ' αὐτῶν ἐγείρουσα τρόπαια. id est, A R X *quidem indepopulabilibus* M V R I S *munita contemnit obsidentes se hostes. Pium autem vestrum Imperium quum & liberalitate erga miseros veluti muro cinctum, & precum turribus corroboratum sit, inuictum malisque hostium telis peruium fit, præclara, & celebria contra eos erigens trophæa.* Vbi obiter vides preces tanquam turres munitissimas vrbes, regnaque tueri.

Dux amabilis patriæ murus. Ferandus.

Regia liberalitate veluti muro regnum cingitur. Agap.

Preces vrbium turres.

Nec solùm ciuitatis murus Princeps beneficus esse debet, sed & cuiuslibet ciuis protector, & scutum, maximè verò infirmiorum, & pauperum, hos enim protectionis quæ scuto defendere à qualibet potentiorum iniuria debet. Hinc quod Psal. 46. v. 9. L X X. habent. τοῦ Θεοῦ οἱ κραταιοὶ, *Dei fortes terræ*, scilicet Principes, ac Duces; in Hebræo, *Domini sunt scuta terræ*, vt nempè scitent Principes, ac Reges suis pro scuto esse debere, vt eos ab omni periculo vindicent, & tueantur. Accipe doctissimi Agellij obseruationem in hanc rem, sic enim explicat, & illustrat citata Regij Prophetæ verba: *Quoniam Dei fortes terræ. Principes*, inquit, *terræ præcipuè Dei sunt, quia & ipse Principes facit, & in eius manu, & potestate animi eorum positi sunt.* Deinde paucis interiectis, sic pergit: *Itaque præclarè in Hebraico legimus, Domini sunt scuta terræ, vt etiam Aquila transtulit,* θυρεοὶ τῆς γῆς, *& quinta editio,* ὑπερασπισμοὶ τῆς γῆς, *protectiones terræ, id enim illis præcipuè incumbit, vt infirmioribus pro* SCVTO *sint, eosque defendant, & à potentiorum iniuria protegant. In quo munere propemodum cum Deo æquati sunt, & quodammodo Dij facti, vt in Psal. 81. legimus, Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Ideóque vehementer exaltati sunt, & gradum honoris Altissimum consecuti.* Similia habet in Psalm. 83. v. 8. ad illa verba, *Protector noster aspice Deus. In eo autem*, inquit, *quòd Reges* PROTECTORES, *&* ὑπερασπισταὶ *vocantur, intelligere possumus quódnam sit Regis officium, nempè potentia sua iuribus tanquam obiecto scuto populum tegere, & ab eo hostium, sceleratorúmque hominum tela depellere.* Audi Rex, ac Princeps quod munus obeas, quid à te Regium Diadema requirat, quid purpura à te exigat.

1055. *Principes suis scuti loco deseruire debēt.* Psal. 46. 9.

L X X.

Agell.

Psal. 83. 8.

Munitissimi præterea suorum turris regium nomen est. Huc vocandus Cassiodorus qui lib. 7. formula tuitionis 39. hæc habet: *Tuitionem tibi nostri nominis quasi validissimam* TVRRIM *contra inciuiles impetus, & conuentionalia detrimenta nostra concedit auctoritas.* 1056.

Turris superiorū tuitio. Cassiod.

Parum est Regem turrim suis, & murum esse, anima ciuitatis est, & totius Reipublicæ; iacet corpus exsangue decore omni, ac pulchritudine caret, si animam destituatur, non aliter subditi, ac ciues à probo Rege, ac Principe vitam decorémque mutuantur, alioquin nullus ferè viuidus virtutis color apparet, nullus probitatis decor, vbi superior exemplo suo vitā subiecto populo tanquā corpori

Rex ciuitatis anima.

Iustin. non tribuit. Iustinus Martyr quęst. 138. ad Orthod. *Sicut*, inquit, *homo ex* ANIMA, *& corpore constituitur, ita regnum ex* REGE, *& eis, qui reguntur, coagmentatur;* ita vt Rex animæ vices subeat, populus corporis, vt quo nobilior, excellentiórque corpore anima est, eò & Rex populi sit. Regem, & Imperatorem animam Reipublicæ esse censuit Nicephorus Gregoras, qui lib. 10. Hænia in obitum Imperatorum ita inclamat: *O communis Romanorum anima, quò tandem oblata es?* huc spectabat & Magnus Synesius epist. 31. Aureliano; εἰ τινὲς εἰσι ψυχαὶ τῶν πόλεων, ὥσπερ οὖν εἰσιν ἱερεῖς θεῖοι, καὶ δαιμόνιοι. id est, *Si vllæ sunt* CIVITATVM ANIMÆ, *vt verè sunt, præsides diuina, atque è geniorum numero.* Itaque spiritum Reipublicæ corpori inhalare Principes debent, viuiscit bono superioris exemplo subiecta plebs, quod si absit, cadauerosa facie ferè conspicitur. Huius rei figuram exhibuit Elisæus 4. *Reg.* 4. Cùm super demortuum viduæ filium incubuit, eúmque vitæ restituit, quod baculo eius seruus efficere nequiuerat. Superior enim & Apostolicus vir, ac Præses vigil demittere sese debet ad suorum infirmitatem, vt eos meliori vitæ restituat.

Niceph. Gr.

Synes.

Vita spiritum superior suis inhalare debet.

4 Reg 4.

1057. *Principis imperiũ in subditos, vt animæ imperium in corpus esse debet.*

Æglid.

Ægrè animæ munus obeat Princeps, ac superior, si languidus ipse iaceat, nec poterit vitam iacenti populo tribuere si vitiis ipse mortuus iaceat, si libidinibus, ac voluptatibus seruiat, in ipsóque nõ animus, sed corpus dominetur sit Princeps tanquam caput languidum, populum tanquam cor mœrere consequens est. Verè Ægydius de regimine Principis, dixit: *Quia Principis officium, ac munus est, ita regnum gubernare, ac præsidere, sicut corpori præsidet anima, qui autem sic se gerit, vt in ipso animus iaceat, corpus autem principetur, præstantissimo optimæ administrationis exemplari caret, & tyrannidis exemplum præstò habet. Nam corporis in animam principatus tyrannus est, atque tyrannidis exemplar.* Hæc ille, digna verba, quæ altè Regum, & superiorum mentibus insideant. Adiicio nobilis auctoris nobile dictum, & definio. Magnus Synesius ita de Regis moribus censuit, *Illud profectò primarium, ac summè Regium est, sui ipsius Regem esse, mentémque domesticæ belluæ quasi moderatricem præficere, neque cùm infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimis dominis seruire, voluptati, dolori, & quæcunque his affines belluæ suum in animali domicilium habent.*

Regium est, sui ipsius regem esse.

Synes.

EXCVRSVS CLXIX.

Superior suorum exemplar, recta subditorum regula, & amussis probæ vitæ speculum, probitatis simulachrum.

Facilè *inferior facit, quod fieri à superiori videt.*
Regis exemplum *quàm efficax.*
Si sapiant Reges, *sapient & qui* reguntur.
Leui brachio plebs flectitur *si Princeps præeat.*
Alacres ad bonum *esse Principes debent.*
Principum promptitudo *ad bonum verba laudata.*
Firmior inferioris status *si Princeps non deiiciatur.*
Superior recta suorum regula.
Princeps pius & bonus à malo *suos auocat.*
Imperantis vita quantam vim in subditos habeat.
Superiorum facta ad paria *inferiores cogunt.*
Fermento *Principes cur comparati.*
Ieiunans *Rex* ieiuniũ *aliis facilè persuadet.*
Iusti, *&* Principis *nexus.*
Melior *de proceribus.*
Sacri Præsules amussis *spiritualis.*
Principis mores aliorum pharmacum.
Superior suorum speculum.
Tetrum speculum *minimè Episcopus sit.*
Populorum scopus *populi moderatores.*
Præsules vera virtutis simulachrum.
Mali quoque Reges coli *à subditis debent, & honorari.*
Sacri Præsules quanta reuerentia *exciperentur.*

QVi superior dignitate aliis est, debet esse & vita, ne infra illos manibus sit, supra quos est officio; Rex comparatione priuati hominis est veluti exemplar, & regula, ad cuius vitæ, & operum normam se subditi componunt, & conformant, & velut vmbra corpus sequuntur, ab ipso corpore motum, figurámque habentes; itaque si probus sit Rex, multos habebit imitatores, habebit quoque si malus; *nam facilè facit inferior*, inquit sanctus Ambrosius in cap. 1. epist. ad Romanos, *quod fieri viderit à potiore.* 1058.

Facilè inferior facit, quod fieri à superiore videt.

S. Ambros.

Altè inclamat imperantis vita, imperantis verbum moribus animatum; B. Thomæ à Villanoua hæc sunt verba conc. in Dom. 19. post Pentecost. *O magnus prædicator Rex, plus proficit verbo, & exemplo, quam omnes mundi prædicatores;* Vuldramus ad Salomonem Episcopum scribens, ait:

Regis exemplum quàm efficax.

B. Thom.

TALIS *erit populus,* QVALEM *te viderit esse.*

Propheta regius Ps. 2. cùm Gentes populósque arguisset, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania;* in calce sermonem ad Reges coërcens, *& nunc Reges*, inquit, *intelligite, erudimini qui iudicatis terram;* cùm hos tantùm alloquitur, & non etiã populos? An quia sciebat, cùm qui regunt resipiscunt, & ad bonum prouocantur, resipiscere, & ad bonum prouocari qui reguntur? Ideirco ait Nicephorus in catena Græc. *Cùm Reges, & Principes admonet, populos quoque ipsi subiectos admonet;* & S. Cyrillus in eadem catena ad eadem verba; *Cùm qui regnant sapiant, & illi quoque sapiunt qui reguntur;* vt Reges monere, sit monere & eos qui sub Regibus sunt, cùm ex illorum emendatione istorum emendatio pendeat.

Si sapiant Reges, sapient & qui regũtur.

Psalm. 2.

Niceph.

S. Cyrill.

Leui brachio eo plebs flectetur, quo eam imperantis exemplum vocat; hinc & Moses Deut. 32. 1. *Audite*, inquit, *cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei;* imperantes alloquens imperantis modo vtitur, subiectos prædicentis; ex Hebraico fonte apparet, ac si innueret, auditurum facilè Dei verbo populum, si audiant Reges, qui cœli nomine significantur. Acutè noster Agellius in huius Cantici commentario: *Cæterùm illud subtilius exquiritur in Hebræo cùm sit, Audite cœli, postea non imperantis modo, sed prædicentis adiungi, Audiet terra verba oris mei, videtur enim consequentiùs dici debuisse, Audiat terra, sed apparet illum significare voluisse si cœlum ac Principes audierint eius verba, proculdubio futurum, vt eadem populus quoque audiat, ideóque curasse vt illi ad se conuenirent, quorum attentio, & auditio ad alios quoque perueniret.* 1059.

Leui brachio plebs flectitur si Princeps præeat.

Deut. 32. 1.

Agell.

Hine

Alacres ad bonum esse Principes debent. Num. 10.

Hinc alacres ad bonum esse debent Reges, vt ad paria exemplo suo alios prouocent. nou caret mysterio, quod habetur Num. 10. de tubarum vsu: *Si semel clangueris, venient ad te Principes*, neque enim signate, *semel* dictum, vt qui super alios sunt, ab aliis in alacritate non superentur, *Principes*, inquit hic Isidorus Clarius, *alacriores semper esse debent, neque repetita monita expectare*; & sanctus Cyrillus Alex. in collectaneis, cap. 7. *Populus duabus vocatur*, MVLTA *enim exhortatione, & admonitione opus habet, at maiores Duces vna*, id est, MODICA *oratione corrigente.*

Isid. Clar.

S. Cyrill. Al.

Principum promptitudo ad bonum verba laudata. Num 7. 2. Oleast.

Hanc alacritatem in Principibus commendauit Moses Num. 7. v. 2. *Obtulerunt*, inquit, *Principes Israël*; ante alios obtulerunt qui super alios erant. Oleaster ad hæc, *Considera etiam hic* PRINCIPES *oblationes incœpisse Domino offerre, nunc verò illi cæteris posteriores, & negligentiores sunt*; nollem hac nota nostri æui Principes laborare, nollem à suis in bonorum operũ, diuinique cultus alacritate vinci.

1060. *Firmior inferiorũ status si Princeps non deficiatur.* Luc. 22.

Porrò explicari non potest, quanti referat ea in Principe reperiri, quæ insidere inferioribus cupimus. rectè hoc innuit Christus, cùm stare omnes in fide volens, pro vnius Petri stabilitate orat: *Ego*, inquit, *rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Luc. 22. 32. Omnes Diabolus suis tentationibus petebat, imminebat omnibus à Satanæ insidiis. non leue periculum, pro solo tamen Petro rogat, qui superiores iuuerit etiam in cæteros resilit, & firmiores stant subditi, si ille non cadat, qui præest. Appositè sanctus Leo serm. 3. de anniuers. *Commune erat Apostolis omnibus periculum de tentationis formidine, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino cura* PETRI *suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens* PRINCIPIS *victa non fuerit. Stat facilè populus si stet Princeps, & sub iacente iacet.*

S. Leo.

Superior vestra suorum regula. Plut.

Itaque qui aliis præest, aliorum regula se futurum sciat, qua praua, quæ in vulgò corriguntur; scitè Plutarchus lib. ad Principem indoctum. *Sicut* REGVLA *oportet sit ipsa recta, non obliqua, quò cætera dirigat adæquans illa, quæ ei cohærent, & adiunguntur; perinde Princeps constituat oportet primùm se ipsum, ac dirigat Imperium, moresque componat, deinde accommodet sibi populares suos, neque enim labentis est erigere, nec erudire rudis.* Hæc Plutarchus. Ægrè alios regere Princeps poterit, nisi sui ipsius sit rector; vitam ad Principis mores hominum vulgus corrigat, non contrà.

1061. *Princeps pius, & bonus à malo suos auocat.*

Meritò verò in hac regula exigitur, vt recta sit, prauitas omnis, & obliquitas damnatur, nam qui ad rectitudinem subiectos populos Princeps vocet, obliquus ipse à rectóque virtutis itinere deflectens? sit amussis obliqua ædificium, quod per ipsam erigitur, obliquum æquè futurum esse negabit nullus; idem & in populo fieri cense, si Princeps, ad cuius exemplum componitur orbis, obliquè incedat. Hoc firme ex illo fulciri potest, quod in Hebræorum populo contigisse obseruo, nam, vt traditur in cap. 24. Iosue v. 31. seruiuit Israël Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum qui longo vixerant tempore post Iosue, sed post eorum obitum ad impietatem, & idololatriam defluxere. Quod ad Rectoris Principis pietatem refert Theodoretus quæst. 19. in Iosue, dum hæc verba expenderet. sic enim ait: *Cæterùm quantum conferat* PRINCEPS *pius, & amans Dei, perspicuum facit historia. Seruiuit enim, ait, Israël Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat Israëli, ac post obitum eorum declinauerunt ad impietatem.* Labitur cum labente Principe populus, qui cum stante stare solet. Præclarè Egesippus lib. 2. de excidio Ierosol. c. 5. *Sicut boni Principis vita probitatis quædam præscriptio, & per vniuersos viuendi forma est; ita Imperatoris colluuio, lex flagitiorum est.*

Iosu. 24. 31.

Theodor.

Imperantis vita quantã vim in subditos habeat. Egesipp.

Et verò quantum Principis, & superioris exemplum in subditorum animis possit, colligi etiam potest ex illis verbis, quæ habuit Angelus ad Loth Gen. 19. v. 17. *Noli*, inquit, *respicere post tergum*; cur Loth solùm hoc præcipitur, non & aliis? scilicet si Loth ipse Pater, ac superior retrò respexisset, alios ad idem crimen suo exemplo inegisset; tantas vires habet in subditorum mente, quod agit superior; sic explicat idem Caietanus Apostoli verba ad Galat. 2. qui de Beato Petro dixit, *Quomodo Gentes cogis iudaizare. Cogis*, inquit, *exemplo facti tui, facta enim superiorum non tam inuitant, quàm cogunt subditos ad imitationem.* Et de Principe ille prophanus, *Hæc conditio Principum, vt quicquid faciant præcipere videantur, mores suos in ciuitatem infundunt, cogunt dum faciunt.* Rectè Seneca in Thyest.

1062.

Gen. 19. 7. *Superiorum facta ad paria inferiores cogunt.*

Caiet. Galat. 2.

Seneca.

REX *velit honesta, nemo non eadem volet.*

Moribus suis vniuersam Rempublicam Principes sibi assimilant.

Iure eos FERMENTO comparat Basilius Imperator, dum scribit ad Leonem filium, quia sicut *fermentum* totam conspersionem ad saporem suum conuertit, ita etiam Principum, & superiorum mores subditos ad se transferunt, in séque conuertũt.

Fermento Principes cur comparati. Basil.

Hanc vim nouit etiam Niniuitarum Rex, qui vt tota ciuitas ieiunaret, ageretque pœnitentiam, prior ipse ieiunat, & se affligit, ægre id factura, si Rex deliciis difflueret; quod optimè expendit sanctus Maximus hom. de Litaniis, dum de Rege loquens, sic ait: PRIMVS *planè inuigilat, quia vt* TOTA CIVITAS *ieiunaret, famem sibi Rex primus indixit.*

1063. *Ieiunanti Rege ieiunium aliis facilè persuadet.* S. Max.

Adeò verò propria Principum rectitudo est, & iusta virtutis regula, vt in sacris litteris iustus de Principe absolutè dicatur. Hinc Prou. 17. v. 26. vbi noster habet, *Non est bonum damnum inferre iusto, nec percutere Principem.* Chaldæus Paraphrastes vertit, *Mulctare iustum non est bonum, neque percutere iustos*, id est, Principes. quòd LXX. claritatis gratia addiderunt; itaque idem Princeps, ac iustus, vt intelligeret Princeps se tam falsè veri Principis nomen habere, quàm longè à iustitia exulat.

Iusti, & Principis nexus. Prou. 17. 26.

Chald.

Quin & apud externos scriptores melior dici de proceribus, & primariis solet, & de iis, qui aliis imperant, & præsunt. Sic Tacitus lib. 13. *Et commotus his Auitus, patienda* MELIORVM *imperia, id Diis, quos implorarent, placitum, vt arbitrium penes Romanos maneret.* Eodem sensu extulit etiam Otto Frising. lib. 2. cap. 20. dum ait: *Gladio exorto in meliorem, & nobiliorem omnium Rauennatensium manum misit.* Nempè melior esse debet, qui superior, tùmque proceris, ac primarij nomen merebitur, si probitate cæteris antistet. Sed ad amussim redeo.

Melior de proceribus. Tacitus OttoFrising.

Quod de Regibus, & Principibus diximus, eos regulam, & amussim esse debere, ad quam praua subditorum vita corrigatur, & ad æqualitatem eorum mores redigantur, id & de sacris Præsulibus potiori iure censendum est. Et quidem Vgo Carensis, eos perpendiculo comparat in c. 10. epist. 1. ad Cor. Quo nempè subditi defectus suos cognoscãt. Tales apud sanctum Gregorium Nazianzenum, Beati Basilius, & Gregorius Nyssenus; sic enim eos laudat epist. ad Greg. Nyssenum: *Ambo reliquit omnibus exemplum facti estis Philosophia,*

1064. *Sacri Præsules amussis spirituales.*

S Greg Naz.

& quasi perpendiculum quoddam spiritale, & AMVSSIS *tam modestia in prosperis, quàm constantia in aduersis.*

Principis mores aliorum pharmacum.

Multis obsidetur morbis subiectus populus, petenda ab imperantis vita medicina; nullum ferè præsentius pharmacum aduersùs populi infirmitates, quàm probum Principis exemplum, recta superioris vita opportuna est criminum medicina. Nec in superstite solùm hanc medicam, cum habenti iusti Principis mores, sed in posteros etiam. Quod egregiè docet Basilius Imperator ad Leonem filium, cap. 62. *Principis*, inquit, *innocentia, & boni mores, in multas ætates protenduntur, & memoriam nominis æternam transmittunt ad posteros. Quibus virtutem tuam æmulandam* QVASI PHARMACVM *aduersùs mala omnia relinques, eósque & laudatores, & imitatores tuæ administrationis etiam defunctus efficies.* Vide quam efficax aduersùs omnes morbos, atque languores iusti Principis sit exemplum, vt etiam in posteros vim suam exerat.

Basil.

1065. Suis se Præses, ac Princeps speculum exhibet, in quo probæ vitæ imago, & forma intuentium oculis obiiciatur, quam imitentur. Scitè Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio, cap. 3. *Est qui præest quasi* SPECVLVM QVODDAM, *in quo incipientes viuendi formam accipiunt.* Nec Apostolus aliud in Præsule quæsiuisse videtur, cùm ad Titum scripsit, cap. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* quæ verba sic illustrat sanctus Chrysostomus hom. 3. *Sit, inquit, omnibus doctrina, exemplóque virtutis tuæ* SPECVLVM VITÆ, *quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primitiua quadam imago omnia in se habens, quæ bona, atque honesta sunt.* ita sensit Beatus iste, & talis fuit. Comuntur ad speculum intuentes, in illud comi ornaríque debent, qui in superiorem oculos coniiciunt; sed ægrè speculi munus obeat, si teter, & obscurus aliqua felicitate sit. Præclarè Beatus Ambrosius de dignit. Sacerd. cap. 6. *Quid aliud*, inquit, *interpretatur Episcopus, quàm superinspector? maximè cùm solio in Ecclesia editiore sedeat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur te velut* TETRVM SPECVLVM *vniuersorum oculis demonstras, ita vt non possint obscuritate tua se comptius exornare.*

Superior suorum speculũ.
B. Laur. Iust.
Ad Tit. 2.
S. Chrysost.
Tetrum speculum minimè Episcopus sit.
S. Ambr.

1066. Illuc idem significatur cùm populi moderatores scopo comparantur, in quem intueantur, qui rectam vitam instituere cupiunt. hinc quod vulgatus habet Oseæ 9. v. 8. Speculator Ephraim. L X X. vertunt, σκοπὸς ἐφραίμ, *scopus Ephraim*; quam lectionem ita illustrat sanctus Cyrillus Alexandrinus hîc. *Solet diuina Scriptura scopos nominare præsides, & moderatores populi, & in sublimi dignitatum gradu collocatos, in quos intueatur, qui rectam, & inculpatam vitam degere velit.*

Populorum scopus populi moderatores.
Ose 9. 8.
S. Cyr. Alex.

Non longe abit sanctus Isidorus Pelusiota, qui Præsules veræ virtutis simulachrum esse debere censet, quòd intuentes singuli habeant quod imitentur, & ita moribus exprimant, quod in superiore viderint expressum. Huius Patris verba hæc sunt lib. 5. epist. 216. *Ij qui Episcopatum nacti sunt, non secus atque vniuersæ Philosophiæ* SIMVLACHRVM *spectandos sese præbere debent.*

Præsules veræ virtutis simulachrũ.
S. Isid. Pelus.

Sed cuinam basi inniti hoc simulachrum debet? Occurrit Magnus Synesius de Regno, & munus hoc pietati, ac Religioni tribuit; sic enim scribit: *Religio autem, & pietas firma in primis eius basis subiiciatur, in qua stabile, atque inconcussum* SIMVLACHRVM *persistet, nec vnquam basi firmiter insidens vlla vis tempestatis excutiat.* Reges, Principésque viri huic basi innitantur, nec facilè excuti poterunt, firmantur Religione, ac pietate Regna, & stabiliuntur, quæ impietate labuntur, & pereunt.

Synesius.

Illud hîc antequam finiam monuerim, probum esse Reges venerari, licèt ipsi probi non sint, mali Reges, mali qui imperant, & alios regunt, par tamen est eos ab imparibus honorari, à subditis coli; voluit hoc Deus, & vel in Pharaone ostendit, & Nabuchodonosor, cùm primò futuræ famis somnium immisit Gen. 41. Secundò concessit, vt in ignis fornacem, in quam tres Hebræorum pueri coniecti erant, intuens solus Angelum videret, filij Dei vultum præferentem, Dan. 3. Rem sic expendebat ad hanc mentem sanctus Augustinus lib. qq. ex veteri Testamento, quæst. 35. *Qua ratione David Saul, postquam Deus ab eo recessit, Christum Dominum vocat, & honorem deferri ei. Non nescius David diuinam esse traditionem in officio ordinis regalis; idcirco Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit, Dei enim imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi. Quandiu ergo in ea traditione est, honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem. Vnde Apostolus inquit, potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi a Deo. Quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt. Hinc est, vt gentilem, in potestatem tamen positum honorificamus, licèt ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens gratias agit Diabolo, potestas enim exigit, qui meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futura famis somnio reuelatum est, & Nabuchodonosor aliis secum assistentibus solus filium Dei vidit in camino ignis, non vtique merito suo, qui in dolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis;* honor in dignitatem residet, quo semper digna etiam in indigno possessore. 1067.

Mali quoque Reges coli à subditis debent, & honorari.
Dan. 3.
S. Aug.

Sacri Præsules tanta quandoque reuerentia excipiebantur, vt & duces nudis pedibus illis obuiam irent; factum id à Duce Poloniæ, eiúsque optimatibus cùm Othonem Episcopum reciperent; sic enim in actis sancti Othonis lib. 2. cap. 9 legitur: *Præterea Dux ipse, & omnes optimates Poloniæ quasi ducentis passibus ab vrbe Gnezna nudis pedibus procedentes cum magna susceptum reuerentia principalem vsque ad Ecclesiam conduxerunt.* O eadem hoc exemplum cæteris viris Principibus, virísque magnis mentem inhalarent!

Sacri Præsules quanta reuerentia exciperentur.
Acta.

EXCVRSVS CLXX.

Virtutis, & pietatis corona, Iustitiæ purpura, legis diuinæ sceptrum, vera veri Regis insignia.

Regis insignia scenæ *similia.*
Verus Regis ornatus, virtus, *&* philosophia.
Corona *regia* ex moribus *virtute excultis.*
Pietatis, & diuini cultus corona.
Castitatis corona, *iustitiæ* purpura.
Temperantiæ purpura.
Regum sceptrum *diuinæ legis custodia.*
Legis custodia *cum principatu vt cohæreat.*
Rex videns, *&* animata lex.
Vis *iustitiæ, & pietati subiecta.*
Rubri Regum calcei.
Superbiæ fastus *pedibus calcandus.*

Subiecta

Subiecta pedibus sphæra *cœlum se calcare mentiebantur Reges Persarum.*

Terreni honores vt fumus euanescunt.

מלך *quid, quid* כרם*, quid* חלם*; culminis, & verecundiæ nexus, honoris, & somny.*

1068. REgem Principémque hucusque descripsimus, & rudi dedimus penicillo, nunc potiora quædam eius insignia exhibemus, quæ illum melius ornent quam externa quæ vulgus miratur.

Regis insignia scenæ similia. S. Asterius.

Vera igitur Regis insignia censui, quæ præfixi, quia alia nuda rerum nomina, falsa, optimo rerum æstimatori censenda. Velum extimæ paraturæ aufer, & scenam conspicies, omniaque lusum oculis facientia. Hic fuit sancti Asterij sensus, hæc mens homil. de OEconomo iniquitatis; sic enim ait: *Quid autem, & quanti tota illa, quam obtinent Præsides,* SCENA *argenteum vehiculum, & virga aurea. Nihili si rectè iusteque æstimes.*

Verus Regis ornatus virtus, & Philosophia. S. Isid. Pelus.

Illustre Regij capitis Diadema, nobilis corona virtus, & pietas, Thronus, purpura, & diadema præ istis minimè splendent, & Regem ornant. Scitè sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 251. *Non opes,* inquit, *non pulchritudo, non robur, non facundia, aut splendorem omnem excedens dignitas, non Hypochrorum thronus, non* PVRPVRA, *non* DIADEMA *eos, qui hæc habent, perinde honestare solet, vt virtus ac Philosophia.*

Corona regia ex moribus virtute excultis. Basil.

Illa in Rege probanda corona est, quia verè & regia, quæ ex probis moribus texitur. Basilius Imperat. Constant. cap. 40. ita sentiebat, filium alloquens: *Iuuentutem tuam exorna non* CORONIS *ex ludicris certaminibus, aut corporum exercitatione quæsitis, sed* MORIBVS *virtute excultis;* aliam in Rege commendabat coronam sanctus Chrysostomus homil. 20. ad populum in hæc verba: *Nunc te contumelia affectum dicis, & pertulisse quæ nullus vnquam superiorum Regum. Sed si velis ô humanissime, & sapientissime, & multa pietate plene Diademate isto clariorem & maiorem tibi corona hæc afferet contumelia. Hoc nempe Diadema est, & virtutis insigne, & Dei liberalitatis indicium, sed corona ex hac humanitate contexta tuum solius erit, & sapientiæ tuæ meritum.*

S. Chrys.

1069. *Pietatis, & diuini cultus corona.* Agap.

Pietatis, cultúsque diuini corona commendauit in Rege Agapetus Diaconus in capitibus pæræneticis, dum ait, ὑπὲρ πάντα τῆς βασιλείας τὰ ἔνδοξα, τῆς εὐσεβείας τὸ στέμμα τὸν βασιλέα κοσμεῖ. ὁ γὰρ πλοῦτος ἀπέρχεται, καὶ ἡ δόξα μετέρχεται. τὸ δὲ κλέος τῆς ἐνθέου πολιτείας ἀθανάτοις αἰῶσι συμπαρεκτείνεται, καὶ λήθης ἐπέκεινα τοὺς ἔχοντας ἵστησι. id est, *Super omnia præclara, quæ regnum habet, pietatis cultúsque diuini* CORONA *Regem exornat. Diuitiæ namque euanescunt, & vulgi fauor & aura transit. Sola vita Deo placentis gloria immortalibus sæculis coextenditur, & trans obliuionis tenebras collocat possidentis.* Vehementer dignum Diadema istue, quod Regis caput ambiat, ac redimiat, vt Rex immortalis esse possit, & regnum minimè casurum indipisci. Rem idem Agapetus habet paucis verbis interiectis, dum laudaret Iustinianum Cæsarem; sic enim scribit.

Castitatis corona, iustitia purpura. Idem.

Βασιλέα σε κατ' ἀλήθειαν ὁρίζομαι, ὡς βασιλεύειν καὶ κρατεῖν τῶν ἡδονῶν δυνάμενον, καὶ τὸ στέφανον τῆς σωφροσύνης ἀναδησάμενον, καὶ τὴν πορφύραν τῆς δικαιοσύνης ἀμφιασάμενον. ἡ μὲν γὰρ ἄλλη ἐξουσία, τὸν θάνατον ἔχει διάδοχον. ἡ δὲ τοιαύτη βασιλεία, τὴν ἀθάνατον σώζει διαμονήν, καὶ ἡ μὲν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ λύεται. ἡ δὲ τῆς αἰωνίου κολάσεως ῥύεται. idest, *Te re vera Imperatorem asserimus, quippe qui, & imperare ac dominari voluptatibus vales, & tum* CORONA *castitatis reuinctus, tum purpuram iustitiæ indutus incedis. Aliis namque potestatibus mors ipsa succedit.* Huiusmodi verò regnum immortalem seruas perpetuitatem. Item aliæ hoc in sæculo soluuntur, hæc autem à perpetuo supplicio liberantur.

Vides etiam iustitiam purpuræ loco statuisse, qua indutus Rex incederet. Hinc Iob se iustitiæ veste indutum gloriatur cap. 29. v. 14. *Iustitia,* inquit, *indutus sum, & vestiui me sicuti vestimento, & diademate iudicio meo.* Rectè vesti comparat, quia ab omni parte ea iudex, ac Rex, tegi, & operiri debet.

Sed in purpura magnus ille, ac pius Imperator Basilius temperantiam in dictis omnibus, ac factis notauit, dum Constantinum filium sic alloquitur cap. 63. PVRPVRA BENE VESTIERIS *si temperantia omnibus & dictis & factis tuis efflorebit.* Verè regius ornatus iste, quo imperantis animus magis splendet, quàm ipsa purpura corpus. 1070.

Temperantia purpura. Basil.

Sceptrum verò nullum Regis manu dignius, quàm diuinæ legis custodia. Rectè Principem secum sic loquentem adducit Philo lib. de creatione Principis. *Cùm illi Reges* SCEPTRO *vtantur pro gestamine, mihi pro* SCEPTRO *erit hoc legum compendium, hoc insigni gloriabor, hoc me inuictum reddet, & inculpabilem, summique Regis imitatorem.* Huc enim spectauit Deus, cùm præcepit vt Princeps Deuteronomium sibi propria manu describeret, propria, inquam, non aliena. Quo magis ea præcepta inhæreant animo. nam legentibus elabuntur sententiæ, quòd lectio moras non patitur, qui autem scribit, per otium imprimit, & infigit menti singula fideliter, non in transcursu animaduersa, sed cunctanter, non prius cogitatione transeunte ad sequentia, quàm benè penitaris, quæ præcesserant, inquit idem Philo citato loco.

Regium sceptrum diuinæ legis custodia. Philo.

Rex esse non videtur, qui legis amicus non est; Isa. 9. 6. *& factus est principatus super humerum eius;* Chald. *& suscipiet legem super se, vt custodiat illam;* hoc principatus insigne, hæc imperij nota; quod de quæstore habet Cassiodorus lib. 6. in formula quæsturæ, A quæstore requirimus, qui est thesaurus *famæ publicæ, armarium legum,* hoc potiori iure de lege dicendum est; ita tamen leges contineat, & seruant, vt obseruet etiam, quo dici lex videns possit; hinc vetus illud, 1071.

Legis custodia cum principatu vt conhæreat. Isa. 9. 6. Chald. Cassiod.

LEGIS *videntis instar* PRINCEPS *est suis.*

Erit si legem impleat; Clemens Alexand. lib. 2. Stromatum, ita scribit: *& hospes Eleates virum regalem, & politicum, legem animatam pronunciat, talis autem est qui legem implet.*

Rex videns & animata lex. Clem. Alex.

Illud non prætereo in sceptris supernæ ciconiæ figuram poni solitam, infernè hyppopotami, vt indicarent pietati, ac iustitiæ vim esse subiectam. Quod optimè notauit Apostolus Centuria 15. Prouerb. 93. dum enim explicaret prouerbium illud, πλαργικοὶ νόμοι, *Ciconiæ leges,* ait: ἐν τοῖς σκήπτροις ἀνωτέρω μὲν πλαργὸν τυποῦσι; κατωτέρω δὲ ποτάμιον ἵππον δηλοῦντες ὡς ὑποτέτακται ἡ βία τῇ δικαιοσύνῃ. οἱ γὰρ πλαργοὶ δικαιότατοι ὄντες, ἐπὶ τῶν πτερύγων βαστάζουσι τοὺς γεγηρακότας. οἱ δὲ ἱπποπόταμοι ζῷον ἀδικώτατα. idest, *in sceptris supernè quidem ciconiam effigiant, inferiùs autem hyppopotamon; significantes vim iustitiæ esse subiectam. Ciconiæ enim illi operam dantes, parentes quando senuerint, in alis gestant. Hyppopotami autem animalia sunt iniustissima.*

Vis iustitiæ, & pietatis subiecta. Apostol.

Ita Dio lib. 43. de Cæsare, *Deliciis,* inquit, *fluxurus vestis vbique luxuriabatur, & calceamentorum, quibus etiam postea interdum vsus est altioribus, &* COLORIS RVBRI MORE REGVM, *qui Albæ quondam regnarunt.* Horum calceorum vice humilitatem habere debet Magnus Princeps, qui fastum, & superbiam calcet, & ornatius incedet 1072.

Rubri Regii calcei. Dio. *Superbia fastus pedibus calcandus.*

Basil.

quàm aureis calceamentis. Rectè Basilius Imperator cap. 63. *Calcei*, inquit, *rubri decenter pedes tuos exornabunt, si in ipsis superbia fastum pedibus calcabis.* Incedet tutò si calices hos parabit,& induet.

Subiecta pedibus sphæra cœlum se calcare mentiebantur Reges Persarum.
S.Petr.Chry.

Non calcabant fastum, sed fouebant Persarum Reges, dum subiecta pedibus sphæra, cœlos non tam falsò quàm tumide se calcare iactabant; sic enim de illis Beatus Petrus Chrysologus serm. 120. in verbis Apostoli; *Nolite configurari huic sæculo. Nescimus*, inquit, *vt Persarum Reges, qui subiecta pedibus suis sphæra Polorum calcare vices mentiuntur.* Fastum calcare sublimius est & magis Regium, cœli regnum sub pedibus habet in neglectis signum, qui nimium ob regnum terrenum & periturum intumescit. Menti Beati Damiani verba fige, quæ habet epist. 58. *Terreni honores, ac dignitates quasi fumus quo altiùs extolluntur in nihilum redeunt, & mundana omnia ipso iam mundo ad finem delapso subsistere minimè possunt.* Fumum omnes terrenas dignitates cense, & ambitionis, ac superbiæ fumus euanescet.

Terreni honores, vt fumus euanescunt.

1073. Et vt ab Hebraico fonte aliquid in nostram vtilitatem mutuemus, apud Hebræos מלך *malach* est regnare, quod verbum si inuertas, fiet כלם *chalam*, quod sonat erubescere, & pudore affici, vt qui in culmine est, nisi muneri, & dignitati suæ virtute respondeat, se pudore afficiendum sciat; exigua vnius litteræ mutatione, quæ eundum ferè sonum emittit, ex מלך *malach* fit כלם *chalam*, quòd si ח pro כ substituas, fit חלם *chalam*, quod verbum *somniare* significat; & tacitè inclamat, regna & culmina nihil aliud esse, quàm somnium; & tantis curis somnium emitur, tantis discriminibus quæritur, quod somnij instar est?

מלך quid, quid כלם culminis, & verecundia nexus, honoris, & somnij.

EXCVRSVS CLXXI.

Quàm graue onus sub honore lateat.

Sub regio diademate quot curarum spinæ, *& discriminum.*

כבוד *quid*; dignitatis, *&* oneris *nexus.*

Principatus super humerum quia onus *est.*

Totius populi onera *Regi ferenda vt colligatur.*

Basi *par, qui aliis praest, quia suorum onera portare potest.*

Anguli *Reges, & Principes dicti.*

Lapis fundamenti *princeps.*

Terræ fundamenta *Reges, quæ concuti non debent.*

In superiores reiicitur, quod subditi *delinquant.*

Regia curæ.

Regis cor *in suorum* plagis *torquetur, quia suos in corde gestat.*

1074. MAior Regum, Principúmque onus est, ac sollicitudo, quàm honor,& dignitas & magis regium animum subiecti populi mordet cura, quàm caput ornet diadema, vt verè dixerit Beatus Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum. *Non ita corona caput circundat, sicut animam sollicitudo. Nec in satellitum cateruam, sed in molestiarum multitudinem spectes: nec enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quod regia sunt mortis per singulos dies expectata, & ante mensam cruor spectatur, & ante potum.* Et orat. ad viduam seniorem rem eandem grauiùs vrget in hunc modum: *Neque enim facilè quis inueniat priuatam domum æquè refertam calamitatibus, ac Regias. Nam & orphania & viduitatis immatura, & neces violenta, atque iis quidem, quæ in tragœdiis narrantur, multo sceleſtiores, & acerbiores in hunc ipsum præcipuè cadunt principatum. Atque vt vetera amittamus, ex iis omnibus qui nostro tempore imperarunt (fuerunt autem nouem) duo soli communi morte vitam clauserunt. Reliquorum autem hic quidem à tyranno, ille verò in bello, alius domesticorum custodum insidiis, alius autem ab illo ipso, qui coronam, ac purpuram imposuerat, interfectus occubuit. Vxores vero partim, vt ferunt, veneno interierunt, partim ægritudine.* Vt si iustè rem expendamus tribulationis corona regia censeri debeat, regiúmque diadema curarum insigne potius, quàm dignitatis, vt rectè cecinerit sanctus Paulinus epist. ad Romanianum,

Sub regio diadema e quot curarum spina & discriminum.
S. Chrys.

Blandum nomen honos, mala seruitus, exitus æger
Quem nunc velle iuuat, mox voluisse piget.

Hinc non ab re apud Hebræos gloria honórque 1075.
כבוד dicitur, quod nomen etiam grauitatem significat, vt statim differemus, graue onus honorem esse, & pondus non leue dignitatem, quin & hac eadem ratione כבוד de gloria, & maiestate dicitur, & de grauitate, à verbo כבד, cui vtraque notio subest, onerant enim dignitates, & onus ferre debet, qui fertur ad culmina, & magis qui sese obtrudit. Scitè Petrus Blesensis epist. 102. *Sciebam*, inquit, *omnem* HONOREM *huius sæculi esse impedimentum graue, & quoddam peremptorium salutis æternæ*, & Seneca cap. 2. de breuit. vitæ, *Est inter* ONVS, *&* HONOREM, *non tam allusio vocis, quàm rei ipsius expressa veritas.* & sanctus Isid. lib. 1. cap. 26. *Honor ex onere venit, aut potiùs ex* HONORE ONVS. hinc Isaiæ 9. v. 6. *Factus est principatus super humerum eius*, seu, vt alij habent, *principatus*, qui rectè superum esse dicitur, vt vel situ ipso sciremus onus illud grauissimum esse. Appositè Oleaster hîc: *Dicitur principatus super humerum eius, quia illi fuit potius* ONERI, *quàm* HONORI, *solent enim serui onera super humeros gestare*; & in annotatione morali ita scribit: *Fuit principatus super humerum eius. Putant vsque hodie insensati filij Adam, imperia, regna, & principatus huius sæculi* HONORES *esse, non* ONERA: *quos puer noster arguit, qui suum principatum quasi graue onus super humeros gerit.*

כבוד quid, dignitatis & oneris nexus.
Petr. Bles.
Seneca.
S. Isid.
Principatus super humerum quia onus est.
Isa. 9. 6.
Oleast.

Onus regiam dignitatem nouit & Samuel, & 1076.
rectè significauit, cùm enim ad conuiuium venturum Saulem à Domino accepisset, Rex Israël erat futurus, armum ex victima illi apponi iussit, & quodam hieroglyphico disceret, quid regium nomen, quid regius titulus exigeret. Res 1. Reg. 9. v. 24. his verbis habetur, *Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul*: ex præscripto scilicet Samuelis. Armus Regi de toto victimæ corpore exhibetur, vt discat qui vocatur ad Regnum totius sibi populi onera ferenda esse, alioquin Regij nominis indignus futurus. Audiamus quàm eleganter id offerat Theodoretus quæst. 21. in 1. Reg. *Apposuit*, inquit, *Samuel pernam, seu armum ante Saulem, dicens, In testimonium positus est tibi, hoc est, insignum honoris, vt qui sit aliis præpositus, & indicium Regni; nam sicut hæc cùm sint breuiora aliis membris animalis, portant totam molam compacti corporis, & firmiter suffulciunt, ita enim regium robur, etiamsi ad vnum virum contrahatur, sustinet totum corpus Reipublicæ, & non sinit cadere.* Hucusque Theodoretus. Itaque onus graue ferre humeris suis desiderat, qui culmina quærit, & dignitates.

Totius populi onera Regi ferenda vt colligatur.
1. Reg. 9.
Theodoret.

Iure aliqui Regem cum basi conferunt, onus 1077.
debeat

Basis pop. qui alios praest, quia suorum onera portare debet. S. Greg.

debeat sustinere; vnde, & in Græco βασιλεὺς dicitur] quasi βάσις λαοῦ, *basis populi.* Ita inter alios censuit Beatus Gregorius lib. 9. moral. cap. 10. in hæc verba, *Tantorum pondera vnusquisque sustinere compellitur, quanti in hoc mundo principatur, vnde & terra princeps non incongruè Græco eloquio βασιλεὺς dicitur; λαὸς enim populus interpretatur; βασιλεὺς igitur βάσις λαοῦ vocatur, quia videlicet ipse super se populum sustines qui motus illius potestatis pondere fixus regit.* Hæc Beatus iste; hinc Isaiæ 28. 16. lapide, qui in fundamentis locatur erigendæ fabricæ Rex significabatur, nam quod noster habet, *Mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum*, Chald. legit: *Ecce ego constituam in Sion regem, fortem, potentem, terribilem*; vbi interim vides Reipublicæ fundamentum Regem esse, qui cæteros sustentet, & supra quem ædificium erigatur. In aliarum domorum fundamenta lapides iaciuntur impoliti, & informes; at in hoc ædificio lapis poliendus maximè est, prubandus, & exornandus, ne fabrica, quæ illi innititur, corruat.

Lapis fundamentâ princeps. Isa. 28.

Chald.

1078. Nutant hæc fundamenta, cùm impura sunt, cùm Reges, ac superiores qui alios portant, peccatorum sordibus inquinantur. Scite Agellius noster ad illa verba Psalm. 81. v. 5. *Mouebuntur omnia fundamenta terræ*, per terræ fundamenta Reges, iudicésque intelligit, & ait: FVNDAMENTA TERRÆ *iudices, ac Principes, & Reges intelligit, quibus tamquam* BASIBVS, *&* COLVMNIS *humani generis constructio, & moles imposita est, quæ merentibus eorum sceleribus nutant, & Deo sic faciente de fastigio honorum, ac dignitatis ruunt; quæ fundamenta Propheta Michæas compellat, dicens: Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ, quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israël diiudicabitur.* Rectè cùm populus iudicandus, dicitur audire. iubentur Reges, quia quòd subditi delinquant etiam in superiores reiicienda ferè causa, aot occasio est; sicut si fabrica, quæ erigitur, cadat, aot deducantur parietes, fundamentorum imbecillitati solet tribui.

Terra fundamenta Reges, quæ commoueri non debent. Psal. 81. Agell.

In superiores reiicitur, quòd subditi delinquant.

Regis nomen non meretur, qui tamquam firmissima basis suorum onus non sustentat, sed potiùs ipse suis onus imponit, qood ferre nequeant. Tales Chaldæi, & Portæ, de quibus Dauid Psal. 65. v. 10. *Imposuisti homines super capita nostra*, idest, Dominis, ac Regibus subiecti sumus, qui tantum abest, vt nos tanquam firma basis sustentent, vt potiùs nobis insideant, ac si iumenta quædam muta essemus, nam Græcum verbum ἐπιβιβάζειν, quo vtuntur LXX. & Hebræum הרכבת insidendi tanquam iumento significationem habet; vt notauit etiam Agellius noster.

1079. Eandem ob causam Duces, Principes, & vniuersè maiores omnes *anguli* dicuntur, quia ab eis reliqui popoli structura dependent; rem eleganter versat in caput 19. Isaiæ, ait quippe: *Anguli verò tribuum Ægypti, sunt Duces, aut maiores natu in eis. Et dicuntur anguli, quia ab eis tota vis populi, & fortitudo eius pendebat, quemadmodum fortitudo domus ab angulis ipsius: isti enim, quasi anguli sustentabant totam rempublicam, vnde primo Samuelis habetur, Accedite huc, omnes* פנות PINOT. *i, anguli, seu maiores populi, & fortiores. Et lib. Iudicum, & steterunt* פנות PINOT. *i, anguli, duces, aut maiores populi: vnde vsque hodie, Heluetiorum duces, anguli dicuntur, vulgò cantones.*

Anguli Reges, & Principes dicti. Isa. 19.

Regia cura. Horus.

Onus quod sub purpura delitescit rectis hieroglyphicis significarunt Ægyptij, qui, vt tradit Horus, per anguem in orbem collectum caudam suam mordentem Regem intelligebant, & quia minima quæque curare debet, & quia multæ regium animum angunt curæ, multæ mordent sollicitudines. Rex quoque Antiochus apud Stobæum serm. 47. de regio indumento, O pannum miserum, inquit, qui curas tot, & pericula procreas, plures enim tineas regia purpura habet, multæ curæ sub Maiestatis veste latent.

1080. Pati debet solliciti Regis cor, dum subditorum aliquis ferro patet, aut graui alicui periculo subiacet; istuc docuit impius ille Pharao, ad quem Exod. 9. v. 14. dictum, *In hac vice mittam plagas meas super cor tuum, & iterum extendens manum percutiam te & populum tuum peste.* Dignum est quod quæratur, cur præcipiat Dominus Mosi, vt hæc Pharaoni comminetur, cùm tamen ipsius Pharao illa vice cor indurauerit, nec tamen plagas in eius cor immissas vspiam legamus, neque Dei percussum peste. Caietanus innuit, Pharaonem licèt impium Regem, tamen adhuc in corde suo gestasse subditos, vnde quas plagas Dominus populo inferebat, super cor Pharaonis mittere videbatur, dolebat Rex de subditorum plagis, ac de suis, ac diuinæ iustitiæ iacula prior ipse, quàm populus excipiebat, percutitur peste populus, sed cor Regis, vt qui suos in corde habeat, & illis scuti vice deseruiat, sine doloris vulnere non abit.

Regis cor in suorum plagis torquetur, quia suos in corde gestat. Exod. 9. 14.

Caiet.

Vt interim ab impio Rege discant Reges pij quàm solliciti suorum subditorum custodes ac defensores esse debeant, quàm amanter in corde gestare eos, quibus præsunt, cùm id etiam Pharao omni alioquin humanitate viduus visus sit præstitisse.

EXCVRSVS CLXXII.

Volatici honoris, & dignitatis fuga.

Ij qui in culmine funambulis *pares.*
Ambitionis salsugo.
Ambitio dipsadæ *comparata.*
Honores exemplo Christi *quàm fugiendi.*
Nemo ad prælationes festinet, *sed trahatur.*
Alta culmina qui fugit *ad altiora euehitur.*
Mosis *humilitas Mosem extulit.*
Singulare exemplum *honores repudiantis.*
Regnum terrenum *ad cæleste sit scala.*

SI quæ hucusque attulimus alta mente reponantur, tantum aberit, vt dignitatum culmina, & honorum vmbras sectemur, vt vel ad nomen ipsum horreamus, vera dignitas est terrenas dignitates spernere, & verus honor honores hosce volaticos defugere. Non flabro secularis ambitionis mens agitaretur, nec huc illuc tanquam arundo quassata impelleretur, si sublimioris gradus, pericula, amaritiem, & mordentes curas seriò cogitaret. 1081.

Quàm graui discrimini sunt obnoxij, qui librato corpore supra funes gradiuntur, quorum salus in æquilibrio posita est, quibus vitæ filum secatur, si super funes ambulantes in partem aliquam, vel minimum propendeant. Ad hunc eundem modum & Princeps, ac soperior super legum funes incedit æquitatis ponderibus libratur, vt si vel leuiter deflexerit labatur. Ex quo intelligere possumus, quàm ingenti discrimini subiiciatur

Ij qui in culmine funambulis pares.

ciatur qui præsidet. Aduocanda huc sunt Beati S.Greg.Naz. Gregorij Nazianzeni verba, qui hoc appositissimè habet orat. 1. de fuga sua in Pontum. *Quemadmodum*, inquit, *in* SVBLIMI, ET PENDVLO FVNE *gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minimè tutum est: nec etiam parua inclinatio paruum periculum facit, verùm eorum salus in æquilibrio posita est: ad eundem quoque modum vtramuis in partem quispiam, siue ob vitæ improbitatem, siue ob imperitiam propenderit, haud leue periculum tum ipsi, tum iis, quibus præest, imminet.* Audi quàm grauia præcipitia quærat, qui ad dignitatum culmina euehi desiderat, quantis periculis sit obnoxius qui in solio sedet.

1082. *Ambitionis salsugo.* S. Cypr. Amaritudine, & salsugine plenum est præesse aliis, sed mortales tanquam bibulæ spongiæ salsedinem hanc ebibunt, & ambitionis amaritiem auidissime sitiunt, vt verò Beatus Cyprianus dixerit præfat. de cardinal. Christi operibus. *Ambitionis* SALSVGO *bibulam animam occupat.* Opportunè Christus bibulæ istæ animæ vt ab ambitionis potu arceret, passionis, & humilitatis calicem obtulit, nam ad primos dignitatis gradus adspirantibus discipulis dixit, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

Ambitio dipsada comparata. Valde molesta est hæc honorum, & culminum sitis, bibulam animam ista ambitionis salsugo occupare potest, implere non potest, sitim irritat, non extinguit. Rectè aliqui dipsadæ serpenti comparant, qua qui morsus est siti perire fertur; sic S.Greg.Naz. enim scribit sanctus Gregorius Nazianzenus in Iambicis aduersùs opum amatores.

Est viperarum quodpiam DIPSAS *genus,*
Quas solitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale sit nomen docet:
Huic namque morbus, quem paris nomen dedit.
Perit bibendo quisquis hac ictus fuit,
Aquas repertas totus in eas irruens,
Quousque nimio turgidus potu crepat,
Vita cadente, sata sic cadit sitis.

1083. *Honores exēplo Christi quàm fugiendi.* Perire siti potest qui ambitionis dipsadæ mordetur, sitim penitus non potest extinguere.

Quàm verò deceat ab honoribus abhorrere, & dignitates fugere, docuit exemplo suo Christus, qui cùm à discipulis Ioannis diligenter quæreretur, vt qui magna de eo à suo magistro inaudierant, quo eo vti magistro, atque Doctore possent, dixit illis humilis Saluator, *Quid quæritis?* quæ lo- Gloss. quendi formula acutè ab Glossa ordinaria premitur, quod nempè potius dixerit, quid quæritis, quàm quem quæritis. *Quid non, quem ne se videatur ostendere*, ne videretur sese sponte obtrudere ad honores: at contrà cùm proditoriè quæreretur, ad supplicia, ad crucem, ad mortem, dixit, Quem quæritis, non quid, vt se videretur ostendere, vt suo exemplo doceret honores defugiendos esse, cruces, passiones oblatas æquo suscipiendas animo, & alacri, & libenti adeundas. Plerique contrà obtrudunt se ad honores, aspera quæque & quæ aliqua humilitate adspersa sunt, omni conatu excutiunt, & fugiunt.

Nemo ad prælationes festinet; sed trahatur. Hos iure sugillat, & damnat, vel dignitatis nomine abhorrens sponsa, quæ dum ad coronas toties vocatur, & morosè egreditur, ad honores potius trahi, quàm ire se velle præsefert; nam in amoris Cantico cap. 4. sic eam sponsus alloquitur, *Veni de Libano, veni, coronaberis de capite* Gilleb. *Amana.* quæ verba vtiliter expendit Gillebertus serm. 29. dum ait, *Vide si non morosè egreditur de Libano, quæ toties vocatur; mora tamen hæc non est contumacia, sed cautela, & forsitan sponsa mora festinationem nostram sugillat, & arguit qui nimis prompti, & parum prouidi vires nostras nimus pensantes FESTINAMVS INGREDI IN LABORES PRÆLATIONIS, in sollicitudinum molestias, & miseriam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, vltrò nobis ipsi honorem sumimus vocationem vel præuenientes, vel arte procurantes.* Hoc ipso honore minus digni, dum nimis sollicitè quærunt culmi- *Singulare exemplum honores resp[u]ẽ[n]tis.* ne magis digni futuri, si fugerent. Qui ad Episcopale culmen traheretur, sanctus Anselmus ipse S. Ansel. suis verbis significauit lib. 3. epist. 1. ait enim, *Quod ignorare nequiuerunt illi, qui & die vultum meum inspexerunt, quando me Episcopi, Abbates, aliique primates ad Ecclesiam trahentes, & contradicentem rapuerunt: ita vt dubium videri posset, vtrùm sanum insani, an insanum traherent sani; nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo quàm viuenti colore similis, stupore & dolore pallebam: & illi, qui postea ipsa die me insolitè lugentem, dolore rationem superante, cùm intentè mihi licuit cogitare, & vestram dilectionem, & onus, quod meæ imbecillitati imponebatur, de longè audiens, accurrerunt, & videntes me, aut animam, aut sensum amissurum timuerunt; & hoc timore aquam benedicta me aspergentes, eam mihi potandam porrexerunt.* Meliores præsides habebemus, si eos huius notæ haberemus, huius mentis: verus ille, *Benè imperant, qui non libenter imperant.*

Non est quòd hic illud indiscussum prætereamus, quod Mosi accidit, qui dum Pharaonis Re- 1084.
Alta culmina qui fugit ad altiora euehitur. giam reliquit, Regiósque honores fugit, poterat enim à Regis filia nutritus Regis successor esse, Pharaonis Deus effectus est, maiori dignitate donatus, dum minorem fugit, quod eleganter premit Beatus Ambrosius in Psalm. 118. octon. 8. his verbis. *Vtique & Moyses potuit esse Regis successor* *Mosis humilitas Mosem extulit.* S. Ambr. *nutritus à Regis filia. Potuit ergo esse non solùm quasi Pharao, sed ipse Pharao potuit esse. Moyses noluit Rex esse cùm posset, sed opprobrium Christi Thesauris Ægypti arbitratus est esse præferendum, & fugiendo potentiam potentior factus est. Factus est enim in Deum Regi Pharaonis. Rex erat Pharao, sed Deus non erat, Moyses factus est illi Deus, hoc est, Regi ipsi terribilis, quem Rex metueret, & timeret.* Non facilè Regis Deus futurus, si Regis fieret successor ambitiosè.

Regnum terrenum ad cæleste sit scala. Agap. Igitur aut alta culmina, vt culmine dignior fias, aut adhæc vocatus tanquam Aaron Agapeti Diaconi monitum animo fige, & serua: χρῶσο δεόντως τῇ κάτω βασιλείᾳ, ἵνα κλίμαξ σοι γένοιτο τῆς ἄνω δόξης, ὁ γὰρ ταύτην καλῶς διανύων μετ' ταύτης κακείνης ἀξιοῦται; hoc est, *Vtere vt oportet regno hoc inferiore, vt* SCALA TIBI FIAT *superioris claritatis. Qui enim hanc rectè gubernant, illa quoque postmodum digni censentur.* Optamus hoc omnibus, qui in alios exercent imperium, ne à dignitatis culmine abeuntes, eo profundiùs mittantur, quò altiùs eos dignitas euexerat. Sisto in hoc voto, & ad alia, quæ supersunt calamum flecto.

ADAG. DCCCCLXXXVI.

Pedem vnum in Paradiso posuisse.

QVi eò perfectionis, & sanctitatis merito 1085.
euectus est, vt extra periculorum aleam positus videatur, qui securus degit à terrenorum tumultu, & alienus, & liber, is in Paradiso vnum pedem posuisse quadam prouerbij saliua dicitur. Petrus Blesensis epist. 102. ita loquitur: *Qui mundum euomui, quomodo ad vomitum redij? Qui exueram veterem Adæ tunicam, quomodo reindui eam? Qui laueram*

laueram pedes meos, quomodo eos iterum inquinaui? Quomodo ad portas inferi redactus sum, qui IAM IN PARADISO POSVERAM PEDEM VNVM. Occinere hæc eadem sibi quisque potest, qui à quiete ad tumultus vocatur, à contemplationis portu in altum negotiorum mare impellitur, & à perfectionis securiorisque vitæ culmine in imperfectionis, intutæque vitæ abyssum detruduntur.

ADAG. DCCCCLXXXVII.

Dies vltimus senibus est in ianuis, iuuenibus in insidiis.

1086. ITa est; nulli parcit mors, in omnes sæuit, ætatum discrimina non nouit, licèt senibus proxima immineat, iuuenibus insidias machioetur, vt nullus ab eius telis sit tutus; expectare mortem tanquam vicinam senes debent, iuuenes tanquam iosidiantem timere; vt dictum prouerbiale, quod præfiximus, ooo ab vno auctore veritas excuderit experientiæ munita suffragio; Guarricus Abbas serm. 3. de aduentu Domini, de vltimo vitæ nostræ die loquens ita scribit: *Dies quoque noster vltimus certissimus nobis est quod veniat, incertissimus est, quando, vel vbi, vel vnde nobis adueniat: nisi quod (vt ante nos doctum est)* SENIBVS EST IN IANVIS, QVI IVVENIBVS EST IN INSIDIIS. *Et vtinam vel illi se obseruarent, qui mortem temperatam intrare, imò iam intrantem vident. an non ex parte iam intrauit quæ aliquas partes corporis iam præmortuas occupauit?* Petrus Blesensis epist. 6. *Mors, quæ* IN INSIDIIS IVNIORIBVS EST, VOBIS SENIORIBVS EST IN IANVIS; *vestrum obseruat calcaneum, nec cessabit donec fodiatur peccatori fouea; seni timendam, & expectandam* mortem tanquam vicinam appositæ messis metaphora Zosimo suo suadebat saoctus Isidorus Pelusiota, cuius verba quia omnibus senectute confectis conueniunt, hîc implantabo, lib. 1. epist. 140. ita ille scribit: *Humilis & abiecte Zosime, hora extrema est: quid vt in vita primordiis ignauia torpes? Messis tibi aduenit, alba est regio ad excessionem quid, tanquam adhuc in semente sis, incuria laboras? capitis tui pili finem tuum te doceant*; mortem vicinam esse, vel capilli ipsi testantur dum fiunt albi; credat suo capiti senex, qui de mortis vicinitate oon facilè credit.

Nec iuuenis suæ se credat ætati, nouerit primùm, quem mors corripuerit Abelem fuisse, qui tamen omnibus pauciores ætatis annos transegerat, vt vel illius exemplo disceremos iuuenibus insidias mortem nectere, vt eò imparatiores auferantur, quò longiùs se ætatis acerbitate à morte distare arbitrantur. Addiderim & istuc: Mortuus omnium prior Abel, quia innocentior, firmius habuisset mors fundamentum, si nocentem Adamum, aut Euam, aut Cain priùs abstulisset; noluit noluit istuc Deus, vt eius ius infirmius, debilior eius ius esset, in iusto eius vires retusæ fuerunt. Pulchrè sanctus Basilius orat. 4. *Cur non primus mortis portas ingreditur Adamus, quandoquidem à recta naturæ lege deerant, ipse mortem contra naturam acciuit? cur non priùs Eua mortis sententia denunciatur? quos propter natura indicatur. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Sed primum Deus concedit Abelem tolli de medio (concedit, non prodit: non enim iustum Deus morti dedit, sed in eum inuadentem mortem non defendit) vt aggressoris nequitiam vsu meliore committet, & victum morti subiiciat fundamentum, mortisque ius infirmius euadat.*

Expectanda mors omnibus, quæ omnes vincit, 1087.
eóque nocentius, quò magis illam odimus, illam respuimus; diu vixerit Adam, at quotidie mors expectabat; scimus illi dictum, & per illum nobis, *In quacunque die comederis morte morieris*, Gen. 3. non mortuus eadẽ die, qua comedit, sed quotidie viuebat, quasi quotidie moriturus, vt non mirum si meliorem mentem induerit. Theodoretus quęst. 38. in in Genesim ad hæc verba hæc habet: *Sententiam mortalitatis appellat mortem, sic enim interpretatus est Symmachus, quacunque die comederis de ligno hoc, mortalis eris. Si quidem per sententiam diuinam, per singulos (vt ita dicam) dies mortem expectabat*; in meliorem vitam citò nostra migraret, si è vita nos citò migraturos cogitaremus; nam, teste Hesychio Presbytero cent. 1. num. 94. *optimus animæ, & corporis pædagogus est indelebilis memoria mortis*; anchora nauem sistit, & mortis memoria non firmat, ne in nocitura ruamus; sanctus Antonius Vlyssiponensis hoc illis verbis volebat serm. 5. in Dom. 4. post Epiph. *Sicut anchora nauem retinet, ne in saxis se frangat; sic mortis memoria vitam nostram retinet ne ruat in peccata, vnde Salomon Eccl. 7. v. 40. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Sanctus Nilus in parænesi vltimam horam respiciendam semper esse his verbis monebat, *die, noctuque ad vltimam horam respice*; vt iure non respicientes, nec mortem cogitantes arguat sanctus Eucherius in epist. parænet. inclamans: *Quid istuc quæso, quid istuc est, nihil ita quotidie homines, vt mortem videant, nihil ita obliuiscuntur, vt mortem.*

Vireotem herbam, fœnum proferre terram 1088.
iussit Deus, vt statim homini humanæ vitæ fragilitas, & inconstantia tanquam in quadam imagine ob oculos poneretur, arescit enim vt fœnum, & vt flos decidit. Egregie hoc expendebat saoctus Ambrosius lib. 3 Hexaem. cap. 7. *Quid creatura huius miraculum, & sapientiæ operatricis argumentum exprimam? in illo virentis herbæ nemore, imago est vitæ humanæ, & naturæ, conditionisque nostræ insigne quoddam spectatur, & speculum elucet; illa herba, & flos fœni figura est carnis humanæ, sicut bonus diuinitatis interpres organo suæ vocis expressit, dicens, Clama; quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, vt flos fœni. deinde, hilarioris vitæ quasi flos prætendens iucunditatem, breuiori spatio decasura sicut herba fœni, quod priusquam euellatur exaruit, quæ nempè firmitudo in carne? quæ salubritas potest esse diuturna?*

Bonos Deus nos vult, dum vult nos mortis incertitudine exercere in bono. Orbis tunc fœdior fuit, cùm fuit vita hominum productior, vt igne, vt aqua expiari æui sordes debuerint; cogit nos resipiscere certitudo moriendi, & moræ incertitudo. Plura possem de hoc argumento exhibere, sed quia alibi multus de hac re fui, hîc noo ero, & ad alia calamum flecto, veteri illo mooito rem obsignans,

Bene ages, ages quicquid, si mortem respicis.

ADAG. DCCCCLXXXVIII.

Vnum Altare denudare non debet, vt aliud cooperiatur.

FRequens prouerbialis huius formulæ vsus 1089.
inter nostros est, cùm significare volunt,

non

non esse ab vno auferendum, quod illi necessarium, vt alterius indigentiæ consulatur. Bernardinus de Bustis *serm. 1. par. 1. concept. Mariæ* huius formulæ meminit, meminerunt & alij, & vulgò receptissima est.

ADAG. DCCCCLXXXIX.

Quod noua testa capit, inueterata sapit.

HÆrent menti mores, quos iuuenibus ætas ebiberit, prouectior ætas cùm vitæ morum odorem emittit, quem illi teneriores anni affricuerint; igitur iuuenes citè informet, qui optimos senes vult; hoc versiculus significat, quem produximus; in quo si quis prouerbialem saporem sentiet malè; illius ex nostris meminit Michaël de Ayguanis in Psalm. 118. expendens illa verba, *In quo corrigit adolescentior viam suam?* ait enim: *Quare ad corrigenda errata hic solùm ætatem adolescentiæ notat? numquid non fructuosè senes se corrigere possunt? Respondeo quòd quamuis vsque ad vltimum articulum vitæ quisque fructuosè corrigere possit, illam tamen ætatem specialiter hic ponere voluit, in qua correctio vtilioris est fructus, actúsque facilioris, firmiorisque status. Quod enim quis à iuuentute capit, istud post difficulter mutat, cùm scriptum sit:* QVOD NOVA TESTA CAPIT, INVETERATA SAPIT. Multi refert quid quisque iuuenis didicerit, senex ferè exercet; semina quædam sunt, quæ mentis aruis insepeliuntur, dum ætas adolescit, vt adolescant in fructum ætate magis firma.

ADAGIVM DCCCCXC.

Muscæ sancti Narcissi.

1090. VT nobilis miraculorum gloria fuit sanctus Narcissus, sic & muscæ ipsæ eius sanctitatem prodiderunt; ad eius sepulchrum eius accidisse miraculum narrant vitæ illius scriptores; sub Petro Aragonum Rege, quando capta Gerunda per Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum Reges, ex sepulchro sancti Narcissi, quod violare milites tentauere, muscarum examen egressum in exercitum infesto agmine irruens ingentem cladem intulit, in fugamque egit, & cœptis desistere coëgit, ex quo factum, vt apud eos MVSCÆ SANCTI NARCISSI in prouerbium abierint; quod adhiberi poterit quoriescunque Dei seruos nulla afficiendos iniuria significabimus; cùm vel ipsis muscis possit à cuiuscunque violentia suos Deus tueri, & res suorum.

ADAGIVM DCCCCXCI.

Inter nos chaos magnum firmatum est.

VTemur hac formula, quoties talis obex inter nos aliósque interiectus est, vt à nobis ad alios transitus non pateat; non pateat ad nos ab aliis; quod elegantius fiet, quo trahetur longiùs; hinc illud Philippi Abbatis Bonæ-spei vtat. 15. *Interiectis duris obicibus amicalem iam non appetunt commeatum, clamant ad inuicem: Inter nos* CHAOS INGENS *est firmatum.* Alij quoque hac formula vtuntur, quæ sumpta est ex illo apud Luc 16. vbi Abraham diuitem alloquens ait: *In his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est*; quod non solùm de magna distantia accipiendum, sed & de spatio quod pertransiri nequeat; sicque impermeabile, sicut si vno ab vno loco ad alium maximus terræ hiatus esset; sed elegantior prouerbij vsus euadet, si quamcunque distantiam, & conditionis immutabilitatem significandam transferatur; quod plerique ex nostris præstitere.

ADAGIVM DCCCCXCII.

Stipulas inferno germinare.

CIuitas, & vniuersè locus quilibet malorum hominum multitudine grauidus, adagialiter dicetur stipulas inferno germinare. Sanctus Petrus Damianus serm. 36. sanctum Apollinatem Rauennæ Episcopum efferens, quid eius meritis, laboribúsque consequuta ciuitas illa fuerit, ita explicabat: *Iubilet vrbs Rauenna, quæ tantum meruit referre patronum; quæ enim erat damnorum ante delubrum, per hunc cœlestium senatorum facta est Capitolium; ibi enim iam Martyrum corpora requiescunt; ibi multorum Sanctorum patrocinia reconduntur; quæ ergo prius malè fœcunda in suis filiis multas* STIPVLAS GERMINABAT INFERNO, *iam per Dei gratiam multos ciues parturit cœlo.* Poterit non alienè & ad res operaque hæc formula transferri, vt inferno stipulas germinet, qui malis actibus mala opera præstet, quæ æternum infernalibus flammis comburantur, quin ipse cum ipsis comburatur. Denique quid de ciuitate asseruit sanctus Pater, si de verè matribus assetatur, venustatem suam sententia ista non amittet, sed retinebit. 1091.

ADAGIVM DCCCCXCIII.

Ægypti farina.

VT Ægyptus mundi figuram refert, ita farina Ægypti mundi voluptates, deliciæque prouerbiali figura significabuntur; ab Ægypto abeuntes Israëlitæ farinam Ægypti conficiendis panibus secum detulere, qua coosumpta manna illis è cœlo depluit Deus; idem in animi animæque deliciis accidit, superis, verisque delectationibus mens perpluit nequit, terrenis carnalibus non absumptis, non repudiatis; huc spectabat Humbertus in exercitatorio vitæ spiritualis cap. 4. *Cum cor nostrum habet vnde delectetur exteriùs, absque consolatione manet interiùs. Filij Israel non receperunt manna, donec defuit eis* FARINA, *quam de* ÆGYPTO *asportauerant. Et quæ est frater farina Ægypti, nisi nostra sæcularia opera, quæ donec desinet cœleste manna, quod est diuina consolatio, nequaquam gustare valemus.* Farina Ægypti est, quicquid mundum sapit, mundana opera, mundanæ voluptates, ac deliciæ. 1092.

EXCVR

EXCVRSVS CLXXIII.

Mundana omnia repudianda, à mentis sinu excutienda quæ sæculum sapiunt.

Terrena contemnant *qui ad æterna vocantur.*

Dilectionis pennis *in cœlestia nobis euolandum.*

A terrenis auolare *bonorum est.*

Cupiditatis visco *nemo teneatur.*

Laquei *in rerum visibilium amore latent.*

Terrenorum affectus volatûs *impedimentum.*

Suos periturarum rerum contemptores *esse Christus quærit.*

Nostrum maximè est qui sub nouo Testamento *sumus, terrena repudiare.*

Infirma ferè in illo fides, *qui firmitur perituris adhæret.*

Fideles terrena non sibi, *sed* aliis *habeant.*

Terrenum obliuiscitur, *qui non obliuiscitur Christi.*

Grauidis mulietibus *pares, qui noxias res appetunt.*

Mundus *ipse inclamat, ne diligatur.*

1093.
Terrena contemnant qui ad æterna vocantur.

HOmo, qni maior mundo est, mundana omnia repudiare debet, éxque menris suæ sinu ea excutere, quæ eò nocentiora suni, quò diligentiùs quæruntur, amantur ardentiùs; vires ab amore nostra terrena sumunt, vt nos vehemenriùs sæuiant, quo ampliùs diliguntur. A rerum terrenarum amore sic nos anocabat sanctus Nilns in asceticis: *Quemadmodum*, inquit, *turpe est virum ætate prouectum in cinere, aut puluere considentem puerilia describere: ita turpe, imò longè turpius est eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse soliciti, in rerum terrenarum puluere volutari, & studiorum turpitudine professionis suæ fœdare perfectionem.* Qui ad æterna vocatur, teneri terrenorum cupiditate non debet. *Sectatores Christi*, inquit sanctus Leo serm. 2. de passiune Domini, *discedere a regia non licet via, sed dignum est temporalibus non occupari ad æterna tendentes*; in superna nobis euolandum docebar sanctus Ambrosius de bono mortis cap. 5. *Euolemus pennis dilectionis, & remigio charitatis: surgamus hinc, hoc est, de sæcularibus, atque mundanis. Dixit enim Dominus, Surgite, eamus hinc, præcipiens vt vnusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi iacentem, ad* SVPERNA *attollat.*

S. Nilus.

S. Leo.

Dilectionis pennis in cœlestia nobis euolandum.

S. Ambr.

1094.
A terrenis auolare bonorum est.

Iob 5. 7.

Iob huminem ad laborem natum dixit, sed subdit statim de auis volatu, *Homo*, inquit, *nascitur ad laborem, & auis ad volatum*, cap. 5. 7. Quis hominis laborantis, & volantis auis nexus, quæ cohærentia? an tacitè docere voluit, hominis esse, & carnalis hærere terreois, quæ laboris mareriam magnam exhibent: spiritualis esse ab imis auolare, in cœlestia ferri, in perennatura? Hnc flexit Richatdus Victor. in Cant. cap. 15. air, *In Iob legitur, Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum, quia, qui homines sunt, idest, humani, carnales, idest, mundanorum desiderio occupati laborem habent: boni verò dum hæc non amant, vel desiderant, ab horum afflictione euadunt, &* AVOLANT.

Rich. Vict.

Cupiditatis visco nemo teneatur.

Auolare terrenis non potest, non potest in cœlestia euolare, qui cupiditatis tenetur visco; vt

Nouarini Adagia SS. Patr.

festinè monuerit sanctus Augustinus in Psalm. 79. *Circumspice vniuersam creaturam, vide vtrum alicubi cupiditatis visco tenearis, & à diligendo creatorem impediaris.* Laqueum in visibilium amore delitescere vidit, & monuit Beatus Laurentius Iustinianus in ligno vitæ cap. 1. de Fide; ait enim, *Contemnite visibilia, quia laquei sunt pedibus peccatorum; relinquite quæ in mundo sunt, antequam ab ipsis deseramini. Toto desiderio ad inuisibilia subleuate*; alioquin mundi amatores, *tanto ab æternis altius corruunt, quanto bona temporalia esse quasi sola suspicantur*; ait sanctus Gregorius lib. 3. moral. cap. 11.

S. Aug.

Laquei in rerum visibilium amore latent.

B. Laur. Iust.

1095.
Terrenorum affectus volatûs impedimentum.

Rerum terrenarum affectum exeondum esse, vt in cœlestium rerum contemplationem subuolemus, hac similitudine explicabat sanctus Maximos Græcus auctor de Charit. cent. 1. num. 85. *Quemadmodum passerculus pede alligatus volare incipiens in terram funiculo detrahitur: sic quoque mens nondum affectibus liberata, & ad rerum cœlestium contemplationem volare contendens affectibus ducitur, & ad terram detrahitur.*

S. Maxim.

Suos periturarum rerum contemptores esse Christus quærit.

Periturarum rerum contemptores nos vult esse Christus, dum pueros nos effici iubet; Matth. 18. 3. *Nisi conuersi fueritis*, inqnit, *& efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*; de nulla re sollicit i paruuli sunt, nulla rerum periturarum cura tanguntor; eadem nos mente volebat Christus cùm nos paruulos effici iussit; hinc illud Clementis Alexandrini cap. 5. Pædag. *Iure sunt pueri qui solum Patrem nouerunt, cæterarum rerum, ac negotiorum, quæ hic sunt, iubens curam abiicere, & suadens solum Patrem attendere, puellos imitantes, & ideo dicit in iis quæ consequuntur, Ne sitis soliciti de crastino, sufficit enim diei malitia sua; ita cura de victu deposità, soli Patri adhærere præcipit.*

Clem. Alex.

1096.
Nostrum maximè est, qui sub nouo Testamento sumus terrena repudiare.

Vt omnium sir terrenis rebus repudium dare, nostrum maximè est, quibus in nuuo Testamento promissa cœlestia sunt; rem vrget sanctus Augustinus in Psalm. 73. hisce verbis: *Si illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum nouum Testamentum nondum fuerat reuelatum, quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus iam promissa cœlestia in nouo Testamento reuelata sunt.*

S. Aug.

Infirma fit in illo fides, qui firmiter perituris adhæret.

Vix credit cœlestia sibi promissa, qoi terrena quærit, terrenorum amore captus; auctor sub nomine Chrysostomi homil. 2. in Matth. *Facilè*, inquit, *spernunt terrena qni cœlestia sperant. Qui autem terrena magnopere complectuntur, nescio si firmiter cœlestia credunt promissa*; infirma fere in illo fides est, qui firmiter adhæret perituris.

Auct. sub nom. Chrys.

Fideles terrena non sibi, sed aliis habeant.

Volebat Apostolus vt fideles ita res terrenas haberent, vt essent tanquam non habentes; quod illi maximè præstant, qui res suas non sibi habent, sed hospitibus; quò spectabat sanctus Paulinus epist. 2. ad Seuerum, in hæc verba: *Itaque & in quo professor videns, soluta à possessionum vinculis mente perfectus es; qui collecti temporis memor illud Apostoli comples, vt habens non habeas: quia non tibi, sed non habentibus habes: domus tua hospes es; vt sis hospitum domus.* Feliciora sæcula si multos huius mentis homines viderent, pluribus insignirentur hospitalitatis cultu insignes.

S. Paul.

1097.
Terrenorum obliuiscitur, qui non obliuiscitur Christi.

Vbi memoriæ Christus insederit, facile terrena omnia alta obliuione sepeliuntur; hinc Matth. 16. 5. legimus discipulos oblitos victui necessaria secum deferre; *cùm venissent, ait Euangelista, discipuli trans fretum, obliti sunt panes accipere*; nimirum Christi consortium ad salutarem hanc obliuionem vocauit, vt ab eorum mente vel necessariorum cogitatio exciderit. Pulchrè Rabanus in Matth. lib. 5. cap. 16. ad producta verba,

Raban. Matth. 16. 5.

Querat, inquit, *aliquis, & dicat, quomodo panes non habebant qui statim impletis septem sportis ascenderunt nauiculam, & venerunt in fines Magedan, ibique audium nauigantes, quòd cauere debeant à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? sed Scriptura testatur, quòd obliti sunt eos secum tollere. Quod autem nauigaturi trans fretum obliti sunt viaticum sumere secum, indicium est, quàm modicam carnis curam haberent in reliquis; quibus ipsa reficiendi corporis necessitas, quæ naturaliter cunctis mortalibus inest, intentione Dominici comitatus mente excesserat. Vnus verò panis, quem secum habebant in naui, mysticè ipsum panem vitæ, Dominum videlicet Saluatorem designat, cuius amore, quia semper intus reficiebantur in corde, minus de terreno pane, quo corpus pasci solet, curabant.*

1098. Cauendum summopere ne rerum noxiarum appetitu corripiamur, ac grauidis mulieribus videamur pares; probè Arrianus lib.4. cap.8 *Tuos obserua appetitus, ne sis affectus vt hi, qui imbecillo sunt ventriculo, vel vt* MVLIERCVLÆ GRAVIDÆ *prauum habeas appetitum.*

Grauidis mulieribus pares, qui noxias res appetunt.
Arrianus.
Mundus ipse inclamat ne diligatur.
S. Bonau.

Finio, & mundi ipsius voce mundum amandum minimè esse, minimè mundana diligenda sentio; ægrè quis mundi contemptori credat, vt non sinat sibi mundi contemptum à mundo contemnente persuaderi; audiat mundum ipsum, & mundi vocibus credat, qui se mundo credit; quot fuere mundi calamitates, tot voces fuere, quibus apertè prodidit, indignum se esse, qui ab homine amaretur. Opportunè sanctus Bonauentura serm. de sancto Thoma Apost. MVNDVS, inquit, *cùm nos tot calamitatibus pulsat, tot angustiis premit, tot defectibus agitat, quid aliud quàm* NE DILIGATVR CLAMAT? Audiat has voces, qui Christi voces audire contemnit, aut verè non audit, quia audit tantùm.

ADAG. DCCCCXCIV.

Somnia tamquam Apocalypses suis relinquere.

1099. QVi res sola inanitate grauidus dogmata nuda falsitate vestita oraculorum loco, dictisque summa reuerentia tanquam ab omni errore subornatis excipiendis suis obtrudit, qui hæreticorum mos est, hic somnia tanquam Apocalypses suis relinquere dicetur. Sanctus Epiphanius lib.1. aduersùs hæreses hær.19. de Essenorum Pseudopropheta loquens ait: *Commenta quædam ac* SOMNIA TANQVAM APOCALYPSES SVIS RELIQVIT; hac ferè arte suis falsorum dogmatum seminatores imponere solent, vt arcana quædam, & à communi notitia subducta proferre se iactent, quæ multa falsitate sunt consuta; erroresque euomunt falso mysteriorum velamine contectos. Si quis in huiusmodi hominum ore laqueos suos Satanam abscondere asseret, vt alios decipiat, non aberrabit, & succinentem sibi habebit sanctum Augustinum, cuius hæc sunt verba lib. 3. confess. cap. 6. vbi de Manichæis loquitur: *Incidi in homines superbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei Diaboli*; quod quadrat & in alios hæreticos hominésque fallendis hominibus natos; nisi quòd & Diaboli os accipere hi homines, qui à veritate alieni temerè in vulgus spargunt; sancti Irenæi hæc sunt verba lib. 1. cap. 29. aduersùs hæreses. *Marcion super blasphemiam, quæ est in Deum, adiecit & hoc. Verè Diaboli os accipiens, & omnia contraria, dicens veritati, I, & crede te hisce veritatis hostibus, & falsitatis seminatoribus.*

ADAGIVM DCCCCXCV.

Ad ignoscendum ferreus.

FErreus vniuersè sæuus, immitis, durus, & implacabilis prouerbialiter dici solet, ferreus ad ignoscendum audiet, qui læsus flecti non potest vt ignoscat. Sidonius Apollinaris lib. 5. epist.7. *Hi*, inquit, *ad* IGNOSCENDVM FERREI, *ad amicitias pardi, ad fallendum vulpes*; non ferreus erat Dauid, cereus erat, de illo ita scribit sanctus Chrysostomus homil. in illa verba, Salutate Priscam, & Aquilam, *Dauid, cùm Saulem apprehendisset præuaricatorem, & spirantem homicidium, & multis pœnis dignum: non solùm eius vitæ pepercit, sed neque vt verbum asperum in eum iaceretur, sustinuit, causámque ponens, dicit; Christus Domini est.* Regiua hic mos, & mente regia dignus iniurias deuorare, & eas inferentibus ignoscere. Ludouicus XII. Galliæ Rex multis, & grauibus lacessitus contumeliis cùm in regni hæreditatem successisset, cùm calumniatores sibi fuga consulerent, absentes regio hoc dicto reuocauit: *Priuati personam exui; Rex quippè constitutus hacce conuitia neque curo, neque vlciscor.* Fridericus III. Imperator cùm in eum multa homines maledicta iactassent, ad Proceres conuersus, inquit: *An nescitis, Principes quasi signum ad sagittas expositos; turres enim præaltas fulgura feriunt, humilia tecta prætereunt*; ita ferè Æneas Syluius lib. 5. comment. de reb. Alphonsi: Alphonsus Aragonum Rex cùm audisset quosdam de se bene meritos linguam à conuitiis non temperare, regium istuc effudit, quod & olim effudisse Alexandrum ferunt: *Regum est non solùm benè facere, sed etiam mala patienter audire.* O regia hæc mens, etiam non Reges regeret, fierent si illâ regerentur; Iacob à fratre iniuriis lacessitus, fratri non indignatus est, fratrem non læsit, fuga potiùs eius indignationem mitigare studuit, vt non mirum si & miro illo scalæ visu fuerit recreatus, tantámque apud Deum inuenerit gratiam; rem sic expendebat sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 21. in hæc verba: *Iacob fratri indignanti piè cessit, & Rebecca, idest, patientia instructus consilio abesse maluit, & peregrinari, quam excitare fratris indignationem, & tunc redire cùm fratrem mitigatum putaret, & ideo tantam apud Deum inuenit gratiam, quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliauit sibi, vt ille præreptæ benedictionis non meminisset, meminisset delatæ satisfactionis*; nimirum tantum studij adhibuit, vt iratum placaret fratrem, quantum iniuriarum memores adhibent, vt iniurias inferentibus inferant iniurias. 1100.

Quî verò dura quæque verba deglutiri facile possint, grauia quæque conuitia calore patientiæ digeri, diuinè docuit Dei mater sanctam Mechthildem alloquens lib. 2. eius vitæ cap. 23. *Cogitet*, qui dura verba audit, qui obtrectationes, qui maledicta, qualia ego Domina omnium audiui; non est æquum, seruum, seruámque defugere, quæ passa, quæ omnium maior. Pergit statim, & remedium aliud valde salubre, facileque parabile offert: *Consideret quòd verba non sunt nisi aer, & mox habebit refrigerium*; congere in vnum omnia conuitia, quæ à maledico exire ore potuerint, nihil aliud sunt, si rectè rem penses, quàm mollis aër refrigerandus

visceri

visceribus aptus, non animis feriendis; ab animi imbecillitate est, quod ab aëre feriatur.

ADAGIVM DCCCCXCVI.

Arcam Dei iuxta Dagon collocare.

1101. QVi sancta cum non sanctis locat, pura impuris addit, sacra non sacris miscet, hic non sine prouerbij facie Arcam Dei iuxta Dagon collocare dicetur; vt quod re ipsa narratur historicè factum 1. Reg. 5. ad alia translatum adagij induat saporem; huc spectant sancti Petri Damiani verba serm. 60. *Quid*, inquit, *turpius, quàm membra Christi sanguine consecrata, & consepulta ei in baptismate libidinosis ardoribus maculare, nec attendere reuerentiam præsentis Dei, minantis pœnam, gloriam promittentis? Absit vt aliquis vestrûm huic idolo substernatur, vt filium Virginis in Veneris templo suscipiat,* vt ARCAM DEI IVXTA DAGON COLLOCET, *ne nutritus in croceis stercora complectatur. Quid puritati, & impuritati?* Poterit & ad alia inter se minimè conuenientia adagij vsus porrigi, cùm præsertim quæ sanctimoniam, & puritatem redolent, iis adnectuntur, quæ puritatis, omnis sanctimoniæ expertia sunt.

ADAG. DCCCCXCVII.

Ignem in sinum portare.

1102. IN eos prouerbialis formula congruit, qui in re aliqua, reique alicuius consequtione, aut amore euidenti se discrimini obiiciunt, & studiosè iis rebus vacant, quæ certam perniciem afferunt amatoribus suis, suisque cultoribus; ad opum amorem, auarámque collectionem rem coërcuit Petrus Blesensis serm. 6. qui est Purif. B. Virginis, dum ait: *Nihil liberius, nihil tutius paupertate, qui opes congregat,* IGNEM IN SINVM PORTAT; *cum colubro dormit, qui opes amat, opes, vt ait quidam, cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, nunquam sine dolore amittuntur.*

. Ignis pecunia est, quæ illos amburit, à quibus amatur, quin & ignem accendit in iis, in quos spargitur. Sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 21. sic impium Cadaloum arguit: *Pecuniæ* FAVILLAS, *vt ita loquar, per populum spargis, & per æstum cupidinis miserorum hominum corda corrumpis. Tu tanquam Vesenus gehennæ flammas eructans, non quiescis*; has flammas excipit, qui pecuniæ amore tactus pecuniis excipiendis ita sinum aperit, vt & mentem sceleribus exponat. Porrò prouerbialis formula ad quæcunque nocitura porrigi opportunè poterit.

ADAG. DCCCCXCVIII.

De harena resticulas nectere.

1103. LOquutio prouerbialis, qua vtemur cùm ea nectere inter se student, quæ cohærere nequeunt. Torqueri in hæreticos à Patribus solet, qui ineptè stolidéque sacratum Scripturarum ramenta vndique colligunt in sui erroris confirmationem; sanctus Ephræm. Syrus de Virtute cap. 8. ita loquitur hæreticos perstringens: *Cùm sit tale illorum argumentum quod neque Prophetæ prædicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantiùs gloriantur plusquam cæteri cognouisse, de iis, quæ non sunt scripta, legentes; & quod solet dici, de* NARENA RESTICVLAS NECTERE *adsectantes, fide digna aptare conantur iis, quæ dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones Apostolicos, vt figmentum illorum testimonio non carere videatur.* Eodem ferè sensu extulit eandem formulam sanctus Epiphanius lib. 1. aduersùs hæreses hær. 31. *Hæc est illorum*, inquit, *doctrina, quam neque Prophetæ prædicarunt, neque Dominus tradidit, neque Apostoli reliquerunt. Quæ quidem minimè scripta ex auditione sic arrepta, vt quod in prouerbio est,* FVNEM EX ARENA TEXERE *conentur; plus se cæteris de vniuersorum natura scire gloriantur*; quibus verbis perstringi & nostri hæretici possunt. Huc spectat & illud sancti Irenæi lib. 1. aduersùs hæreses cap. 1. *Cùm sit tale illorum argumentum, quod neque Prophetæ prædicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantiùs gloriantur plusquam cæteri cognouisse de iis, quæ non sunt scripta, legentes, & quod solet dici,* DE HARENA RESTICVLAS NECTERE *adsectantes, fide digna aptare conantur iis quæ dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones Apostolicos, vt figmentum illorum non sine teste esse videatur.* Vbi eius scholiastes; *Mira*, inquit, *apparet in explicanda Valentianorum stoliditate proprietas, qui Scripturarum vndique collecta ramenta nullo pacto inter se cohærentia, ad sui erroris confirmationem nectere conarentur.* Ad alios, ad alia purrigi hæc formula poterit, porrexere & inter prophanos scriptores nonnulli, nos sacrorum auctoritates dedimus, & mentem.

ADAG. DCCCCXCIX.

Ætatis nostræ Debora, nostri temporis Iahel.

CVm mulier aliqua, quæ prudentia animi, 1104.
corporisque fortitudine, cæterísque virtutibus supra sexum suum feratur, est efferenda, vnum ex præfixis formulis adhibebimus. Insignis Deboræ strenuitas, & Iahelis nota in sacris litteris est; Iudic. 4. harum mulierum egregia facinota cùm expendisset sanctus Chrysostomus orat. 8. quæ est de pœnitentia, addit, nullo vnquam tempore Deo Deboras deesse, non deesse Iaheles, & tem ad Beatam Virginem Mariam in hunc modum coërcet: *Et quidem hac ætate non deest Deo* DEBORA, *non deest Deo* IAHEL. *Habemus & nos sanctam Virginem Dei Genetricem Mariam, quæ pro nobis intercedit. Si enim quæuis è vulgo, & multitudine victoriam obtinuit: quanto magis Christi mater hostes veritatis confundit? Hostis ille cùm amaretur, arbitratur fœminam esse, quæ risu & sibilis exciperetur, & Imperatricem fortiter depugnantem sensit, non existimabas illi monumentum futurum, & ipsi sepultura inuenta est: mortuam illam existimabat, & ab ipsa interfectus est.* Hactenus ille, quæ verba nos ad Virginem non ducunt tantùm, sed trahunt, vt licet integrum volumen tantæ matris laudibus dicamus.

ADAGIVM M.

Rosa ex spinis.

1105. PRouerbialiter hoc dictum vſurpabitur, quoties bonus ex non bonis naſcitur, probus prodit ex improbis; ſic Maria næui omnis expers ex Iudæis peccatorum ſpinis obſitis orta eſt, quod Sedulius lib. 2. operis Paſchalis, ita explicuit,

Ac velut ex SPINIS *mollis* ROSA *ſurgit acutis*
Nil quod lædat habens, matrémque obſcurat honore.

Et illud illius hymni Eccleſiaſtici,

Sicut SPINA ROSAM *genuit Iudæa Mariam.*

Chryſippus Preſbyter Ieroſolymitanus ſerm. de laudibus Virginis; *Et cultura* SPINARVM *ferax* ROSAM SVAM *produxit*; quòd porrigi ad alia poterit, quotieſcunque perfecta aliqua res ab ea prodit, quæ ea perfectione caret, qua prædita quæ ab illa naſcitur.

Vt inter malos quis degat, bonus tamen eſſe debet, & iis moribus ea pietate ſit præditus, qua ſuorum impietatem quantum in ſe eſt expiet, ac diluat; referre piſces debemus, qui ex amaris aquis nati amari non ſunt, eáque ſalſedine carent, qua aquæ ipſæ imbutæ, ex quibus ipſi prodierunt; ſic ſanctus Bernardus ſanctum Malachiam efferens hac ſimilitudine eſt vſus libro quem de eius vita ſcripſit, ait enim eum ex non gente ſancta ſanctum prodiiſſe, & ex gente barbara non barbarum; hæc ſancti Patris verba: *Malachias noſter ortus Hybernia de populo barbaro, ibi educatus, ibi litteras edoctus eſt. Cæterùm de natali barbarie traxit nihil, non magis quàm de ſale marino piſces maris. Quàm verò ſuaue quòd inculta nobis barbaries tam vrbanum protulit ciuem Sanctorum, & domeſticum Dei? Qui producet mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo, ipſe fecit hoc.* Inter malos vixit, non vixit malus, ſed eo maiori laude maior, quò magis infami nota peiores erant illi inter quos viuebat. Ab hoc capite & Iobo non leuis laus acceſſit, quòd in terra Hus Iob ſemper fuerit ſui ſimilis, & ſingulari inter malos probitate inſignis; legis, *Vir erat in terra Hus nomine Iob*; vir erat inter non viros, rectus inter non rectos, inter ſpinas roſa; in catena Græca cap. 1. hæc habentur: *A regione illius ducitur laus, vt id quoque tibi admirationem faciat,* QVOD EX SPINIS HVIVSMODI ROSA EXSTITERIT. Rem luculentiùs expendit ſanctus Gregorius lib. 1. Moral. cap. 1. & Lothi quoque exemplo confirmat; hæc huius ſancti Patris verba, ad verba Iobi producta: *Idcirco ſanctus vir vbi habitauerit, dicetur, vt eius meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis neſciat, quòd ſit terra Gentilium? Gentilitas autem eo obligata vitiis extitit, quo cognitionem ſui conditoris ignorauit. Dicatur itaque vbi habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis: ſed bonum eſſe cum malis, ſicut enim grauioris culpa eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi eſt præconij bonum etiam inter malos extitiſſe. Hinc eſt quod iſdem Beatus Iob ſibimet atteſtatur, dicens: Iratus fui Draconum, & ſocius ſtruthionum. Hinc Petrus magni Loth laudibus extulit; quia bonum inter reprobos inuenit, dicens & iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuſta conuerſatione eripuit.*

Vulgi quis multitudini miſceatur, vulgi errores bibere non debet, nec multitudinis fæcibus inquinari, non vitiorum ſordibus pollui. Præclarè Arcæ, Rubi, & adamantis exemplo id explicabat ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Heronis: *Quemadmodum*, inquit, *Arca illa Noë in diluuio vim diluuij non ſenſit, & Rubus ille mirabilis quem Moyſes in monte conſpexit, ita conflagrabat, vt tamen à flammis exhauriri non poſſet; eodem modo nos quoque nec multitudinis impuritiæ vitiis inficiamur, quemadmodum nec Adamas percutientium ictibus labefactatur, & pro virili noſtra curemus vt alij per nos meliores efficiantur.* Proba hæc probitatis conſignatio adeò malorum vitiis non affici, vt mali ampliùs non ſint ſi ſint inter nos; nec malè viuant, dum nobiſcum viuunt; ſed quia ſentio vel nudam Mariæ memoriam calamum ad ſe rapere, ſinam eò excurrere quò vocatur, vt tandem toti huic operi fibula imponatur.

EXCVRSVS CLXXIV.

Aliqua hîc in Mariæ Virginis laudem inſeruntur.

Mariæ nomen *quanta* dulcedine *ſuos afficiat.*
Seth *vt ad Mariam Virginem cogitauerit.*
Chriſtus ſuis manibus *Mariam baptizauit.*
Ingreſſus Mariæ *in templum à Græcis cultus.*
Chriſti ortus *ex Virgine antequam eſſet* prædictum.
Maria columna nubis, *quæ ad cœlum promiſſum nos ducit.*
Maria gloriæ radix.
Maria vmbraculum *Spiritus ſancti.*
Mariæ virginitas *in Chriſti editione minimè* violata.
In caſtitatis nido *inſidens Maria ſuos enutrit.*
Sanctior, *&* purior *poſt partum Virgo.*
Ad ſalutem *Virgineus thalamus.*
Non propter ſolam Virginem, *quod factum in Virgine, ſed & propter* nos.
Superis donis beari *qui cupit, Dei matrem* colat.
Amat *Virgo præcipuè præcipuos Dei ſui* amatores.
Crucis, *&* crucifixi *meditatio quàm nobis vtilis.*
Per Virginem Crux *per totum orbem reſplendet.*
Virginis ſalutatio.

VT integrum volumen matris Dei laudibus 1106.
ſacrauerim, hîc tamen iniecta illius memoria mihi integrum minime fuit ab ea calamum flectere, quæ ita calamos omnes fatigat, vt etiam in ſui commendationem rapiat; ditius hoc argumentum eſt, quàm vt alicuius labore exhauriri poteſt; laudis materia nunquam defuit, cùm ea laudatur, quæ laude omni eſt maior; liceat igitur mihi & hoc volumen hoc excurſu obſignare, quæ aliqua in Mariæ laudem libat, vt vel ſic ſcriptoris adfectum in tantam matrem ſcriptio ipſa prodat.

Maria nomen quanta dulcedine ſuos efficiat. Franco.

Mariæ nomen, eiúſque dulcedinem, ac ſuauitatem ſic efferebat Franco Abbas tom. 6. de gratia Dei; *Neque poſt illud ſingulare dilecti filij ſui nomen, quod*

quod est super omne nomen, aliud nomen cælum, aut terra nominat: vnde tantum gratiæ, tantum spei, tantum suauitatis, tantum consolationis, pia mentes concipiunt. Quotiescunque enim dulcissimum nomen illud Maria, amatores illius audiunt: toties ex pio auditu, & suauitate auditi nominis nescio quid inenarrabilis iocunditatis intus trahunt. NOMEN NAMQVE MARIÆ MIRVM QVID SVAVE, AC DIVINVM IN SE CONTINET; *vt cùm sonuerit, amicis cordibus, amica suauitatis odorem spiret. Et mirum illud est de nomine Maria, & valde mirum: vt millies auditum, semper audiatur quasi nouum.*

1107. *Seth vt ad Mariam Virginem cogitauerit.*

Primos humani generis parentes Virginem cogitasse, cogitasse Iesum, talique cogitatione ærumnas suas æquiori animo tamquam leuiores tulisse, alibi probaui; addo hîc Seth præcipuè Adæ filium in Iesum, in Mariam mentem intendisse, & cùm viueret, & morti esset vicinus, siquidem vera sunt, quæ inuento eius cadauere in valle Iosaphath refert Ioannes Gerbrandus lib. 31. Chronic. Belgic. cap. 26. fides penes auctorem sit, cuius hæc sunt verba: *Anno 1174. cùm Latorni Saraceni, & Christiani iussu Sibylla Regina Vngariæ de licentia Soldani Babyloniæ foderent in valle Iosaphath, inuenerunt tumulum de lateribus compositum, & aperientes inuenerunt cadauer miræ magnitudinis integrum. cum barba prolixa, & capillis maximis, in pellibus ouinis, & integris sepultum, & super caput eius inuenerunt tabulam, in qua litteris cauatis admodum sigilli Hebraicè inscriptum fuit sic: Ego Seth tertio genitus filius Adæ credo in Iesum Christum filium Dei, & in Mariam Virginem matrem eius de lumbis meis venturos.*

Ioan. Gerbr.

Christus suis manibus Mariam baptizauit. S. Euod.

Notatione dignum illud est, quod de Virgine legimus. Tradit S. Euodius successor S. Petri in Cathedra Antiochiæ, epist. quæ inscribitur φῶς, *lumen*, Christum suis manibus baptizasse ex mulieribus solam Virginem, ex viris solum Apostolum Petrum; Petrum verò baptizasse Andream, Iacobum, & Ioannem, hos verò reliquos Apostolos Baptismi aqua abluisse.

Ingressus Mariæ in Templum à Græcis cultus.

Illud obseruatum à nobis est Mariæ in Templũ ingressum a Græcis peculiari die cultum, nimirum vigesimo Nouembris. In Menæis Græcis ita legitur: μηνὶ Νοεμβ. εἰκοστῇ τῇ ἐκ τοῦ ναοῦ εἰσόδου τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. *Die vigesima mensis Nouembris profestus ingressus in Templum sacrosanctæ Dei genitricis.*

1108. *Christi ortus ex Virgine antequam esset prædictũ.* Ioan. Gerbr.

Christi ortum ex Virgine prædixere Prophetæ, prædixere Sibyllæ, multisque aliis mysterium istuc est patefactum, antequam esset. Dignum est recensitu illud, quod refert Ioannes Gerbrardus accidisse circa annum 800. quod huiusmodi est, vt ille refert in Chron. Relig lib. 4. cap. 10. *Circa hæc tempora quidam homo reperit arcam lapideam in vrbe Constantinopolitana, ac in ea virum iacentem cum hac scriptura: Christus nascetur ex Maria Virgine, & credo in eum.*

Maria columna nobis, quæ ad cælũ promissum nos ducit. S. Epiph.

Gloriæ radicem Dei matrem indigitatam reperio; sancti Epiphanij hæc sunt verba, serm. de eius laudibus: *Aue gratia plena, nube columnæ similis, quæ Deum habet, qui populum deduxit per desertum,* sequi huius columnæ ducatum fidelis populus debet, iturus nõ ad terram promissam, vt Iudæorum populus, sed ad promissum cœlum. Pergit sanctus Pater: *Quid dicam, & quid proloquar, quo pacto beatam prædicabo* GLORIÆ RADICEM?

Maria gloriæ radix. Idem.

Maria vmbraculũ Spiritus sancti. Franco.

Mariam *vmbraculum Spiritus sancti*, vocat Franco Abbas tom. 6. de gratia Dei: *Decuit*, inquit, *matrem Christi* VMBRACVLVM SPIRITVS SANCTI, *Reginam cæli, virginarum Imperatricem suis ornamentis adornari.*

Mariæ virginitas in Christi editione minimè violata. S. Fulg.

Mariæ virginitatem Christi sui editione non violatam, sed perfectam sic euincebat S. Fulgentius serm. de laudibus Mariæ: *De cælis medicus transiens per Virginem, post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere, qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod inuenit integrum,* POTVIT NON VIOLARE *nascendo.*

1109. *In castitatis nido insidens Maria suos enutrit.* Franco.

In castitatis nido insidentem Mariam nobis offert Franco Abbas meditationis pullos ibi enutrientem; sic ille scribit tom. 6. de gratia Dei: *Maria pudoris sui custos fidelissima, sicut turtur erat solitaria elongans, & fugiens, atque in solitudine cordis secum commanens;* NIDVLO CASTITATIS *insidens, ac sanctæ meditationis pullos ad robur consummatæ virtutis fructibus contemplationis enutriens.*

Sanctior, & purior post partũ Virgo. S. Aug.

Adeò post partum virginitatem non amisit, vt castior, sanctiórque ipso partu sit effecta; Iesum in Virginis vtero gestatum, & ex virgineo vtero prodeuntem sic meditabatur sanctus Augustinus serm. 10. de temp. qui est 21. in appendice; sic enim ille loquitur: *Peperit filium mater, a quo ipsa nutriretur potius, quam nutriret. Mortali aluo immortalem suscepit hospitem, & in terrestri hospitio, cælestem. Virgo, Imperatorem suscepit. Beata virginitas desinit esse iam mortis ancilla, quia illum intra se gestabat in mente, quem Maria portauit in ventre. Nulli virginitas seruituti succumbit, quia illum diligit qui humano generi attulit libertatem. Cælestis propago germinabat in vtero, & in eximio partu virginea viscera coruscabant. Humanis gressibus portabatur pictura deifica, & in angusto pudoris cubiculo eum, quem cæli non capiunt, sancta Virgo portabat inclusum, & peperit eum; non qui nascendo pollueret parientem, sed qui à pollutione seculum delauaret. Sancta credidit, sancta concepit,* SANCTIOR *efficitur post partum.* Et sanctus Epiphanius serm. de laudibus Virginis Virginem ita loquentem facit: *Non experta, nec cognoscens virum peperi Deum, qui est ante secula, ipsum Christum, nam etiam nunc post partum* PVRIOR, *si dicere licet, quàm antea.*

1110. *Ad salutem virgineus thalamus.* Philipp.

Qui ad salutem in virgineum vterum velut in mortariolo aromaticæ species coniectæ sint, ex quibus vnguentum conficeretur, testiué his verbis exponit Philippus Abbas Bonæ spei lib. 1. c. 8. in Cantic. *Denique in thalamo Virginis velut in mortariolo conuenerunt, & conuentu gratissimo vnguentum, vel vnguenta satis vtilia confecerunt; Patris perceptio, verbi præsentia, vmbramen flaminis: auris obediens, fides constantior, & caro Virginis. Istarum specierum in vase futili, rusticana non fit confusio, sed docta manu, & arte medica, quadam contusio: quibus in numero & mensura, & pondere congruo distributis, vnguenta pretiosa, & dolorum mitigatoria, & reparatoria sunt salutis.*

Non propter solam Virginem, quod factum in Virgine, sed & propter nos. Cant. 3. Anonym.

Non propter solam Virginem factum, quod factum in Virgine est, sed & propter nos; quid ni [illegible] ipsa Virgo facta propter nos sit, & in nostram vtilitatem nobis data? Ferculum sibi fecisse Salomon in amoris Cantico legimus, cap. 3. v. 9. & 10. *Ferculum sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Ita ne qui fecerat sibi, tamquam soli, & propter filias Ierusalem facere istuc potuit? potuit; nam Dei filius ita ferculum sibi virgineum fecit, in quo quiesceret, vt etiam seruorum suorum commodis consuleret. Præclarè anonymus quidam ineditus, qui de Maria loquens ait: Inter alias huius Virginis figuras illa consideranda est; Cant. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium*

aureum, ascensum verò purpureum. Ostendit verò qua ratione hoc sibi ferculum fecit; propter filias, inquit Hierusalem. Maria merito ferculum eius, qui plusquam Salomon est, dici potest, quam non solùm propter se, sed & PROPTER NOS FACTAM OSTENDIT, *dicens, propter filias Hierusalem, propter fidelium animas, vt in hoc ferculo quiescant, & in eo auxilium quærant. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratia eius, vt misericordiam inueniamus in auxilio opportuno.*

IIII.

Superis donis beari qui cupit Dei matrem colat. Franco.

Superis donis beari qui cupit, Dei Matrem colat, Mariæ honorem deferat; hinc Elizabeth Mariam excipiens, eiúsque se præsentia indignam, prophetiæ donum à Christo accepit; huius mentis fuit etiam Franco Abb. tom.7. de gratia Dei, dum ait: *Non superbit, non inflatur Elizabeth, vt illa Agar; nec ceruicem erigit, sed de officio gratias agens aduentu Domina sua se indignam asserit, vt quia matri Domini sui se humiliter sternit,* PRO HONORE MATRI DELATO A FILIO SPIRITVM PROPHETIÆ DONO ACCIPIT; tanti est tantam matrem venerari.

Amat Virgo præcipuè præcipuos Dei sui amatores. Guarricus.

Amat præcipuè Virgo præcipuos Dei sui amatores; hinc etiam ab hac causa sub cruce commendata Ioanni fuit, illiúsque custodiæ commissa, quia amore æstuabat Ioannes. Placet Guarrici Abbatis placitum serm.4. de assumpt. aientis: *Petrus sortitus Ecclesiam, Ioannes Mariam; hinc planè competebat hæc portio, non solùm iure propinquitatis, sed etiam amoris* PRIVILEGIO, præcipuo Dei sui amatori Dei mater commendatur, in amoris argumentum amanti datur Maria, vt amor cresceret, dum tanto dono donabatur.

Crucis, & crucifixi meditatio, quàm nobis vtilis.

Pende hîc mihi tempus, quo tanto munere cumulatus fuit Ioannes, pende locum, in quo Dei Mater facta, & Ioannis fuit; nimirũ cùm penderet in cruce Christus, & iuxta crucem; vt hinc suppparia sperare doceatur, qui seria cogitatione mente cruci hæret; scitè pius ille auctor, *Sicut sanctus Ioannes stans re ipsa cum Virgine iuxta crucem, eam à Christo in matrem accipit; ita si meditatione frequenter illi* AD CRVCEM *adstiteris, idem te impetraturum esse confide*; nullus ferè cœlestium donorum excipiendorum locus opportunior, quàm iuxta crucem. Matrem Christi in matrem habet, qui Christi cruci adhæret, mente crucem cogitat, & crucifixum.

IIII2.

Per Virginem crux per totum orbem resplendet. S.Epiph.

Iuxta Crucem stat Dei mater, crucis amica, quia & crucifixi; quid? & ipsa crux Virgini debitura erat, quòd per mundum vniuersum lucis suæ radios effudit; hinc illud sancti Epiphanij serm. de laudibus Virginis: *Per te homines fiduciam habent in cœlo apud Altissimum*; PER TE CRVX RESPLENDVIT PER VNIVERSAM TERRAM; *qua quidem cruce pependit filius tuus Christus Deus noster.* Græcè quæ ad rem, Διὰ σοῦ σταυρὸς ἔλαμψε καθ᾽ ὅλης τῆς οἰκουμένης.

Virginis salutatio. S Method.

Plura hîc dicturum intercipit materiæ ipsius vbertas; volumen his sancti Methodij verbis obsignabo, & cum alloquente Virginem alloquar: *Tu festi nostri principium, tu medium, tu finis, pretiosissima regni margarita; tu istius vitæ altare; salue amoris Dei Patris thesaure; salue Filij erga genus humanum fons propensionis; salue sancti Spiritus mons inumbrate.* Addo, Tu omnium bonorum fons, Tu humilitatis abyssus, Tu veræ sanctitatis exemplar, Tu puritatis speculum, Tu Dei tui delitiæ, Tu tuorum; sisto; tibi, mihíque, lector, illud occinitur:

MAGNOS DIGNE EFFERT, QVI ILLORVM EXEMPLO FERTVR AD MAGNA.

ברוך אל

F I N I S.

INDEX



INDEX RERVM
PRÆCIPVARVM,
Quarum in hoc Adagiorum volumine mentio fit.

Productus numerus est marginalis.

Curiosè

Index Rerum præcipuarum.

Altare.

Index rerum præcipuarum.

Index rerum præcipuarum.

Bellerophon.

Index rerum præcipuarum.

Index rerum præcipuarum.

Sæpiùs

Index rerum præcipuarum.

Index rerum præcipuarum.

D

Diaboli

Index rerum præcipuarum.

Curæ

Doctrina, Doctor.

Examinare.

ςιβίζοντες

Index rerum præcipuarum.

Pariter

Index rerum præcipuarum.

Ll 3

Index rerum præcipuarum.

In ad

Index rerum præcipuarum.

Iudas.

Index rerum præcipuarum.

Mali-

Magni

Index rerum præcipuarum.

Mundo

Index rerum præcipuarum.

Manus

Index rerum præcipuarum.

Index rerum præcipuarum.

Festus,

Index rerum præcipuarum.

Phinees

Index rerum præcipuarum.

Arc

Index rerum præcipuarum.

Index rerum præcipuarum.

Libera

Index rerum præcipuarum.

Spongia.

Index rerum præcipuarum.

Tenta

Index rerum præcipuarum.

V

Itinera

Index rerum præcipuarum.

Vires

Index rerum præcipuarum.

Voluptas

Index rerum præcipuarum.

FINIS.





